NOVAE LECTIONES

QUIBUS CONTINENTUR

OBSERVATIONES CRITICAE

IN

SCRIPTORES GRAECOS.

SCRIPSIT

C. G. COBET.

(*repetitae ex* MNEMOSYNE
Bibliotheca Philologica Batava).

LUGDUNI-BATAVORUM
Apud E. J. BRILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUM.

MDCCCLVIII.

PRAEFATIO.

Absolutam hanc Variarum Lectionum partem secundam in lucem emittenti mihi non esse opus arbitror eadem de iisdem iterare, ἐχθρὸν δέ μοι ἐστίν, ut Ulyssis ad Alcinoum verbis utar,

αὖτις ἀριζήλως εἰρημένα μυθολογεύειν.

Tenui enim vetus institutum ut ostenderem Codicibus non esse temere credendum, namque ad unum omnes libros Mss., quibus Graecorum scripta continentur, etiam vetustissimos, mendis erroribusque scatere, et passim in omnibus lectiones vitiosas et corruptas circumferri, quibus et sententiarum sanitas et elegans dicendi nitor et linguae veteris sinceritas et puritas misere perierint, ita ut praeclari scriptores modo ineptire et nihil dicere, modo insulse et pueriliter, modo vitiose et contra certum antiqui sermonis usum scribere videantur. Bonam partem horum mendorum Critici certis emendationibus dudum sustulerunt, permulta nobis eadem evidentia corrigenda supersunt. Etiamnunc plurima, quae quia aegra et malesana sunt acutum lectorem in Graecorum scriptis impediunt et offendunt manifestis correctionibus possunt in integrum restitui. Quamquam non in omnibus scriptoribus aut eadem aut par est feliciter emendandi facultas. In aliis enim palmariae emendationes et ab aliis multae repertae sunt et a nobis novae reperiri possunt, in aliis nihil huiusmodi adhuc repertum est et exigua spes est fore ut a nobis aliquando reperiatur. Athenaei libros (ut hoc utar) certis emendationi-

bus sanare bono Critico facile est, Theocriti Idyllia ad pristinam sanitatem revocare nemo fere aut olim potuit aut nunc potest. Nempe Codicum qui exstant diversissima ratio est, quae non ex aetate aut scripturae forma colligitur, sed ex diuturna observatione lectionum, quas quisque liber *in locis manifesto corruptis* exhibeat. In aliis enim, quamquam monstra et portenta loquuntur, levia sunt et ἐπιπολῆς scripturae vulnera, subest vetus et proba lectio, et pellucet ipsa scriptoris manus, quam si sollers et acutus sis elicere possis. Fefellit librarios, stolidum genus, antiqua scribendi consuetudo, ut coniungenda stulte distraherent aut coniungerent distrahenda: fefellerunt eosdem litterarum figurae paene similes aut non multum dissimiles, et nascuntur sic portentosae scripturae, sed ubi hoc agas et bene Graece scias et recte cogitare soleas, ecce emicat certa et manifesta emendatio, quae omnem caliginem dispellat et scrupulum omnem etiam infirmiori evellat. Quam sint Codicum lectiones absurdae periti ex ipsis satis intelligunt, imperiti ita demum vident quum verae scripturae lux affulserit. Intelligi non possunt verba Strabonis XI. p. 516. Casaub. καὶ τὴν ὑποϛᾶσαν ὄρει — Βακτριανήν. Res omnibus manifesta nunc est postquam palmaria emendatione restituit Strabonis manum C. Mullerus. Latebat in absurda lectione is, quem in Cypri descriptione commemorat Strabo XIV. p. 683: εἶτα Σόλοι πόλις — οἱ δ' ἐνοικοῦντες Σόλιοι καλοῦνται. ἐντεῦθεν ἦν Στασάνωρ τῶν Ἀλεξάνδρου ἑταίρων ἀνὴρ ἡγεμονίας ἠξιωμένος. Ipsam Bactrianam hanc Stasanoris ἡγεμονίαν fuisse constat ex Arriano apud Photium in Biblioth. Cod. XCII. p. 71 B. Bekkeri, ubi legitur: Ἀρείων δὲ καὶ τῆς Δραγγηνῶν χώρας Στάσανδρον καθίϛη ἡγεμόνα, τῆς δὲ Βακτριανῆς καὶ Σογδιανῆς Στασάνορα τὸν Σόλιον, et e Diodoro Siculo XVIII. 39: Ἀρείαν δὲ καὶ Δραγγηνὴν (προσώρισε) Στασάνδρῳ τῷ Κυπρίῳ, τὴν δὲ Βακτριανὴν καὶ Σογδιανὴν Στασάνορι τῷ Σολίῳ ἀπὸ τῆς αὐτῆς ὄντι νήσου. Quis igitur tam plumbeus est ut non statim intelligat

in *ὑποςᾶσαν ὄρει* latere *ὑπὸ Στασάνορι?* Paene cernimus oculis scripturam veterem ΥΠΟΣΤΑΣΑΝΟΡΙ, quam scriba nihili sic depravavit ut Strabo ineptire videretur. Sed in talibus vera lectio emergit ubi quis et ab iudicio et ab eruditione paratus manum vulneri admovet. In his potissimum quam nihil scribae cogitent, quam nihil intelligant luculenter apparet. Anaxilas in Athenaei Codice archetypo Marciano et apographis omnibus traditur dixisse XIII. p. 558 B.

οἱ Σινώπη δ' αὖ συνόντες οὐχ ὕδρα σύνεισι νῦν;
γραῦς μὲν αὕτη, παραπέφυκε δ' ἡ Γνάθαινα πλησίον,
ὡς τὰ πολλά γ' εἰσὶ ταύτης ἐςι διπλάσιον κακόν.

veram scripturam reperit Dobraeus Advers. II. p. 341.

ὥςτ' ἀπαλλαγεῖσι ταύτης ἐςι διπλάσιον κακόν.

vides ΩΣΤΑΠΑΛΛΑΓΕΙΣΙΤΑΥΤΗΣ dormitanti librario fraudi fuisse. Verum huiuscemodi vitia ex libris pervetustis propagata nil nisi librariorum stuporem et inscitiam arguunt, quae quanta sit nemo satis scire potest nisi diu ac multum veteres membranas exploraverit, sed idem longo usu omnibus istorum erroribus et fraudibus assuefactus pleraque nullo labore sanabit. Codices igitur sic a dormitante librario ex vetustis libris descripti facilem et expeditam habent emendationem eandemque certam et omnibus manifestam. In his morbi sunt sanabiles et *τὸ ζητούμενον ἁλωτόν*. Sed sunt alii multi, in quibus omnes istiusmodi veteres scribendi errores a male sanis correctoribus Graeculis sic *correcti* sunt scilicet, ut depravata pars intacta relinqueretur, sana et integra per vim corruptis accommodaretur. In horum nonnullis vera scriptura aliquo modo investigari potest, in plerisque mortuo medicinam facimus et omnis emendandi opera luditur. Deprehensa est, ut ostendimus, istiusmodi interpolatio in Anabasi VII. I. 28. ubi in libris est: *Λακεδαιμονίων μὲν καὶ τῶν Ἀχαιῶν συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ καὶ ὅσοι ἐκείνοις τότε ἦσαν σύμμαχοι πάντων προσγεγενημένων*, quae absurda sunt et sen-

su vacua. Dobraeus et Badhamus repererunt vitii sedem, et *τῶν ἀρχαίων συμμάχων* pro *Ἀχαιῶν* emendarunt, quo facto statim intelligitur *Λακεδαιμονίοις* post corruptelam a sciolo temere in *Λακεδαιμονίων* esse refictum. Iuvat eiusdem fraudis simillimum exemplum apponere e Dionis Chrysostomi orat. LXIV. p. 341. Reisk. *Fortuna*, inquit, *Κροίσῳ δίδωσι χρυσόν, Κανδαύλῃ γυναῖκα, — Σωκράτει φρόνησιν, Ἀριστείδῃ δικαιοσύνην, Λακεδαιμονίοις τὴν Ἀθηναίων θάλατταν.* Intelligisne quid sit: *ἡ τύχη δίδωσι Λακεδαιμονίοις τὴν Ἀθηναίων θάλατταν?* Cave credas, nam absurda scriptura est, quae intelligi non potest. Verum vidit Dindorfius, qui correxit: *Λακεδαιμονίοις γῆν, Ἀθηναίοις θάλατταν.* Evidens est emendatio et stultum correctorem tenemus manifestum; qui quum alias res agens ΤΗΝ pro ΓΗΝ descripsisset *τὴν Ἀθηναίοις θάλατταν* in *τὴν Ἀθηναίων θάλατταν correxit*, si Musis placet. Passim in certis emendationibus eadem homuncionum minimi pretii *ἀκρισία* arguitur, qui ultra pauca verba nil sapiunt, et ubi leviter corruptis syllabis contra loci sententiam *vocabulum bene Graecum* substituerint quid tandem dicatur neque intelligunt neque curant. Istorum igitur temeritate factum est ut multi loci, ubi antiquae scripturae reliquias interpolarunt aut veterem lacunam stulte expleverunt, iam neque intelligi a quoquam possint neque emendari. Grassata est ea labes et in aliis et in Theocrito. Meinekio prorsus assentior dicenti in Praefatione ad Theocritum: »*ne ipsum quidem Valckenaerium — unum locum difficiliorem ita expedivisse, ut acquiescere possis in ea quam proposuit sententia,*" sed erit aliquando tempus quum de Meinekii opera in Theocrito emendando collocata idem iudicium feretur. Aequales et populares nunc Meinekianas coniecturas laudabunt, ut olim Valckenaerianae laudabantur, sed dies opinionum commenta delet. Quemadmodum intelligi non possunt verba, quae apud Theocritum XV. 95. leguntur: *οὐκ ἀλέγω μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς*, sic nemo umquam intelliget

quid sit in eodem Idyllio vs. 4. ὦ τᾶς ἀλεμάτω ψυχᾶς, et vs. 7. τὺ δ' ἑκαςέρω, ὦ μέλ', ἀποικεῖς, vel τὺ δὲ μασσοτέρω ἔμ' ἀπῴκεις, et vs. 8. ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος. et vs. 15. λέγομες δὲ προαθρῆν πάντα, et vs. 25. ὧν ἴδες ὧν εἴπαις κεν, et vs. 27. αἶρε τὸ βᾶμα καὶ ἐς μέσον ἀνιόδρυπτε θές, et vs. 30. σμῆ δή ποκ', ἄπληςε, et vs. 50. κακὰ παίγνια πάντ' ἐς ἀρείω, et vs. 73. ὄχλος ἀθαρέως ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες, et vs. 88. ἐκ νασσᾶν τε πλατειάσδοισαι ἅπαντα, et vs. 144. τί χρῆμα σοφώτερον ἢ θήλεια; quae omnia de Meinekii et Ahrensii coniecturis reposita aut sententiae adversantur aut Graece loquentium usui. Facile est et haec et alia omnia utcumque *interpretari*, si quod voles fingere licebit et Graecitatis rationem et usum contemnere, sed, ut lenissime dicam, quid prodest locum difficiliorem sic interpretari, ut statim appareat meliorem interpretationem aut emendationem esse quaerendam? Quis non saepe vidit interpretationes mirificas, quorum auctoribus praeter sanam mentem et Graeci sermonis interiorem intelligentiam nihil prorsus defuit? Ne dicam de Aeschyli locis, in quibus illo modo interpretandis multi iudicio suo vim afferunt, proferam unum Aristophanis locum, qui legitur in Vespis vs. 312.

ΠΑΙΔΕΣ. τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες,
ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς;

Quaerebant eruditi quid esset βόσκειν πράγματα. Eodem die reperietur quid sit in Strabonis loco ὄρει ὑποςῆναι. Nempe illa verba, ut accurate ostendimus, ita sunt constituenda ut pueri flebiliter querantur:

τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες;

quae Euripidis verba sunt lepidissime a Comico in suam rem conversa, ut patres responderent subsannantes:

ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς.

Ostendimus idoneis exemplis πράγματα παρέχω apud Atticos cum infinitivo coniungi, ut verba Comici tam perspicua sint

quam festiva. Nihil horum probavi nupero Editori, qui pueris omnia, ut vulgo, continuanda contendit et utrumque versiculum ex Euripide sumtum esse. Idem παρέχεις pro παρέχῃς substituit. Oblitus est ἵνα μοι pro ἵν' ἐμοί substituere. Quid igitur haec verba significant? iure quaesiverim. Respondetur: »*pueri cogitaverunt τίνα ταῦτα πράγματα βόσκομεν; ut πρᾶγμα sit pro Minotauro monstro dictum.*" Quid dicam de his? Fieri potest ut haec »*pueri cogitaverint.*" Est certe haec interpretatio et ipsa π ρ ᾶ γ μ α . . . . ὑπό τι ἄτοπον, et non ipse Minotaurus, sed *monstrum* tamen. Quid autem causae est, quamobrem et Valckenaerius et Meinekius in Theocrito emendando oleum et operam perdiderint? Uterque tamen quam plurimos aliorum locos palmariis emendationibus sanavit, quas nemo umquam semel repertas et receptas loco movebit, ut apud Strabonem ὑπὸ Στασάνορι. Nempe Theocriti Codices a stupidis et temerariis correctoribus Graeculis interpolati sunt ad eum modum, quem in Stobaei Codicibus demonstravimus. Deletis passim omnibus verae lectionis vestigiis temereque expletis veteribus lacunis emendandi nulla spes superest. Non novi huius rei aptius exemplum quam Babrii versiculum Fab. LXXXI. 8:

ὁ δ'· οὐχὶ τὸν μῦν, εἶπεν, ὦ παλαμναίη,
δέδοικα, μή μου τὴν δορὴν κνίσῃ φεύγων,
κακὴν δὲ μελέτην ἐπ' ἐμὲ τῆς ὁδοῦ τρίβει.

Scin' quae sit vera scriptura? nempe haec:

μή μου τὴν δορὴν δ ά κ ῃ φεύγων
χ α ί τ η ν δ' ἔ μ ε λ λ ε τ ὴ ν ἐ μ ὴ ν κ α τ α ι σ χ ύ ν ε ι ν.

quam nisi nobis servasset Suidas in v. Παλαμναῖος, quas mirificas correctiunculas putes commenturos fuisse eos, qui tam feraci ingenio sunt ut semper aliquid novi pariant? Multa sunt igitur apud multos conclamata et deposita, quae satius est non tangere. Boni Critici est tacere potius quam nihil dicere neque κακοῖσιν ἰᾶσθαι κακά. Et superest hercle in quo

nostra industria appareat et iudicii acumen et sana eruditio et accurata Graecitatis intelligentia. Optimus quisque scriptor Graecus multis mendis etiamnunc obsitus est, quae certis indiciis deprehendi possunt et simul deprensa sanari. In his ubi de mendo constat parata est medicina. Illud genus vitiorum dico, quo antiqua loquendi consuetudo ad vitiosam sequiorum *συνήθειαν* temere reficta est. Nihil habet ea res quod magnopere mireris in tanta correctorum levitate et linguae veteris inscitia, qualem saepius etiam in eruditis magistris notavimus. Quum omnes vitiose loquerentur etiam Veterum libros eadem labes inficere coepit, neque erant Critici qui monumenta antiquitatis incorrupta ad posteros propagarent. Quo saepius in Graecia senescente et decrepita libri Veterum describebantur, eo plura vitia inveteratis nova accedebant. Quam saepe ipsi Veteres de corruptis libris querantur saepius et alias demonstravimus et nuper ad Hyperidis *λόγον ἐπιτάφιον*. Proferre nunc iuvat luculentum Galeni testimonium de Codicibus correctorum levitate iam tum interpolatis. In libro III. *περὶ δυσπνοίας* Tom. VII. p. 982. Kuhn. quum perveterem lacunam in libro Hippocratis deprehendisset et ita dixisset: *ἀλλά τις τῶν παλαιῶν βιβλιογράφων ἥμαρτεν ἔπειθ' οὕτως ἔχον ἔφθασεν ἐκδοθῆναι τὸ βιβλίον ἐφυλάχθη τε εἰκότως μέχρι δεῦρο τοῦτ' αὐτὸ τὸ σφάλμα, τινῶν μὲν ὀλιγώρως ὁμιλούντων τοῖς τῶν παλαιῶν βιβλίοις —, ἐνίων δὲ γνωριζόντων μὲν ἀλλὰ προσθεῖναι τὸ λεῖπον οὐ τολμώντων*, tum haec verba subiungit maxime memorabilia: *οὐ γὰρ δὴ ὁμοίως τοῖς νῦν οἱ πρόσθεν εὐχερεῖς ἦσαν οὐδ' ἕτοιμοι παραγράφειν παλαιὰν λέξιν ὡσαύτως γεγραμμένην ἐν ἅπασι τοῖς ἀντιγράφοις, ἀλλ' ἐπισημήνασθαι μόνον αὐτοῖς ἱκανὸν ἦν ὡς ἐνταῦθα μὲν ἐλλιπῶς ἐν τῷ ἕκτῳ δὲ τῶν Ἐπιδημιῶν τελέως γέγραπται.* Post pauca duriter increpat librarium, qui temere Hippocratis correctorem egisset: *εἰς ἄκρον ἀφῖκτο περιεργίας*, inquit, *ἐπανορθωτὴν αὐτὸν τῶν Ἱπποκράτους συγγραμμάτων, οὐχ ὑπηρέτην, παρέ-*

χων. Deinde multos esse locos obscuros et impeditos scribit, in quibus ἤτοι παραλελεῖφθαί τι πιθανόν ἐστιν ἢ παραγεγράφθαι, et rectissime admonet oportere nos *orationem restituere in integrum*, ἀπεργάζεσθαι τέλεόν τε καὶ ἀληθῆ τὸν λόγον ἤτοι τὸ λεῖπον προστιθέντας ἢ τὸ ἡμαρτημένον ἐπανορθοῦντας. Audiant vero diligenter, qui veterum membranarum fidem venerantur, ea quae addidit: ὥσπερ γὰρ τὸ μεταγράφειν τὰς παλαιὰς ῥήσεις προπετές, οὕτω καὶ φυλάττοντας ὡς γέγραπται βραχείαις τέ τισιν ἢ προσθέσεσιν ἢ ὑπαλλάξεσι διαλύεσθαι τὰς ἀπορίας ἀγαθῶν ἐξηγητῶν ἐστιν ἔργον. In tanta igitur librariorum temeritate non est hoc magnopere mirandum sinceras antiqui sermonis formas in libris obliteratas esse, sed multo magis mirabile est quomodo homines docti futilium testium et numquam sibi constantium aut inter se consentientium auctoritatem secuti tamdiu ferre potuerint formas vitiosas, quibus veteres Atticos numquam usos esse certis indiciis et argumentis liquido constet, quibus nihil aliud opponi potest praeter *veterum membranarum fidem* sexcenties omnium consensu in manifesta fraude deprehensam. Satis constat, ut hoc utar, secundas personas verborum passivorum in — ει omnes exire, non in — ῃ. Dicebant olim ἐνθυμεῖ, λήψει, πεύσει, quemadmodum βούλει et ὄψει constanter dicebant. Librariis aliter visum. Itaque Euripidem video cum multis aliis sic deformatum ad Macedonicam consuetudinem. Nihil potest esse certius quam ᾖα apud Veteres habuisse ᾖμεν, ᾖτε et ᾖσαν, non ᾔεμεν (ᾔειμεν), ᾔειτε et ᾔεσαν, quae formae inauditae Veteribus natae sunt ex eorum errore qui ᾔειν, recentiorem formam pro ᾖα, ad eam rationem accommodarunt quam in ᾔδειν caeterisque plusquamperfectis omnes sequebantur. Formae noviciae passim ἐκ τῆς συνηθείας in libros Veterum irrepserunt, et ab nonnullis tam caeca pertinacia retinentur, ut vel apud Thucydidem I. 1. ὅτι ἀκμάζοντές τε ᾖσαν ἐς αὐτὸν (τὸν πόλεμον) ἀμφότεροι παρασκευῇ τῇ πάσῃ, quamquam

certum sit *ἰέναι ἐς τὸν πόλεμον* Atticum esse et Thucydideum, quamquam disertissimum exstet antiqui Critici testimonium (apud Photium v. *ἦα: δισυλλάβως τὸ ἐπορευόμην. σὺν τῷ ἰῶτα γράφεται. οἱ γοῦν Ἴωνες ἤϊα λέγουσι καὶ ἤϊσαν τὸ ἤεσαν. καὶ παρὰ Θουκυδίδῃ οὕτως ἀναγνωστέον· ὅτι ἀκμάζοντές τε ἦσαν ἐς αὐτόν*), tamen sint qui absurdam lectionem *ἦσαν* mordicus retineant: »*namque ἤεσαν in ceteris omnibus Thucydidis locis exstare.*" Librarii, ut ostendimus, *ἀπῆσαν* quoque (*aberant*) stulte in *ἀπήεσαν* refingunt. Vetus est illud mendum, pervetus adeo, nam Criticus, qui apud Thucydidem *οὕτως ἀναγνωστέον* docuit, simul vulgatam lectionem *mendosam* fuisse docet. Sed longa dies non hoc efficit ut quae vitiosa sint sana debeant videri. Semper Critici cum ingeniis huiusmodi conflictamur. Queritur Hieronymus in Praefat. altera ad librum Iobi: »*tanta est enim vetustatis consuetudo ut etiam confessa plerisque vitia placeant dum magis pulchros habere volunt codices quam emendatos.*" et in Praefat. ad Psalterium: »*Videtis plus antiquum errorem quam novam emendationem valere.*" Caeterum formae *ἦμεν*, *ἦτε* et *ἦσαν* cum compositis omnibus non tantum Atticis ubique restituendae sunt spreta futili librorum auctoritate, sed Atticorum imitatoribus quoque, Dioni Chrysostomo, Philostrato, Luciano caeterisque, quibus *ἀττικίζειν* studio fuit. Rectissime de ea re admonuit L. Dindorfius in praefat. ad Dionem Chrysostomum pag. XI. Eodem modo plusquamperfecti formae antiquae *ᾔδη*, *ᾔδησθα* et *ᾔδειν* ante vocalem perpetua fraude obliterantur, et *ἐπεπόνθη*, *ἐκεχήνη*, *ἐλελήθη* similesque omnes. Vix usquam elapsae sunt formae *ἦσμεν*, *ἦστε*, *ἦσαν*. Quam saepe *εἴξασιν* in vulgarem formam abiit! quam male mulcarunt *ἥκειν* Attice pro *ἐῴκειν* positum! Atticum *πλεῖν ἢ τριάκοντα* et sim. in solo Aristophane aetatem tulit et in unico optimi Codicis loco apud Demosthenem. Quidquid fere sequiorum socordia peperit errorum videbis insinuare sese in monumenta antiquorum. *Ἔζην*,

ut ostendimus, ex ἔζης, ἔζη errore natum est, nam ἔβην, ἔστην et sim. fallacem analogiae speciem praebuerunt. Itaque ζῆθι et ζῆναι dici coepta sunt, ut βῆθι et βῆναι. Alia sunt eiusdemmodi quam plurima, ut sedulo ubicumque data occasio est demonstravimus, idem posthac diligenter facturi, nam magna talium copia superest, et quo plura deprehensa sunt eo facilius reliqua agnoscentur, nam quo luculentius et frequentius librorum Punicam in talibus fidem redargueris, eo certior et expeditior reliquorum ad eundem modum depravatorum emendatio erit. Ut nulla umquam scribas religio tenuit ne antiquas scripturas suo arbitratu convellerent, sic nos nihil Codicum inepta reverentia impediet quo minus veterem et genuinum loquendi usum in integrum restituamus. Quos errores in Favorino et Lolliano Atticistae ridebant, v. c. quum ἐδεδίεσαν pro ἐδέδισαν inepte ponerent, eosdemne tu putabis Thucydidem commisisse et Xenophontem et Lysiam et Isocratem, quoniam in illorum libris vitiosa forma hic illic occurrit? In his omnibus quid genuinum et sanum et bene Graecum sit non est in locis singulis ex paucorum librorum testimoniis colligendum, sed ex interiore Graecitatis notitia, quae diuturnae observationis est τελευταῖον ἐπιγέννημα, caute et circumspecte constituendum. Sic ratio usum librorum reget, non indoctorum homuncionum levitas sanam rationem tamquam vinculis constrictam tenebit.

Quicumque permultos Codices Mss. excussit aut discrepantium scripturarum farraginem ex multis libris collectam diligenter consideravit, facile animadvertet in tam multiplici corruptela esse quamdam peccandi veluti analogiam et certa quaedam errorum genera identidem recurrere. Permulta sunt scribendi vitia, quorum origo perspicue appareat iis, qui in Codicibus scribendi genus, litterarum formas vetustiores, compendia, siglas, et si quid est huiusmodi, longo usu cognitum perspectumque habent. Quanta pars discrepantium lectionum

sine ullo damno posset abiici, si omnibus Palaeographicae rationes in promtu essent unde intelligerent quomodo quaeque mendosa lectio nata sit. Perinde est, ut hoc utar, utrum *περ* an *πάτερ* ex Codd. proferatur, *ϛρῶσαι* an *ϛαυρῶσαι*, *ἄνω* an *ἀνθρώπῳ*, *προκλῆς* an *πατροκλῆς*, *πρός* an *πατρός*, *πρόνομον* an *πατρόνομον*, *πρῶιος* an *πατρῶιος*, *ὗς* an *υἱός*, aliaque complura, namque haec omnia uno eodemque modo scribuntur et tenui lineola tantum distinguuntur, ut *π̅ε̅ρ̅* sit *πάτερ*, *ϛ̅ρ̅ῶ̅σ̅αι* *ϛαυρῶσαι*, *ὗ̅ς̅* *υἱός*, cet. Inter scribarum manus *homines* (*ἀν̅ο̅ύ̅ς*) videbis in *dementes* (*ἄνους*) converti; nonnumquam factum est ut *asini* (*ὄνοι*) conspiciantur qui *homines* (*ἄ̅ν̅ο̅ι*) esse deberent. Praeter haec omnia, quae certam causam et rationem habent, alia sunt quae fortuito nata non minus frequenter et constanter recurrunt, et saepe videas in eodem vocabulo scribas eadem prorsus ratione peccantes. Sic ex una emendatione nonnumquam plures aliae pariuntur, et utilissima res est non tantum diligenter animadvertisse quo pacto ex Codicum scriptura mendosae lectiones nascantur, sed etiam in tempore meminisse quae vocabula inter se soleant permutari et confundi. Sic enim ex corruptis lectionibus verae simul investigantur et intelligentibus probantur. Vix umquam animus vi repertae veritatis feritur nisi ubi clare appareat quomodo vera lectio labem ac vitium conceperit. Itaque quotiescumque potui observationes palaeographicas de genere hoc in medium protuli, hoc potissimum agens ut generosae indolis iuventutem emendare scriptores Graecos docerem, namque etiam in arte Critica doctrina vim promovet insitam. Ostendimus quoties *πέπωκα* aut compositum aliquod legeretur ineptos scribas *πέπτωκα* substituere solere. Ubi quis *adbibit plus paullo* in Codd. Mss. *ὑποπεπτωκέναι* dici solet aut *ἐμπεπτωκέναι*. Num tu istos, qui passim huiusmodi errores committunt, intelligere putas quid scribant aut cogitare quidquam denique? Videbis autem vitiis id genus libros omnes scatere etiam optimos. Ostendimus in Demosthe-

nis praestantissimo Codice Parisino S saepius ὤμοσα in ὡμολόγησα et ὠμοσάμην in ὡμολογησάμην stulte depravari. In aliorum libris ὤμοσα in ὠνόμασα, ὀμόσαι in ὀνομάσαι abire solet. Legitur apud Photium v. Κύνα: τονωπα δοκεῖ πρῶτος ὀνομάσαι Σωκράτης, legendum est τὸν κύνα δοκεῖ πρῶτος ὀμόσαι Σωκράτης. Quis non meminit νὴ τὸν κύνα et μὰ τὸν κύνα Socrati fuisse in ore? cf. Plat. Gorg. 461. A. 466. C. 482. B. Ad hanc lucem unusquisque statim emendare poterit Aristophanis locum in Ecclesiaz. vs. 190. ubi quum dixisset muliercula:

νὴ τὴν Ἀφροδίτην, εὖ γε ταυταγὶ λέγεις.

a Praxagora sic increpatur:

τάλαιν', Ἀφροδίτην ὠνόμασας. χαρίεντά γ' ἂν
ἔδρασας εἰ τοῦτ' εἶπας ἐν τἠκκλησίᾳ.

dubitasne etiam Ἀφροδίτην ὤμοσας rescribere nihil reveritus Ravennatis libri auctoritatem, quem mendis erroribusque obsitum esse satis demonstravimus? Iuvat simili modo lepidum Clementis Alexandrini locum inepta scriptura liberare. Legitur locus in Protreptico pag. 7. Sylb. ubi Diagoras ὁ ἄθεος ad Herculem ligneum: »εἶα δή, ὦ Ἡράκλεις, inquit, νῦν σοι ἤδη καιρὸς ὥσπερ Εὐρυσθεῖ ἀτὰρ δὴ καὶ ἡμῖν ὑπουργῆσαι τὸν τρισκαιδέκατον ἆθλον καὶ Διαγόρᾳ τοῦτον παρασκευάσαι.” κᾆτ' αὐτὸν εἰς τὸ πῦρ ἐνέθηκεν. Fieri non potest ut intelligas quid sit Διαγόρᾳ τοῦτον παρασκευάσαι. Quid dixerit Diagoras aperiet Alexis Athenaei IX. p. 379. B. ubi in libris est:

τὸν ὀψοποιὸν σκευάσαι χρηστῶς μόνον
δεῖ τοῦτον ἄλλο δ' οὐδέν,

sed verum vidit Piersonus, qui emendavit δεῖ τοὖψον: tu igitur eadem opera Clementi redde καὶ Διαγόρᾳ τοὖψον παρασκευάσαι. Ψ et Τ in Codicibus antiquis vix forma differunt, quamobrem utrum τύχη an ψυχή sit scribendum non ex libris sed ex cuiusque loci sententia constituendum est, ut et ipsi subinde monstravimus. Fuerunt olim philologi, qui certis quibus-

dam legibus Criticam facultatem regere et coercere vellent. Superest hodieque Theologorum genus qui mirificas quasdam regulas Criticas constituerunt, sed rectissime pronuntiavit Criticorum princeps Bentleius in aureis Emendationibus ad Ciceronis Tusculanas III. 9. »*Ex generalibus illis Artis nescio cuius Criticae regulis non est de locis singulis sententia ferenda.*" Nihil contra utilius est quam observationes palaeographicae, nam qui mendorum plurimorum originem certis indiciis indagavit eadem opera in locis corruptis et vitii sedem investigabit et emendationem certam reperiet.

Alia est labes omnibus libris communis, quae plurimis locis pessime grassata simul deprehendi potest ac tolli. Emblemata dico et interpolationes omne genus, quibus olim scioli et magistelli et otiosi lectores libros suos suo arbitratu oppleverunt, quas deinde librarii oscitantes receperunt in textum, quo factum est ut saepissime in Veterum libris et sententia et oratio inficetis et insulsis additamentis impedita sit et onerata. In his potissimum deprehendendis necesse est ante omnia ingenium afferre Veterum lectione ita subactum ut tibi animus (ut Livius alicubi loquitur) fiat antiquus, et ita sentias et cogites ut illi Veteres et cogitabant et sentiebant. Deinde opus est diu et multum versasse Codices Mss. unde Graecarum litterarum monumenta ad nos pervenerunt. Sic demum firmiter tibi persuadebis ea omnia, quae in illis capitalibus ingeniis intolerabilia esse et nullo pacto ferri posse perspexeris, non esse ab ipsis profecta sed sequiorum fraude vel negligentia interpolata. Sic demum sapere audebis. Natura enim homines proni sumus ad ea conservanda quae longa dies veluti maiestate quadam antiquitatis imbuit, et anxie reformidamus ea movere aut tangere quae longo saeculorum tractu prope dixerim consecrata sunt. Illa formido et reverentia lubenter candidae et amabilis modestiae speciem induit nil sibi arrogantis et, si qua forte subnascitur dubitatio, quodlibet potius

experientis quam ut »*urere et secare*" audeat et sacrilega manu non convellenda convellere. Sed etiam in hac re timida et verecunda modestia ubi modum excesserit in futilem superstitionem abibit, et quae contemnere debebas stulte miraberis. Ubi veteres membranas ipse multum versaveris et excusseris, dissipabitur illa superstitionis nebula et simul perspicies quae spuria et commenticia genuinis adhaeserint et quo pacto ista omnia in Veterum libros male pedem intulerint. Nulla in re tantos clamores dissentientium excitabis. Nihil est enim facilius quam in tali re aut queri aut criminari aut iocis insectari eorum temeritatem qui membranarum fidem pro nihilo ducant. Modum te excedere et nihil pensi habere fremunt, optima et sanissima quaeque temere et inconsulto resecare. Ridiculum esse ea omnia expungere velle quae aliquo modo omitti potuissent. Dicendi ubertatem hanc esse aut accurate loquentis aut animi commotioris plura quam necesse esset effundentis. Denique elegantem et lepidam illam dicendi copiam esse et certe Veteribus ita scribere placuisse, nam nubem exemplorum afferri posse, ubi similia ac paene eadem sine ulla offensione legantur. Cur me ista omnia nihil moveant lubet in uno alteroque loco Demosthenis demonstrare, quem propterea ex omnibus unum deligo potissimum, quoniam et alii complures pervetusti eius Codices supersunt et unus omnium longe praestantissimus Parisinus S, quem nonnulli tanto opere admirantur ut eum recentiorum additamentis *prorsus vacare* praedicent. Legitur in oratione *πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου*, quae inter Demosthenicas in Codd. omnibus circumfertur, pag. 155, 24: *αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας τῶν ἀνθρώπων εἰσίν*. In his igitur operae pretium est videre quemadmodum emblemata nascantur, et ab initio sint innoxia et ab unoquoque animadvertantur, deinde paulatim convalescant et radices agant ut tandem vix evelli possint. Orationem, in qua haec verba le-

guntur, totam nescio quis Sophista aut Rhetor incertum lucrine an animi causa conflavit et consarcinavit ex locis Demosthenicis, quibus de suo pauca quaedam addidit. De ea re nunc constat inter omnes, qui de rebus huiusmodi iudicare possunt, sed olim ea fraus fefellit eruditos Alexandrinos omnes et Dionysium Halicarnassensem et Didymum et Harpocrationem et quidquid olim fuit eruditorum et Criticorum, qui in Oratoribus Atticis illustrandis operam collocarunt. Tantam vim habet opinio qua quis ab ineunte aetate imbutus fuit, praesertim quum nemo dissentit et de ea re satis constare inter omnes videtur. Qui istam orationem Demostheni affinxit in ea componenda usus est Demosthenis Codicibus multo melioribus quam quibus hodie utimur. Nempe antiquissima est illa oratio et vel ipsi Callimacho falsarius imposuit. Callimachus enim illam ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς recepit εἰς τοὺς πίνακας τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθήκης et ab eo inde tempore pro Demosthenica legebatur ab omnibus. Habet autem egregia ad Demosthenem emendandum et emblematis liberandum subsidia. Quotus enim quisque mihi credidisset apud Demosthenem in secunda Olynthiaca pag. 21, 20. in verbis: ὡς ἅπας μὲν λόγος ἂν ἀπῇ τὰ πράγματα μάταιόν τι φαίνεται καὶ κενόν, μάλιστα δ' ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως· ὅσῳ [γὰρ] ἑτοιμότατ' αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι [τοσούτῳ μᾶλλον ἀπιστοῦσι πάντες αὐτῷ] resecto duplici emblemate sic legendum esse: μάλιστα δ' ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως ὅσῳ ἑτοιμότατ' αὐτῷ δοκοῦμεν χρῆσθαι, nisi falsarius hanc ipsam necessariam scripturam solus servasset pag. 158, 16: ἅπας μέν ἐστι λόγος μάταιος πράξεων ἄμοιρος γενόμενος, τοσούτῳ δὲ μάλιστα ὁ παρὰ τῆς ἡμετέρας πόλεως ὅσῳ δοκοῦμεν αὐτῷ προχειρότατα χρῆσθαι τῶν ἄλλων Ἑλλήνων. Caeterum qui Demosthenes volebat videri non potuit in brevissima oratione tam bene antiquum et Atticum dicendi genus imitari ut non complusculos committeret errores, quibus fraus deprehenderetur. Graviter impegit pag. 155, 15. ubi verbo

σκορακίζονται usus est, quod et novicium est et plebeium et de trivio sumtum. Negligentissime οὐχ ἧττον posuit pro μᾶλλον pag. 156, 14. ἕλοιτ' ἂν τις οὐχ ἧττον τὴν ἡμετέραν εὐτυχίαν ἢ τὴν ἐκείνου, nam ubi datur *optio* οὐχ ἧττον locum nullum habet. Praeterea Demosthenes ut Veteres omnes in tali re non εὐτυχίαν sed τύχην posuisset. Prorsus repugnat linguae antiquioris usui quod legitur pag. 157, 11: τῶν ἐκείνου πραγμάτων οὐδὲν στασιάζειν παρασκευάζομεν, quia ποιῶ non παρασκευάζω requiritur, et *homines* inter se στασιάζειν possunt, non τὰ πράγματα. Perperam dixit pag. 157, 20: προηγόρευκε τὸν πόλεμον quum προείρηκε deberet, et pag. 157, 26. ἀναλήψεσθαι usurpavit quo sensu nemo umquam dixit. *Homines* enim dicuntur ex malis et aerumnis ἀναλαμβάνειν ἑαυτούς, sed vitiosum est dicere τὰ πράγματα ἀναλήψεται καὶ γενήσεται βελτίω. Denique ridicule dixit pag. 158, 11. ἐγκαταλείπειν τὰ τῶν προγόνων ἔργα καὶ τὰ συμφέροντα τῆς πόλεως, Veteres enim accuratissime et cogitare et loqui soliti dicebant τὰ μὲν συμφέροντα τῇ πόλει κ α τ α π ρ ο δ ο ῦ ν α ι, τὰ δὲ τῶν προγόνων ἔργα κ α τ α ι σ χ ῦ ν α ι. In eo loco igitur, unde exorsi sumus, αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συνκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰς ἁμαρτίας descripsit falsarius verba Demosthenis ex Olynthiaca secunda pag. 23, 28: αἱ γὰρ εὐπραξίαι δειναὶ συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη. Hanc unice veram lectionem tres optimi libri B. F. et S. soli servarunt. In B. annotatur in margine σ υ γ κ ρ ύ ψ α ι ἀντὶ τοῦ σ υ σ κ ι ά σ α ι. In libris antiquioribus veteri more solum interpretamentum legebatur aut in ora libri adscriptum aut inter versus supra συγκρύψαι collocatum. Hinc in F. annotatur γρ. συσκιάσαι. Scriba enim interpretamentum pro diversa scriptura habuit. Manavit idem in S. quoque a recentiore manu. In reliquis omnibus factum est quod assolet: genuina scriptura cum interpretamento copulata est et exhibent ad unum omnes: δειναὶ συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι, idque ipsum in spuriam orationem invectum est. Si in omnibus

Codd. fideli concordia συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι legeretur, tamen qui longo usu Demosthenem trivisset et Demosthenis stilum bene cognitum habuisset poterat deprehendere fraudem. Non solet otiose ἰσοδύναμα cumulare: συγκρύψαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη tantumdem est atque συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ τοιαῦτ' ὀνείδη: sententiae nulla vis additur neque numerosius sic cadit oratio neque ad aures accidit gratior. Cur igitur addidisset Demosthenes qui numquam orationi verba inutilia admiscet? Creditur tamen ille Demosthenes id dixisse quod in omnibus libris Mss. legitur pag. 20, 26: ὅταν δ' ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τις ὥσπερ οὗτος ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντ' ἀνεχαίτισε [καὶ διέλυσεν]. Dudum admonui verba καὶ διέλυσεν spuria esse et expungenda. Non fert verbum ardens ἀνεχαίτισεν additum sibi et superimpositum iners illud καὶ διέλυσεν ex interpretatione natum, quoniam quid esset ἀνεχαίτισε, verbum priscum et obsoletum et apud ipsos Atticos olim rarioris et exquisitioris usus, praeter doctos nemo intelligebat. Interpolatio mihi quidem tam evidens esse videbatur ut neminem admonitum dubitare posse crederem, qui Demosthenem vel semel totum perlegisset. Ea me opinio fefellit: vidi enim nuper qui καὶ διέλυσεν acerrime defenderet et quam maxime probum et genuinum esse affirmaret: »*mille enim locos afferri posse ubi simillima legantur.*" Dum illi loci proferantur interea ego unum tantum locum producam ex antiquo et erudito Rhetore, qui non ita pridem ex Parisino Codice prodiit in lucem et nuper a Spengelio repetitus est in Rhett. Graecis I. pag. 437: ἐν ταῖς λέξεσιν, inquit, ἔσται συντομία, ἐὰν τοῖς τροπικοῖς ἐνίοις κυρίως χρῷο, ὥσπερ Δημοσθένης τῷ ἀνεχαίτισεν. διὰ μιᾶς γὰρ λέξεως ὅλον ἐπλήρωσε νόημα. Agnoscisne in his idoneum iudicem? Quid igitur? Videturne tibi in suo Demosthene legisse ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσεν? Num hoc esset διὰ μιᾶς λέξεως ὅλον νόημα πληρῶσαι? Est illud ver-

bum tam acre ac vehemens ut nihil superaddi possit. Anaxandrides Athenaei XI. pag. 481.

μεγάλ' ἴσως ποτήρια
ἐκάρωσεν ὑμᾶς. B. ἀνακεχαίτικεν μὲν οὖν.

Proderit plane idem emblema apud Isocratem cum loco Demosthenis composuisse. Vulgatur apud Isocratem in Orat. VII. § 12: οὐδένα χρόνον τὰς εὐτυχίας κατασχεῖν ἠδυνήθημεν ἀλλὰ ταχέως διεσκαριφησάμεθα [καὶ διελύσαμεν] αὐτάς. Non intelligebant sequiores verbum priscum et rarissimum διασκαριφεῖσθαι, quod temere interpretatur Harpocration τὸ ἐπελθόν de more scribens. Paulo melius Suidas, qui ex vetere λέξει ῥητορικῇ exscripsit: Διεσκαριφησάμεθα ἀντὶ τοῦ διελύσαμεν. Vides iam ac manibus tenes id unde Codicum omnium scripturam interpolatam esse contendimus. Caeterum ista quoque interpretatio non est vera. Quid sit διεσκαριφησάμεθα Hesychius emendatus optime docebit. Editur: Διασκαριφῆσαι ἐπὶ ὀρνέων τῶν τοῖς ὄνυξι σκαλευόντων τὴν γῆν κυρίως λέγεται, et sequitur: Διασκεδάσει: διασκορπίσει quasi haec nova glossa esset ex antiquo scriptore sumta. Sed Veteres διασκεδῶ dicebant et κατασκεδῶ. Coniungenda haec sunt in unum ut διασκαριφῆσαι dicatur esse διασκεδάσαι, διασκορπίσαι. Corrupte Hesychius alio loco: Σκαρφᾶσθαι: σκεδάννυσθαι pro Σκαριφᾶσθαι, sed recte ponit σκεδάννυσθαι. Non aliter enim dicebant Veteres quam σκεδάννυμι, διασκεδάννυμι, κατασκεδάννυμι, et nihili formae sunt διασκεδάω et διασκεδάζω in Graecitatis gazam inconsulto receptae. Sed haec obiter. His igitur et permultis aliis eiusdemmodi fretus non multum moveor voculis et querelis eorum qui sine ratione mihi obloquuntur. Valet etiamnunc quod in Graeco epigrammate est apud Stob. Flor. 82, 3:

πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως,
ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτ' ἐν ἔθει.

quibus et ipse nihil aliud reponam quam quod epigrammatis auctor:

σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔςω, ἐμοὶ δὲ τάδε.

Omnino non deesset mihi longae praefationis materia si vellem nonnullis respondere, quibus mea vellicare et carpere studio fuit, quique mihi tamquam bellum indixerunt. Sed ea res neque mihi placet neque utilem esse arbitror. Pergam libere dicere quod sentiam: obloquatur et redarguat qui poterit et qui volet. Uter veriora dixerit τῶν ἐπαϊόντων τούτου πέρι cognitio iudiciumque esto. Si quis meam sententiam indocte et cupide reiicit, dum modo sit vera, etiam me tacente non deerunt vindices veritatis. Nisi autem essent qui de his rebus iudicare possent, quibus tandem, quaeso, scriberemus? Profecto plurimum abest ut aegre feram esse qui mihi acriter ac strenue contradicant. Namque et ipse lubentissime omnibus magna cum libertate soleo contradicere et falsas opiniones erroresque redarguere eorum praesertim quos faciam maximi. Lubentissime cum Meinekio et Dindorfiis et Bergkio, et si quis alius est his similis, contendere soleo, non hercle ut quidquam de illorum virorum laude invidus detraham (absit a me istiusmodi μικροψυχία, quemadmodum sat scio et illos mihi non eo animo nonnumquam contradicere), sed ne errores, quos forte commiserint, talium virorum auctoritate stabiliantur. Neminem illorum esse certo scio qui non probet et sequatur Socratis sententiam in Platonis Gorgia p. 458. A. his verbis expositam: ἐγὼ δὲ τίνων εἰμί; τῶν ἡδέως μὲν ἂν ἐλεγχθέντων εἴ τι μὴ ἀληθὲς λέγω, ἡδέως δ' ἂν ἐλεγξάντων εἴ τίς τι μὴ ἀληθὲς λέγοι, οὐκ ἀηδέςερον μέντἂν ἐλεγχθέντων ἢ ἐλεγξάντων. μεῖζον γὰρ αὐτὸ ἀγαθὸν ἡγοῦμαι ὅσῳπερ μεῖζον ἀγαθόν ἐςιν αὐτὸν ἀπαλλαγῆναι ψευδοῦς δόξης ἢ ἄλλον ἀπαλλάξαι. Eandem ego semper et probavi et secutus sum: itaque dissentientes et contra dicentes ubi rectum vident amo et admiror, ubi nihil dicunt

aequo animo fero, si petulanter et proterve agunt rideo et contemno,

τὸ γὰρ ὀξύθυμον τοῦτο καὶ λίαν πικρὸν
δεῖγμ' ἐςὶν εὐθὺς πᾶσι μικροψυχίας.

ut Menander dixit et vitae usus confirmat. Probe scio quam nihil valeant maledicta et convicia, quibus nemo utitur praeter eos qui nihil aliud habent quod dicant. Verissimum est me iudice quod Philemon dixit (apud Plutarch. *de aud. poët.* p. 35. D. et Stobaeum in Floril. XIX. 2):

ἥδιον οὐδὲν οὐδὲ μουσικώτερον
ἔστ' ἢ δύνασθαι λοιδορούμενον φέρειν.

deinde addidit aliquid poëta lepidus et mores hominum optime perspectos habens, quod quam sit verum nonnumquam et ipse in sinu ridens expertus sum. Vide id apud ipsum. Abstineamus igitur censeo odiosis criminationibus, quae nil faciunt ad rem et neminem movent et auctoribus suis in capita recidunt. Quidquid erratum a quocumque est magna cum libertate omnes redarguamus, etiam acriter, si cui ita placet, aut iocose, si quis est ingenio hilarior, verum obtrectatio absit, absit invidia et odium. Exprobrare mihi ausus est aliquis quod Badhamo nescio quam correctionem furto sublegerim, et suspicari se dixit plures alias emendationes alienas me venditare pro meis. Quam tu ipse istum hominem contemnes, mi Badhame, si quando haec leges. Nosti illud hominum genus quod quum in Italia una essemus saepius suaviter risimus. Gravius me commovet quod ad Cleaeneti versiculos apud Stob. Floril. XCIX. 2:

λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον
ἐλθόντα μανία τοῖς ἔχουσι γίγνεται,

Meinekius senex venerabilis annotavit: »*simulat Cobetus se haec non intelligere, nimirum ut coniecturam promeret facilem sane et elegantem ἐλθόντε μανίαν — τίκτετον, sed non necessa-*

riam." Num tu putas, mi Badhame, hominem vel mediocriter doctum καὶ μέτριον, ἵνα μηδὲν ἐπαχθὲς εἴπω, committere posse ut quae sana esse sciat inutili coniectura sollicitet? Nae si illi (quod tuis popularibus ac meis contigit) fuissent παλαιᾷ ἐλευθερίᾳ ἐντεθραμμένοι, quae in omnium ἰσηγορίᾳ καὶ παρρησίᾳ simul foedam adulationem et importunam petulantiam tollit, multa, credo, alio modo quam nunc et facerent et loquerentur. Sunt qui in emendationibus meis nil quidquam boni inesse affirment, sunt qui meam Critices exercendae rationem ac methodum nihil certi parere et prorsus perversam esse clament. Alii me omnem modum excedere et ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν criminantur. Aequo animo haec omnia semper tuli et feram, neque umquam talibus quidquam reponam. Contendam cum principibus, non iuvat digladiari πρὸς τὸν δεῖνα καὶ τὸν δεῖνα ὄντας οὐδενὸς ἀξίους. Pergam σὺν θεῷ scriptorum Graecorum monumenta assidue legere et relegere et si quid boni mihi reperisse videar cum aliis communicare iudiciumque intelligentibus permittere. Non inanem mihi ex his studiis gloriolam capto. Animus mihi pascitur illa quotidiana cum capitalibus ingeniis familiaritate et consuetudine, unde ad praeclara omnia erigimur et incendimur. Si quis autem ex Atticorum et Socratis consuetudine nondum didicit inanem gloriam et vulgi plausum contemnere nondum illuc pervenit quo esse philologis perveniendum nemo lepidius dixit quam Menander quum diceret:

γράμματα μαθεῖν δεῖ καὶ μαθόντα νοῦν ἔχειν.

Poteram denique absoluta hac parte operis pauca quaedam corrigere aut supplere quae me δεύτεραι φροντίδες μετεδίδαξαν aut ab aliis rectius animadversa esse comperi. Sed pleraque mihi nunc aliarum rerum satagenti in aliud tempus reiicienda sunt. Duo tantum raptim attingam. Δεύτεραι φροντίδες inter scribendum mutarunt sententiam meam de auctore libelli περὶ

τῆς τῶν Λακώνων πολιτείας. Sequebar olim auctoritatem eorum qui Xenophonti illum librum eriperent, ut apparebit ex iis quae pag. 611. a me scripta sunt. Ubi librum diligentissime excutere coepi, agnovi Xenophontem et composui argumenta quibus mihi ipsi persuasi non alium quam Xenophontem illa sic scribere potuisse. In locis Xenophonteis quos tractavi unus est quem meliora edoctus retractabo. Legitur in Hellenicis III. IV. 8. ὁ μὲν Ἀγησίλαος ἰδιώτης ἐφαίνετο, ὁ δὲ Λύσανδρος βασιλεύς. ὅτι μὲν οὖν ἔμηνε καὶ τὸν Ἀγησίλαον ταῦτα ἐδήλωσεν ὕστερον. οἵ γε μὴν τριάκοντα ὑπὸ τοῦ φθόνου οὐκ ἐσίγων κτὲ., in his ἔμηνε vitiosum esse certum est, sed quod reponebam p. 314. ἠνία non est ipsa Xenophontis manus. Verum vidit I. Pantazides, qui nuper *Emendationes in Xenophontem* Graece scriptas Gottingae edidit. Postquam ἔμηνε vitiosum esse demonstravit, διορθωτέον ἄρα ἐκ παντὸς τρόπου, inquit, tum recte ἐκίνει improbat, recte meum ἠνία, ὅπερ τὰ μὲν ἄλλα ἐξομαλίζει, τῇ δὲ παραδεδομένῃ γραφῇ ὡς ἔπος εἰπεῖν οὐδὲν κοινὸν ἔχον ἀπίθανόν ἐστιν. Verum hoc est. Quid igitur est legendum? ἔμοιγε δοκεῖ, inquit, τὸ ΕΜΗΝΕ οὐδὲν εἶναι ἀλλ' ἢ ἀνάγνωσιν ἡμαρτημένην τῆς μόνης ἀληθοῦς καὶ γνησίας γραφῆς ΕΔΑΚΝΕ. Assentior et ambabus manibus optimam emendationem amplector: ὅτι μὲν οὖν ἔδακνε καὶ τὸν Ἀγησίλαον ταῦτα. Plura igitur huiusmodi communi opera studioque quaeramus. Mihi quidem non est quiescendi et otiandi animus. Plurima supersunt agenda. His ad finem perductis statim ad reliqua me accingor; itaque

Cras ingens iterabimus aequor.

Scribebam Lugduni-Batavorum
mense Octobri a. MDCCCLVIII.

CAPUT I.

ἡδονὴν ἔχει
ὅταν τις εὕρῃ καινὸν ἐνθύμημά τι
δηλοῦν ἅπασιν. οἱ δ' ἑαυτοῖσιν σοφοί
πρῶτον μὲν οὐκ ἔχουσι τῆς τέχνης κριτήν,
εἶτα φθονοῦνται. χρὴ γὰρ εἰς ὄχλον φέρειν
ἅπανθ', ὅσ' ἂν τις καινότητ' ἔχειν δοκῇ.
Anaxandrides.

Sequar Anaxandridis optime monentis auctoritatem et laetis ominibus hanc secundam partem Variarum Lectionum instituam scribere, in qua primum omnium ad veteres meas delicias reverti iuvat et opem ferre fragmentis quibusdam Poëtarum Comicorum, quibus quum nihil festivius, nihil venustius, nihil facetius reperiri possit molestissima sunt codicum et scribarum vitia, quibus illae veneres et lepores obscurantur aut pereunt. Imperita librariorum natio ut in caeteris omnibus caecutire solet sic et metri et prosodiae leges tam certas et stabiles quam faciles et apertas turpiter ignorans non minus in Poëtarum locis quam in reliquis scriptoribus aut negligenter omittit nonnulla, aut inepte adscribit aliena, aut ordinem verborum turbat aut formas vocabulorum corrumpit, quamquam nihil horum est, quod non continuo ex metri ratione et usu omnibus sit

vitii manifestum. Itaque quoniam de corruptela fere constat et palam est ubi vitium alatur, facilius etiam quam alibi vera scriptura eruitur et apparet, resecatur quod additicium esse omnes intelligant, suppletur quod omnes sentiant desiderari, Poëtisque certo iudicio aut suum redditur aut male assuta adimuntur. Iuvat hoc nunc compluribus exemplis novis ostendere et ita multos Comicorum locos emendare, ut subinde ὡς ἐν παρόδῳ utar Poëtarum auctoritate ad reliquos scriptores Atticos, Oratores, Historicos, Philosophos inveteratis quibusdam mendis liberandos. Faciam initium a fragmento Demonici apud Athen. IX. 410. D. Loquitur Athenaeus περὶ τῆς διαφορᾶς τοῦ κατὰ χειρὸς πρὸς τὸ νίψασθαι. Δημόνικος, inquit, ἐν τῷ Ἀχελῴῳ τὸ πρὸ τοῦ δείπνου κατὰ χειρός φησι διὰ τούτων·

Ἐσπουδάκει δ' ἕκαςος ὡς ἂν ἐσθίων
ἅμα τ' ὀξύπεινον ἄνδρα καὶ Βοιώτιον.

τὸ γοῦν κατὰ χειρὸς περιγράφει πᾶς ὅτι μετὰ δεῖπνον αὐτῷ τοῦτο γίγνεται λαβεῖν. Recte Meinekius pro ἐσθίων a Casaubono repertum ἐςιῶν recepit, sed versuum reliquias non satis feliciter reconcinnavit in hunc modum:

τὸ γοῦν κατὰ χειρὸς περιγράφει πᾶς ὅτι μετὰ
τὸ δεῖπνον αὐτῷ τοῦτο γίγνεται λαβεῖν.

Vitium est in ΠΕΡΙΓΡΑΦΕΙΠΑΣ, in quo male latet ΠΕΡΙΕΓΡΑΨΕΙΠΑΣ, ut poëtae manus sit:

τὸ γοῦν κατὰ χειρὸς περιέγραψ' εἶπας ὅτι
μετὰ δεῖπνον αὐτῷ τοῦτο γίγνεται λαβεῖν.

In his perspicuum est ὅτι ὁ Ἡρακλῆς ξενίζεται, qui omnis morae impatiens τὸ κατὰ χειρός ante coenam ut inutile περιέγραψ' εἶπας ὅτι κτἑ. Εἶπα et imperativus εἶπον, εἶπαι, εἶπας ut apud antiquiores omnino non erant usitata, sic apud sequiores tritissima sunt. Veteres Attici εἶπον constanter dicebant sed εἶπας, εἴπομεν sed εἰπάτην et εἴπατε, in imperativis similiter εἰπέτω et εἰπόντων sed εἴπατον et εἴπατε, ut α sit in secunda persona perpetuum, in primam et tertiam non admittatur, neque in optativo usquam aut in infinitivo aut in participio appareat. Mira est haec consuetudinis morositas, sed constare videbis. Simillimum est quod in ἤνεγκον et ἤνεγκας dicendi arbitrium constituit. Luculentum exemplum est apud Aristophanem in Thesmophor. 742.

ἤνεγκον. B. ἤνεγκας σύ; A. νὴ τὴν Ἄρτεμιν.

Aristophanes igitur neque ἤνεγκα aut εἶπα dixisse potest neque εἶπες aut ἤνεγκες. εἰπεῖν et εἰπών et εἴποιμι apud veteres sola in usu sunt: qui εἶπας dicit, aut qui ἔνεγκον aut ἐνέγκας non vitant continuo aetatem arguunt sequiorem. Levi errore igitur Porsonus lacunam in Aristophanis fragmento apud Athenaeum IX. 372. C. sic supplevit:

μέγιστον ἀγαθὸν [εἶπες] εἴπερ ἔστι δι' ἐνιαυτοῦ
ὅτου τις ἐπιθυμεῖ λαβεῖν.

ubi malim:

μέγιστον εἶπας ἀγαθόν, εἴπερ ἔστι δι' ἐνιαυτοῦ.

In eodem fragmento et alia sunt, quae Criticorum curam et acumen exspectant. Enumeravit aliquis summam annonae copiam et abundantiam incredibilem, quae Athenis facta sit, idque alius gaudet factum, alius queritur his verbis:

κακὸν μὲν οὖν μέγιστον
εἰ μὴ γὰρ ἦν οὐκ ἂν ἐπεθύμουν οὐδ' ἂν ἐδαπανῶντο.

cui nescio quis ita respondet:

ἐγὼ δὲ τοῦτ' ὀλίγον χρόνον φήσας ἀφειλόμην ἄν.

haerent omnes in φήσας. Miror quomodo Bergkius potuerit probare et recipere Fritzschianum φύσας. Novimus quid sit φύσας πτερά, ὀδόντας, πώγωνα, quid νοῦν φύσας et similia multa: quid sibi velit in illo versu φύσας solum οὐδ' ἂν ἀπόλλων μάθοι, ut apud Comicum dicitur. Nihil autem corruptum esse praeter φήσας apparet: iam vero quis est, qui ex copia facere inopiam possit? nempe is, quem apud Aristophanem audimus in Acharnensibus dicentem vs. 819.

τὰ χοιρίδια τοίνυν ἐγὼ φαίνω ταδί.

(nam sic legendum, non φανῶ). et vs. 911

ἐγὼ τοίνυν ὁδὶ | φαίνω πολέμια ταῦτα.

isti nequissimi sycophantae penuriam et famem faciebant soli, etiamsi undique annona afflueret.

εἴ που σίκυον ἴδοιεν ἢ λαγῴδιον
ἢ χοιρίδιον ἢ σκόροδον ἢ χόνδρους ἅλας,
ταῦτ' ἦν Μεγαρικὰ κἀπέπρατ' αὐθημερόν.

Acharn. 520 sqq. Itaque quemadmodum Aristophanes ibid. vs. 541 dixit:

φέρ' εἰ Λακεδαιμονίων τις ἐκπλεύσας σκάφει
ἀπέδοτο φῆνας κυνίδιον Σεριφίων.

sic sycophantam illic dicentem fecerat:

ἐγὼ δὲ τοῦτ' ὀλίγον χρόνον φῆνας ἀφειλόμην ἄν.

In secundo verso lacunam sic suppleverim:

στεφάνους ἴων [ῥόδων κρίνων], κονιορτὸν ἐκτυφλοῦντα,

quia saepe in coronarum mentione *violae, rosae, lilia* coniunguntur, ut apud Cratinum Athen. XV. p. 685. D.

παντοίοις γε μὴν κεφαλὴν ἀνθέμοις ἐρέπτομαι
λειρίοις ῥόδοις κρίνεσιν κοσμοσανδάλοις ἴοις.

Quod in Demonici fragmento commemoratur *τὸ κατὰ χειρός* aut *ὕδωρ κατὰ χειρός* saepissime apud Comicos *πρὸ τοῦ δείπνου* convivis affunditur. Suavissime Teleclides Athenaei VI. 268. A.

Εἰρήνη μὲν πρῶτον ἁπάντων ἦν ὥσπερ ὕδωρ κατὰ χειρός.

post coenam *ἀπονίψαι, ἀπονίψασθαι, νίπτρον παραχεῖν* dicebant, et nonnumquam *κατὰ χειρῶν δοῦναι* vel *εἰληφέναι*, vid. Athen. II. 49. C. IV. 147. E. e Philoxeno *ἔπειτα δὲ παῖδες | νίπτρ' ἔδοσαν κατὰ χειρῶν* IX. 408. F. Coniungit utrumque Aristophanes in Vespis vs. 1216.

ὕδωρ κατὰ χειρός. τὰς τραπέζας εἰσφέρειν.
δειπνοῦμεν. ἀπονενίμμεθ'. ἤδη σπένδομεν.

Quod ante coenam datur saepius sic *κατὰ χειρός* dicitur, ut apud Aristophanem Athen. IX. 410. B.

φέρε παῖ ταχέως κατὰ χειρὸς ὕδωρ.

et Alexidem ibid. II. 60. A.

κατὰ χειρὸς ἐδόθη. τὴν τράπεζαν ἧκ' ἔχων.

et Archedicum Athen. VII. 292. E;

πάρεισιν οἱ κεκλημένοι | δίδου κατὰ χειρός.

et alibi: legitur tamen aliquoties et *κατὰ χειρῶν*, ut in Menandro Athen. IX. 408. F.

οἱ δὲ κατὰ χειρῶν λαβόντες περιμένουσι φίλτατοι.

et hinc scurra apud Athen. IV. 156. E. quum quaereretur *ποῖον τῶν ὑδάτων ἥδιστόν ἐστι*; respondit *τὸ κατὰ χειρῶν*. Nicostratus apud Athen. XV. p. 685. E. *κατὰ χειρὸς εἰληφέναι* post coenam dixit: *κατελαμβάνομεν*
ἑτέρους κατὰ χειρὸς ἀρτίως εἰληφότας
καὶ στέφανον.

nam coronae mentio indicat ὅτι ἀπὸ δείπνου ἦσαν, ut et paulo ante p. 685. B. Philoxenus:

κατὰ χειρὸς ἤλυθ' ὕδωρ — εἶτ' ἔφερε ςέφανον.

Sic et Clearchus Athenaei XIV. p. 642. B.

λάβ' ὕδωρ κατὰ χειρός. — ἡ παῖς, ἐπιτίθει
ἐπὶ τὴν τράπεζαν κάρυα καὶ τραγήματα.

Praemisi haec omnia ut Posidippo opem feram misere laboranti apud Athenaeum IX. 577. B, ubi εἰσελήλυθεν, inquit, conviva famelicus

ἐκ πεντεκαίδεχ' ἡμερῶν προηλπικὼς
τὸ δεῖπνον, ὁρμῆς μεςὸς, ἐκλελυμένος,
τηρῶν πότ' ἐπὶ τὰς χεῖρας οἴσει τις.

Satin certum videtur reponendum esse

τηρῶν ὁπότε κατὰ χειρὸς οἴσει τις.

vulgatam scripturam peperit codex detritus, cuius lacunas aut evanidas litteras sciolus utcumque explevit. Idem in praecedente versiculo factum esse vides in ἐκλελυμένος, quod metrum pariter et sententia loci respuunt. Nihil iste, quisquis fuit, minus erat quam ἐκλελυμένος. Quod Meinekius de suo dedit ἐκλελεγμένος metrum fulcit, sententiae non prodest. ΕΚ. Ε. ΑΥΜΕΝΟΣ, credo, supererat, unde non ΕΚΛΕΛΥΜΕΝΟΣ erat eruendum sed ΕΚΚΕΚΑΥΜΕΝΟΣ, eratque ille ὁρμῆς μεςός, ἐκκεκαυμένος.

Lacuna duplex et verba praepostere inter eos qui colloquuntur divisa Antiphanis perfacetum et lepidum locum apud Athen. X. 450. E. plane pessumdederunt. Docta puella Sappho patri aenigma hoc ponit:

ἔςι φύσις θήλεια βρέφη σώζουσ' ὑπὸ κόλποις
αὑτῆς, ὄντα δ' ἄφωνα βοὴν ἵςησι γεγωνόν
καὶ διὰ πόντιον οἶδμα καὶ ἠπείρου διὰ πάσης
οἷς ἐθέλει θνητῶν, τοῖς δ' οὐδὲ παροῦσιν ἀκούειν
ἔξεςιν, κωφὴν δ' ἀκοῆς αἴσθησιν ἔχουσιν.

Pater scurra magis quam philosophus sine mora ita solvit:

ἡ μὲν φύσις γὰρ ἣν λέγεις ἐςὶν πόλις,
βρέφη δ' ἐν αὑτῇ διατρέφει τοὺς ῥήτορας.
οὗτοι κεκραγότες δὲ τὰ διαπόντια
κὰκ τῆς 'Ασίας καὶ τἀπὸ Θρᾴκης λήμματα
ἕλκουσι δεῦρο. νεμομένων δὲ πλησίον

αὐτῶν κάθηται λοιδορουμένων τ' ἀεί
ὁ δῆμος οὐδὲν οὔτ' ἀκούων οὔθ' ὁρῶν.

deinde leguntur mutila, corrupta et male divisa haec:

πῶς γὰρ γένοιτ' ἄν, ὦ πάτερ, ῥήτωρ * *
ἄφωνος ἦν μὴ ἁλῷ τρὶς παρανόμων;
B. καὶ μὴν ἀκριβῶς ᾠόμην ἐγνωκέναι
τὸ ῥηθέν . . . . . . ἀλλὰ δὴ λέγε.

Meinekio post ῥήτωρ excidisse videtur ποτέ vel ἄρα et in sequenti senario legi posse:

ἄφωνος ἦν τις μή γ' ἁλῷ τρὶς παρανόμων.

ubi τις male additur et γε prorsus inutile est, neque haec scurrilis facetia eruditam et, ut istae solent, gravem et tristem puellam satis decet. Bis excidit dipodia iambica, quam si ex totius sententiae conformatione elicueris et numeros et sales Antiphane dignos habebis. In hunc igitur modum haec restituenda censeo:

Σ. οὐδὲν λέγεις, πῶς γὰρ γένοιτ' ἄν, ὦ πάτερ,
ῥήτωρ ἄφωνος; B. ἦν ἁλῷ τρὶς παρανόμων.
Σ. παίζεις ἔχων. B. καὶ μὴν ἀκριβῶς ᾠόμην
ἐγνωκέναι τὸ ῥηθέν, ἀλλ' ἤδη λέγε.

Qui in tali re errantem redarguit, si liberius loquitur ληρεῖς vel ληρεῖς ἔχων solet in ore habere, ut apud Cratinum in Schol. ad Aristoph. Nub. vs. 354. et apud Aristophanem saepissime, ut in Ranis vs. 512. Avibus 341. Lysistr. 945. sed petulantius hoc est, quam ut puella sic patri respondeat. Lenius igitur est οὐδὲν λέγεις, quo omnes improbant quidquid displicet aut non intelligunt, ut apud ipsum Antiphanem Athen. X. 450. C.

οὐκ οἶδ' ὅ τι λέγεις | οὐδὲν λέγεις γάρ.

et passim apud alios. Quam bene patri iocanti conveniat respondere ἦν ἁλῷ τρὶς παρανόμων et quam apte filia Sappho verbis παίζεις ἔχων patrem ad propositum revocet apertum esse arbitror. Ἔγνωκα pro *intellexi* frequens in Attica est, cuius rei pauca exempla adscribam, quo facilius vincam hoc ipsum in Lysiae loco pessime depravato esse reponendum. Antiphanes Athen. X. 448. E.

νυνὶ δὲ τοῦτ' ἔγνωχ' ὅτι | ἀληθὲς ἦν.

Alexis Athen. XI. 463. D.

ἔγνωκα δ' οὖν οὕτως ἐπισκοπούμενος
εἶναι μανιώδη πάντα τἀνθρώπων ὅλως.

Nausicrates Athen. VII. 296. A.

δύο μὲν ἁπαλοὶ καὶ καλοί
[ἐπώνυμοι] τοῦ ναυτίλοισι πολλάκις
ἤδη φανέντος πελαγίοις ἐν ἀγκάλαις.
B. γλαυκὸν λέγεις. A. ἔγνωκας.

ubi ἐπώνυμοι feliciter est a Porsono repertum. Hic quoque ut passim in Athenaeo librarius omisit, quae situ aut madore corrupta aut evanida expedire non potuit. Aristoph. Nub. 1094

ἆρα δῆτ' | ἔγνωκας ὡς οὐδὲν λέγεις;

et alibi. Hoc ipsum igitur Lysiae reddendum censeo κατὰ Θεομνήστου α'. § 20 in verbis: ἀλλ' εἰ μὴ σιδηροῦς ἐστὶν οἴομαι αὐτὸν ἔννουν γεγονέναι ὅτι τὰ μὲν πράγματα ταὐτά ἐστι νῦν τε καὶ πάλαι, τῶν δ' ὀνομάτων ἐνίοις οὐ τοῖς αὐτοῖς χρώμεθα νῦν τε καὶ πρότερον. Nihil enim aliud significat ἔννους γίγνεται quam *ad se redit* diciturque de eo, qui aut ebrius fuit aut insaniit, aut de eo, qui quam stolidum sit quod agat intelligens melius consilium capit, ut apud Demosthenem πρὸς Ὀνήτορα pag. 876. ἔννους γίγνεται — — καὶ τί ποιεῖ; τοὺς ὅρους ἀπὸ τῆς οἰκίας ἀφαιρεῖ κτέ. Fieri autem non potest ut ἔννους γέγονε significet ἔγνωκε. Scripserat Orator οἴομαι αὐτὸν νῦν γ' ἐγνωκέναι ὅτι κτέ. ubi νῦν in νοῦν abiit levis corrector ἔννουν γεγονέναι de suo dedit. Lubet eadem opera turpe vitium ex Antiphonte tollere in oratione περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου § 44. Reus Herodem solus noctu in littore occidisse dicitur. Quod fieri non potuisse et aliis argumentis demonstrat et sic: ὑπὸ δὲ ἑνὸς ἀποθνήσκων οὔτ' ἀνέκραγεν οὔτ' αἴσθησιν οὐδεμίαν ἐποίησεν οὔτε τοῖς ἐν τῇ γῇ οὔτε τοῖς ἐν τῷ πλοίῳ; καὶ μὴν πολλῷ πλέον γε ἀγνοεῖν ἐστι νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν, ἐπ' ἀκτῆς ἢ κατὰ πόλιν. in his γε ἀγνοεῖν sensu vacuum est: quod sententia loci postulat ἐξάκουστον φθέγγεσθαι vel, ut apud Antiphanem vidimus βοὴν ἵστησι γεγωνόν, nullo negotio ex reliquiis depravatae scripturae exscalpi potuit. Vetus liber, unde deterrimi nostri codices manarunt, hanc lectionem servabat: ΠΛΕΟΝΓΕΓΩΝΕΙΝ, librarius ubi πλέον γε dederat in ΓΩΝΕΙΝ haerens extudit Graecum vocabulum quodcumque et ἀγνοεῖν scripsit, quum πολλῷ πλέον γεγωνεῖν ἐστι νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν scribere debuisset. Eiusdem levitatis et stuporis exempla in antiquis

scribis multa iam ostendimus, alia alias ostendemus. Miratus sum nuper eandem in illo, qui Ἱεροκλέους καὶ Φιλαγρίου Φιλογέλωτα edens in § 88 ita scripsit: Σχολαστικὸς ἐπανερχόμενος ὅθεν ἀπεδήμησεν καὶ ἀναβαίνων ὑψηλὴν ἀνάβασιν ἐθαύμαζε λέγων· ἐνταῦθα ὅτε πρῶτον ὡς ἐπαρκεῖν ὥδευον κατάβασις ἦν καὶ πῶς οὖν ταχέως ἠλλάγη καὶ ἀνάβασις γέγονε; Pro ἐπαρκεῖν in codice est παρκεῖν. Suavissime Editor: »*Recepi* ἐπαρκεῖν *verbum bene Graecum, sed cuius sensum nunc vix capio.*" Ostendimus alibi quam facile η et κ confundantur: emenda igitur ὅτε πρῶτον παρῄειν κατάβασις ἦν et mirare scribarum diligentiam, qui ne istud quidem leve scribendi genus populari sermone nulla arte compositum sine turpi errore describebant. Ibidem § 85 dicitur homo fatuus εἰς οἰκίαν καινὴν μετοικισθεὶς καὶ τὰ πρὸ τοῦ πυλῶνος καβηρᾶς ἐπιγράψαι· ὃς ἂν ὧδε κόπρια βάλῃ ἀπόλλυσιν αὐτά. Editor: »*an* καμάρας?" apage! verum est τὰ πρὸ τοῦ πυλῶνος καθήρας. Comici fragmentum mutilum legitur ibid. § 226. Histrio famelicus τὸν ἀγωνοθέτην πρὸ τοῦ εἰσελθεῖν ἄριστον ᾔτει. Cur? inquit. ἵνα, ἔφη, μὴ ἐπιορκοῦντες λέγωμεν

ἠρίστησα νὴ τὴν Ἄρτεμιν | μάλ' ἡδέως.

tu corrige: ἵνα μὴ ἐπιορκῶν λέγω·

ἐγὼ μὲν ἠρίστησα, νὴ τὴν Ἄρτεμιν,
μάλ' ἡδέως.

Non teneo me quin his addam veterum scribarum errorem non dissimilem, unde quam nihil isti cogitent colliges. Apud Polyaenum VI. 16. 4. in Codicibus legitur: Καρχηδόνιοι πολεμοῦντες Ἱέρωνι νύκτωρ ἐπιπλεύσαντες Μεσσήνῃ πλησίον τῆς πόλεως ὑπ' Ἀκραγαντίνων καθωρμίσθησαν, alias res agebat scriba qui ex ΥΠΑΚΡΑΝΤΙΝΑ elicuit ὑπ' Ἀκραγαντίνων verba bene Graeca sed quorum sensum nunc vix capiebat. Corrigendum est ὑπ' ἄκραν τινὰ καθωρμίσθησαν. Eiusdemmodi igitur in Antiphonte est vitium γε ἀγνοεῖν pro γεγωνεῖν, quod verbum ne quis poëtis proprium et a soluta oratione alienum esse existimet adscribam locum ex Hippia maiore, qui in Platonicis dialogis circumfertur, p. 292. D. οὐδέν σοι μᾶλλον γεγωνεῖν δύναμαι ἢ εἴ μοι παρεκάθησο λίθος καὶ οὗτος μυλίας μήτ' ὦτα μήτ' ἐγκέφαλον ἔχων, neque Antiphontis discipulus dubitavit γεγωνίσκειν dicere de Nicia Thucydides VII. 76. βουλόμενος ἐπὶ πλεῖστον γεγωνίσκειν.

Quod in eadem re proprium verbum est *ἐξακούειν* de eo poni solitum, ad cuius aures vox aut clamor e longiore intervallo editus pervenit, Xenophonti reddendum est in Anabasi V. 4. 31. *ἀπεῖχον αἱ πόλεις ἀπ' ἀλλήλων ϛάδια ὀγδοήκοντα, αἱ δὲ πλεῖον, αἱ δὲ μεῖον. ἀναβοώντων δὲ ἀλλήλων ξυνήκουον εἰς τὴν ἑτέραν ἐκ τῆς ἑτέρας πόλεως*, imo vero *ἐξήκουον*, si quo ex oppido clamor tolleretur is in altero oppido exaudiebatur. Hinc melius in Cyropaed. IV. 3. 3 servabitur vetus lectio *ϛὰς ὅπου αὐτοῦ ἔμελλον ἐξακούσεσθαι* prae nova *ἔμελλον ἀκούσεσθαι*, et quis non meminit Aristophanis in Thesmoph. 293.

ποῦ, ποῦ καθέζωμ' ἐν καλῷ, τῶν ῥητόρων
ἵν' ἐξακούω;

Transeo nunc ad Strattidis locum emendandum, in quo vocabulum unum intercidit et propterea quod erat facetissimum, loci Sophoclei *παρῳδία*, non amplius apparet. Praemittam verba Tragici, in quibus multi saepe iocati sunt, utpote unicuique de populo notissimis, in quo genere lepidissimi sunt *τῶν παρῳδούντων* sales et lepores. Quum Demetrius Poliorceta in Phrygia ignarus itinerum in devia et angustias seque et copias implicuisset, et scurra aliquis in eius tentorio inscripsisset:

τέκνον τυφλοῦ γέροντος Ἀντιγόνου, τίνας
χώρους ἀφίγμεθα;

ut narrat Plutarchus in Demetr. cap. 46, non credo unum fuisse in castris Graecum militem, qui non Oedipi Colonei recordaretur. Non minus omnibus nota erant haec:

Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεϛί σοι
παρόντι λεύσσειν, ὧν πρόθυμος ἦσθ' ἀεί.
τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος οὐπόθεις τόδε.
αὕτη δ', Ὀρέϛα, τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ
ἀγορὰ Λύκειος, οὑξ ἀριϛερᾶς δ' ὅδε
Ἥρας ὁ κλεινὸς ναός.

et reliqua, quae leguntur in Electrae exordio. Notum est meretriculam Atticam a Demetrio multis muneribus ut vestem poneret expugnatam, quum tandem morem gereret, dixisse:

Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεϛί σοι
παρόντι λεύσσειν, ὧν πρόθυμος ἦσθ' ἀεί.

Machonis locus est apud Athen. XIII. 579. A.

αἰτουμένην λέγουσι τὴν πυγήν ποτε

ὑπὸ τοῦ βασιλέως Μανίαν Δημητρίου,
ἀνταξιῶσαι δωρεὰν καὐτόν τινα.
δόντος δ' ἐπιςρέψασα μετὰ μικρὸν λέγει·
Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεςί σοι.

ne sola putes scorta Attica cum poëtis multum consuescere solita in promtu haec habere, e Plutarchi Symposiacis IX. 1. 2. haec adscribam: ἐμνήσθη τῆς Θεοδώρου τοῦ τραγῳδοῦ γυναικὸς οὐ προσδεξαμένης αὐτὸν ἐν τῷ συγκαθεύδειν ὑπογύου τοῦ ἀγῶνος ὄντος, ἐπεὶ δὲ νικήσας εἰσῆλθε πρὸς αὐτὴν ἀσπασαμένης καὶ εἰπούσης·

Ἀγαμέμνονος παῖ, νῦν ἐκεῖν' ἔξεςί σοι.

Neque fefellit Alexandri milites, quum in castris ad Hydaspen fluvium in Bacchanalibus δραμάτιον satyricum in Harpalum scriptum ageretur, in cuius prologo haec erant ap. Athen. XIII. 595. E.

οὐξ ἀριςερᾶς δ' ὅδε
πόρνης ὁ κλεινὸς ναὸς, ὃν δὴ Παλλίδης
τεύξας κατέγνω διὰ τὸ πρᾶγμ' αὐτοῦ φυγήν,

non fefellit, inquam, spectatores Graecos unde haec per iocum adumbrata essent. Si quid iudico, Strattis eiusdemmodi quid luserat, quod nunc nobis periit, sed ut revocari in lucem possit. Antiquus et doctus Grammaticus ad Aristophanis Ranas vs. 404 annotavit: χρόνῳ δ' ὕςερον οὐ πολλῷ καὶ καθάπαξ (expunge καί) περιεῖλε Κινησίας τὰς χορηγίας. ἐξ οὗ καὶ Στράττις ἐν τῷ εἰς αὐτὸν δράματι ἔφη·

σκηνὴ μὲν τοῦ χοροκτόνου Κινησίου.

In antiquo codice quum ΧΟΡΟΚΤΟΝΟΥΘΥ exaratum esset proclivi errore ΘΥ excidere post ΟΥ potuit. Strattis videtur fabulam his ipsis verbis exorsus esse:

Σκηνὴ μὲν ἥδε τοῦ χοροκτόνου θεοῦ
Κινησίου.

quae ut spectatoribus Atticis audita sunt, continuo toti caveae τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ apud Sophoclem venit in mentem. Quam facile ΘC, ΘΥ, ΘΩ, ΘΝ corrumpi aut intercidere possint in priore parte ostendimus. In Comicorum fragmentis non semel ita factum esse mihi animadvertisse videor. Nondum poenitet in Platone Comico apud Schol. Arist. Pac. 792 pro ὁ Καρκίνου παῖς τοῦ θαλαττίου reposuisse:

ὁ Καρκίνου παῖς τοῦ θαλαττίου θεοῦ.

Similiter in Eubuli fragmento Athen. VII. 295 E., cuius lacerae tantum laciniae ex antiquo codice describi potuerunt, suspicor olim non λοπάδα τοῦ θαλαττίου γλαύκου lectum fuisse sed τοῦ θαλαττίου θεοῦ Γλαύκου. Caeterum satis notum est quantopere Strattis et aequales comici in Tragicis scurrili imitatione argumentis, numeris, oratione ridendis luserint.

Quam foede librarii comoediae reliquias depravarint, ut sententiae nec caput nec pes constaret, in Antiphanis loco apud Athen. XIV. 618. B optime spectari potest, ubi aliorum inventis ipse quaedam adiiciam, quae alii aliquando perficiant. Verba poëtae sic circumferuntur:

ποίαν Φράσον γὰρ ἥδε τὴν συναυλίαν
ταύτην, ἐπίςαται γάρ, ἀλλ' ηὔλουν ἔτι
μαθόντες ὥςε τοὺς αὐλοὺς σύ τε
αὕτη τε λήψεσθ', εἶθ' ἃ μὲν σὺ τυγχάνεις
αὐλῶν πέραινε. δέξεται δὲ τἄλλα σοι.
ἡδύ τι κοινόν ἐςιν, οὗ χωρὶς πάλιν,
συννεύματ', οὐ προβλήμαθ', οἷς σημαίνεται
ἕκαςα.

Priores versus nemodum expedire potuit: ἥδε τὴν συναυλίαν ταύτην ἐπίςαται, olim coniuncta fuisse videntur, tum complura interciderunt. Codicum vitia αυτητελετη ψεθειθαμεν συντυγχάνεισ Dindorfius procuravit, qui εἶθ' ἃ μὲν σὺ τυγχάνεις, et Meinekius, qui αὕτη τε λήψεσθ' emendavit. In eadem ipse incideram, nisi quod εἶθ' ἃ μὲν νῦν τυγχάνεις αὐλῶν πέραινε et olim et nunc verius esse arbitror. In caeteris hanc lectionem demersam latere suspicor: δέξεται δὲ τἄλλα σοι
ἥδ'. οὔ τι κοινόν ἐςιν, οὐ χωρὶς πάλιν,
οὐ νεύματ', οὐ προβλήμαθ', οἷς σημαίνετε
ἕκαςα;

οὐ quater repetitum ter labem et vitium contraxit. Ecquid illos cogitasse aut sensisse putes, qui haec sic descripta ad nos propagarunt?

Non multo melius habitus est Antiphanis locus apud Athen. XIV. 623. A.

πλησίον δέ γε
ταύτης ἄσιτος ἡμέραν καὶ νύχθ' ὅλην

κεςρεὺσ λεπισθεὶσ σπασθεὶσ ςραφεὶσ

χρωσθεὶσ ὁμοῦ τι πρὸσ τέλοσ μέροσ δρόμου περῶν ἥξει κεκραγὼσ παῖσ δ' ἐφέςηκεν ῥανῶν. Sic nempe haec e scribarum manibus accepimus, quae emendare et in pristinum nitorem ita restituere, ut ipsam Poëtae manum revocemus nostri est artificii, potestque in his, quae adscripsimus, praestari. Nempe per ea vitia et sordes haec pellucet vetusti libri scriptura:

ΚΕΣΤΡΕΥΣΛΕΠΙΣΘΕΙΣΑΛΣΙΠΑΣΘΕΙΣΕΚΣΤΡΑΦΕΙΣ, deinde apparet τέλοσ μέροσ nil nisi dittographiam esse, in qua τέλοσ probum est, μέροσ vitio natum. Pro ἥξει κεκραγώς Graeculus non indoctus, qui ex Marciano Codice Epitomen, quam dicunt, confecit, ac rectius dicetur ex illo codice fideliter descripsisse omnia, quae intelligere potuit resectis omnibus, quae depravata erant aut ei certe videbantur, et in iis, quae descripsit, hic illic aliquam correctiunculam suam recepit, is igitur hoc loco eximiam emendationem reperit σίζει pro ἥξει, quam probavit omnibus. Itaque sic Antiphanes scripserat:

κεςρεὺς λεπισθεὶς, ἁλσὶ πασθεὶς, ἐκςραφείς,
χρωσθεὶς, ὁμοῦ τι πρὸς τέλος δρόμου περῶν
σίζει κεκραγώς, παῖς τ' ἐφέςηκε ῥανῶν.

In λεπισθείς aliqua est dubitatio, sintne umquam Attici hac forma usi. Veteres λέπειν dicebant et ἐκλέπειν, ἀπολέπειν, περιλέπειν: hinc λέπος, λέμμα et λοπός, unde λοπίζω, ἀπολοπίζω Attici dicebant, non λεπίζω, quo utuntur sequiores pro λέπω. Apposite in hanc rem Photius: Λοπίζειν οὐ λεπίζειν, et ἀπολοπίζειν: διὰ τοῦ ο τὴν τρίτην οὐ διὰ τοῦ ε in Bekkeri Anecd. I. p. 25, 26. In Aristophanis fragmento ibid. I. p. 430, 17

ἐγὼ δ' ἀπολογίζειν τε κἆτ' ἐπ' ἀνθράκων

recte corrigunt ἀπολοπίζειν, post ἀνθράκων excidisse ὀπτᾶν suspicor: verbo λεπίζειν utuntur Graeculi et magistri ad vetus λέπειν explicandum. Λαπῆναι, ἐκλαπῆναι, ἐκλαπήσεται Graeculis ignota et inaudita fuisse alibi demonstravi. Apud Hesychium est ἐλέπουν: οἷον ἐλέπιζον, et ἐλέταιον: ἔπαιον, utrobique repone ἔλεπον et in λαπῆναι: λαπισθῆναι rescribe λεπισθῆναι. Ipsae squamae veteribus λέπη ἰχθύων dicuntur, quas minus antiqui omnes appellant λεπίδας. Equidem igitur λοπισθείς praetulerim, ut certioris fidei. Tum in ΑΛΣΙΠΑΣΘΕΙΣ scriba dormitans visus est sibi σπασθείς videre, fugientibus, ut videtur, litterulis

ΑΛ. Frequens est in Attica ἁλσὶ πάττειν, διαπάττειν, σμῆν, διασμῆν, ut apud Cratetem Athen. VI. 267. F.

ἰχθὺ βάδιζ᾽. ἀλλ᾽ οὐδέπω ᾽πιθάτερ᾽ ὀπτός εἰμι.
οὔκουν μεταστρέψας σεαυτὸν ἁλσὶ πάσεις ἀλείφων

quod perite Elmsleius in scriptura Codicis ἄλειπασ εἰσαλείφων inesse animadvertit. Praeterea scribe οὔκουν pro οὐκοῦν. Similiter Alexis dixit Athen. VII. 324 B.

τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα κατατεμὼν πολλοὺς κύβους
σμήσας τε λεπτοῖς ἁλσίν.

et Alcaeus Athen. IX. 399 F.

ἵνα τοὺς δασύποδας
οὓς ἂν λάβωμεν ἁλσὶ διαπάττειν ἔχῃς.

et in lepido Aristophanis loco Nub. 1237

ἁλσὶν διασμηχθεὶς ὄναιτ᾽ ἂν οὑτοσί.

Deinde in ΠΑΣΘΕΙΣΕΚΣΤΡΑΦΕΙΣ accidit, quod saepe factum esse in superiore parte demonstravimus, ut ΕΙΣ et ΕΚ confunderentur, et sic ob similitudinem alterum omissum periret. Eiusdem confusionis luculentum exemplum in Menandri fragmento mihi animadversum est, quod et propterea adducam quia non leve vitium in iocoso loco resedit. Ammonius discrimen inter ᾔδεα et ᾖς demonstraturus (quod quemquam nesciisse mireris) p. 76 scribit Μένανδρος ἐν Ψευδηρακλεῖ·

ὑπὲρ μὲν οἴνου μηδὲ γρῦ, τίτθη, λέγε.
ἂν τἆλλα δ᾽ ᾖς ἄμεμπτος εἰς τὴν ἐπὶ δέκα
Βοηδρομιῶνος ἐνδελεχῶς ἕξεις ἀεί.

verum vidit Porsonus, qui ἕκτην ἐπὶ δέκα emendavit et Polyaeni locum attulit III. 11. 2. Χαβρίας περὶ Νάξον ναυμαχῶν ἐνίκησε Βοηδρομιῶνος ἕκτῃ ἐπὶ δέκα — ἥτις ἦν μία τῶν μεγάλων μυστηρίων. Multo utiliorem locum indicavit Meinekius in Plutarchi Phocione cap. 6 ἐνίκων δὲ (τὴν περὶ Νάξον ναυμαχίαν) μεγάλοις μυστηρίοις καὶ παρεῖχεν οἰνοχόημα Χαβρίας ᾽Αθηναίοις καθ᾽ ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ Βοηδρομιῶνος. Submiror neutrum vidisse apud Menandrum scribi oportere: ἕκτην ἐπὶ δέκα Βοηδρομιῶνος — ἄξεις ἀεί, non ἕξεις, quoniam festum diem nemo Graece ἔχειν sed ἄγειν dicitur, ἄγειν ἑορτήν, νουμηνίαν, ᾽Αδώνια, Διονύσια et similia passim. Itaque Antiphani ἐκστραφεὶς reddemus, quod quale sit in arte coquinaria non difficile est ad exputandum, στραφῆναι quid sit nemo dixerit. In sequentibus

Antiphanis versiculis vitium remansit in his verbis:

εἶτ' οὐκ ἐπῳδούς φασιν ἰσχύειν τινές;
ἐγὼ γὰρ ἤδη τρεῖς ὁρῶ μασωμένους
σοῦ ταῦτα συςρέφοντος.

non enim ἐπῳδούς sed ἐπῳδάς alii ἰσχύειν negabant, stulte credebant alii, qui easdem ab unoquoque disci posse opinabantur: vide Platonis Charmid. pag. 155. F. ἄνευ δὲ τῆς ἐπῳδῆς οὐδὲν ὄφελός ἐςι τοῦ φύλλου. Καὶ ὅς· ἀπογράψομαι τοίνυν, ἔφη, παρὰ σοῦ τὴν ἐπῳδήν.

In eiusdem Antiphanis fragmento apud Athen. VI. 240. F. sententia levi corruptela funditus periit. Editur:

ἀρετὴ τὸ προῖκα τοῖς φίλοις ὑπηρετεῖν.
B. λέγεις ἔσεσθαι τὸν Τιθύμαλλον πλούσιον.
εἰσπράξεται γὰρ μισθὸν ἐκ τοῦ σοῦ λόγου
παρ' οἷς ἐδείπνει προῖκα σύλλεξιν συχνήν.

haec neque faceta sunt neque omnino quidquam significant. Quid mirum, si haec est vera lectio:

εἰ πράξεται γὰρ μισθὸν ἐκ τοῦ σοῦ λόγου
παρ' οἷς ἐδείπνει προῖκα συλλέξει συχνά.

quae non egent interprete. In Codice est συλλέξειν συχνήν: qui συχνήν dedit sciolus cum προῖκα iungebat, acutissime sane: at isti tamen quamquam nihil intelligunt formas verborum ex sua libidine refingunt si quid non satis cum vicinis vocabulis quadrare videtur, reliquorum et totius sententiae securi. Et alibi talia designarunt et in Euripidis faceto fragmento περὶ τῶν ἐν Κορίνθῳ ἑταιρίδων apud Pollucem IX. 75

καὶ τὰς μὲν ἄξει πῶλον ἂν διδῷς ἕνα,
τὰς δὲ ξυνωρίδ', αἱ δὲ κἀπὶ τεσσάρων
φοιτῶσιν ἵππων ἀργυρῶν. φιλοῦσι δὲ
τὰς ἐξ Ἀθηνῶν παρθένους ὅταν φέρῃ
πολλάς.

Salmasius φέρῃς pro φέρῃ dedit, quem omnes sequuntur, perperam: non enim in ultimo vocabulo vitium est sed in primo. Legendum enim est φιλοῦσι δὲ | τὸν ἐξ Ἀθηνῶν, παρθένους ὅταν φέρῃ πολλάς, ut apud Babrium est 14, 7.

ὁ δ' ἐξ Ἀθηνῶν ἔλεγεν ὡς πολὺ κρείσσων
Θησεὺς γένοιτο.

et sic saepe alibi: quemadmodum natum sit vitium manifestum est.

Prorsus sensu vacuum est, quod in Antiphane legitur Athen. IX. 366. C.

τῶν θαλαττίων δ' ἀεί
ὄψων ἓν ἔχομεν, διὰ τέλους δὲ τοῦθ', ἅλας.
ἐπὶ δὲ τούτοις πίνομεν
οἰνάριον εἶδος νὴ Δί' οἰκίας τρόπον
πόσειδος οἷον τοῖς παροῦσι συμφέρει
ἀπαξάπασιν ὀξυβάφῳ ποτηρίῳ.

Ut vincam verum esse quod reponendum esse censeo praemittam locos nonnullos, in quibus id ipsum aut simillimum quid recte legitur. Alexis Athen. VII. 365. D.

ἥξω φέρουσα συμβολὰς τοίνυν ἅμα.
B. πῶς συμβολάς; A. τὰς ταινίας οἱ Χαλκιδεῖς
καὶ τοὺς ἀλαβάστους συμβολὰς καλοῦσι, γραῦ.

Plato Comicus apud Schol. Arist. Thesmoph. 808.

βουλεύειν ὀλίγου ''λαχες πάνυ,
ἀτὰρ οὐ λαχὼν ὅμως ἔλαχες, ἢν νοῦν ἔχῃς.
B. πῶς ἢν ἔχω νοῦν;

Antiphanes Athen. VIII. 358. E.

ἰχθύν τιν' ἡδέως φάγοις ἄν; B. εἰς ἀγρόν
ἦλθεν φέρων ποτ' ἰχθυοπώλης μαινίδας
καὶ τριγλίδας, καὶ νὴ Δί' ἤρεσε σφόδρα
ἡμῖν ἅπασιν. A. εἶτα καὶ νῦν, εἰπέ μοι,
τούτων φάγοις ἄν; B. κἄν τις ἄλλος μικρὸς ᾖ.
τοὺς γὰρ μεγάλους τούτους ἅπαντας νενόμικα
ἀνθρωποφάγους ἰχθῦς. A. τί φής, ὦ φίλτατε;
ἀνθρωποφάγους, πῶς; Γ. οὓς ἂν ἄνθρωπος φάγοι
δῆλον ὅτι. ταῦτα δ' ἐστὶν Ἑκάτης βρώματα
ἃς φησιν οὗτος μαινίδας καὶ τριγλίδας.

huius loci partem ultimam ita scriptam adposui, ut mihi legenda et constituenda esse videtur. In Codice est ἀνθρωποφάγους πῶς ἀνθρωποφάγοι et pag. 313. B., ubi iidem versus leguntur, Codex exhibet ἀνθρωποφάγους, πῶς ἂν ἄνθρωπος φάγοι. Quod reposuimus satis certum est. Iacobsius πῶς; οὓς γ' ἄν, Dobraeus πῶς; ὧν γ' ἂν suppleverunt. Nihil causae est cur γε inseratur. Qui iocose interpretatur, quomodo magni pisces ἀνθρωποφάγοι dicantur optime dicit οὓς ἂν ἄνθρωπος φάγοι δῆλον ὅτι. Soloecum est quod in ultimo versu vulgatur:

ἅ φησιν οὗτος μαινίδας καὶ τριγλίδας.

itaque certa ratione ἅς φησι refinxi. Affine est Sannyrionis apud Harpocrat. v. πέλανος.

πέλανον καλοῦμεν ἡμεῖς οἱ θεοί,
ἃ καλεῖτ' ἀσέμνως ἄλφιθ' ὑμεῖς οἱ βροτοί.

Quodcunque igitur quis aut verbum aut dictum non intelligit illo modo utitur vocula πῶς, ut rationem quaerat. Hinc certa medicina parata Xenarcho est apud Athen. X. 418. E.

ἑπτὰ δὲ καπάνας ἔτρεφον εἰς Ὀλυμπίαν.
τί λέγεις; καπάνας Θετταλοί
πάντες καλοῦσι τὰς ἀπήνας. B. μανθάνω.

nam quis punctum temporis dubitabit, quin poëta dederit:

B. τί λέγεις; καπάνας, πῶς; A. καπάνας Θετταλοί
πάντες καλοῦσι τὰς ἀπήνας. B. μανθάνω.

Ex his denique Antiphanem in hunc modum scripsisse arbitror:

οἰνάριον, εἶδος, νὴ Δία, σκιᾶς τρόπον.
B. πῶς εἶδος; A. οἷον τοῖς παροῦσι συμφέρει
ἀπαξάπασιν ὀξυβάφῳ ποτηρίῳ.

Subiiciam his duo fragmenta, ubi ὅπως revocandum est, utrobique verbis praepostere dispositis in πῶς depravatum. Alterum est ipsius Antiphanis apud Athen. VI. 257. E.

ἐρριπίζετο
ὑπὸ τῶν περιςερῶν, ὑπ' ἄλλου δ' οὐδενός
δειπνῶν ὁ βασιλεύς. B. πῶς; ἐάσας τἄλλα γάρ
ἐρήσομαί σε τοῦτο. πῶς; A. ἠλείφετο
ἐκ τῆς Συρίας ἥκοντι τοιούτῳ μύρῳ κτέ.

Qui hoc quaerit non vehementer aut concitate sed placide et subridens quaerit, quare scribendum:

ἐρήσομαί σε τοῦθ'. A. ὅπως; ἠλείφετο κτέ.

Simillima est ratio in Mnesimachi loco apud Athen. VIII. 359. C.

ἀλλ', ἀντιβολῶ σ', ἐπίταττέ μοι μὴ πόλλ' ἄγαν,
μηδ' ἄγρια λίαν μηδ' ἐπηργυρωμένα,
μέτρια δὲ τῷ θείῳ σεαυτοῦ. B. πῶς ἔτι
μετριώτερ', ὦ δαιμόνιε, πῶς; A. σύντεμνε καὶ
ἐπεξαπάτα με. τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι κάλει
ἰχθύδιον, ὄψον δ' ἂν λέγῃς ἕτερον κάλει
ὀψάριον. ἥδιον γὰρ ἀπολοῦμαι πολύ.

Quanto melius haec sic dividentur:

πῶς ἔτι | μετριώτερ', ὦ δαιμόνι'; A. ὅπως; κτέ.

adscripsi et reliqua, ut appareret legendum esse:

τοὺς μὲν ἰχθῦς μοι κάλει | ἰχθύδι', ὄψον κτέ.

non ἰχθύδιον, nam quis sic loquitur?

Ut in his locis verba male distributa lectoribus fraudem faciunt ita saepissime nova et insperata lux obscuris et impeditis dictis affulget, si sua cuique verba redduntur. Nemo umquam intelligere duos Aristophanis versus potuit in Vespis 312, 313, quia nemo vidit inter patrem et filium verba sic esse dividenda, ut filius flebiliter exclamet:

τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες;

pater respondeat cachinnans:

ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς.

Satis compertum est in antiquissimis codicibus personarum vices nullo indicio significatas fuisse. Res ipsa lectorem acutum et hoc agentem satis admonebat: ubi dormitantes et hebetes lectores hoc adminiculo indigere coeperunt, Grammatici personarum vices duobus punctis distinxerunt idque δύο τιθέναι (στιγμὰς videlicet), aut δύο στίζειν, δύο ποιεῖν, δύο στιγμὰς ποιεῖν appellare solent, ut ad Ranas annotatur vs. 891 τοῖσιν ἰδιώταις θεοῖς: τινὲς ἐν τῷ θ ε ο ῖ ς δύο τιθέασιν, ἵνα ᾖ τό· ἴ δ ι ο ί τ ι ν έ ς σ ο ι κ ό μ μ α κ α ι ν ό ν. quae annotatio loco mota est et pertinet ad vs. 889. tum in Aristophane legendum ἴδιοί τινες σοί, κόμμα καινόν; In Acharnensibus vs. 899 Codices exhibent:

ἢ φορτί' ἕτερ' ἐνθένδ' ἐκεῖσ' ἄξεις ἰών;

veram lectionem vetus scholion servavit: γράφεται καὶ ἰώ ἀντὶ τοῦ ἐγώ. καὶ δύο στιγμαὶ ἐν τῷ ἄ ξ ε ι ς: εἶτα τὸ ἰώ. Similia adscripta sunt ad Ranas 28. τινὲς εἰς τὸ φ έ ρ ω δύο στιγμὰς ποιοῦσιν, et vs. 51 τινὲς εἰς τὸ ἀ π ό λ λ ω δύο στίζουσι καὶ εἰς τὸ ἐ ξ η γ ρ ό μ η ν, et vs. 314 τινὲς εἰς τὸ μ υ σ τ ι κ ω τ ά τ η δύο ποιοῦσιν. Sed non satis haec Grammaticorum diligentia cavere potuit, ne ineptissimum in modum in Codicibus passim et etiamnunc in optima quaque editione nonnumquam interlocutorum vices cum insigni sententiae detrimento misceantur et turbentur. Exempla huius negligentiae in Comicorum fragmentis complura supersunt, unde nonnulla expromam: quidquid autem in iis locis peccatum est, huius rei culpam soli Editores et Critici sustinent: in Codicibus enim omnia uno eodemque tenore continuantur, quae suo

quisque arbitratu dispescuit et colloquentium personis quam potuit aptissime accommodata distribuit. Saepius ita errant ut quae non eiusdem personae sint uni tribuant, nonnumquam quae eidem erant continuanda male dissecta duobus dividi videbis. Utriusque generis exempla quaedam afferam, in qua re sequar Poëtarum et fragmentorum eum ordinem, quo apud Meinekium sunt disposita. Cratini versiculus ex Apollonio Dyscolo *περὶ ἀντων*. p. 285. B. ita editur:

οὗτος, καθεύδεις; B. *οὐκ ἀναςήσεις βοῶν.*

ubi ego restituerim:

»οὗτος, καθεύδεις; οὐκ ἀναςήσει;" βοῶν

quibus verbis nescio quis aliquem ex somno excitat. In Cratetis fragmento apud Athen. VI. 267. E. Meinekius dedit:

ἔπειτα δοῦλον οὐδὲ εἷς κεκτήσετ' οὐδὲ δούλην.

B. *ἀλλ' αὐτὸς αὐτῷ δῆτ' ἀνὴρ γέρων διακονήσει;*

quid causae erat cur haec ita dissecarentur? nulla, opinor. utrumque hoc admirabundus rogat idem: si alter versus alterius personae fuisset non *ἀλλὰ* dixisset sed *ἆρα δῆτα, ἆρ' οὖν*, aut simile quid, quamobrem uni eidemque haec omnia relinquenda esse censeo. Similiter Bergkius Aristophanis verba apud Hephaest. p. 51:

οὐκ ἐτὸς, ὦ γυναῖκες, | πᾶσι κακοῖσιν ἡμᾶς
φλῶσιν ἑκάςοτ' ἄνδρες. | δεινὰ γὰρ ἔργα δρῶσαι
λαμβανόμεσθ' ὑπ' αὐτῶν.

male ita dispescuit, ut aliam mulierem respondentem faceret: *δεινὰ γὰρ ἔργα δρῶσαι κτἑ.* Quae dixerat *οὐκ ἐτός κτἑ.* eadem cur ita sentiret addere debebat, ut in Lysistrata 137.

οὐκ ἐτὸς ἀφ' ἡμῶν εἰσὶν αἱ τραγῳδίαι,
οὐδὲν γάρ ἐσμεν πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη.

praeterea scribendum *φλῶσιν ἑκάςοθ' ἄνδρες*, qui pervulgatus librorum error est, in *ἀνήρ, ἀγών* sim. castigari solitus, in *ἄνδρες, ἄνθρωπος, ἄνθρωποι* non item.

In Aristophanis *Γεωργοῖς* apud Plutarchum in Nicia cap. 8. Bergkius verba sic distribuit:

ἐθέλω γεωργεῖν. εἶτα τίς με κωλύει;
B. *ἡμεῖς.* A. *ἐπεὶ δίδωμι χιλίας δραχμάς,*
ἐάν με τῶν ἀρχῶν ἀφῆτε. B. *δεχόμεθα.*
δισχίλιαι γάρ εἰσι σὺν ταῖς Νικίου.

etiam sine ullo librorum auxilio legendum esset:

ἐθέλω γεωργεῖν. B. εἶτα τίς σε κωλύει;
A. ὑμεῖς. ἐπεὶ δίδωμι κτέ.

atqui haec ipsa est omnium librorum scriptura, quae sine mora reddenda Comico est.

In Antiphanis Ἀφροδίτης γοναῖς apud Athen. XV. 667. A. haec est apud Meinekium personarum divisio:

κοτταβιεῖτε τίνα τρόπον;
B. ἐγὼ διδάξω καθ' ὅσον ἂν τὸν κότταβον
ἀφεὶς ἐπὶ τὴν πλάστιγγα ποιήσῃ πεσεῖν
A. πλάστιγγα ποίαν; τοῦτο τοὐπικείμενον
ἄνω τὸ μικρόν, τὸ πινακίσκιον, λέγεις;
B. τοῦτ' ἐστὶ πλάστιγξ. οὗτος ὁ κρατῶν γίγνεται.

in his, si quid video, nonnulla sunt perperam distributa et legendum sic arbitror:

ὃς ἂν τὸν κότταβον
ἀφεὶς ἐπὶ τὴν πλάστιγγα ποιήσῃ πεσεῖν
B. πλάστιγγα ποίαν; A. τοῦτο τοὐπικείμενον
ἄνω τὸ μικρόν. B. τὸ πινακίσκιον λέγεις;
A. τοῦτ' ἐστὶ πλάστιγξ, οὗτος ὁ κρατῶν γίγνεται.

In Antiphanis fragmento apud Athen. XIV. 662. B. nescio quis coquo ut quodque curari velit ita praecipit:

οὐκοῦν τὸ μὲν γλαυκίδιον ὥσπερ ἄλλοτε
ἕψειν ἐν ἅλμῃ; B. φημί. A. τὸ δὲ λαβράκιον;
B. ὀπτᾶν ὅλον.

quo sensu φημί in tali re responderi possit non exputo. Eidem continuanda sunt verba ἕψειν ἐν ἅλμῃ φημί.

Anaxandrides apud Athen. XI. 463. F. dixisse creditur:

τίνα δὴ παρεσκευασμένοι
πίνειν τρόπον νῦν ἐστε; λέγετε. τίνα τρόπον;
B. ἡμεῖς τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ.
A. βούλεσθε δήπου τὸν ἐπιδέξι'; B. ὦ πάτερ,
λέγειν ἐπὶ τῷ πίνοντι τὸν ἐπιδέξια
λέγειν, Ἄπολλον, ὡσπερεὶ τεθνηκότι;

Non melius apparere poterit quam sint haec omnia impedita et molesta, quam si naturae ordinem ob oculos posuero.

τίνα δὴ παρεσκευασμένοι
πίνειν τρόπον νῦν ἐστε; λέγετε. B. τίνα τρόπον

ἡμεῖς; τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ.

A. *βούλεσθε δήπου τὸν ἐπιδέξι', ὦ πάτερ,*
λέγειν ἐπὶ τῷ πίνοντι; B. *τὸν ἐπιδέξια*
λέγειν, Ἄπολλον, ὡσπερεὶ τεθνηκότι!

praeterea requiro *βούλεσθε δῆτα* pro *δήπου*, quod sententiae repugnat, cui *δῆτα* optime convenit, ut in Avibus 1689.

βούλεσθε δῆτ' ἐγὼ τέως | ὀπτῶ τὰ κρέα ταυτί;

et in Ranis 416.

βούλεσθε δῆτα κοινῇ | σκώψωμεν Ἀρχέδημον;

et aliis locis. Tum in extremo loco correxerim *ὥσπερ ἐπὶ τεθνηκότι.*

Eubuli fragmentum apud Athen. XI. 467. C.

μισῶ κάκιςον γραμματικὸν ἔκπωμ' ἀεί.
ἀτὰρ ὡς ὅμοιον οὑμὸς υἱὸς ᾤχετο
ἔχων φιάλιον· τῷ δὲ πολλὰ γίγνεται
ὅμοια.

intelligi non potest nisi haec verba sic distribuantur, ut pater dicat: *ἀτὰρ ὡς ὅμοιον οὑμὸς υἱὸς ᾤχετο ἔχων φιάλιον τῷδε*, deinde alius nascentem suspicionem avertens aut elevans respondeat: *πολλὰ γίγνεται ὅμοια.*

In Amphidis fragmento, in quo Plato ridetur, apud Diog. Laërt. III. 26.

τὸ δ' ἀγαθὸν, ὅ τι ποτ' ἐςὶν, οὗ σὺ τυγχάνειν
μέλλεις διὰ ταύτην, ἧττον οἶδα τοῦτ' ἐγώ,
ὦ δέσποτ', ἢ τὸ Πλάτωνος ἀγαθόν. πρόσεχε δή.

verba *πρόσεχε δή* non servuli sunt, sed heri respondentis, et quod ille nesciat aperire parantis, in qua re trita sunt *ἄκουε δὴ καὶ πρόσεχε τὸν νοῦν*, aut *πρόσεχε τὸν νοῦν κἀκροῶ*, aut *πρόσεχε τὸν νοῦν ἵνα πύθῃ.* Lepide dixerat Aristophanes in Acharn. 733 sed scribae versum scitum et lepidum fecerunt inelegantem et elumbem. Dant nobis haec:

ἀκούετον δὴ ποτέχετ' ἐμὶν τὰν γαςέρα.

at Poëta, ut opinor, dederat:

ἄκουε δὴ πότεχέ τ' ἐμὶν τὰν γαςέρα.

Alexis apud Athenaeum XV. 678. E.

ὁ τρίτος οὗτος δ' ἔχει
σύκων κυλιςὸν ςέφανον· ἀλλ' ἔχαιρε καί
ζῶν τοῖς τοιούτοις.

sycophantam ridebat: ad ficuum mentionem subridens aliquis interponit: *ἀλλ' ἔχαιρε καὶ ζῶν τοῖς τοιούτοις.*

Intelligi non possunt haec eiusdem Poëtae apud Athen. IX. 383. E.

πολλῷ γ' ἀμείνων, ὡς ἔοικας, ἦσθ' ἄρα
λογογράφος ἢ μάγειρος. ὃ λέγεις οὐ λέγεις,
τέχνην δ' ὀνειδίζεις.

si recte verba interlocutoribus diviseris, nihil difficultatis habebunt. Miratus aliquis coqui facundum et elegans dicendi genus ita hominem laudat: *πολλῷ γ' ἀμείνων, ὡς ἔοικας, ἦσθ' ἄρα λογογράφος ἢ μάγειρος*, cui ille indignabundus reponit: *ὃ λέγεις οὐ λέγεις, τέχνην δ' ὀνειδίζεις*, *quod vis dicere non dicis*, id est quod dicis non significat id quod tu putas. Laudem tu hanc esse opinaris, sed opprobrium in artem est. Eodem modo dicitur saepe *ἀλλ' ὅ τι λέγεις εἰπέ μοι*, ut in Avibus 1382.

παῦσαι μελῳδῶν, ἀλλ' ὅ τι λέγεις εἰπέ μοι,

et *οὐκ οἶδ' ὅ τι λέγεις*, et *ὅ τι λέγεις οὐ μανθάνω*, et similia multa. In iis quae coquus tam scite dixerat unum est, quod scribae depravando inscitum admodum et inficetum reddiderunt:

ἀτμὸς γὰρ οὕτως οὐχὶ προσπηδήσεται
ταῖς ῥισὶν ἀλλ' ἄνω μάλ' εἶσι καταφυγών.

in Codice est *ανωμαλισει*, unde Scaliger *ἄνω μάλ' εἶσι* effinxit, in quo omnes acquiescunt. At *μάλα* in ea re non ponitur, neque enim cum *ἄνω* neque cum *εἶσι* commode iungi potest et nil nisi numerum syllabarum explet. Vera scriptura emerget si comparaveris locum Nicostrati apud Athen. III. 111. C.

ὀσμὴ δὲ, τοὐπίβλημ' ἐπεὶ περιῃρέθη,
ἄνω 'βάδιζε καὶ μέλιτι μεμιγμένη
ἀτμίς τις εἰς τὰς ῥῖνας· ἔτι γὰρ θερμὸς ἦν.

unde quivis restituat: *ἀλλ' ἄνω βαδίζει καταφυγών.*

Nemo recte intelliget quid Timocles dixerit apud Athen. VI. 224. A.

οὐκοῦν κελεύεις νῦν με πάντα μᾶλλον ἢ
τὰ προσόντα φράζειν. πάνυ γε δράσω τοῦτό σοι.
B. *καὶ πρῶτα μέν σοι παύσεται Δημοσθένης*
ὀργιζόμενος κτἑ.

nisi prius sic verba distributa erunt:

οὐκοῦν κελεύεις νῦν με πάντα μᾶλλον ἢ

τὰ προσόντα φράζειν; B. *πάνυ γε.* A. *δράσω τοῦτό σοι.* deinde mera mendacia narrare incipit. Putidum est ostendere velle *πάνυ γε* esse cum affirmatione respondentis.

Philemon dixisse creditur ap. Schol. Platonis p. 322 Bekk.

ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον οἶσθα, δέσποτα.

codices *οἶδα* servant omnes: legerim:

ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον. B. *οἶδα, δέσποτα.*

quae servuli sunt hero respondentis. Miserrime corruptus est in re simillima Menandri locus apud Athen. X. 446. D. ubi Meinekius edidit:

ἐλλέβορον ἤδη πώποτ' ἔπιες, Σωσία;
πάλιν πάλιν νῦν πῖθι· μαίνει γὰρ κακῶς.

idem *εἰ δή* pro *ἤδη* reponebat, ut esset sensus: *si umquam bibisti, nunc iterum iterumque bibe.* At numquam hoc Graece illo modo dici potuit. Vera scriptura nobis eruenda erit ex his librariorum sordibus: *βάλ' ἐσ κόρον ἤδη πώποτ' ἔπιεσ σωσιλα πασιν παλι νυν πίθι. μένει γὰρ κακῶς.* Feliciter, ut solet, Heringa in Observatt. pag. 224 reperit *ἐλλέβορον ἤδη πώποτ' ἔπιες, Σωσία*; et *μαίνει γὰρ κακῶς.* In antiquo libro, quem futilis scriba utcumque sequebatur, scriptum erat .ΛΛЄ. ΟΡΟΝ. situs aut mador aut quaecumque alia causa litteras Є et Β obscuraverat vel absumserat. Ergo iste ex reliquiis antiquae scripturae elicuit scilicet *βάλ' ἐσ κόρον*, acute, ut nihil supra. Similiter in proximis quum esset CΩCIAAΠA..ΠΑΛĪ | ΝΥΝΠΙΘΙ, in quibus una tantum litterula Ξ madore evanida exciderat, homo sollers depinxit *σωσιλα πασιν παλι νυν πίθι*, quum deberet *σωσία ἅπαξ πάλιν νῦν πῖθι*, namque Menander dixerat:

ἐλλέβορον ἤδη πώποτ' ἔπιες, Σωσία;
B. *ἅπαξ.* A. *πάλιν νῦν πῖθι, μαίνει γὰρ κακῶς.*

Multo levius librariorum peccatum plane afflixit et perdidit heri cum servulo colloquentis dictum apud Scholiastam pereruditum ad Platonis Phaedonem pag. 380. Editur:

οἱ Θρᾷκες Λιβύτρωες ....
.. καλοῦνται. πάντα νῦν ἤδη 'σθ' ὁμοῦ.

οἱ Λιβύτρωες nova est et inaudita gens, quam peperit scribarum oscitantia, ut *οἱ Ἀρτεᾶται* apud Stephanum Byzantinum in v. *Ἀρτεᾶται, γένος Περσικόν. Ἡρόδοτος πρώτῃ.* Bonum factum quod ipsum Herodotum habemus, in quo scriptum est I. 125.

ἐςὶ δὲ τάδε ἐξ ὧν ὦλλοι πάντες ἀρτέαται Πέρσαι· Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι. Notus est Ptolemaei error ex Taciti verbis ADSUATUTANDA oppidum Suatutanda elicientis. Eiusdemmodi error in Menandro nos ludificatur: ne litterula quidem periit: si ΛΙΒΥΤΡΩΕC recte legeris manum Poëtae habebis:

οἱ Θρᾷκες, Λίβυ,
Τρῶες καλοῦνται. πάντα νῦν ἤδη 'σθ' ὁμοῦ.

Λίβυς servile nomen est, ut Φρύξ, Σύρος, Σύρα, Συρίσκος, Δᾶος, Τίβιος, Λυδός, Καρίων, Γέτας, alia, ex quibus unum obiter restitue Pherecrati, cuius locus non uno vitio inquinatus legitur apud Athen. XI. 481. A.

γλισχρόν τε μοὐςὶ τὸ σίαλον, νὴ τὼ θεώ.
B. λάβω κόρη σοι τὴν κοτυλίσκην; A. μηδαμῶς
μικράν γε. κινεῖται γὰρ εὐθύς μοι χολή,
ἐξ οὗπερ ἔπιον ἐκ τοιαύτης φάρμακον.
εἰς τὴν ἐμὴν νῦν ἔγχεον τὴν μείζονα.

ubi primum γλισχρόν γε reponendum est: λάβω κόρη σοι a Meinekio est, Codex mendose: ει λαβω κυρισοι, in qua scriptura quid lateat indicium facere potest Anaxippus Athen. XI. 486. E. μέλη: οὕτω καλεῖταί τινα ποτήρια, ὧν μνημονεύει Ἀνάξιππος ἐν Φρέατι λέγων οὕτως·

σὺ δὲ τὴν μέλην, Συρίσκε, ταυτηνὶ λαβὼν
ἔνεγκον ἐπὶ τὸ μνῆμ' ἐκείνης, μανθάνεις;
καὶ κατάχεον.

unde Pherecrati reddiderim:

λάβ', ὦ Συρίσκε, τὴν κοτυλίσκην.

tum Corianno, meretricula, quae fabulae nomen dedit: μηδαμῶς μικράν γε, inquit, κινεῖται γὰρ εὐθύς μοι χολὴ, ἐξ οὗπερ ἔπιον ἐκ τοιαύτης φάρμακον. Itaque qui dixerat λάβ', ὦ Συρίσκε, τὴν κοτυλίσκην, ad servulum iterum se convertens ita dicit:

εἰς τὴν ἐμὴν νῦν ἔγχεον τὴν μείζονα.

nisi quod νῦν absurdum est: hoc quoque malum accentus correctus sanabit et verum erit:

εἰς τὴν ἐμήν νυν ἔγχεον τὴν μείζονα.

Quam saepe νῦν et νυν in Aristophane et caeteris Comicis etiam nunc male permutata sint alias dedita opera demonstrabo.

Alio modo apud Menandrum heri et servuli colloquentium verba male divisa sunt apud Athen. XV. 691. A.

ἡδὺ τὸ μύρον, παιδάριον. B. *ἡδύ· πῶς γὰρ οὔ;*
νάρδινον.

qui *πῶς γὰρ οὔ;* respondit *ἡδύ* non potuit repetere. Divide:

ἡδὺ τὸ μύρον, παιδάριον, ἡδύ. B. *πῶς γὰρ οὔ;*

Inter duas colloquentium personas dividenda sunt verba in alio Menandri fragmento in Bekkeri Anecd. I. p. 358, 16.

ἂν ἔτι πιεῖν μοι δῷ τις· B. *ἀλλ' ἡ βάρβαρος*
ἅμα τῇ τραπέζῃ καὶ τὸν οἶνον ᾤχετο
ἄρασ' ἀφ' ἡμῶν.

quae male vulgo eidem continuantur. Multa turbata sunt in fragmento Damoxeni apud Athen. III. 101. F.

Ἐπικούρου δέ με
ὁρᾷς μαθητὴν ὄντα τοῦ σοφοῦ, παρ' ᾧ
ἐν δύ' ἔτεσιν καὶ μησὶν οὐχ ὅλοις δέκα
τάλαντ' ἐγώ σοι κατεπύκνωσα τέτταρα.
B. *τοῦτο δὲ τί ἐστιν; εἰπέ μοι.* A. *καθήγισα.*
μάγειρος ἦν κἀκεῖνος. οὐκ ἤδει θεοί.
B. *ποῖος μάγειρος;* A. *ἡ φύσις πάσης τέχνης*
ἀρχέγονόν ἐστ', ἀρχέγονον, ὦλιτήριε.

corruptum est *οὐκ ἤιδει θεοί* et ultima omnia praepostere divisa. Qui iactabundum coquum audiverat primos versus crepantem et Epicurum magistrum exclamat:

μαγεῖρος ἦν κἀκεῖνος, ὦ γῆ καὶ θεοί!

Frequens est Atticis in ore *ὦ γῆ καὶ θεοί,* si quid mirantur aut indignantur. Tum coquus:

ποῖος μάγειρος; ἡ φύσις πάσης τέχνης
ἀρχέγονόν ἐστ'.

ποῖος μάγειρος; dicitur cum irrisione ut in Platonis Gorgia p. 490. D. *ποίων ἱματίων;* et post pauca *ποῖα ὑποδήματα; φλυαρεῖς ἔχων.* Multa huius usus exempla adscripsit Heindorf. ad Platonis Charmid. p. 174. B. *ποῖον, ἦ δ' ὅς, πεττευτικόν; Quem tu mihi coquum narras?* inquit, *ἡ φύσις πάσης τέχνης ἀρχέγονόν ἐστ'*, ad haec verba alter se non continet et *ἀρχέγονον, ὦλιτήριε!* occlamat. In fine duo obiter vitia tolle: vs. 63 pro *εἶδε τἀγαθὸν μόνος | ἐκεῖνος οἷόν ἐστιν* requiro *οἶδε,* et vs. 67 pro *οὕτω σοι δοκεῖ* legerim *οὐ καὶ σοὶ δοκεῖ;* ut in Vespis vs. 933. *οὐ καὶ σοὶ δοκεῖ, | ὠλεκτρυόν; νὴ τὸν Δί', ἐπιμύει γέ τοι.*

Athenionis fragmentum est apud Athen. XIV. 660. in cuius fine verba turbata esse videntur.

κατορχόμεθ' ἡμεῖς οἱ μάγειροι, θύομεν,
σπονδὰς ποιοῦμεν, τῷ μάλιςα τοὺς θεοὺς
ἡμῖν ὑπακούειν διὰ τὸ ταῦθ' εὑρηκέναι
τὰ μάλιςα συντείνοντα πρὸς τὸ ζῆν καλῶς.
B. ὑπὲρ εὐσεβείας οὖν ἀφεὶς παῦσαι λέγων.
A. ἥμαρτον. B. ἀλλὰ δεῦρο σὺ ξυνείσιθι
ἐμοὶ τά τ' ἔνδον εὐτρεπῆ ποίει λαβών.

Colloquuntur coquus et is, qui eum de foro conductum secum abducit domum. In via coquus garrulus coquinariae artis praestantiam ita celebrat, ut contendat ὅτι πάντων ἡ μαγειρικὴ τέχνη πρὸς εὐσέβειαν πλεῖςα προσενήνεχθ' ὅλως, idque ipsum longa oratione demonstrat, qua enectus is, qui hominem conduxerat ὑπὲρ εὐσεβείας οὖν ἀφεὶς παῦσαι λέγων, inquit. Pro ἀφείς in Codice est ἄφες, in quo σαφές credo latere, extrita litterula in detrito et lacunoso codice. Ut se expediat, ὑπὲρ εὐσεβείας οὖν σαφές, inquit, et quia ante addubitaverat παῦσαι λέγων, ἥμαρτον addit. Quod in Codice sequitur ἀλλὰ δεῦρο συνέσθιέ μοι Dobraeus sic refinxit δεῦρο σὺ ξυνείσιθι ἐμοί optime instituta sed non perfecta emendatione, namque verum esse arbitror ἀλλὰ δεῦρο νῦν συνείσιθι ἐμοὶ τά τ' ἔνδον εὐτρεπῆ ποίει λαβών. Satis verborum, inquit: *nunc* mecum ingredere domum et coenam intus para.

Unum adiiciam Nausicratis apud Athen. VII. 325. E. ubi aenigma ponitur:

αἱ ξανθοχρῶτες, ἃς κλύδων Αἰξωνικός
πασῶν ἀρίςας ἐν τόποις παιδεύεται,
αἷς καὶ θεὰν τιμῶσι Φωσφόρον Κόρην,
δείπνων ὅταν πέμπωσι δῶρα ναυτίλοι.
B. τρίγλας λέγεις. γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὃν
πήγνυσ' ὄχλος ῥόμβος.

quae sic constituenda sunt:

B. τρίγλας λέγεις.
A. γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὃν πήγνυσ' ὄχλος.
B. ῥόμβος.

Athenaeus e Nausicrate sola aenigmata excerpsit et pauca verba, quibus quodque solvitur, caetera media omisit. Vel metrica

ratio verba sic esse describenda arguit. Nausicrates, ut multi alii τῆς μέσης κωμῳδίας, per risum iocumque Tragicam dicendi pompam et oratione et numeris imitatur. Idem est eloquii in re ludicra splendor et magnificentia, idem nitor senarii ad severiores leges compositi. Qui in Tragoedia vel Tragicomoedia senarios ferre possunt istiusmodi:

τρίγλας λέγεις. B. γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ὃν
πήγνυσ' ὄχλος ῥόμβος.

reiiciendi sunt iudices numerorum, namque κωφὴν ἀκοῆς αἴσθησιν ἔχουσιν: contra qui aurem habent eius iudicium in ea re tuto sequentur. Horum sententias statim exquiram in emendandis fragmentis compluribus, quorum numeri vitiosi esse videntur, ubi prius dixero de vocabulo Tragico, in quo saepe Graeculi imperiti impingunt, quod legitur in hoc Nausicratis senario:

αἷς καὶ θεὰν τιμῶσι Φωσφόρον Κόρην.

scilicet nemo umquam, qui ἀττικιςὶ λέγει et non παρατραγῳδεῖ, usurpat vocabulum θεά, sed ἡ θεός dicebant perpetuo omnes in illo sermone, qui non supra soccum adsurgit. Quicumque in comoedia θεά dicit facetus Homero aut Lyrico aut Tragico poëtae priscum vocabulum ad risum captandum sublegit: ubi nihil subest eiusmodi libri et scribae nobis fraudem faciunt. Lepidissime Menander apud Plutarchum de audiend. poët. pag. 19. A.

ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
θρασεῖαν, ὡραίαν δὲ καὶ πιθανὴν ἅμα,
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,
μηδένος ἐρῶσαν, προσποιουμένην δ' ἀεί.

sed vitiose in Aristophane ap. Schol. Theocr. II. 12 legitur:

τί δαί; κυνίδιον λεπτὸν ἐπρίω τῇ θεᾷ
εἰς τὰς τριόδους;

qui quoniam neque παρῳδεῖ neque παρατραγῳδεῖ non potest aliter quam τῇ θεῷ dixisse, ut recte apud Antiphanem scribitur Athen. XII. 553. C. ἀλείμματα | παρὰ τῆς θεοῦ λαβοῦσα, et alios passim. Dittographia hinc nata est in Posidippi loco apud Athen. IX. 376. F.

διακονοῦμεν νῦν γάμους. τὸ θῦμα βοῦς.
ὁ διδοὺς ἐπιφανής, ἐπιφανὴς ὁ λαμβάνων.

τούτων γυναῖκες ἱέρειαι τῇ θεᾷ θεοί.

vera lectio est τῇ θεῷ, ex vitiosa Graeculorum consuetudine manavit θεᾷ, deinde utraque scriptura ita conflata est ut genuina et sincera novam labem contraheret. Poëtae redde:

τούτων γυναῖκές εἰσ' ἱέρειαι τῇ θεῷ.

Itaque hoc quoque nomine pravum et vitiosum est ταῖν θεαῖν, quod saepe librarii invitis Atticorum Comicis et Oratoribus obtrudunt, qui τὼ θεώ, νὴ τὼ θεώ, μὰ τὼ θεώ, περὶ τὼ θεώ et sim. intacta relinquere solent, nisi quod semel in Platone peccarunt in Symposio pag. 180. D. ubi quum scriptum olim fuisset: πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεώ; ἡ μὲν Οὐρανοῦ θυγάτηρ, ἡ δὲ Διὸς καὶ Διώνης, alii pessime τὰ θεά de suo supposuerunt, alii τὼ θεά, quod adhuc omnes sine suspicione servant: contra in ταῖν θεαῖν, quamquam non minus pravum est, plurimi pertinaciter conspirant, quos omnes contemnet qui eorum in hoc genere temeritatem in multis perspexerit. In Aristophanis Lysistrata 1263.

μόλε δεῦρο παρσένε σιά, | ποττὰς σπονδάς,

quamquam σιά Spartanis non eripuerim, παρσένε σεία rescribendum esse videtur: at illud ipsum θεῖος male irrepsisse puto in iocosum Cratini locum apud Hephaest. p. 47.

σιγᾶν νυν ἅπας ἔχε σιγάν,
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσει.
ἡμῖν δ' Ἰθάκη πατρίς ἐςιν,
πλέομεν δ' ἅμ' Ὀδυσσέϊ θείῳ.

namque θείῳ vitio natum opinor ex ΔΕΙΩΙ id est δίῳ, quod ex Homero arripuit, ut in eadem fabula (τοῖς Ὀδυσσεῦσιν) et haec: ὁρᾶμαι, ἐρίηρας ἑταίρους, τῇ νῦν τόδε πῖθι λαβών, ubi scribe τῆ νυν, et similia alibi. Sed quid quaeso est, cur qui Homerum sic sequitur repente δωρίζει? quid sibi vult σιγᾶν νυν ἅπας ἔχε σιγάν? tam sana haec sunt atque ἅπας pro πᾶς ineptissime dictum. Quid multa? redde Cratino: σίγα νυν πᾶς, ἔχε σῖγα. Indidem manavit ut diceretur θεοὶ πάντες καὶ πᾶσαι, εὔχεσθαι θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις, in quo iocatur Aristophanes Avib. 865. εὔχεσθε — ὄρνισιν Ὀλυμπίοις καὶ Ὀλυμπίῃσι πᾶσι καὶ πάσῃσι, quod Demosthenis causa commemoro, in cuius nobilissimo exordio apud omnes legitur: τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, quamquam quomodo τοῖς retineri possit nemo facile dicet.

De caeteris locis Aristophanis, ubi personarum vices turbatae

et confusae esse videantur alius dabitur dicendi locus, de uno tantum pauca dicam. In Pluto vs. 44 sqq. legitur:

καὶ τῷ ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ; B. τουτῳΐ.
A. εἶτ' οὐ ξυνίης τὴν ἐπίνοιαν τοῦ θεοῦ,
φράζουσαν ὦ σκαιότατέ σοι σαφέςατα
ἀσκεῖν τὸν υἱὸν τὸν ἐπιχώριον τρόπον;

quoties hunc locum relego duo sunt, quae me semper vehementer offendunt et antiquae corruptelae suspicionem haud levem iniiciunt. Insulsum et inficetum est id quaerere ex hero Carionem idque Chremylum respondere, quod neque servus scurra et callidus, neque spectatorum quisquam, neque nunc lectorum requirere poterat, τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐςιν, αὐτὸ γὰρ βοᾷ. Itaque Cario, ubi Dei praeceptum audivit, continuo heri errorem scilicet perspicit et ita dicit:

κᾆτα ξυναντᾷς δῆτα πρώτῳ τουτῳΐ.
εἶτ' οὐ ξυνιεῖς τὴν διάνοιαν τοῦ θεοῦ;

praeterea pro φράζουσαν omnino φράζοντος sententiam postulare mihi persuasum est, nam quid quaeso est ἡ διάνοια τοῦ θεοῦ φράζει σοι? natum hoc quoque vitium est eodem modo quo apud Euripidem τὰς (pro τόν) ἐξ 'Αθηνῶν παρθένους, de quo ante diximus.

Comici παρῳδοῦντες Tragicos etiam in verborum quantitate ludunt et ioci causa prosodiam Ionicam imitantur producentes quae ἀττικιςί corripi debebant more et exemplo Tragicorum. Qui Comicus in πατρῷος prima longa utitur γελοιάζει, ut in Nubibus 1468

ναὶ, ναὶ, καταιδέσθητι πατρῷον Δία.

hoc ipsum iam ridiculum et scurrile est: si nihil leporis aut facetiae huiusmodi subest manifestum metri vitium tenemus. In Alcaei fragmento ἐν Κωμῳδοτραγῳδίᾳ·

ἐτύγχανον μὲν ἀγρόθεν πλείςους φέρων,

apud Macrob. Saturn. V. 20 optime viderunt subesse versiculum Euripideum: ἐτύγχανον μὲν ἀγρόθεν πυλῶν ἔσω | βαίνων. Apud Antiphanem Athen. I. p. 28. F.

ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ τοῖς κακῶς
πράσσουσιν οὐκ ἔνεςιν 'Αφροδίτη βροτοῖς.

omnia sunt ex imitatione Tragicorum. Euripidis est versiculus ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶσι δ' οὔ, eodem pertinent πράσσουσιν et βροτοῖς. Similiter ludit Eubulus Athen. XIII. 568. F.

καὶ μὴ λαθραίαν Κύπριν αἰσχίστην νόσον
πασῶν διώκειν, ὕβρεος οὐ πόθου χάριν.

νόσον merito Meinekio placuit pro νόσων: sunt haec magnam partem ex Euripide conflata, cui αἰσχίστην νόσον sublegit ex Oreste vs. 10. Male ad Comoediae reliquias referunt senarium, quo bis Cicero utitur ad Atticum scribens XV. 11. XVI. 6

ἡ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται, θεοπρόπε;

inserto νῦν ante θεοπρόπε. Color orationis et numeri e Tragoedia sumtum arguunt. In Hermippi loco in Bekk. Anecd. I. p. 404, 28.

λεπτοὺς διαψαίρουσα πέπλους ἀνθέων γέμοντας,

Meinekius πέπλους et λεπτούς transponenda suspicatur, sed παρατραγῳδεῖν poëtam satis apparet. Contra manifesto mendosus est Philippidis locus apud Plut. in Demetr. cap. 12.

δι' ὃν ἀπέκαυσεν ἡ πάχνη τὰς ἀμπέλους,
δι' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος,
τὰς τῶν θεῶν τιμὰς ποιοῦντ' ἀνθρωπίνας.

ineleganter Meinekius δι' ὃν ἀσεβοῦντα δ' ὁ πέπλος κτέ. Vitium est in ἐρράγη μέσος, quod si correxeris eadem opera metrum fulcietur. Scribendum enim: δι' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος διερράγη μέσος, quod verbum in tali re necessarium est. In fragmento Aristophanis apud Eustath. pag. 1419. 52.

ἄκων κτενῶ σε, τέκνον, ὁ δ' ἀπεκρίνατο·
ἐπὶ Παλλαδίῳ τἄρ', ὦ πάτερ, δώσεις δίκην.

fallitur Bergkius, qui σ', ὦ τέκνον, ὁ δ' οὖν ἀπεκρίνετο refinxit, credo, ne τέκνον priorem produceret, namque παρῳδοῦντος haec verba esse et e Tragico sumta certo indicio est forma κτενῶ, qua nemo de populo utebatur, ἀποκτενῶ dicebant omnes, ut constanter ἀποθνήσκω, ἀποθανοῦμαι, ἀποθανεῖν populus dicebat, relinquens θνήσκω κατθνήσκω, θανοῦμαι κατθανοῦμαι, θανεῖν κατθανεῖν Tragicis, qui populares illas formas *numquam* usurpabant: at omnes pariter dicebant τέθνηκα, τεθνάναι, τεθνεώς, quae forma *numquam* componitur, ut non Plutarchi sed scribarum errore natum esse putem, quod legitur in vita Periclis cap. 7. ἐπεὶ δ' Ἀριστείδης μὲν ἀπετεθνήκει καὶ Θεμιστοκλῆς ἐξεπεπτώκει, et rescribendum ἐτεθνήκει, quemadmodum et caeteri omnes et Plutarchus constanter scribunt. Aristophanes igitur verba ἄκων κτενῶ σε, τέκνον ex aliqua Tragoedia iocans sumsit, ut sexcenta

alia et ipse et reliqui omnes. Notissimis exemplis unum addam, ut vetus mendum eluam. Menandri locus est apud Clement. Alexandr. Paedog. III. 2.

νῦν δ' ἕρπ' ἀπ' οἴκων τῶνδε· τὴν γυναῖκα γὰρ
τὴν σώφρον' οὐ δεῖ τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν.

quae viri verba sunt uxorem repudiantis: *exi, vade foras*: sed dixerat poëta Tragicus: νῦν δ' ἔρρ' ἀπ' οἴκων τῶνδε, id est φθείρου ἐκ τῆς οἰκίας. Idem ὁδοῦ πάρεργον redde incerto scriptori, cui placuit sero nato vitam Homeri Ionica dialecto scribere, unde nonnullis simplicioribus hominibus ipse Herodotus esse visus est. Legitur ibi cap. 29 ἐγχρίμπτεται γυναιξὶ Κουροτρόφῳ θυούσαις ἐν τῇ τριόδῳ, ἡ δὲ ἱέρεια εἶπε πρὸς αὐτὸν δυσχεράνασα τῇ ὄψι· Ἄνερ ἀπὸ τῶν ἱερῶν. Viden supplendum esse: ἄνερ, ἔρρ' ἀπὸ τῶν ἱερῶν? Verum haec obiter, ad Comicos redeo. Et primum quidem numeros in locis quibusdam perturbatos et confusos corrigam, in quo genere multi multorum errores castigandi supersunt. Non satis est enim pedes et syllabas ad eruditos suos digitos diligenter numerare et metiri, auris est adhibenda, cuius delicato et fastidioso iudicio librorum Punica fides est exigenda. Et graves quidem ac flagitiosi errores, qui olim in re metrica impune ab unoquoque committi solebant, omnes sedulo sublati sunt: fere numquam iam fit ut genus metri, quo poëta usus sit, Editorem et Criticum fugiat: subinde nimis docti Eupolideos versus aliaque reconditiora subesse suspicantur in loco lacunoso aut mutilo: semel et iterum ad iamborum leges aut trochaeorum per vim accommodantur more Procrustae quae neque iambica neque trochaica sunt, aut permiscentur haec inter sese: at plerumque laciniae Poëtarum ita corrumpuntur, ut numeri aut duri et horridi aut insulsi et languidi exeant minime patriam Atticam resipientes. Possunt haec utcumque in suos pedes dividi, sed quum etiam nobis molestissima accidant ad aures quid Atticos spectatores facturos fuisse putemus?

Creticos latere suspicor in fragmento Philetaeri, unde haec excerpta prostant in Epitome Athen. I. 21. C. ἀμφὶ στέρνοις φᾶρος οὐ καθήσεις, τάλαν, μηδ' ἀγροίκως ἄνω γόνατος ἀμφέξει; unde Meinekius trochaeos satis violenter effinxit. Priora manca et mutila sunt: caetera sic dispono:

οὐ καθήσεις, τάλαν,
μηδ' ἀγροίκως ἄνω τοῦ γόνατος ἀμφιεῖ;

Quos Cratinus dimetros scripserat perelegantes hosce:

ἴτω δὲ καὶ τραγῳδίας | ὁ Κλεομάχου διδάσκαλος,
παρατιλτριῶν ἔχων χορόν | Λυδιςὶ τιλλουσῶν μέλη
πονηρά.

apud Athen. XIV. 638. F. ex his Editores fecere trimetros hos pessimos:

ἴτω δὲ καὶ τραγῳδίας
ὁ Κλεομάχου διδάσκαλος, παρατιλτριῶν
ἔχων χορὸν Λυδιςὶ τιλλουσῶν μέλη
πονηρά.

huiusmodi trimetros Apollodorus ἐν Χρονικοῖς scripsisse potuit scribitque Scymnus Chius, et si quis alius poëticae facultatis expers senarios pepigit, Cratinus non potuit neque alius quisquam eorum, qui artem tractabant Musicam. Idem poëta videtur dixisse apud Polluc. VII. 28.

νακότιλτος ὡσπερεὶ κῳδάριον ἐφαινόμην.

ubi Meinekius: »*Metrum est Cratineum.*" Non credo: repone ὥσπερ pro ὡσπερεί et purum putum senarium habebis.

Eupolidis ex Polluc. III. 115 haec afferuntur:

ἤδη χορηγὸν πώποτε ῥυπαρώτερον
τοῦδ' εἶδες;

qui numeri non tantum pessimi sunt sed omnino ἄμετροι. Divide sic: ἤδη χορηγὸν πώποτε | ῥυπαρώτερον τοῦδ' εἶδες; Eidem ex Etymol. M. p. 207, 55 tribuuntur:

ψῆχ' ἠρέμα τὸν βουκέφαλον καί
τὸν κοππατίαν.

Cod. ψήχετ' ἠρέμα et καὶ κοππατίαν, unde scribo:

ψήχετ' ἠρέμα | τὸν βουκέφαλον καὶ κοππατίαν.

Non credo Athenaeo X. 446. E. primam in πίομαι corripi posse, itaque senarium quem affert e Platone Comico:

οὐδ' ὅςις αὐτῆς ἐκπίεται τὰ χρήματα,

ipsius negligentiae tribuo, quum poëta in tetrametris posuisset:

οὐδ' ἐςὶν ὅςις αὐτῆς | ἐκπίεται τὰ χρήματα * *

Meinekio in minore editione Comicorum pag. 358 aliquid humani accidit.

Eiusdem poëtae verba apud Athen. X. 424. A. κυάθους ὅσους

ἐκλέπτεθ' ἑκάςοτε per vim Meinekius et Bergkius ad numeros iambicos redegerunt sic:

κυάθους ὅσους ἐκλεπτέτην ἑκάςοτε.

metrum est sanissimum, sed grave vitium inest in ἐκλέπτεθ', quod quomodo sit abstergendum hi loci monstrabunt. Teleclides apud Schol. Arist. Pac. 1040.

ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, κάπτε τῶν θυλημάτων.

Eubulus Athen. II. 47. B.

κάπτοντες αὔρας, ἐλπίδας σιτούμενοι.

Anaxilas Athen. XII. 548. C.

βολβοὺς τρώγων, τυροὺς κάπτων.

Xenarchus Athen. X. 431. A.

μὰ τὸν Διόνυσον, ὃν σὺ κάπτεις ἴσον ἴσῳ.

eodem modo Plato dixerat κυάθους ὅσους ἐκάπτεθ' ἑκάστοτε, scriba indiligens in ΕΚΑΠΤΕΘ videre se ἐκλέπτεθ' opinatus est.

Eubuli verba apud Athen. VI. 247. A.

ἐθέλει δ' ἄνευ
μισθοῦ παρ' αὐτοῖς καταμένειν ἐπισίτιος.

sic potius constituenda sunt:

ἐθέλει δ' ἄνευ μισθοῦ παρ' αὐτοῖς καταμένειν | ἐπισίτιος.

Amphidis fragmentum Athen. III. p. 100 B. e Porsoni coniectura sic editur:

εἰς τὴν ἑσπέραν | χορταζόμεσθα πᾶσιν ἀγαθοῖς.

in Codice est χορταζόμενα πᾶσιν, in quo latet:

εἰς τὴν ἑσπέραν χορτάζομεν | ἅπασιν ἀγαθοῖς.

Menandri locus apud Schol. Aristoph. Thesmoph. 423.

Λακωνική | κλείς ἐςιν ὡς ἔοικέ μοι περιοιςέα.

aptius sic describetur:

Λακωνικὴ κλείς ἐςιν ὡς ἔοικέ μοι | περιοιςέα.

In eiusdem fragmento apud Scholiast. Plat. p. 359.

. . . . τὸ λεγόμενον τοῦτ' ἐςὶ νῦν
τἄνω κάτω, φασὶν, τὰ κάτω δ' ἄνω.

quis umquam vidit numeros impeditiores? Expuncto additamento in hunc modum scripserim:

τὸ λεγόμενον | τοῦτ' ἐςὶ νῦν τἄνω κάτω, τὰ κάτω δ' ἄνω.

Philippidis verba apud Polluc. IX. 88.

οὗτος οἴεται | περισπάσειν κερμάτιον αὐτοῦ.

numerosius ita diviseris:

οὗτος οἴεται περισπάσειν | κερμάτιον αὐτοῦ.

Subiungam his fragmenta paucula, ubi lacunae Codicum satis commode suppleri posse videntur, quale est hoc Epicratis Athen. XIII. 570. B

τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἔστιν αὐλούσας ἰδεῖν
αὐλητρίδας πάσας Ἀπόλλωνος νόμον,
Διὸς νόμον,
αὗται δὲ μόνον αὐλοῦσιν Ἱέρακος νόμον.

lacunam sic probabiliter expleveris:

Ἑρμοῦ νόμον, Πανὸς νόμον, Διὸς νόμον.

quae cur exciderint perspicuum est.

Male incrustata lacuna et dissimulata numeris pessimis est apud Alexidem Athen. IV. 133. B. ubi maritus uxorem garrulam his verbis insectatur:

σοῦ δ' ἐγὼ λαλιστέραν
οὐ πώποτ' εἶδον οὐδὲ κερκώπην, γύναι,
οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόν', οὔτε τρυγόν', οὐ
τέττιγα.

Codex οὐκ ἀηδόν' οὐ τρυγόν' οὐ τέττιγα. Porsonus οὔτε τρυγόν', οὐ | τέττιγα reposuit, adolescens, opinor; nam qui summi viri Adversaria ediderunt χρύσεα χαλκείοις intermixta dederunt. Nemo melius quam Porsonus sentire poterat quam essent molesti hi numeri et quam importunum esset οὔτε caeteris insertum. Revoca duas voculas fugitivas et optime procedent omnia:

οὐ κίτταν, οὐκ ἀηδόν', οὐ χελιδόνα,
οὐ τρυγόν', οὐ τέττιγα.

non potuit poëta τὴν κωτίλην χελιδόνα in hoc grege avium loquacium omittere, quam solam nominasse erat satis. Ad Aristophanis versus in Avibus 39 sqq.

οἱ μὲν γὰρ οὖν τέττιγες ἕνα μῆν' ἢ δύο
ἐπὶ τῶν κραδῶν ᾄδουσ', Ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ
ἐπὶ τῶν δικῶν ᾄδουσι πάντα τὸν βίον.

antiquus et doctus Grammaticus annotavit: παρὰ τοῦτο καὶ ὁ Φιλήμων·

ἡ μὲν χελιδὼν τὸ θέρος, ὦ γύναι, λαλεῖ.

potuit optime de suo ea dixisse Philemon, quae ab Aristophane sumsisse dicitur, et pervetus est, ut videtur, eruditorum consuetudo, qua solent quae similia sint ex imitatione profecta

esse affirmare. Sed ne similitudo quidem utriusque loci nunc quidem ulla cernitur, quoniam ea pars loci qua apparebat intercidit. Quis ipsa verba poëtae praestare possit? Sententia quae fuerit apertum est, nempe huiuscemodi:

ἡ μὲν χελιδὼν τὸ θέρος, ὦ γύναι, λαλεῖ,
σὺ δὲ δι' ἔτους,

aut σὺ δὲ πάντα τὸν ἐνιαυτόν, aut aliud quid in eandem sententiam, quod praecedentibus opponatur. Quemadmodum in hac annotatione versiculus excidit, sic ridicule ut nihil supra duo versiculi abundant in Scholio ad vs. 19 ubi editur: οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν: στίχος·

Ἀθηναῖοι δ' ἐπὶ τῶν δικῶν | ᾄδουσι πάντα τὸν βίον.

Fieri non potest, ut quisquam reperiat quid sibi ista velint, nisi ipsum Codicem, unde haec manaverint, oculis diligenter usurpaverit. Dicam quid rei sit. Qui scriba aliquid se omisisse in textu describendo animadvertit, in margine id supplere solet: ne illa supplementa cum Scholiis confundantur superscribi solet in oratione soluta κείμενον, in poëta στίχος aut στίχοι solito compendio ($\overset{\chi}{\text{ϛι}}$ aut $\overset{\chi\chi}{\text{ϛι}}$). Qui Aristophanis Aves in Marciano Codice scripsit incuria omisit vs. 40. ἀθηναῖοι δ' ἀεὶ — τὸν βίον, quae in margine de more suppleta mirificum illud Scholion pepererunt: quia in vicinia apparebant verba οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν haec illis acute aliquis pro lemmate apposuit.

In Alexidis fragmento apud Athen. IX. 386. A. enecat nescio quem coquus importunus et garrulus, sed locus simul mendosus et mutilus est, simul interloquentium vices perturbatae. Editur:

τοῦθ' ἕτερος οὐδεὶς τῶν ὁμοτέχνων μου ποιεῖ.
B. οὐκ οἶομ' οὐδ' ἄλλ' οὐδὲν ὧν σὺ νῦν ποιεῖς.
A. ἐγὼ δ' ἐρῶ· τοῖσιν γὰρ ἐστιωμένοις
τὸν καιρὸν ἀποδίδωμι τῆς συγκράσεως.
σὺ πρὸς θεῶν ἔθυσας τὸν ἔριφον;
B. μὴ κόπτε μ', ἀλλὰ τὰ κρέα.

Neque in libris quidquam est auxilii, nisi quod τοῖς γάρ pro τοῖσιν γάρ servant, neque in Criticis. Nam quid prodest, quaeso, quod Schweighaeuserus coniecit ἔθυσας ἤδη τὸν ἔριφον, aut quod Meinekio in mentem venit ἐτεὸν ἔριφον? Equidem haec sic constituerim:

τοῦθ' ἕτερος οὐδεὶς τῶν ὁμοτέχνων μου ποιεῖ —
ἐγὼ δὲ πρῶτος. τοῖς γὰρ ἑστιωμένοις
τὸν καιρὸν ἀποδίδωμι τῆς συγκράσεως.
B. οὐ πρὸς θεῶν ἔμ' ἔθυσας, ἀλλὰ τὸν ἔριφον,
μὴ κόπτ' ἔμ', ἀλλὰ τὰ κρέα.

Passim OY et CY confundi solere quis nescit? deinde apparet nonnulla, quae in vetusto libro quacumque de causa legi non poterant, a librario esse omissa, qui, ut solet, lacunam dissimulavit. Quam apposita in hanc rem sint quae supplevimus, etiam ex ipsis aestimari potest: κόπτειν τινά et κατακόπτειν pro ἀποκναίειν, inani et importuna loquacitate aliquem *obtundere* et *enecare* notum est omnibus. Scite Hegesippus Athen. VII. 290. A.

ἢ λέγων φαίνου τί μοι
καινὸν παρὰ τοὺς ἔμπροσθεν ἢ μὴ κόπτε με.

et Sosipater Athen. IX. 378. B.

ἆρα σύ με κόπτειν οἷος εἶ;

hinc natus est iocus, qualis legitur apud Anaxippum Athen. 404. B.

παπαῖ | ἐμὲ κατακόψεις, οὐχ ὃ θύειν μέλλομεν.

quae satis confirmant id quod Alexidi reddidimus.

Periit unum vocabulum in Alexidis alio loco apud Athen. VI. 225. F.

νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, ἀλλ' ἐγὼ τεθαύμακα
τοὺς ἰχθυοπώλας πῶς ποτ' οὐχὶ πλούσιοι
ἅπαντές εἰσι λαμβάνοντες βασιλικοὺς
φόρους· μόνον οὐχὶ δεκατεύουσι γὰρ
τὰς οὐσίας ἐν ταῖς πόλεσι καθήμενοι
ὅλας δ' ἀφαιροῦνται καθ' ἑκάστην ἡμέραν.

si vitium sustulero optime apparebit quid sit in ea scriptura molestum et impeditum. Legendum arbitror:

λαμβάνοντες βασιλικοὺς
φόρους. B. φόρους μόνον; οὐχὶ δεκατεύουσι γὰρ κτέ.

Error plane similis commissus est in Antiphane Athen. II. 38. B.

κρύψαι, Φειδία,
ἅπαντα τἄλλα τις δύναιτ' ἂν πλὴν δυοῖν,
οἶνόν τε πίνων εἰς ἔρωτά τ' ἐμπεσών.
ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων
καὶ τῶν λόγων ταῦθ', ὥστε τοὺς ἀρνουμένους

μάλιϛα τούτους καταφανεῖς ποιεῖ.

eadem opera sententiam et metrum restitues si rescripseris:

ὥϛε τοὺς ἀρνουμένους

μάλιϛα μάλιϛα τοῦτο καταφανεῖς ποιεῖ.

Alexidis locus apud Athen. XIII. 565. A. duobus vocabulis augendus esse videtur. Non enim dixerat:

ἂν πιττοκοπούμενόν τιν' ἢ ξυρούμενον

ὁρᾷς τούτων ἔχει τι θάτερον κτέ.

sed *ὁρᾷς, δυοῖν τούτων ἔχειν δεῖ θάτερον*: in Codicibus ΕΧΕΙΝ et ΕΧΕΙΤΙ vix distingui possunt et passim Ν et ΤΙ sunt permixta, vid. Porsoni Advers. p. 95. Hinc obiter emenda Lysiae fragmentum 34. *εἰ μὲν δίκαιον ἔλεγεν ἢ μέτριον*, imo vero *ἔλεγέ τι ἢ μέτριον.*

Menandri fragmentum apud Clement. Alexandr. Paedag. I. p. 104.

τοὐμὸν θυγάτριον πάνυ γάρ ἐϛι τῇ φύσει

* * *φιλάνθρωπον τὸ παιδάριον σφόδρα.*

sic supple: *πρᾷον φιλάνθρωπόν τε παιδάριον σφόδρα.* Quae sit illa *πρᾳότης* in re amatoria satis perspicuum est et lenae verba esse videntur. Scytha *βαρβαρίζων* apud Aristoph. Thesmoph. 1210.

ὦ γρᾴδι', ὡς καρίεντό σοι τὸ τυγάτριον

κοὐ δύσκολ', ἀλλὰ πρᾷο.

In Stratonis loco apud Athen. IX. 382. F. lacuna est non difficulter e vicinis supplenda. Codex haec habet:

μῆλα θυσιάζεις ἄρα; — μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ,

οὐδέτερον αὐτῶν, προβάτιον δ'. — οὐκοῦν, ἔφη,

τὰ μῆλα πρόβατ' οὐ μανθάνω

τούτων οὐδὲν οὐδὲ βούλομαι.

Equidem sic legerim: *οὔκουν, ἔφη,*

τὰ μῆλα πρόβατα; — μῆλα πρόβατ'; οὐ μανθάνω

ἔγωγε τούτων οὐδὲν οὐδὲ βούλομαι.

et post pauca: *ὥϛε με*

τῶν τοῦ Φιλητᾶ λαμβάνοντα βιβλίων

σκοπεῖν ἕκαϛα τί δύναται τῶν ῥημάτων.

necessarium est, si quid video, *ἕκαϛον* rescribere.

Infeliciter admodum lacuna suppleta est in loco Nicostrati Athen. III. 118. E.

ἀλλ' ἐπριάμην παρ' ἀνδρὸς, ὦ γῆ καὶ θεοί,

ταριχοπώλου πάνυ καλοῦ τε κἀγαθοῦ
τιλτὸν μέγιςον ἄξιον δραχμῆς δυοῖν
ὀβολοῖν, ὃν οὐκ ἂν καταφάγοιμεν ἡμερῶν
τριῶν ἤδη κατεσθίοντες δώδεκα·
ὑπερμέγεθες γάρ ἐςι.

In Codice est ἤδη κατεσθίοντεσ· οὐδεδωκάγε, non quod Bekkerus Meinekio affirmavit: ἤδη κατεσθίοντες δεδωκάγε. Pervetus igitur est haec interpolatio et corruptela librorum, quam manifesto indicio tenemus, Graecum enim est in tali re εἷς ὤν, δύ' ὄντε, τρεῖς ὄντες, et Nicostratus dederat:

τριῶν κατεσθίοντες ὄντες δώδεκα.

quomodo Hermippus dixit apud Athen. VIII. 344. D.

τοὺς μὲν ἄρ' ἄλλους οἰκουρεῖν χρῆν, πέμπειν δὲ Νόθιππον ἕν' ὄντα,

aut Aristophanes in Vespis 693.

ξυνθέντε τὸ πρᾶγμα δύ' ὄντε
ἐσπουδάκατον κᾀθ' ὡς πρίον' ὁ μὲν ἕλκει, ὁ δ' ἀντενέδωκε.

(ubi Bergkius debuerat palmariam Reisigii emendationem a Dobraeo probatam recipere, qui in ΠΡΙΟΝΟ latere vidit ΠΡΙΟΝΘΟ, id est ὡς πρίονθ' ὁ μέν κτἑ.) et quis non saepe ita locutus est? Hinc Aristophani subveniri potest interpolatione corrupto in Equitibus 269.

εἶδες οἷ' ὑπέρχεται
ὡσπερεὶ γέροντας ἡμᾶς καὶ κοβαλικεύεται;

ubi certissimus testis Ravennas, γέροντας καὶ κοβαλικεύεται exhibet, quemadmodum idem in Acharnensibus 221. servat lectionem μηδέπερ γέροντας ἐκφυγὼν 'Αχαρνέας. Idem utrobique vitium est eodem modo natum et tollendum quoque: nempe ut hic apud omnes recte scribitur μηδέπερ γέροντας ὄντας, sic illic rescribendum ὡσπερεὶ γέροντας ὄντας. Qui Codicem Venetum scripsit de suo ἡμᾶς interpolavit, ut passim Aristophanem levibus coniecturis suo arbitrio refinxit. Eodem modo apud Nicostratum futiliter aliquis ἤδη inseruit, caeteraque, quum vetus scriptura non satis appareret, conformavit ut potuit. Simillimum vitium incertum scribarum an Editorum negligentia deturpat Teleclidis versiculum apud Scholiast. Aristoph. Thesmoph. 168.

ἀλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα β

lacuna e Cod. Ravennate suppletur simul et non suppletur, namque nauci non est quod illinc afferunt βλελύθημαι, in quâ scrip-

tura *βδελύττομαι* latere veri simillimum esse arbitror, ut ipsa Poësis vel Musa dixerit:

ἀλλ' ἡ τάλαινα Φιλοκλέα βδελύττομαι.

Opponam his duos locos, ubi contrario errore aliena verba a sciolis in margine apposita aut inter versus adscripta, uti fit, male irrepserunt. Saepissime hoc factum est in poëtis quoque, sed quia fraus metri indicio statim patet, pleraque omnia additamenta istius generis dudum expuncta sunt, supersunt nunc ea tantum, ubi versus non integer emblema non patefacit, aut ubi ad metri leges utcumque accommodatum est quod mala manus olim adlevit. Utriusque generis nunc unum exemplum proferam. In Eubuli loco apud Athen. XI. 473. E. legitur:

ἐγὼ δέ, καὶ γὰρ ἔτυχεν ὂν καταντικρὺ
τῆς οἰκίας καινὸν καπηλεῖον μέγα,
ἐνταῦθ' ἐπετήρουν τὴν τροφὸν τῆς παρθένου,
κεράσαι κελεύσας τὸν κάπηλόν μοι χόα
ὀβολοῦ, παραθεῖναί θ' ὡς μέγιστον κάνθαρον.

καὶ πάλιν·

ὁ δὲ κάνθαρος πάλαι δὴ κενὸς ὢς ξηραίνεται.

ubi homines docti *δή* expunxerunt, ut metri ratio constaret scilicet. At nihil sic profecimus: superest *δή* ex antiquo compendio, quo *δηλονότι* significari solebat, vide Bast. Comment. Palaeogr. p. 725. Nempe ad *ξηραίνεται* adleverat Graeculus *δηλονότι κενὸς ὤν*, quibus omnibus Antiphanes melius carebit.

Facetum est videre quam ridicule monachus aliquis repente interstrepat et importune vocem interponat suam in mediis iocis Nicolai apud Stobaeum in Floril XIV. 7, ubi Parasitus aliquis assentandi artem sic docet:

ἀπὸ τῶν ἐτῶν κλέπτει τις ἢ καὶ βάπτεται
θέλων καλὸς εἶναι καὶ παρ' ἡλικίαν νοσεῖ,
ἔστω Γανυμήδης οὗτος ἀποθεούμενος.
παρατάττεταί τις καὶ ποιεῖ πάντας νεκροὺς
δείπνῳ, σιωπῇ τοῦτον ὑπομυκτηρίσας
εἰς τὴν τράπεζαν καὶ σὺ τὴν χολὴν ἄφες.

Qui haec indignabundus lectitabat olim monachus adscripsit *πρὸς χάριν ὁμιλεῖ τοῦ τρέφοντος ἐπ' ὀλέθρῳ*, quae verba mutato accentu in *ὁμίλει* in textum recepta post *ἀποθεούμενος* invito Parasito obtruduntur, ineptissime, ut opinor: nam quid est a

Comici ingenio et adulatoris persona alienius, quam hoc est? Praeterea δείπνῳ ferri non potest: repone δειπνῶν quod perinde est atque παρὰ τὸ δεῖπνον. In fine fragmenti non sine duplici gravissimo vitio legitur:

πάντα γὰρ πρόσεστί μοι
ὅσαπερ ἔχειν τἀλλότρια τὸν δειπνοῦντα δεῖ,
λιμός, ἀπόνοια, τόλμα, γαστήρ, ἀργία.

alterum Badhamus feliciter sanavit, qui in γαστήρ, ἀργία perspexit latere γαστριμαργία: alterum inest in verbis τἀλλότρια τὸν δειπνοῦντα, qui verborum ordo soloecus est, neque aliter quam τὸν τἀλλότρια δειπνοῦντα ius est dicere. Itaque aut hoc erit restituendum, aut τἀλλότρια δειπνήσοντα δεῖ.

In Aristophanis fragmento in Bekk. Anecd. p. 434, 5 legitur:

οὕτω τι τἀπόρρητα δρᾶν ἐστι μέλει.

infelix est Bergkii coniectura ἐπιμέλει: sanissimum puto ἐστι sed μέλει natum est eius socordia, qui quum fugientem scripturam expedire non posset dedit vocabulum quodlibet. Non est ovum ovo similius, quam Aristophanis versiculo est versiculus Alexidis apud Athen. IV. 165. A:

οὕτω τι τἀλλότρι' ἐσθίειν ἐστὶ γλυκύ.

unde reponendum:

οὕτω τι τἀπόρρητα δρᾶν ἐστι γλυκύ.

Non dissimili modo scribae afflixerunt Menandri lepidum locum apud Clement. Alexandr. Strom. VII. p. 844.

εἰ μέν τι κακὸν ἀληθὲς εἶχες, Φειδία,
ζητεῖν ἀληθὲς φάρμακον τούτου σ' ἔδει.
νῦν δ' οὐκ ἔχεις. τὸ φάρμακον εὕρηκας κενὸν
πρὸς τὸ κενόν. οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε.

ita haec Meinekius constituit ex aliquo Codice Parisino: in caeteris est κενὸν εὕρηκας τὸ φάρμακον; sed neque hoc ferri potest neque illud, namque τὸ φάρμακον εὕρηκας κενόν soloecum est articulo vitiose abundante, et reperit mali remedium is ipse qui loquitur, idque superstitioso homuncioni in seqq. versibus indicat:

περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ
καὶ περιθεωσάτωσαν κτέ.

itaque corrigendum: νῦν δ' οὐκ ἔχεις. κενὸν ἄρα καὶ τὸ φάρμακον πρὸς τὸ κενόν. οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε. in his olim α et

ευ confusa sunt, et qui sibi videbatur *ευρακαι* videre confidenter *vocabulum bene Graecum εὕρηκας* substituit. Idem scribendi vitium inquinavit hunc Menandri locum apud Stob. Floril. IX. 11.

οὐ δεῖ γὰρ ἀδικεῖν τοὺς ἱκέτας, ἄλλως τε καί
ὅταν μετ' εὐνοίας τι, μὴ πονηρίᾳ
πταίσωσιν. αἰσχρόν ἐςι τοῦτο γὰρ πάνυ.

sic enim haec Dobraeus constituit, quem Meinekius sequitur. Vellem etiam a Pflugkio *μετ' ἀγνοίας* accepisset, quamquam ne sic quidem locus persanatus est: *τοὺς ἱκέτας* vitio natos esse credo, neque enim caetera cum hac lectione satis conveniunt et *τὸ ἀδικεῖν τοὺς ἱκέτας* non *αἰσχρόν* est, sed *ἀνόσιον*: non turpe est facinus, sed impium. Verum esse arbitror *οὐ δεῖ γὰρ ἀδικεῖν οἰκέτας* et ab iracundo domino clementiam erga servos, qui nescio quid imprudentes peccaverint, implorari. Mirum est quam saepe *ἱκέτης* et *οἰκέτης* confundantur. Peius etiam apud Diod. Sicul. XII. 9 scribae peccarunt in his: *προτεθείσης βουλῆς πότερον χρὴ τοὺς Ἰταλιώτας ἐκδοῦναι τοῖς Συβαρίταις*, ubi non debebat Wesselingius dubitare, quin optime lectionem Codicum *τοὺσ σικελιώτας* Rhodomanus mutaverit in *τοὺς ἱκέτας*. *Ἰταλιώτας* temere repositum est ab eo, qui *Σικελιώτας* de coelo delapsos mirabatur. Sed exigua et levis ea corruptela est prae immani errore, quo Menander in Gnom. Monostichis vs. 446 dixisse putatur:

πολλοὺς ὁ καιρὸς οὐκ ὄντας ποιεῖ φίλους,

imo vero: *πολλοὺς ὁ καιρὸς οἰκέτας ποιεῖ φίλους*, quod Athenis saepe factum est, ut Romae in proscriptione, nam verissime Menander in Stob. Floril. XLII. 6.

ὅταν τύχῃ τις εὐνοοῦντος οἰκέτου
οὐκ ἔςιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον βίῳ.

Iterum *α* et *ευ* confusa esse suspicor in Menandri loco apud Stob. Floril. XCVI. 21.

αἰσχρὸν γενέσθαι πτωχὸν ἀσθενῆ θ' ἅμα.

non enim hoc turpe est, sed si quis corpore robusto valet et stipem colligere quam opus facere mavult: itaque a poëta est *πτωχὸν εὐσθενῆ θ' ἅμα.*

CAPUT II.

Dabimus Menandro hanc operam, in cuius fragmentis post multorum curas etiamnunc superest, in quo studium tam utiliter quam iucunde ponatur. Nihil equidem acutis et ingeniosis iuvenibus fructuosius esse arbitror quam diligenter spectare, quantum optimus quisque Criticorum suavissimis comoediae Menandreae reliquiis attulerit boni, et eadem opera animadvertere, quid quisque in hoc genere peccaverit eorum, qui non satis ab eruditione et ingenio parati incaute et impudenter easdem attigerint. Postquam ineptus et ridiculus Theologus, Joannes Clericus, Menandri et Philemonis fragmenta illotis manibus ausus est contrectare et Bentleius levitatem et futilitatem hominis omnibus palam fecit et severissime inscitiam eius et temeritatem castigavit, multi exstiterunt qui quod Bentleius praeclare inchoasset perficere et expolire instituerint: habet enim hoc Bentleiana crisis ut vehementer legentibus animum commoveat iudiciumque exacuat et ad imitandum incendat, si forte et ipsi aliquid huiuscemodi elicere possint. In ipsis Menandri fragmentis emendandis cum Bentleio veluti de palma contendentes videas Dawesium, Porsonum, Dobraeum [1]. Hos Meinekius consequitur, qui in Menandri fragmentis corrigendis, illustrandis, augendis et plurimum operae posuit et etiam utilius quam in caeteris Comicis versatus est. Neminem omnia exhausisse quis mirabitur? neque facile, ut opinor, exhaurientur omnia, quae viribus ingenii humani et accuratae doctrinae copia in his melius constitui et in pristinum nitorem restitui possunt. Supererit denique aliquid, quod artem nostram eludat, in quo genere is omnium acutissime cernet, qui ista neque intelligi neque emendari posse videbit. In superioribus compluscula iam Menandrea obiter per occasionem tractavi, ex quibus unum repetam, ut omnibus appareat quam sit necessarium

---

[1]) Videant iuniores Phileleutheri Lipsiensis (Bentleii) Emendationes in Menandri et Philemonis reliquias; deinde Dawesii Miscell. Critica p. 215. s. p. 387. cum nota Kiddii, et aliis locis, Porsoni Advers. p. 287. sqq. et Dobraei Advers. part. II. p. 270 sqq.

singulos Poëtae locos sedulo apud eos, qui servarunt, indagare et quemadmodum et quo consilio laudati fuerint circumspicere. Plutarchus in libro *de Cupiditate Divitiarum* p. 525. A. haec dedit: ἀλλ᾽ ἐν τοῖς Θρασωνίδου κακοῖς ἐςίν·

πἀρ᾽ ἐμοὶ γάρ ἐςιν ἔνδον ἔξεςιν δέ μοι
καὶ βούλομαι τοῦτ᾽
(ὡς ἂν ἐμμανέςατα ἐρῶν τις)
οὐ ποιῶ δέ.

quae sic ad Menandri Μισούμενον relata sunt ut Plutarchi verba scilicet omitterentur. Quis non statim admonitus videt omnia haec esse Menandri in hunc modum constituenda:

παρ᾽ ἐμοὶ γάρ ἐςιν ἔνδον ἔξεςιν δέ μοι
καὶ βούλομαι τοῦθ᾽, ὡς ἂν ἐμμανέςατα
ἐρῶν τις, οὐ ποιῶ δέ.

Non dissimili modo Menandri duo versiculi perfaceti auctori suo perierunt apud Diog. Laërt. VI. 93. μέμνηται τοῦ Κράτητος Μένανδρος οὕτως·

συμπεριπατήσεις γὰρ τρίβων᾽ ἔχουσ᾽ ἐμοί,
ὥσπερ Κράτητι τῷ κυνικῷ ποθ᾽ ἡ γυνή,

καὶ θυγατέρα ἐξέδωκε μαθηταῖς αὐτοῦ ἐκείνοις ἐπὶ πείρᾳ δοὺς τριάκονθ᾽ ἡμέρας ὡς ὁ αὐτὸς ἔφη. non est hoc elocare filiam sed flagitiose prostituere; at nihil huiusmodi aut Crates fecit aut scripsit Menander; scribae nos ludificantur, qui verba Poëtae disiecta depravarunt. In libris optimis est ἐξέδωκε κείνοις (vel ἐξέδωκ᾽ ἐκείνοις) ὡς αὐτὸς ἔφη ἐπὶ πείρᾳ δοὺς τριάκονθ᾽ ἡμέρας. Μαθηταὶ αὐτοῦ κτέ. unde haec poëtae manus emergit:

καὶ θυγατέρ᾽ ἐξέδωκ᾽ ἐκεῖνος, ὡς ἔφη
αὐτός, ἐπὶ πείρᾳ δοὺς τριάκονθ᾽ ἡμέρας.

Contrario errore inquinata sunt Menandri verba apud Ammonium de D. V. p. 110. παιδίσκη, inquit, καὶ παῖς διαφέρει. παιδίσκη μὲν γὰρ ἡ ἐλευθέρα παρ᾽ Ἀττικοῖς, παῖς δὲ ἡ δούλη. Μένανδρος ἐν Δακτυλίῳ·

ἐπὶ τοῦδε δ᾽ αὖθ᾽ οὕτως ὁ κακοδαίμων, ἔφη,
ὡς οὐκ ἂν ἐκδοίη θυγατέρας ἄσμενος
καὶ ταῦτα πεντήκοντα παιδίσκας ἔχων.

huic loco inexspectatam lucem affundent scripturae Codicum, quos sibi olim Valckenaerius Parisiis excutiendos curavit, et quos ipse in Marciana Bibliotheca diligenter contuli, in quibus

ita scriptum est: *μένανδρος ἐν δακτυλίῳ ἐπὶ τοῦ δάν οὑτοσί*, aut *μένανδρος ἐν δακτυλίῳ ἐπὶ τοῦ δάου· τίς γὰρ οὑτοσὶ κακοδαίμων ἔφυ ὃς οὐκ ἂν κτέ*. Compone utramque vitiosam scripturam *ἐπὶ τοῦ δάν* et *ἐπὶ τοῦ δάου* et ecce emicabit vera *ἐπὶ τοῦ Δαναοῦ*, nempe ipse est, de quo haec Poëta dixit,

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατήρ,

quem versum ex Euripidis *Ἀρχελάῳ* sumtum quis nescit? Iocose in eo versu ludit Plutarchus *de amore prolis* p. 497. B. heredipetas insectans:

Δαναὸς ὁ πεντήκοντα θυγατέρων πατὴρ

εἰ ἄτεκνος ἦν πλείονας ἂν εἶχε κληρονομοῦντας, et omnibus erat notissimus versus, qui fabulae primus erat, vid. Plutarch. Moral. p. 837. E. Itaque Ammonius ipse sic scripserat: *παῖς δὲ ἡ δούλη. Μένανδρος ἐν Δακτυλίῳ ἐπὶ τοῦ Δαναοῦ*, et sic Comici verba subiunxerat; namque sic demum apparebat *παιδίσκας* dici *τὰς ἐλευθέρας*, quoniam Danaus dicebatur *πεντήκοντα παιδίσκας ἔχειν*, quod facete dictum esse pro *θυγατέρας* vel *θυγάτρια* palam erat, ideoque hoc Menandri testimonio luculenter demonstratur quod Grammaticus volebat. Ammonius saepius sic in simili re loqui solet, ut in v. Τύραννος p. 138. *τύραννον οἱ ἀρχαῖοι καὶ ἐπὶ βασιλέως ἔτασσον. Ἡρόδοτος ἐπὶ Κροίσου·* (I. 6.) *τύραννος δὲ ἐθνέων (τῶν ἐντὸς Ἅλυος ποταμοῦ) καὶ ὑποβάς·* (I. 26.) *τελευτήσαντος δὲ Ἀλυάττεω διεδέξατο τὴν βασιληίην*, — —. *ἔσθ' ὅτε καὶ τὸν τύραννον βασιλέα ἔλεγον, ὡς Εὔπολις ἐν Δήμοις ἐπὶ τοῦ Πεισιστράτου*. Eodem igitur modo scriptum fuisse *Μένανδρος ἐν Δακτυλίῳ ἐπὶ τοῦ Δαναοῦ* satis certum est, at ipse Menandri primus senarius tam male mulcatus est et mutilus, ut ipsa poëtae verba ex iis sordibus exscalpi non possint. Multa coniicias, quibus sententia et metrum probabiliter sarciantur, veluti:

τίς γάρ ποθ' οὕτω τι κακοδαίμων ἦν, ἔφη,

vel *τίς γάρ ποθ' οὕτως ἐστὶ κακοδαίμων, ἔφη*,

vel simile quid, sed nihil quod certum et evidens sit ex corruptissimis reliquiis elicias. Sententia saltem loci salva est et testimonium recte et ordine dictum.

Multa nunc Menandri nomine circumferuntur, quae numquam ab eo scripta sunt. Horum duo fere sunt genera: alia enim ei ab rerentissimis Graeculis afficta sunt ea oratione iisque numeris scripta, quales effoeta et decrepita Graecia effutire

solet, ut legentibus nauseam et fastidium pariant. Huius farinae est quidquid ex comparatione Menandri et Philistionis Meinekius attulit, quas sordes nollem umquam Menandreis reliquiis admixtas, in quibus non dico corrigendis sed legendis nemo umquam fecerit operae pretium, adeo omnia sunt insulsa, inepta, barbara. In eum ipsum, quicumque haec conscribillavit, utendum est consilio, quod ab eo datur in fragm. 157 Meinekii:

φρόνησιν ἀσκῶν ἄφροσιν μὴ χρῶ φίλοις
ἐπεὶ κεκλήσῃ καὶ σὺ παντελῶς ἄφρων.

Ne hoc videar in istum dixisse inclementius pauca producam ipsum dicentem. Fragm. incert. Meinek. 22.

ὅταν πονηροῦ γείτονος γείτων ἔσῃ.
40. ἵν' ἄλλος ἐλθὼν μεταλάβῃ καὶ κτήσηται.
146. ἀπόντι μᾶλλον εὐχαριςίαν ποίει.
148. τοῦ δυςυχεῖν νόμιζέ σ' ἀρραβῶν' ἔχειν.
152. μὴ πάσχε πρῶτον τὸν νόμον καὶ μάνθανε.
162. ὅταν τι μέλλῃς τὸν πέλας κατηγορεῖν.
165. ὅταν γέρων γέροντι (συγ)γνώμην διδοῖ.
176. κἂν μυρίων γῆς κυριεύῃς πήχεων.

atque in istis emendandis, si Musis placet, video Grotios, Dobraeos, Meinekios operam ludere! Estne operae pretium ingenium experiri in fragm. 145.

καιρῷ τὸν εὐτυχοῦντα κολακεύων φίλος
καιροῦ φίλος πέφυκεν οὐχὶ τοῦ φίλου.

in praecedenti fragmento prior senarius

μισῶ πένητα πλουσίῳ δωρούμενον.

satis bonus est, quamquam δωρεῖσθαι a magistro sublectum Tragico est et socco disconvenit, at quid facias sequentibus verbis:

ἔλεγχός ἐςι τῆς ἀχορτάςου τύχης.

quae nemo intelligit aut curat intelligere. Et sic multa alia aut sensu vacua sunt in istis aut ineptissime dicta. *Qui alteri malum parat*, inquit, (fragm. 147).

αὐτὸς προπάσχει τοῦ κακοῦ τὴν ἔκβασιν.

quod tam sanum est atque illud (fragm. 155),

καλὴν γυναῖκ' ἐὰν ἴδῃς μὴ θαυμάσῃς
τὸ γὰρ πολὺ κάλλος καὶ ψόγων πολλῶν γέμει.

ubi bellissime τὸ πολὺ κάλλος opponitur ψόγοις πολλοῖς. Quam suaviter dixit et βιωφελῶς in fragm. 156.

γνώμην ἀρίστην τῇ γυναικὶ μὴ λέγε,
γνώμῃ γὰρ ἰδίᾳ τὸ κακὸν ἡδέως ποιεῖ.

ut aliquid dicat γνώμην κακίστην vel γνώμην πονηράν reponunt, et haec Menandrum dixisse opinantur! Quam vellem sibi etiam, non tantum aliis omnibus, praecepisset quod est in fragm. 152.

ἅπαντα μεταμέλειαν ἀνθρώποις φέρει.
μόνη σιωπὴ μεταμέλειαν οὐ φέρει.

Praeclarissimum est et pervenuste dictum in fragm. 168.

μυστήριόν σου μὴ κατείπῃς τῷ φίλῳ
καὶ οὐ φοβηθήσῃ αὐτὸν ἐχθρὸν γενόμενον.

ne summus poëta metrum violet certatim emendant κοὐ μὴ φοβηθῇς, quae dicendi ratio Graeculis non est in usu et apud Graecos significat *noli metuere.* At quid feceris istis in fragm. 180.

τὸ τοῦ μαθητοῦ πρῶτον ἔχε τὴν σιγήν.

comminiscitur aliquid Meinekius: frustra; versus est politicus, quos qui olim pangebant melius paruissent praecepto veterum:

ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖσσον ἢ σιγὴν ἔχε.

Alterum genus est versuum, quorum Menander falso auctor creditur, plane contrarium. Saepe factum est ut versus multo Menandro antiquiores ex Euripide aut alio quo Tragico sumti cum Menandreis negligenter confunderentur. Sunt fere sententiose et argute dicta, quae satis commode ab utroque genere Poëtarum aut in tragoedia poni potuerint aut in comoedia, ubi pater senex aut quaelibet persona tristior multa γνωμικά loqui solet. Quum nihil sit apud Stobaeum incertius quam auctorum nomina sententiis et excerptis apposita, et plurima incerto auctore et apud hunc et passim apud alios circumferantur, factum est ut in Comicorum fragmentis Tragica complura insint, et contra in Tragoediarum reliquiis pauca quaedam appareant socco quam cothurno digniora. Possit aliquis ita existimare non magnopere nostra referre utrum quid ab Euripide an Menandro dictum sit, nam perinde iucundam sententiam esse et vitae utilem, neque nunc satis certo sciri ac demonstrari posse ad utrum genus fragmentum quodque referri oporteat, si nihil aliunde de auctore compertum sit aut testes corrupti esse videantur. Mihi contra et perutile esse et non admodum difficile aut anceps negotium videtur quae quis in cothurno dixerit aut in socco discernere. Ne dicam de caeteris, dicendi genus, ipsa

lingua, qua utrique utuntur, verborum delectus, forma, compositio, deinde numerorum ratio, metri genus et multa alia tenuissima illa quidem sed certa indicia faciunt, ut hoc agenti et bene Graece scienti ambiguum esse non possit utrum Tragici verba an Comici teneas. Multos saepe vidi in hoc genere levissime versari et Deorum heroumque eloquium a Demeae aut Micionis oratione distinguere non potuisse: nihilominus ut boni poëtae est reddere personae convenientia cuique, sic poëtarum interpretis et critici esse arbitror discrimina haec acute animadvertere et sentire, neque tantum in vitae et hominum usu valere illud:

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται,

sed idem in scriptorum consuetudine et usu valere oportere. Quam vehementer et diu ludificatus est homines doctos scribae error in Stobaei Florilegio commissus LXXIV. 27, qui omissis negligenter nonnullis Menandri verba cum Euripideis monstrose conglutinavit. Creditus est Comicus matronam induxisse ita dicentem:

τὸ μὲν μέγιστον οὔποτ᾽ ἄνδρα χρὴ σοφὸν
λίαν φυλάσσειν ἄλοχον ἐν μυχοῖς δόμων.

addam et pauca de seqq., ut mendum eluam:

ἐρᾷ γὰρ ὄψις τῆς θύραθεν ἡδονῆς,
ἐν δ᾽ ἀφθόνοισι τοῖσδ᾽ ἀναστρωφωμένη
βλέπουσά τ᾽ εἰς πᾶν καὶ παροῦσα πανταχοῦ
τὴν ὄψιν ἐκπλήσασ᾽ ἀπήλλακται κακῶν.
τό τ᾽ ἄρσεν ἀεὶ τοῦ κεκρυμμένου λίχνον.

ita demum haec intelligi poterunt, si correxeris: *ἐρᾷ γὰρ ἥτις τῆς θύραθεν ἡδονῆς ἐν ἀφθόνοισι τοῖσδ᾽ ἀναστρωφωμένη τὴν ὄψιν ἐκπλήσασ᾽ ἀπήλλακται κακῶν.* Subridemus nunc, quum videmus fuisse qui olim serio crederent in comoedia aliquam dixisse:

ὅστις δὲ μόχλοις καὶ διὰ σφραγισμάτων
σώζει δάμαρτα δρᾶν τι δὴ δοκῶν σοφὸν
μάταιός ἐστι καὶ φρονῶν οὐδὲν φρονεῖ.
ἥτις γὰρ ἡμῶν καρδίαν θύραζ᾽ ἔχει
θᾶσσον μὲν οἰστοῦ καὶ πτεροῦ χωρίζεται,
λάθοι δ᾽ ἂν Ἄργου τὰς πυκνοφθάλμους κόρας.

satis enim nunc constat inter omnes Euripidea haec esse, quod primus omnium Piersonus admonuit ad Moerid. in v. *οἰστός* p. 275

et multis demonstravit Meinekius in Quaestionibus Menandreis. Idem tamen opinatus est (in Fragmentis Comicorum Anonymorum 349.) in comoedia scripta fuisse haec apud Stob. Floril. LXIX. 1.

ὅταν γὰρ ἄλοχον εἰς δόμους ἄγῃ πόσις κτἑ.

ubi quatuor sunt certa indicia sermonis artificialis: Comicus enim populari lingua debebat dicere: ὅταν γὰρ ἀνὴρ γυναῖκα ἄγηται οἴκαδε vel εἰς τὴν οἰκίαν. Neque magis dubitandum quin fragm. 284 sit reddendum Tragico:

παῖς παιδὶ καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή.
νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι καὶ δυσπραξίᾳ
ληφθεὶς ἐπῳδὸς ἐςὶ τῷ πειρωμένῳ.

quod fuerunt qui Menandro tribuerent. Euripidis est senarius in fragm. 53.

ὡς Πριαμίδῃσιν ἐμφερὴς ὁ βουκόλος.

de Paride, ut credo, dictus, qui ignotus suis cum pastorum grege bubulcus in urbem rure venerat ἐν τῷ Ἀλεξάνδρῳ. Et quis non agnoscat Tragicum in fragm. 60.

ἁβροείμονές τε καὶ κατηγλαϊσμένοι.

et in fragm. 101.

ὃς τόνδ' ἔχεις τὸν σηκὸν ἵλεως γενοῦ.

et in fragm. 167.

ἀπτῆνα, τυτθόν, ἄρτι γυμνὸν ὀςράκων.

et in fragm. 242.

ἀνόητά γ' εἰ τοῦτ' ἦλθες ἐπιτάξων ἐμοί.

nam ἐπιτάσσειν Tragicorum est, Comici προςάττειν dicebant; et in fragm. 264.

ἐλαφρὸν παραινεῖν τῷ κακῶς πεπραγότι.

et fragm. 280.

χωρὶς γὰρ οἰκοῦσ' ἀρεταὶ τῶν ἡδονῶν.

nihil horum in comoedia dici potuit, quemadmodum neque in vita communi. Aliud est fragmentorum genus, ubi argumentum ludicrum et facetum est, nonnumquam scurrile et petulans, sed oratio verbis priscis et splendidis contexta, quale est fragmentum 17.

ἀλλὰ ξενῶνας οἶγε καὶ ῥᾶνον δόμους,
ςρώννυ τε κοίτας καὶ πυρὸς φλέξον μένος,
κρατῆρά τ' αἶρου καὶ τὸν ἥδιςον κέρα.

aut fragm. 19.

μέλη πάραυλα κἀκρότητα κύμβαλα.

aut fragm. 36. Μιλησία

σμάραγδος, ἐμπόλημα τιμηέςατον.

aut fragm. 66.

ὕδωρ δὲ πίνει, τὸν δὲ Βίβλινον ςυγεῖ.

aut fragm. 95.

χρόαν δὲ τὴν σὴν ἥλιος λάμπων φλογί
αἰγυπτιώσει.

aut fragm. 305.

τί καὶ κάθῃ; πίωμεν. οὐ καὶ σιτία
πάρεςιν; ὦ δύςηνε, μὴ σαυτῷ φθόνει.
οἱ δ' εὐθὺς ἠλάλαξαν, ἐν δ' ἐκίρνατο
οἶνος, φέρων δὲ ςέφανον ἀμφέθηκέ τις.
ὑμνεῖτο δ' αἰσχρῶς κλῶνα πρὸς καλὸν δάφνης
ὁ Φοῖβος οὐ προσῳδά. τήν τ' ἐναύλιον
ὠθῶν τις ἐξέκλαξε σύγκοιτον φίλην.

Quis admonitus non videt haec omnia e Satyricis dramatibus sumta esse: ὁ Φοῖβος ὑμνεῖτο κλῶνα πρὸς καλὸν δάφνης in comoedia sic erat dicendum: παιὰν ᾔδετο πρὸς μυρρίνην. Eiusdemmodi sunt ξενῶνας οἶγε (ut in Euripidis Alcest. 547. ξενῶνας οἴξας), πυρὸς φλέξον μένος, ἐμπόλημα τιμηέςατον, ςυγεῖ et caetera fere omnia, quae non alibi quam ἐν τοῖς Σατύροις locum invenire potuerunt. Eodem refero fragm. 408.

ἡ δὲ προὐκαλεῖτό με | βαυβᾶν μετ' αὐτῆς.

quod compara cum Euripideis ἐν Συλεῖ σατύροις· in Bekkeri Anecd. p. 85, 10.

βαυβῶμεν εἰσελθόντες. ἀπόμορξαι σέθεν | τὰ δάκρυα.

et fragm. 20.

πᾶσιν δὲ θνητοῖς βούλομαι παραινέσαι
τοὐφ' ἡμέραν ζῆν ἡδέως. ὁ γὰρ θανὼν
τὸ μηδέν ἐςι καὶ σκιὰ κατὰ χθονός.
μικροῦ δὲ βιότου ζῶντ' ἐπαυρέσθαι χρεών.

quae quis serio credet in comoedia dicta fuisse? Temulenti haec philosophia est ex aliquo Satyrico dramate, namque non nisi semel, ut opinor, in Tragoediae gravitate philosophantem hoc modo Herculem bene potum Euripides induxit in Alcestide, ubi compara vss. 788 sqq.

Venio nunc ad Tragicorum reliquias, quae Menandreis negligentia admixtae sunt. Huius generis primum esse arbitror fragmentum apud Stob. Floril. LXXXIX. 1.

τοὺς εὖ γεγονότας καὶ τεθραμμένους καλῶς
κἂν τοῖς κακοῖς δεῖ λόγον ἔχειν εὐφημίας.

ubi codex optimus Paris. A. *εὖ γεγῶτας* servavit, ut dubitari non possit quin haec Tragicus dixerit, quod etiam si *γεγονότας* retinebis satis apparere arbitror. Est enim hoc dictum eiusmodi, qualia saepe Chorus in Tragoedia post longiorem *ῥῆσιν* interfari solet, ut regat iratos et componat sedetque animos tumentes arguto et sententioso dicto, veluti

φεῦ, φεῦ, τὸ σῶφρον ὡς ἁπανταχῆ καλὸν
καὶ δόξαν ἐσθλὴν ἐν βροτοῖς κομίζεται.

vel

φεῦ, φεῦ, βροτοῖσιν ὡς τὰ χρηστὰ πράγματα
χρηστῶν ἀφορμὰς ἐνδίδωσ' ἀεὶ λόγων.

et similia multa passim. Neque magis dubium est, quin ex aliqua tragoedia sumti sint versiculi, quorum prior flagitiose corruptus est in Stob. Floril. XXXVI. 12.

αἰσχρόν γ' ὅταν τις ἐπὶ γλώσσῃ φυείς
γλώσσῃ ματαίους ἐξακοντίσῃ λόγους.

nauci non sunt vocabula *ἐπὶ γλώσσῃ φυείς*, quibus olim, ut opinor, Graeculus lacunam antiqui libri stolide explevit, quod passim in Stobaeo factum esse in seqq. demonstrabimus. Sententia postulare videtur: *αἰσχρόν γ' ὅταν τις ἀξίωμ' ἔχων μέγα*, aut aliquid huiusmodi. In vulgata scriptura turpissimum est *φυείς*, quod nescio quomodo docti homines potuerint concoquere. Seri demum Graeculi pro *ἔφυν*, *φῦναι*, *φύς* coeperunt *ἐφύην*, *φυῆναι* et *φυείς* dicere, et *φυήσομαι*, *ἀναφυήσομαι* pro *ἀναφύσομαι*, quas sordes deinde Veteribus affricabant. Eadem barbaries apparet in *δυῆναι* pro *δῦναι*. Neque minus suspiciosae mihi sunt formae *φυῇ*, *φυῶμεν*, *φυῶσιν* apud Platonem saepe occurrentes, nec dubito quin *φύῃ* et *φύωμεν* et *φύωσι* scribendum ubique sit, quemadmodum recte scribitur ex *ἔδυν* et *δῦναι* natum *δύῃ* in Cratylo p. 416. B. *ἐπειδὰν ὁ ἥλιος δύῃ*, quae forma in Homericis carminibus saepe legitur. In optativis antiqua Graecitas habebat formas *δύην* (*δυίην*) et *φύην* (*φυίην*): huius unicum exem-

plum aetatem tulit in notissimo versu Theocriteo XV. 94:

μὴ φύῃ, Μελιτῶδες, ὃς ἀμέων καρτερὸς εἴη.

forma δύην in Homero non sine periculo evasit et a Criticis servata est in Odyss. ι. 377.

θάρσυνον μή τίς μοι ὑποδδείσας ἀναδύῃ.

et bis σ. 348, υ. 286 οὐκ εἴα — λώβης ἴσχεσθαι — ὄφρ' ἔτι μᾶλλον δύη ἄχος κραδίην, ubi olim perperam coniunctivus δύῃ legebatur. Idem vitium est in Timonis Σίλλοις apud Sextum Empir. adv. Mathem. IX. § 40. *Protagoras*, inquit, *fugam capessivit* ὄφρα μὴ αὔτως

Σωκρατικὸν πίνων ψυχρὸν ποτὸν ἄϊδι δύῃ,

lege ἄϊδα δύη, id est ἀποθάνοι. Contrario errore apud Aristophanem in Equitt. vs. 1056 apud omnes circumferri video:

καί κε γυνὴ φέροι ἄχθος ἐπεί κεν ἀνὴρ ἀναθείη,

ubi coniunctivum ἀναθείῃ requiro. Caeterum φυῆναι et φυείς non nisi sero natis Graeculis semibarbaris in usu fuerunt, sed ἔδυν, δῦθι, δῦναι, δύς sat cito apud omnes depravata sunt in ἐδυσάμην, ἀπεδυσάμην, ἀπόδυσαι, ἐκδύσασθαι, ἐνδυσάμενος, quae formae omnes Veteribus sunt prorsus barbarae, quamquam nunc librariorum vitio optimus quisque Veterum ita dixisse putatur. In Bekkeri Anecd. p. 427, 25. editur: Ἀποδῦσαι:

μᾶλλον δ' ἀπόδυθι ταχέως . . . Παμφίλη
ἡμέτερος ὁ πλοῦς.

ubi emendandum: ἀπόδυσαι, μᾶλλον δ' ἀπόδυθι. * *

ἀπόδυθι ταχέως, Πάμφιλ', ἡμέτερος ὁ πλοῦς.

excidit nomen Comici et fabulae et repetitum ἀπόδυθι, quod scribae oculos fefellit. Παμφίλη ridiculum est: non solebant mulieres ἀποδῦναι. Docebat Grammaticus ἀπόδυθι melius esse quam ἀπόδυσαι. Nesciebat enim ἀπόδυσαι et ἀποδύσασθαι et similia omnia inaudita plane Veteribus et barbara esse. Iam tum, ut opinor, sic erant corrupta exemplaria τῶν παλαιῶν, quae qui emendare non poterat imbibebat opinionem falsam, quemadmodum nunc qui vitium huius generis non animadvertit, simul suam Graecitatis scientiam et notitiam corrumpit. Qui apud Herod. V. 106 aequo animo legunt: θεοὺς ἐπόμνυμι τοὺς βασιληίους μὴ μὲν πρότερον ἐκδύσασθαι τὸν ἔχων κιθῶνα καταβήσομαι ἐς Ἰωνίην πρὶν ἄν τοι Σαρδὼ δασμοφόρον ποιήσω neque sentiunt

duplici de causa futurum ἐκδύσεσθαι esse necessarium, concipiunt animo opinionem et per se parum probabilem et plane falsam hanc: perinde esse utrum Graece ἐκδῦναι an ἐκδύσασθαι dicatur, et utramque formam *simul* apud eosdem fuisse in usu. Ubi istum errorem diuturna sequiorum lectio aluit et confirmavit non facile evellitur, at si quis eam rem diligenter indagare volet id ipsum comperiet quod nunc verbo tantum admonemus, ἐδυσάμην et composita omnia sequiorum esse, apud veteres *nusquam* usurpata, et ἐφύην, φυῆναι et φυείς apud Graeculorum faecem demum propullulasse. Ridebitur tunc Euripidis versiculus in quo φυείς legatur, et si quod simile vitium Veteres inficit tolletur, vid. Dobraei Advers. II. p. 281. Et φυῆναι quidem quia abiectissimae Graecitatis est rarissime in libros paulo meliores irrepsit, sed δύσασθαι quoniam olim omnium usu terebatur permultos antiquorum locos inquinavit. Saepe etiam participium δύς, ἀποδύς ὑποδύς, καταδύς indoctorum manibus male mulcatum est et in δούς abit aut alio modo depravatur. Non debebant dubitare docti homines, quin recte in Archippi loco Athen. XV. 678. E.

ἀθῷος ἀποδοὺς θοἰμάτιον ἀπέρχεται.

emendatum sit ἀποδὺς θοἰμάτιον. In Timotheo Athen. VI. 245. C.

πειρώμεθ' ἀποδόντες τὸ δεῖπνον ἀπιέναι

non satis est corrigere, quod Schweighaeuserus fecit, ἀποδύντ' ἐς, sed requiritur ὑποδύντ' ἐς: namque ὑποδῦναι est *furtim se ex hominum turba proripere.* Sed levia haec sunt prae eximia emendatione, qua locum Aristophanis nunc simili vitio plane absurdum clara luce Hamakerus illustravit. Editur in Pace vs. 729:

ἀλλ' ἴθι χαίρων, ἡμεῖς δὲ τέως τάδε τὰ σκεύη παραδόντες
τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν, ὡς εἰώθασι μάλιστα
περὶ τὰς σκηνὰς πλεῖστοι κλέπται κυπτάζειν καὶ κακοποιεῖν.

quam sit haec scriptura impedita et vitiosa apparebit optime, si veram lectionem opposuero, quam mihi amicus meus indicavit: ἡμεῖς δὲ τέως τήνδε σκευὴν ἀποδύντες τοῖς ἀκολούθοις δῶμεν σώζειν et εἰώθασι μάλιστα περὶ τὰς σκευὰς πλεῖστοι κλέπται κυπτάζειν, quae non egent interprete. Ostendimus in priore parte τὰ σκεύη et τὴν σκευὴν saepius confusa esse, ad hunc errorem reliqua a stolido correctore accommodata sunt et ἀποδύντες in ἀποδόντες et παραδόντες refictum est. Facit huc locus

Aristidis περὶ τοῦ παραφθέγματος II. p. 387: καὶ κωμῳδοῖς μέν — ἴδοι τις ἂν καὶ τοὺς ἀγωνοθέτας καὶ τοὺς θεατὰς ἐπιχωροῦντας μικρόν τι περὶ αὐτῶν παραβῆναι καὶ πολλάκις ἀφελόντες τὸ προσωπεῖον μεταξὺ τῆς Μούσης ἣν ὑποκρίνονται δημηγοροῦσι σεμνῶς. sic igitur Chorus τὴν σκευὴν ἀποδὺς παρέβη πρὸς τὸ θέατρον, cavitque sedulo ne quid sibi ornamentorum interea furto surriperetur. Compositum παραδόντες in Aristophane vel solum vitium arguit: neque enim παραδόντες τοῖς ἀκολούθοις rectum est neque ἀποδόντες, requiritur simplex δοῦναι. In Theophrasti Charactt. XXI edebatur olim: καὶ πομπεύσας δὲ μετὰ τῶν ἱππέων τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἀποδοῦναι τῷ παιδὶ ἀπενεγκεῖν οἴκαδε ἀναβαλόμενος δὲ θοιμάτιον εἰς τὴν ἀγορὰν περιπατεῖν: quae in optimo Codice Vaticano sic scripta esse vidi: τὰ μὲν ἄλλα πάντα δοῦναι τῷ παιδὶ ἀπενεγκεῖν οἴκαδε, ἀναβαλλόμενος δὲ θοιμάτιον ἐν τοῖς μύωψι κατὰ τὴν ἀγορὰν περιπατεῖν, quae praeclarissima sunt et graphice τῶν μικροφιλοτίμων ineptias describunt, quas ipsas hodieque in hac ipsa re suaviter ridere solemus. Equidem saepe vidi ἀνδράρια οὐδενὸς ἄξια ὑπὸ μικροφιλοτιμίας ἐν τοῖς μύωψι περιπατοῦντα. Singularis et incredibilis est in his Astii ἀκρισία, qui εἰς τὴν ἀγορὰν περιπατεῖν retinet et ἐν τοῖς μύωψι »*suspectum habet.*" Idem tamen δοῦναι τῷ παιδί pro ἀποδοῦναι recepit: equidem sic utrumque coniunxerim ut scribatur: τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἀποδῦναι καὶ δοῦναι τῷ παιδὶ ἀπενεγκεῖν οἴκαδε. Rectissime nuper Hirschigius vidit participium καταδύς absurdo additamento onerari in Platonis Theaeteto p. 171. D. εἰ αὐτίκα ἐντεῦθεν ἀνακύψειε μέχρι τοῦ αὐχένος — καταδὺς ἂν οἴχοιτο [ἀποτρέχων]. Quum pisces τρέχειν inceperint ἀποτρέχων revocabimus. Adiiciam unum exemplum ubi ἐδυσάμην male apud Atticum scriptorem legitur et sic ad Menandrum revertar. In Lysiae fragmento 45 legitur: Ἄρχιππος γὰρ οὑτοσὶ ἀπεδύσατο μὲν εἰς τὴν αὐτὴν παλαίστραν οὗπερ καὶ Τῖσις ὁ φεύγων τὴν δίκην, res ipsa clamat imperfectum rescribendum esse ἀπεδύετο et οἷπερ pro οὗπερ.

Inter Menandrea leguntur haec e Stob. Ecl. Physic. I. 9.

ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἐστι τοῖς σοφοῖς βροτῶν
χρόνῳ σκοπεῖσθαι τῆς ἀληθείας πέρι.

quae non esse Comici palam est. Critiae suspicatur esse Meinekius, qui labem prioris senarii de Heerenii sententia, infelicis coniectoris, ita sarciri vult ut scribatur: ὦ δέσποτ' ὦναξ, at

nemo sic Graece loquitur, quia δέσποτ' ἄναξ coniunctim dicuntur et recte dicitur ὦναξ δέσποτα et ὦ δέσποτ' ἄναξ, divisim ὦναξ, ὦ δέσποτα vel ὦ δέσποτ', ὦναξ non dicitur. Nota sunt apud Aristophanem: ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' ἀήρ, et ὦ δέσποτ' ἄναξ, γεῖτον ἀγυιεῦ et in Pace vs. 90. ὦ δέσποτ' ἄναξ, ὡς παραπαίεις. Obiter eiusdem generis vitium exime ex Arist. Equitt. 726. ὦ δημίδιον, ὦ φίλτατον, ἔξελθ', ubi sic legendum:

ὦ Δῆμε, δεῦρ' ἔξελθε. B. νὴ Δί', ὦ πάτερ,
ἔξελθε δῆτ', ὦ Δημίδιον. A. ὦ φίλτατε,
ἔξελθ', ἵν' εἰδῇς οἷα περιυβρίζομαι.

In Menandro Grotius emendabat ὦ δέσποτ' Αἴας, quod Αἴαν utique scriptum oportuit, sed nemo cum vocativo δέσποτα nomen proprium coniungit, nisi Dei alicuius, ut ὦ Ζεῦ δέσποτα, nec umquam servus herum sic alloquens eius nomen adiicit. Equidem haec e Satyrico dramate depromta esse arbitror et corrigendum: ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἔξεστι τοῖς σοφοῖς βροτῶν κτέ.

Pro Menandreis afferuntur ex Stob. Floril. XXXVI. 14.

οὔτ' ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
ῥᾷον κατασχεῖν οὔτ' ἀπὸ γλώττης λόγον.

Tragici poëtae esse recte Meinekius monet, qui vitium in καρτερόν non deprehendit. Lege καρτερᾶς et vulgatam relegens subridebis.

Minus etiam in Menandro quam in caeteris ferenda est oratio turgidior, quo propius ad communem omnium dicendi consuetudinem eius dictio accedebat. In fragmento apud Plutarch. in consol. ad Apollon. p. 103. D. ubi dixerat:

εἰ δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις
ἐφ' οἷσπερ ἡμεῖς ἔσπασας τὸν ἀέρα
τὸν κοινόν,

quasi haec supra soccum adsurgerent continuo addidit: ἵνα σοι καὶ τραγικώτερον λαλῶ. Hunc igitur quis credat dixisse:

ὦ παῖ σιώπα, πόλλ' ἔχει σιγὴ καλά,

et alia quaedam eiusdemmodi? Miror Meinekii iudicium statuentis Menandri esse hos versiculos apud Stob. Floril. LXXXVI. 7.

ἔστιν δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός.
ἡ μὲν γὰρ αὑτῆς οἶδεν υἱόν, ὁ δ' οἴεται.

et eandem sententiam iisdem verbis expressisse Euripidem apud Eustathium ad Od. p. 1412, ubi elegantius legatur: ἡ μὲν γὰρ

αὐτῆς οἶδεν ὄνθ', ὁ δ' οἴεται. Potuit haec Euripides in aliqua fabula Satyrica posuisse, potuit haec dixisse Menander, sed ut ab utroque iisdem verbis idem dictum sit, id vero fieri non potuit. Neque Tragicus Comicum dicendi elegantia vicit: *οἶδεν υἱόν* Graecum non est: infelix coniector ex ΟΙΔΕΝΟΝΘΟΔΟΙΕΤΑΙ bellam hanc lectionem procudit, ut saepe in Stobaeo factum esse ostendemus. Foedius etiam haec depravata sunt in antiquis ad Odysseam A. 215. Scholiis, unde sua Eustathius hausit. *ἡ μὲν γὰρ αὐτῆς οἶδ' ἐόντας ὁ δ' οἴεται*, ubi quod adscribitur Menandri dictum sic mihi legendum videtur:

αὐτὸν γὰρ οὐδεὶς οἶδ' ὅτου ποτ' ἐγένετο,
ἀλλ' ὑπονοοῦμεν πάντες ἢ πιςεύομεν.

pro *οἶδε τοῦ* vel *οἶδε πῶς.*

Notissimum est Menandrum argumentorum, rerum, sententiarum, iocorum suavitate et festivitate, moribusque hominum depingendis egregium artificem, in verbis et oratione negligentiorem fuisse. Totus in rebus, quibus excellebat, dicendi artificium, quo valebat minus, non curabat. Testis Plutarchus est *de gloria Atheniensium* pag. 347. F. *λέγεται δὲ καὶ Μενάνδρῳ τῶν συνήθων τις εἰπεῖν· ἐγγὺς, ὦ Μένανδρε, τὰ Διονύσια καὶ σὺ τὴν κωμῳδίαν οὐ πεποίηκας. τὸν δὲ ἀποκρίνασθαι· νὴ τοὺς θεοὺς ἔγωγε πεποίηκα τὴν κωμῳδίαν, ᾠκονόμηται γὰρ ἡ διάθεσις, δεῖ δ' αὐτῇ τὰ ςιχίδια ἐπᾶσαι.* Satis arguunt fragmenta hanc dicendi negligentiam et versiculos raptim esse conflatos et sine cura aut lima properanter compositos. Complura veteres magistri in Menandro severe notarunt improprie et ineleganter et sordide et *μοχθηρῶς* dicta. Etiamnunc facile est animadvertere compluscula ab eo perperam aut socordius scripta, quod genus vitiorum diligentissime nobis arguendum est, ne Menandri incuria nitorem sermonis Attici obscuret. Cave ne Atticis imputes, quod illi excidit imprudenti et in his minus attendenti in Stob. Floril. CXIII. 9.

Δέρκιππε καὶ Μνήσιππε, τοῖς εἰρημένοις
ἡμῶν ὑπό τινος ἢ πεπονθόσιν κακῶς
ἔςιν καταφυγὴ πᾶσιν οἱ χρηςοὶ φίλοι.

quamquam anceps et invidiosum negotium est melius quam Menandrum Graece scire velle videri, tamen non reformido hanc invidiam in tam aperto certoque crimine. Dicine, quaeso,

Graece potest *λέγομαι κακῶς ὑπό τινος* quemadmodum *λέγω τινὰ κακῶς*, et quia *εἴρηκάς τινα κακῶς* optime habet, licetne dicere *εἴρηταί τις κακῶς ὑπό σου*? Tam vitiosum hoc est et ineptum ac si ex *ποιεῖν τινα κακῶς* analogiam solam secutus propagare velis *ποιεῖσθαι κακῶς ὑπό τινος* et quia *κακῶς πεποίηκέ με* rectissime dici constat *πεποίημαι κακῶς ὑπ' αὐτοῦ* nihil offensionis putes habere. Ecquid potest esse certius quam *τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν* sibi inter se respondere et *ὁ πεποιηκὼς καὶ ὁ πεπονθώς*? nemo dubitat et vel hic ipse Menandri locus exemplo esse possit. At non minus est certum eandem esse necessitudinem inter *τὸ λέγειν καὶ τὸ ἀκούειν*, ut opponantur *κακῶς λέγεις με* et *κακῶς ἀκούω ὑπό σου*, et *τοῖς κακῶς εἰρηκόσι* respondeant *οἱ κακῶς ἀκηκοότες* non hercle *οἱ κακῶς εἰρημένοι*, quod Menandro condonari potest sed sic ut peccasse se fateatur. Non minus vitiosum est in Stob. Floril. CXIII. 14.

τῷ μὲν τὸ σῶμα διατεθειμένῳ κακῶς
χρεία 'ς' ἰατροῦ, τῷ δὲ τὴν ψυχὴν φίλου.

nam *διακειμένῳ* dictum oportuit, quemadmodum constanter *κεῖμαι* cum compositis formae passivae *τέθειμαι*, qua nemo utitur, vicem supplere solet. Itaque tam male ac negligenter dictum est *τὸ σῶμα διατέθειμαι κακῶς* ac si quis *τοὺς τεθειμένους νόμους* pro *τοὺς κειμένους* vellet dicere, id quod iam alias attigi, nunc digitum in id intendisse satis est. Peius etiam est, quod Comicum in hoc genere deliquisse memorat grammaticus in Bekk. Anecd. p. 429. *ἀπεκτόνασιν οὐκ ἀπεκτάγκασι Μισουμένῳ. πάτερ μὲν Θράσων' ἀπεκτάγκασι δ' οὔ*, quae quamquam mutila et misere depravata sunt, hoc tamen satis certum videtur afferri e Menandri *Μισουμένῳ* verba *ἀπεκτάγκασι δ' οὔ*. quam formam non tantum usus omnium respuit, qui summa constantia *ἀπέκτονα* dicebant, sed analogia etiam, quae *ἀπέκτακα* postulat, ut *τέτακα, πέπλυκα, κέκρικα*. In loco tam corrupto non satis est ponderis ut Menandrum *parum cavisse videri* pronuntiare possis, et tam foedum est *ἀπέκταγκα*, ut semibarbaris Byzantinis solis imputari posse credam, qui *ἀπεκτάνθαι* pro *τεθνάναι* et *ἀπεκτάνθη* pro *ἀπέθανε* non dubitarunt dicere. Eiusdem farinae est forma, quam scribae de suo Xenophonti obtruserunt in Hierone III. 8. *εὑρήσεις τοὺς τυράννους πολλοὺς μὲν παῖδας ἑαυτῶν ἀπεκτονηκότας, πολλοὺς*

δ' ὑπὸ παίδων αὐτοὺς ἀπολωλότας, cui dudum vel e Stobaei Floril. XLIX. 41. redditum oportuit ἀπεκτονότας, quemadmodum et alibi passim et paulo ante II. 16. recte legitur ἀπεκτονέναι. Constantinopoli, ubi γεγράφηκα et sim. solebant dicere, bellissimum illud ἀπεκτόνηκα natum est.

Aliud est vulnus Menandro a scribis inflictum quamobrem immerito creditur antiqui sermonis sinceritatem labe adspersisse ἐν τῷ Δεισιδαίμονι apud Clem. Alex. Strom. VII. p. 842.

> ἀγαθόν τί μοι γένοιτο, πολύτιμοι θεοί!
> ὑποδούμενος τὸν ἱμάντα γὰρ τῆς δεξιᾶς
> ἐμβάδος ἀπέρρηξ'. B. εἰκότως, ὦ Φληνάφε,
> σαπρὸς γὰρ ἦν, σὺ δὲ μικρολόγος ἄρ' οὐ θέλων
> καινὰς πρίασθαι.

sic Meinekius Codicum scripturas ὑποδούμενος τὸν ἱμάντα τῆς δεξιᾶς ἐμβάδος διέρρηξ' et σὺ δὲ σμικρολόγος οὐκ ἐθέλων utcumque reconcinnavit, quibus acquiescendum est donec quis meliora extuderit, sed turpe vitium in primo senario intactum praeteriit. Πολύτιμος enim et πολυτίμητος confusa sunt ineptissime. Quo discrimine haec sint diremta bene Ammonius docet de D. V. p. 118. πολύτιμον dicitur quidquid magno constat, πολυτίμητον quidquid in magno honore est et ponitur fere de Diis: ὦ πολυτίμητοι θεοί, ὦ πολυτιμήτω θεώ, ὦ πολυτίμηθ' Ἡράκλεις, ὦ Ζεῦ πολυτίμητε, et sim., passim apud Aristophanem et caeteros. Salse igitur Socrates in Platonis Euthydemo futilem sophistam p. 296 D., qui dixerat αὐτὸς ἀεὶ ἐπιστήσει ἅπαντα, ἂν ἐγὼ βούλωμαι, ita ridet: ἀλλὰ βουληθείης, ὦ πολυτίμητε Εὐθύδημε! quibus verbis eum ὥσπερ τινὰ τῶν κρειττόνων veneratur, ut p. 273 E. ἵλεω εἴητον (εἰήτην). ἀτεχνῶς γὰρ ἔγωγε σφῷ ὥσπερ θεὼ προσαγορεύω. Illic quoque ὦ πολύτιμε olim edebatur, nunc ex optimis libris emendatum. Idem vitium Polyaenum obsidet VIII. 39. καὶ τὴν θεὸν προσεκύνησεν εἰποῦσα· Χάριν οἶδά σοι, ὦ πολύτιμε Ἄρτεμις, κτἑ. Restituendum esse ὦ πολυτίμητε apparebit si comparaveris libellum *de Mulierum Virtutibus*, qui in Plutarchi Moralibus circumfertur, quamquam satis apparet ab eo compositum librum esse, qui Plutarchum scribendi elegantia et venustate longe superaret, ubi legitur p. 258 B. καὶ τὴν θεὸν προσκυνήσασα, Μαρτύρομαί σε, εἶπεν, ὦ πολυτίμητε δαῖμον, κτἑ. Est operae pretium videre, quemadmodum haec ipsa hinc sum-

ta ab ipso Plutarcho scripta sint in *Amatorio* p. 768. C. et iuvenibus suaserim elegantem librum pseudo-Plutarcheum ita comparare cum Polyaeno in lib. VIII, ut quid vir viro praestet intelligere et sentire discant; videbunt enim multa apud scriptorem antiquiorem recte et venuste dicta a militari viro et scribendi imperito subinepte et perperam reficta esse, ut in hac ipsa historia: ἧκε Σινόριξ καὶ σὺν αὐτῷ πάντες ὅσοι Γαλατῶν ἐντελεῖς ἄνδρες καὶ γυναῖκες, non tam stulte Polyaenus dederat sed ἐν τέλει, quamquam incogitanter addidit καὶ γυναῖκες, praeterea agmen hoc totum *honoratorum* virorum et matronarum de suo addidit: nihil horum apud pseudo-Plutarchum legitur. Putaverit aliquis πολύτιμε vitium Polyaeni esse, πολυτίμητε recte ab illo antiquiore scriptum fuisse, nisi multo seriore demum aetate, quam Polyaeni, ea dicendi socordia nasci potuisse videretur. Equidem Menandri locum sic constituendum esse arbitror:

ἀγαθόν τί μοι
γένοιτο. B. τί δ' ἔστιν; A. ὦ πολυτίμητοι θεοί!

et in seqq. σαθρὸς γὰρ ἦν pro σαπρός, corrigia enim aut lorum non *putrescit*, sed usu detritum disrumpitur: de σαπρός et σαθρός confusis in priore parte satis diximus. Obiter corrige ad haec fragmentum Aristophanis apud Athen. XV. 690. D.

ὦ Ζεῦ πολυτίμηθ', οἷον ἔπνευσ' ὁ μιαρός
Φάσκωλος εὐθὺς λυόμενός μοι τοῦ μύρου.

ubi non ἔπνευσεν sed ἐνέπνευσ' ὁ μιαρός poëtae manus esse videtur, quod additum μοι satis confirmat.

Turpiter violasse metrum iniuria videtur Menander in his (Stob. Floril. LII. 9.)

μὴ τοῦτο βλέψῃς εἰ νεώτερος λέγω·
ἀλλ' εἰ φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς ἐρῶ.

in his τοῦτο tam vitiose secundam corripit ante βλέψῃς ut labes sit manifesta. Recte et Attice Menander apud Stob. Floril. CVIII. 41.

τὰ δυσχερῆ γὰρ καὶ τὰ λυπήσαντά σε
ὁρᾷς ἐν αὐτῷ τὰ δ' ἀγάθ' οὐκέτι βλέπεις.

et iterum Stob. LXIII. 34.

ἥρων. κρίσιν γὰρ τὸ βλέπειν ἴσην ἔχει.

et sic omnes solebant. Certa corruptela sic sanari poterit ut scribatur:

μὴ τοῦτο μέμψησθ' εἰ νεώτερος λέγω
ἂν εὖ Φρονοῦντος τοὺς λόγους ἀνδρὸς λέγω.

ubi semel scribae errore μέμψησθ' in βλέψῃς abiit caetera, ut fit, indoctus corrector ad hunc errorem accommodavit.

Creditur Menander dixisse, teste grammatico in Bekk. Anecd. p. 429.

ὡς μηδὲν ἀποκρινουμένῳ δ' οὕτω λαλεῖν.

sed non satis Attice haec dicta sunt: requiritur enim ὡς μηδὲν ἀποκρινουμένου δ' οὕτω λάλει, quia constanter in tali re participium absolute solent ponere, ut in Platonis Euthydemo p. 295. B. ὡς ἀποκρινουμένου ἐρώτα, ubi ἀποκρινούμενον ferri non potest, et saepissime sic apud Platonem et alios legitur.

Non minus apud Menandrum quam apud caeteros frequens est vitium perineptum, quale conspicitur in his versibus apud Athen. X. 434. C.

κοτύλας χωροῦν δέκα
ἐν Καππαδοκίᾳ κόνδυ χρυσοῦν, Στρουθία,
τρὶς ἐξέπιον μεστόν γ'. B. Ἀλεξάνδρου πλέον
τοῦ βασιλέως πέπωκας.

quid si dixisset Ἀλεξάνδρου πλέον πέπωκάς γε, ecquis hoc ferri posse putaret? at non minus insanum est gloriosum militem dicentem facere: τρὶς ἐξέπιον μεστόν γε, ubi γε aut nihil omnino significat, quod ubique absurdum est, aut idem quod semper significat, quod est in hoc loco absurdum. Addam primum duo alia exempla eiusdem vitii apud Menandrum, deinde singulis opem feram. Menandri consilium esse putatur in Stob. Floril. LXX. 7.

δύ' ἔσθ', ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ
ἤτοι προσηνῆ γ' ὄψιν ἢ χρηστὸν τρόπον.

alterum est apud Clem. Alex. Strom. II. p. 502.

παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων
δίδωμί σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα.

Incredibile dictu est quam temere olim librarii, deinde editores voculam γε, perinde ac si nihil omnino significaret, de suo infercire soleant, ubicumque aliqua metri labes remedium aut supplementum videatur exigere. Difficile est sine risu Poëta-

rum Codices etiam perveteres excutere aut veteres Editiones, ubi istae sordes nondum expurgatae omnium oculis patent, sed permultum abest ut nunc omnis illa copia errorum diligenter sublata sit. Passim γε aut servatum est aut etiam a malesedulis invectum, ubi difficile est risum continere. Ferreus sit necesse est qui non subrideat ad haec Aristophanis in Acharn. 1184.

ὦ κλεινὸν ὄμμα, νῦν πανύςατόν σ' ἰδὼν
λείπω φάος γε τοὐμὸν, οὐκέτ' εἰμ' ἐγώ.

Ravennas solus λείπω φάος τοὐμόν, Graeculus aliquis γε inseruit, egregie sane! Ex Equitibus vs. 1243. corrige:

λείπω φάος τόδ'. οὐκέτ' οὐδέν εἰμ' ἐγώ.

Neque tamen Ravennas liber quamquam caeterorum omnium longe optimus et saepe importunum γε unus omittens non alibi saepe chorda oberrat eadem, cuius rei pauca quaedam exempla in promtu habere perutile erit emendaturis quae restant vitia eiusdemmodi. In *Equitibus* vs. 374. pro σοὐκτεμῶ (σοι ἐκτεμῶ) servat σοῦ γ' ἐκτεμῶ post crasin male resolutam inseruit γ' hiatum vitans scilicet, idque saepius in Codd. factum esse comperi, ut in *Nubibus* vs. 440 τουτὶ τό γ' ἐμὸν σῶμ' αὐτοῖσιν | παρέχω τύπτειν pro τουτὶ τοὐμόν et aliis locis. In *Eqq.* vs. 863 pro κρίνω σ' ὅσων ἐγῷδα — ἄνδρ' ἄριςον, quum esset vetus mendum ὅσον pro ὅσων in Ravennate comparet ὅσον γ' ἐγῷδα, ibid. vs. 1021 pro ἐγὼ οὐκ οἶδ' ὅ τι λέγεις scriba indoctus metro sollicitus ἔγωγ' οὐκ οἶδα dedit et perdidit omnia. In *Nubibus* vs. 344 αὗται δὲ ῥῖνας ἔχουσιν ostendit quam esset harum rerum peritus rescribens αὗται δέ γε. In *Pluto* 696.

ὁ δὲ θεὸς ὑμῖν οὐ προσῄειν; B. οὐδέπω.

opinatus προσῄειν primae personae esse emendavit scilicet προσῄει γ' et saepius alibi eodem modo turpiter se dare solet. In plerisque fraus non latuit, at nimis multa restant, ubi adhuc impune ab istis est peccatum et γε vitio natum nimium patienter ne dicam stulte ferimus, et sunt qui subtiliter interpretentur. Non est ab hoc loco alienum et Menandro caeterisque Comicis non inutile de multis locis adhuc illo modo corruptis nonnullos indicare. In *Nubibus* editur vs. 1189.

ἐκεῖνος οὖν τὴν κλῆσιν εἰς δύ' ἡμέρας
ἔθηκεν εἴς γε τὴν ἕνην τε καὶ νέαν.

viden ridiculum esse γε? deinde ut *duos* dies esse appareat legendum est necessario: εἴς τε τὴν ἕνην καὶ τὴν νέαν. In *Vespis* vs. 509. μὰ Δί' οὐκ ἔγωγε νῷν οἶδ' | ὁπόθεν γε δεῖπνον ἔςαι, corrige ὁπόθεν τὸ δεῖπνον ἔςαι, neque enim magis istic quid sibi γε velit expedies quam vs. 922 μή νυν ἀφῆτέ γ' αὐτόν, ubi ἀφῆτ' ἔτ' αὐτόν recte dictum erit. In *Pace* vs. 910 pro ὅςις γ' ἐςὶ τοιοῦτος restitue ὅςις ἐςί, metrum enim illo fulcro non indiget, quod putavit qui olim addidit.

In *Avibus* vs. 134 vitiose dicitur

μή μοι τότε γ' ἔλθῃς ὅταν ἐγὼ πράττω κακῶς

nam γε inepte abundat, nec τότε satis convenit, quamobrem legerim μή μοί ποτ' ἔλθῃς. Ibid. vs. 584. εἶθ' ὅ γ' Ἀπόλλων ἰατρός γ' ὢν ἰάσθω male scribitur pro εἶθ' ἀπόλλων, quemadmodum paulo ante vs. 580. emendate legitur: κἄπειτ' αὐτοῖς ἡ Δημήτηρ πυροὺς πεινῶσι μετρείτω, ubi quis serio credet ἥ γε Δημήτηρ recte dici potuisse? ἀπόλλων in ὁ ἀπόλλων de more abiit, deinde hiatus expletus est. Eadem labes inficit Euripidis eximium locum in Hecub. 600.

ἔχει γε μέντοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς
δίδαξιν ἐσθλοῦ. τοῦτο δ' ἤν τις εὖ μάθῃ
οἶδεν τό γ' αἰσχρὸν κανόνι τοῦ καλοῦ μαθών.

ubi τό γ' αἰσχρόν eodem modo natum est atque τό γ' ἐμόν, ὅ γ' ἀπόλλων, et in Euripidis Helena 580 τὰ σά γ' ὄμματα pro τὰ σ' ὄμματα, et similia multa alibi. Emendandum igitur censeo δίοιδε ταἰσχρόν, ut in Medea 524. ἀνδρῶν τὸν κακὸν διειδέναι et alibi. Paulo aliter Babrium scribae interpolarunt fab. 39, 4.

ἔμπροσθεν ἤδη μου τά γ' ὄπισθέ μου βαίνει

ubi scribendum:

ἔμπροσθεν ἤδη τἀξόπισθέ μου βαίνει.

sed plane gemellum est mendum in Demosthenis orat. *de Corona* p. 278, 10. νῦν δὲ τόγ' ἐξαίφνης ἐπέσχον αὐτὸν ἐκεῖνοι, ubi libri τότε, τότε γε, τοῦτό γε, optimi τόγ', in quibus οὐδὲν ὑγιές. Emenda τοὐξαίφνης. Eadem opera in eiusdem oratione ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν p. 206, 27. pro ἀλλ' ἐάσω τό γ' ἐπελθὸν εἰπεῖν μοι corrige τοὐπελθόν. Recurrit idem vitium in *Avibus* vs. 1077.

ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Φιλοκράτη τὸν Στρούθιον
λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντά γ' ἀγάγῃ τέτταρα.

ubi verum est: ἣν δὲ ζῶντ' ἄγῃ τις τέτταρα, nam γε plane absurdum est et ἥν τις ἄγῃ non ἀγάγῃ in his certa et concepta verba sunt. Num quis concoquere γε potest in Lysistr. vs. 845.

καὶ μὴν ἐγώ
συνηπεροπεύσω παραμένουσά γ' ἐνθαδί.

legendum arbitror: συνηπεροπεύσω σοι παραμένουσ' ἐνθαδί, aut in versu 865.

ὡς οὐδεμίαν ἔχω γε τῷ βίῳ χάριν,
ἐξ οὗπερ αὕτη 'ξῆλθεν ἐκ τῆς οἰκίας.

quod tam absonum est ac si quis rogatus quid γε ibi notaret responderet οὐκ οἶδά γε. E vicinis vs. 868 τοῖς δὲ σιτίοις | χάριν οὐδεμίαν οἶδ' ἐσθίων elicueris: οὐδεμίαν ἐγῷδα τῷ βίῳ χάριν. In Thesmophor. vs. 556 miror retentum esse ἡμεῖς αὐταί γε καὶ τὰ δουλάρια — ἀποφιλάσομεν pro αὐταί τε καί. Duplex vitium est in Ecclesiaz. vs. 569.

ἀλλ' ἀποφανῶ τοῦθ' ὥςε σέ γέ μοι μαρτυρεῖν
καὶ τοῦτον αὐτὸν μηδὲν ἀντειπεῖν ἐμοί.

apparet Praxagoram hoc dicere debere: ὥςε σέ τέ μοι μαρτυρεῖν καὶ τοῦτον αὐτὸν μηδὲν ἀντειπεῖν ἔτι. Compara Nicostratum Athen. XIV. 664. B.

ὥς' οἴομαι | μηδ' αὐτὸν ἡμῖν τοῦτον ἀντερεῖν ἔτι.

Ibid. vs. 648. οἰμώζοι γ' ἂν καὶ κωκύοι sanum erit si οἰμώζοι τἂν correxeris. Vitiosum esse apparet ibid. vs. 455.

τί δῆτ' ἔδοξεν; B. ἐπιτρέπειν γε τὴν πόλιν
ταύταις.

non potuit enim γε insulsius quam sic inseri, sed frustra adhuc in vitio manifesto certam correctionem quaero. Ad Menandrum nunc revertor, in cuius loco, quem tertium apposuimus, facile negotium est veram lectionem eruere, si haec comparaveris Aristophanis apud Stob. in Floril. LXVIII. 17.

ἰδού, δίδωμι τήνδ' ἐγὼ γυναῖκά σοι,

unde elicias παίδων ἐπ' ἀρότῳ γνησίων | δίδωμί σοι 'γὼ τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. In primo loco τρὶς ἐξέπιον μεςόν γε transpositio verborum peperit vitium et eadem repetita sanabit. Quum Poeta dedisset τρὶς μεςὸν ἐξέπιον. B. 'Αλεξάνδρου πλέον | τοῦ βασιλέως πέπωκας, accidit, ut vocabula transponerentur, id quod sexcenties in libris solet fieri. Exemplum tam idoneum ad

manum est, ut premere nequeam. Codex Athenaei in seqq. Menandri verbis πέπωκας τοῦ βασιλέως exhibet et Plutarchi codices p. 57. A. Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως πλέον πέπωκας. Itaque quoniam τρὶς ἐξέπιον μεςὸν metrum violabat aliquis γ' infersit bene de Menandro mereri se putans. Qui in Stobaeo dedit:

δύ' ἐσθ', ἃ κρῖναι τὸν γαμεῖν μέλλοντα δεῖ
ἤτοι προσηνῆ ὄψιν ἢ χρηςὸν τρόπον.

et gravem errorem suum poetae affricuit et metrum pessumdedit et infelices correctiunculas aliorum excitavit. Quis dubitet quin verum sit quod Bentleius primus vidit: ἤτοι προσηνὴς ὄψις ἢ χρηςὸς τρόπος? vulgata nata est ex veteri corruptela, quae optimos Stobaei Codices obsidet, δύ' ἐςι. κρῖναι κτέ. hinc sciolus accusativos dedit, tum laboranti metro subventum est: Graeculi barbare προσηνήν, Critici προσηνῆ γ' excogitarunt, quod a Menandro aut ullo alio Comico umquam dici potuisse non efficient exempla ab Elmsleio ad Med. vs. 1263. collecta. Comici, qui sexcenties ἤτοι — ἢ componere solent, numquam γε addiderunt. Rei frequentissimae exempla enumerare putidum est: afferam duos locos, qui ex huius rei observatione emendari debent. Amphidis locus est apud Athen. XIII. p. 559. A.

ἡ δ' οἶδεν ὅτι ἢ τοῖς τρόποις ὠνητέος
ἄνθρωπός ἐςιν ἢ πρὸς ἄλλον ἀπιτέον.

ubi legendum arbitror: ἡ δ' οἶδ' ὅτι ἤτοι τοῖς τρόποις ὀνητέος ἄνθρωπός ἐςιν, nam nihili est ὠνεῖσθαί τινα τοῖς τρόποις, quid sit ὀνῆσαι τοῖς τρόποις perspicuum est. Comici senarius latet apud Aristidem ἐν ἱερῷ λόγῳ δ'. p. 521. Dind. ἀλλ' ἢ τὸ τῆς παροιμίας, ἔφη, ἐρεῖς· ἢ τοιαύτην χρὴ γαμεῖν ἢ μὴ γαμεῖν. viden Comicum dixisse:

ἤτοι τοιαύτην χρὴ γαμεῖν ἢ μὴ γαμεῖν.

In hac ipsa forma loquendi Menander negligenter certum usum omnium violasse arguitur a Grammatico in Boisson. Anecd. III. p. 237.

θυγάτριον, ἡ νῦν ἡμέρα δίδωσί μοι
ἢ δόξαν ἤτοι διαβολήν.

rectissime monet magister: ἐχρῆν γὰρ ἤτοι δόξαν ἢ διαβολήν, quemadmodum et alii omnes constanter dicunt et ipse Menander Stob. Floril. XLII. 6.

ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους
ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.

et in Stob. Floril. LXXII. 11. ἤτοι μῆνιν ἐκτίνει θεῶν | ἢ βούλετ' ἀτυχεῖν. Neque minus vitiose dictum est quod Menandri nomine in Appendice Florentina p. 727. novae editionis circumfertur:

ὅταν λέγῃς μὲν πολλὰ, μανθάνῃς δὲ μή,
τὸ σὸν διδάξας τοὐμὸν οὐ μαθὼν ἔσει.

quae tam ridicule dicta sunt pro οὐκ ἔσει μεμαθηκώς et hoc ipsum tam alienum ab huiusmodi loco est, ut scribae, non poëtae istae ineptiae imputandae esse videantur et remedium aliquod quaerendum. Statim in mentem venit τοὐμὸν οὐ μαθὼν ἄπει, quod dictum est ut λαβὼν ἄπει, vel λαβὼν ἄπιθι et multa similia apud Graecos et Romanos. Trita sunt usu omnium παθὼν ἀπέρχεται, ὀφλὼν ἀπέρχεται, ἐπιωρκηκὼς ἄπει, ἄπειμι ἠδικημένος et multa alia huiusmodi. Vitium est in Lysiae fragmento X. 16. apud Dion. Halic. V. p. 602. οὐδέν σοι δεήσει πραγμάτων ἀλλὰ λαβὼν ἐπὶ τὰ σαυτοῦ. Librarii vitium erat ΑΠΙ pro ἄπει, deinde corrector ἐπί emendavit scilicet. Quemadmodum igitur Lysias λαβὼν ἄπει dixerat, et Eupolis apud Priscianum XVIII. p. 193. πάντα γὰρ τυχὼν ἄπει, sic Menander τοὐμὸν οὐ μαθὼν ἄπει recte scripsit, quod Graeculi depravarunt.

Intactae fere evaserunt apud Menandrum et reliquos futurorum formae veteres contractae, quas postea correctores quoniam plane in desuetudinem abierant passim in formas sibi notas depravarunt. Vivo Menandro non aliter quam γαμῶ, καλῶ, ἐγκαλῶ, συγκαλῶ, τελῶ, διατελῶ, ἀκοῦμαι dicebant Attici, ut μαχοῦμαι multaque alia, numquam γαμήσω, καλέσω, τελέσω similiaque, quibus sequior Graecitas uti solebat. Futurum γαμῶ intactum est in Menandri loco apud Athen. XIII. 559. C. οὐ γαμεῖς, ἂν νοῦν ἔχῃς, et apud Schol. Eurip. Rhes. 244.

εἰ μὴ γαμεῖς γὰρ ἔσχατον νόμιζέ με
Μυσῶν.

et futurum καλῶ apud Suid. v. ἀπόστα.

ἐμοὶ παράστα. τὴν θύραν κόψας ἐγώ
καλῶ τιν' αὐτῶν.

et futurum ἐξακεῖσθαι apud Eustathium p. 1647, 58.

ἐξακεῖσθαί μοι δοκῶ τὸ δίκτυον.

et futurum διατελῶ in Diphili fragm. apud. Athen. VII. 291. F.

οὐ μὴ παραλάβω σ' οὐδαμοῦ, Δράκων, ἐγὼ
ἐπ' ἔργον, οὗ μὴ διατελεῖς τὴν ἡμέραν
τραπεζοποιῶν ἐν ἀγαθοῖς πολλοῖς χύδην.

et similia alibi non raro in Comoedia leguntur, in quibus nonnumquam librarii et scioli ne suspicabantur quidem futuri temporis eas formas esse. In reliquis scriptoribus Atticis saepenumero pepercerunt formae antiquae imprimis in iis locis, ubi non unicuique continuo apparebat futurum tempus requiri. Sic in Aeschinis Ctesiphontea non attigerunt futurum διατελῶ § 37 quia praesens esse putabant et in Demosthenis Leptinea p. 465, 2 et 22 futura συντελεῖ et συντελοῦσιν evaserunt et in Platonis Protagora p. 311. E. τελοῦντε et in Euthydemo p. 277. E. χορεύετον περὶ σέ — ὡς μετὰ τοῦτο τελοῦντε, quod esse futurum vides, et in Phaedone p. 91. A. ξυνδιατελεῖ. Contra in Platonis Remp. IV. 425. E. vitiosa forma Graeculorum διατελέσουσιν invecta est, ut διατελέσει in Demosthenis Midianam p. 536, 6 et τελέσουσιν in Cyropaediam VIII. 6. 3. Irrepserat idem vitium in Isocratis Archidamum § 87 ubi διατελέσομεν in omnibus libris est, unus Urbinas, omnium qui exstant Codicum Graecorum fidelissimus antiqui sermonis testis, cum sexcentis aliis vitiis hoc quoque removit servans genuinum διατελοῦμεν. Eadem est ratio futuri καλῶ, quod Graeculi mirantur et in καλέσω refingunt nescientes usum veterem, quem Photius in v. καλοῦμεν: ἀντὶ τοῦ καλέσομεν demonstravit, respiciens, ut opinor, locum Aristophanis in Avibus 203.

ἔπειτ' ἀνεγείρας τὴν ἐμὴν ἀηδόνα
καλοῦμεν αὐτούς.

ubi olim Graeculi malesanam scripturam καλοῖμ' ἂν αὐτούς de suo reposuerunt. Caeterum futurum καλῶ saepe apud eundem et alios incolume ad nos pervenit, ut in Avibus 849. τὸν ἱερέα — καλῶ, in Acharn. 968. τοὺς ἀγορανόμους καλῶ, in Ran. 298. οὐ μὴ καλεῖς με, in Nub. 632. αὐτὸν καλῶ θύραζε, et vs. 1001. καί σε καλοῦσι βλιτομάμμαν et 1221. ἀλλὰ καλοῦμαι Στρεψιάδην, et sic passim καλῶ legitur apud Xenophontem et Platonem, cui redde in Charmide p. 155. A. καλοῦμεν. In Oratoribus grassati sunt Graeculi, qui saepe suum καλέσω iis, ut διατελέσω, affricuerunt: saepe tamen καλῶ evasit, ubi futurum esse non ani-

madverterant, ut apud Isaeum VI. § 34. καλῶ τοὺς μάρτυρας, Lycurgum in Leocr. § 23, Demosthenem p. 553, 21 et 568, 21 et alibi. Καλέσω male pedem intulit in Aeschinis Timarcheam § 67, ubi statim genuina forma καλῶ in re eadem posita elapsa est, et saepius in compositis peccatur: συγκαλῶ, ἐγκαλῶ, παρακαλῶ subinde servata sunt, etiam apud Oratores. In Demosthenis oratione περὶ εἰρήνης pag. 59, 2. δεινὸν εἴ τις ἐγκαλεῖ τοῖς ἐκεῖθεν ἐνθάδε τὰς εὐπορίας ἄγουσιν optime latuit futurum ἐγκαλεῖ et sine malo evasit, quoniam praesens esse Graeculi putabant. Eadem forma sine labe legitur in Isocratis Trapezit. § 56. ἦλθον συκοφαντήσων καὶ ἐγκαλῶν et apud Dinarchum c. Dem. § 113. τρέψετε καὶ ἐγκαλεῖτε, et in Timarchea § 107. ὧν οὐδένα ἔγωγε παρακαλῶ δεῦρο et alibi, quo magis sunt vitii manifesta haec: παρακαλέσειν apud Demosth. p. 93, 16 (non moror Psephismata a Graeculis inepte conflata ubi p. 282, 17 et 283, 2 παρακαλέσουσιν occurrit) et ἐγκαλέσει Demosth. p. 217, 4 et 382, 7; et ἐγκαλέσουσιν, ibid. p. 661, 9; et ἐπικαλέσεται apud Lycurgum in Leocr. § 17 et 143; et ἐκκαλέσεσθαι apud Aeschinem in Tim. § 174. Eidem redde in Ctesiphontea § 64. ὅπως μὴ περιμενεῖτε τοὺς πρέσβεις, οὓς ἦτε ἐκπεπομφότες παρακαλοῦντας ἐπὶ Φίλιππον, pro περιμείνητε et παρακαλοῦντες. Fidem faciat ipse Aeschines de F. L. § 60. πρέσβεις ἐξέπεμψε παρακαλοῦντας, ubi vide quid scribae turbent in plerisque libris, et sic Xenophon in Hellen. VI. 3. 2. recte dixisse videbitur πρέσβεις ἔπεμψε παρακαλοῦντας i. e. οἵτινες παρακαλοῦσι non παρακαλῶν. Itaque hoc tenebimus: Graeci veteres in his omnes summa constantia utebantur formis contractis, ut τελέσω, καλέσω sim. coniunctivi sint, ut κομίσω, futura esse non possint, quemadmodum neque κομίσω. At si praecedit syllaba, quae aut natura aut positione producta est, σ non eliditur, ut in ἀρκέσω, ἐξαρκέσει, αἰδέσομαι, αἰνέσομαι, ἀχθέσομαι, sed μαχοῦμαι prima correpta. Apud sequiores formae contractae in desuetudinem abierant, et si qua in veterum scriptis apparebat notabant sedulo et vulgarem apponebant, unde nota vitia et errores nati. In antiqua Ionica Dialecto futura erant καλέω, τελέω, γαμέω, κορέω, ἀπολέω, sim., quae apud Homerum sine fraude ad nos permanarunt, ut Ἑλένην καλέουσ' ἴεν Iliad. Γ. 383. et ὄφρ' ἂν ἐγὼ ἔλθω Σπάρτην — Τηλέμαχον καλέουσα Odyss. N. 412. et

alibi. Apud Herodotum Graeculi impune adhuc grassati sunt, cui affricuerunt III. 74. φάμενοι Πέρσας πάντας συγκαλέσειν, ubi συγκαλέειν etiam invitis libris esset rescribendum, nunc id ipsum legitur in libris omnibus praeterquam in uno Archia (S.), quem incaute Editores sequuntur. Etiam peius est quod legitur IV. 125. διαμαχέσονται et 127. μαχεσόμεθα et VII. 102. μαχέσονται et 209. μαχέσονται et μαχεσόμενοι, quoniam nulli umquam Graeci μαχέσομαι dixerunt: Iones enim dicebant μαχέομαι, Attici μαχοῦμαι, sequiores μαχήσομαι, quamobrem Herodoto redde διαμαχέονται, μαχεόμεθα etc. Eidem VII. 103. restitue futurum μαχέεσθαι pro μαχέσασθαι et pro forma prorsus barbara praesentis μαχεόμενοι VII. 104. rescribe μαχόμενοι. Eiusdem farinae est futurum κορέσω, quod bis legitur apud Herod. I. 202 et 214, cuius genuina forma apud Homerum aetatem tulit Iliad. Θ. 879.

ἤ τις καὶ Τρώων κορέει κύνας ἠδ' οἰωνούς.

et N. 831. ἀτὰρ Τρώων κορέεις κύνας ἠδ' οἰωνούς, ubi non defuerunt qui κορέσεις prave scriberent: hinc Herodoto κορέω suum redde. Futurum καλέοντα, quod apud Herod. VII. 15. legitur in his: Ξέρξης ἀνά τε ἔδραμε ἐκ τῆς κοίτης καὶ πέμπει ἄγγελον ἐπὶ Ἀρτάβανον καλέοντα formam quidem habet Graecam, sed orationem soloecam et impeditam facit. Rectissime dicitur πέμπει ἄγγελον ἐπὶ Ἀρτάβανον: satis recte dici poterat πέμπει ἄγγελον Ἀρτάβανον καλέοντα, sed utrumque ἐπὶ Ἀρτάβανον καλέοντα dici non potest nisi ab eo, qui quid sit ἐπὶ Ἀρτάβανον non intelligat. Correctores antiqui in cod. S. et aliis ἐπί expunxerunt: aliquanto melius καλέοντα delevissent, quod mecum quisque delebit qui inter legendum animadverterit quam saepe scioli et correctores participium futuri de suo adscripserint, ubi ἐπί τι ἰέναι, πέμπειν sim. leguntur eo sensu, quo μετά apud veteres Iones ponebatur in ἰέναι μετὰ ξύλον, μεθ' ὕδωρ, εἰς Τεμέσην μετὰ χαλκόν, μετὰ κῶας et sim., quod retinuere caeteri Graeci in μεταπέμπομαι, μετιέναι, μεθήκειν, μεταπορεύομαι, μεταθεῖν, μετατρέχειν sim. Male latet interpolatio huiusmodi in oratione κατὰ Νεαίρας (quae quamquam ab ipso Demosthene scripta non est, tamen optime Graece et venustissime scripta est) p. 1348, 6. Ἀφίδναζέ ποτε ἀφικόμενος ἐπὶ δραπέτην αὐτοῦ ζητῶν, ubi ζητῶν magistro reddendum est, qui quid esset ἐπὶ

δραπέτην ἀφικέσθαι volebat ostendere. Saepius idem vitium orationem deturpat Thucydidis, qui obsitus est importunis emblematis subinde perabsurdis, semper insulsis et inficetis. Indicabo raptim unum et alterum locum: libr. VI. c. 53. καταλαμβάνουσι τὴν Σαλαμινίαν [ναῦν] ἐκ τῶν Ἀθηνῶν ἥκουσαν ἐπί τε Ἀλκιβιάδη [ὡς κελεύσοντας ἀποπλεῖν] ἐς ἀπολογίαν ὧν ἡ πόλις ἐνεκάλει καὶ ἐπ' ἄλλους τινὰς τῶν στρατιωτῶν, ubi expunge quae uncinis inclusimus. Quis non intelligit quam male Graece dictum sit in ea re ὡς κελεύσοντας ἀποπλεῖν, quasi vero ἀποπλεῖν hoc esset aut ullus voculae ὡς esset locus. Recte scribitur post pauca cap. 61. πέμπουσιν οὕτω τὴν Σαλαμινίαν [ναῦν] ἐπί τε ἐκεῖνον καὶ ὧν πέρι ἄλλων ἐμεμήνυτο praeter puerile istud ναῦν, quod quis ab ipso historico additum esse arbitrabitur? Plane simile est vitium VII. 74. τὴν δὲ Πάραλον [ναῦν] ἀποπέμπουσιν ἐς τὰς Ἀθήνας. Iterum ἐπί glossema peperit VII. 7. ὁ Γύλιππος ἐπὶ στρατιάν τε ᾤχετο καὶ ναυτικὴν καὶ πεζικὴν [ξυλλέξων] καὶ τῶν πόλεων ἅμα προσαξόμενος εἴ τις κτέ. ubi ἐπὶ στρατιὰν ᾤχετο significat, ut opinor, ᾤχετο στρατιὰν ξυλλέξων, ut rectissime componantur ᾤχετο ἐπὶ στρατιάν τε καὶ προσαξόμενος: praeterea scribe καὶ πεζήν. Compara cum his quae Valckenaerius ad Herod. VII. 193. collegit. Similes sciolorum interpolationes sibi quisque facili negotio permultas colliget, qui non nimis *vetustissimas membranas* venerabitur aut quamlibet orationis negligentiam *gratam* esse sibi persuadebit. Non multos habemus codices Graecos Platonicis vetustate et fide pares, at vel sic tamen puerilia emblemata apud Platonem apparent, quibus omnis orationis nitor et venustas et saepius ipsa sententia plane disperit ut facundissimus mortalium aut pueriliter balbutire aut nihil dicere videatur. Quid impedit quo minus duo huius rei luculenta exempla expromam et sic ad Menandrum revertar? In Platonis Philebo p. 13. B. editur: πῶς λέγεις; ὦ Σώκρατες. οἴει γάρ τινα [συγχωρήσεσθαι] θέμενον ἡδονὴν εἶναι τἀγαθὸν εἶτ' ἀνέξεσθαί σου λέγοντος τὰς μὲν εἶναί τινας ἀγαθὰς ἡδονάς, τὰς δέ τινας ἑτέρας αὐτῶν κακάς; ubi manifestum est, opinor, συγχωρήσεσθαι a maleferiato additum expungi oportere, ut caetera rectissime et ut Platonem decet dicta sint. In Euthydemo p. 295. E. in omnibus libris est: ἀλλ', εἰ δοκεῖ σοι, Εὐθύδημε, οὕτω ποιεῖν, ποιητέον. σὺ γὰρ πάντως που κάλλιον ἐπίστασαι δια-

λέγεσθαι ἢ ἐγὼ τέχνην ἔχων ἰδιώτου ἀνθρώπου. Qui haec ita depravavit corrector Graeculus eundem olim erravit errorem, quem novissimus editor, qui *τέχνην ἔχων ἰδιώτου ἀνθρώπου* coniungebat ut esset: »*quum non aliam nisi ἰδιώτου artem teneam*" idque esse: »*quum artis sim imperitus.*" Significant autem haec verba *τέχνην ἔχων ἀνθρώπου τέχνην οὐκ ἔχοντος*, quoniam *τέχνην ἔχειν* et *ἰδιώτην εἶναι* contraria sunt. Estne hoc pueriliter balbutire *ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ* an non est? Expunge *ἢ ἐγώ* et omnia erunt sanissima adeoque luce clariora: *ἰδιώτου ἀνθρώπου* ex *κάλλιον* pendent et scita haec est verborum collocatio, ut in oraculo:

αἲ τὺ ἐμεῦ Λιβύαν μαλοτρόφον οἶδας ἄμεινον
μὴ ἐλθὼν ἐλθόντος ἄγαν ἄγαμαι σοφίαν σευ.

nam sic scribendum est apud Herod. IV. 157. ne Ionica Doricis indecore misceantur. In Platonis loco priores Interpretes intellexerant utique *ἰδιώτου ἀνθρώπου* fuitque qui *ἐμοῦ ὄντος* de suo adderet. Rem ipsam tenebat sed more Platonis dicere non potuit. Alius in his verbis deprehendit »*gratam orationis negli*»*gentiam*" namque »*genitivus ἰδιώτου ἀνθρώπου pendet a μου quod* »*scripsisse se putabat auctor, sed pro quo revera scripserat ἢ ἐγώ*". Quibus haec placebunt aut satisfacient iis perdifficile erit *ingratae* negligentiae exemplum ullum reperire et putare videntur quo quid negligentius dictum sit eo fieri gratius. Sed verbum non addo: hoc enim apparere puto olim sciolum nescio quem quum in hoc loco haereret ut se expediret *ἢ ἐγώ* adscripsisse, idque dudum irrepsisse in libros, quum codex Bodleianus caeterique optimi exararentur. In diem magis apparet philologis, quantopere insipida sciolorum additamenta aut magistrorum interpretamenta nitidum et sanum scribendi genus veterum impediant et obscurent. Notis exemplis ex Cicerone et Livio obiter pauca adiiciam. Cicero pro Cluentio 27. § 73 *Manarat sermo in consilio pecuniae quamdam mentionem* [inter iudices] *esse versatam.* Inepte: *in consilio* significat *inter iudices,* isque sermo non inter paucos iudices fuerat agitatus, sed *manarat* id est *ad multorum notitiam pervenerat.* In eadem oratione 25. § 67. *Non ignoratis, iudices, ut etiam bestiae fame monitae plerumque ad eum locum ubi pastae aliquando sint, revertantur. Staienus ille — sexcentis millibus nummum se iudicium corrupturum esse dixerat.*

Quae quum accepisset a pupillo suppressit. — *Quam quum pecuniam profudisset* — *statuit ad easdem sibi praedas* [ac suppressiones iudiciales] *revertendum.* Etiam si quis bene Latine *suppressio iudicialis* dici posse putabit, tamen facile vincam Ciceronem scripsisse: *statuit ad easdem sibi praedas revertendum.* Lepidus homo fuit qui ad Livii verba XXI. 40. *duabus partibus amissis* olim adscripsit: *cum plures paene perierint quam supersunt*, et ne hoc quidem intelligebat si *duae partes* amissae essent *tertiam* partem superesse. Difficile est sine risu audire Minutium in summa animi contentione haec dicentem Liv. XXII. 14. *atque illo ipso die media in urbe* [qua nunc busta Gallica sunt] — *cecidit Gallorum legiones.* Apage importunam illam eruditionem, quae melius V. 58. locum tuebitur. Expunge emblema XXIV. 18. *hortatique ut omnia perinde agerent* [locarent] *ac si pecunia in aerario esset* et XXV. 12 in antiquo oraculo: *Amnem Troiugena Cannam* [Romane] *fuge*, quo non est emblema aliud manifestius. De Graeco haec versa esse et ipsa res et orationis Latinae color arguunt. Suspicor versum Graecum fuisse huiusmodi:

τὸν Κάννης ποταμὸν, Τροιηγενές, ἐξαλέασθαι.

Quis *Troiugena* dicatur nemo umquam in Livio legendo potuit aut poterit nescire. Et tamen etiam evidentius apud Livium emblema est, in quo indicando finem faciam. Legitur VI. 1. *Q. Fabio — dicta dies est, quod* [legatus] *in Gallos, ad quos missus erat orator, contra ius gentium pugnasset.* Vides glossam *legatus* olim ad *orator* adscriptam perdidisse omnia. *Pugnare in hostem* quid sit iis qui Livium legunt notissimum est, vid. III. 12. VIII. 6 et 7 et alibi. Sed ad Menandrum revertendi iam tempus est, qui barbare dixisse creditur *ἐγάμησα*, teste Scholiasta Lipsiensi ad Iliad. I, 394:

Πηλεύς θήν μοι ἔπειτα γυναῖκά γε μάσσεται αὐτός.

qui depravata olim scriptura *γαμέσσεται* usus annotavit *ἐντεῦθεν ἔλαβε Μένανδρος τό· ἐγάμησεν ἣν ἐβουλόμην ἐγώ*, quae non uno nomine suspiciosa sunt. Ne dicam Menandrum apud Homerum *γε μάσσεται* legisse et id quod dixisse dicitur absque Homero dixisse, tam levis est auctor Scholiorum Lipsiensium, ut ei soli credi non possit immanem barbarismum poëtae quamvis

negligenti excidisse. Menander, ut omnes, *ἔγημα* dicebat, ut in fragm. incert. CCCXI Meinek.

ὁ νῦν ἔχων Ἀβροτόνιον τὴν ψάλτριαν
ἔγημ' ἔναγχος; B. *πάνυ μὲν οὖν.*

careat igitur Menander eo crimine et levis auctor contemnatur.

Porsonus et Meinekius Menandri locum mutilum apud Athen. VI. 247. E. ita expleverunt ut Graecitatis consuetudinem et usum violarent. Dicebatur nescio quis ad coenam invitatus egisse gratias, tum aliquis ita dicere incipit:

τοῦθ' ἑταῖρός ἐστιν ὄντως. οὐκ ἐρωτᾷ πηνίκα
δεῖπνόν ἐστιν, ὥσπερ ἕτεροι, καὶ τί δειπνεῖν κωλύει
τοὺς παρόντας, εἶτα δεῖπνον ἕτερον εἰς τρίτην βλέπει
εἶτα περίδειπνον πάλιν.

prima verba corrupta sunt. Codex servat: *τοῦθ' ἑταῖροσ ὄντωσ ἐστιν*, quae metri causa transposita sunt, sed quid prodest? nihil significat *τοῦθ' ἑταῖρός ἐστιν ὄντως*, Graecum est *οὗτος ὄντως ἐσθ' ἑταῖρος*. In quarto versu apparet *εἶτα* repetitum peperisse lacunam: itaque Porsonus supplebat *εἶτα δ' ἕτερον εἰς τετάρτην*, quem secutus Meinekius *εἰς τετάρτην δ' αὖθις ἕτερον* coniiciebat. Non potest hoc Menander scripsisse, quoniam Attici non *τετάρτην* dicebant sed *τετράδα*, ut in *τετράδι γεγονέναι*, *πλακοῦς ἐν τετράδι πεπεμμένος*, *τετρὰς ἐπὶ δέκα*, *τετράδι φθίνοντος*. Menander ipse apud Athen. VI. 243. A. *ἵνα τῇ τετράδι δειπνῇ παρ' ἑτέροις*. Solebant enim *τὴν τετράδα* hilare sumere et *συνάγειν* (*convivium celebrare*), quod *τετραδίζειν* dicebant, unde *οἱ τετραδισταί* nomen habebant. Alexis Athen. VII. 287. F.

ὃς τοῖς τετραδισταῖς μὲν παρέθηκεν ἑστιῶν
πρῴην λέκιθον καὶ μεμβράδας καὶ σέμφυλα.

At videtur his Theophrastus adversari, qui eum diem *τετάρτην* dixerit in Charactt. XXVI. *τὸν δεισιδαίμονα* describens: *καὶ ταῖς τετάρταις δὲ καὶ ταῖς ἑβδομάταις προστάξας οἶνον ἕψειν τοῖς ἔνδον ἐξελθὼν ἀγοράσαι μυρσίνας κτἑ.* Haec enim ex egregio Codice Vaticano Siebenkees attulit, qui praeclaro invento tam negligenter et oscitanter usus est ut Theophrasto plus nocuisse quam profuisse videatur. Descripsit autem Codicem Palatino-Vaticanum ea socordia, quantam in nullo alio me umquam vidisse memini. Ipse Romae quantivis pretii librum qua potui maxima cura et diligentia inspexi et descripsi et cum pulvisculo quidquid ad

Theophrasti orationem constituendam in eo inest excussi, quae omnia propediem in his ipsis Lectionibus expromam. In nostro loco optimus Codex hanc scripturam servat: καὶ ταῖς τετράσι δὲ καὶ ταῖς ἑβδομάσι προςάξας οἶνον ἕψειν τοῖς ἔνδον, et τετράσι quidem perspicue est scriptum, in ἑβδομάσι librarius compendio usus est deditque ἑβδομ̃ et literae μ caudam de more addidit, ut syllabam omissam esse appareret. Quid eo facias, qui hinc ἑβδομάταις effinxit? Itaque hoc tenebimus εἰς τετάρτην Menandro non esse obtrudendum, et praeter εἶτα nihil esse in his supplementis boni.

In alio Menandri loco Bentleius vitium non sustulit sed ultro invexit. Apud Stephanum Byzant. v. Δωδώνη haec Menandri afferuntur:

ἐὰν δὲ κινήσῃ μόνον τὴν Μυρτίλην
ταύτην τις ἢ τίτθην καλῇ πέρας ποιεῖ
λαλιᾶς. τὸ Δωδωναῖον ἄν τις χαλκίον,
ὃ λέγουσιν ἠχεῖν, ἣν παράψηθ' ὁ παριών,
τὴν ἡμέραν ὅλην, καταπαῦσαι θᾶττον ἢ
ταύτην λαλοῦσαν. νύκτα γὰρ προσλαμβάνει.

Bentleius de suo dedit in vs. 2. πέρας οὐ ποιεῖ λαλιᾶς quod vertit *numquam loquendi finem facit*, idque omnes probatum receperunt. Mihi πέρας ποιεῖν pro παύεσθαι et πέρας οὐ ποιεῖ λαλιᾶς pro λαλοῦσα οὐ παύεται Graeca esse non videntur nec dubito quin Menander id ipsum quod in bonis libris est πέρας ποιεῖ λαλιᾶς scripserit, quod multo lepidius dictum est, modo recte intelligatur. Πέρας Graecis est τὸ ἑκάστου ἔσχατον, id quod in quaque re *extremum* est quo perveniri potest et quo non est progredi ulterius. Tritum est ita dicere de arte aut artificio, quod plane perfectum absolutumque est et iam a nullo superari potest, quod τὸ πέρας τῆς τέχνης appellabant. Iocose Posidippus apud Athen. IX. 377. A. τῆς τέχνης πέρας τοῦτ' ἐστίν et Hegesippus Athen. VII. 290. A. τὸ πέρας τῆς μαγειρικῆς — εἰδέναι νόμιζε μόνον ἐμέ. Eo se pervenisse Parrhasius satis arroganter, sed non ineleganter, iactabat in Epigrammate apud Athen. XII. 543. D.

εἰ καὶ ἄπιστα κλύουσι λέγω τάδε. Φημὶ γὰρ ἤδη
τέχνης εὑρῆσθαι τέρματα τῆσδε σαφῆ
χειρὸς ὑφ' ἡμετέρης. ἀνυπέρβλητος δὲ πέπηγεν
οὖρος, ἀμώμητον δ' οὐδὲν ἐγέντο βροτοῖς.

τέρματα et οὖρος ei sunt, quod πέρας in quotidiano sermone. Eo ipso nomine in re eadem utitur Zeuxis Parrhasio respondens, ut videtur, apud Aristidem in orat. περὶ τοῦ παραφθέγματος p. 386, 8.

Ἡράκλεια πατρὶς, Ζεῦξις δ' ὄνομ', εἰ δέ τις ἀνδρῶν
ἡμετέρης τέχνης πείρατά φησιν ἔχειν
δείξας νικάτω.

Iocosius etiam ipse artifex πέρας dicebatur. Philostephanus Athen. VII. 293. A.

εἰδώς σε πάντων διαφέροντα τῇ τέχνῃ
τῇ τ' ὀξύτητι μετὰ Θίβρωνα, Δαίδαλε,
τὸν ἐξ Ἀθηνῶν, τὸν καλούμενον Πέρας.

Praeterea πέρας eodem sensu in aliis rebus solebat dici. Leni remedio sanandus est locus Damoxeni apud Athen. I. 15. qui de adolescentis egregia forma scribit:

πέρας ἔτι κάλλους, ἄνδρες, οὔτ' ἀκήκοα
ἔμπροσθεν οὔθ' ἑόρακα τοιαύτην χάριν.

Porsonus πέρας τι κάλλους coniecit, quod omnes probant, tu corrige πέρας ἐστὶ κάλλους et sic loqui solent qui quid calidius admirantur. Etiam in deteriorem partem πέρας trahi potest, ut apud Aristophanem est Ran. 421.

κἀστὶν τὰ πρῶτα τῆς ἐκεῖ μοχθηρίας,

et sic Apicius summae luxuriae exemplum ἀσωτίας πέρας dicitur apud Aelianum (in Suid. v. Μάρκος Ἀπίκιος) Ἀπίκιος ὡς ἦν ἀσωτίας πέρας οὐδείς ἀντιφήσει. Sic igitur loquacissima una omnium vetularum πέρας ποιεῖν λαλιᾶς a Menandro festivissime dicta est.

Male coaluisse suspicor duo Menandri fragmenta apud Stob. Floril. XCVI. 11.

πρὸς ἅπαντα δειλὸν ὁ πένης ἐστὶ γάρ
καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.
ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον
ἅπαντα τἀνιαρὰ, Λαμπρία, φέρει.

nam quae causa affertur scilicet, quamobrem pauperes *ad contumeliam omnia accipiant magis et propter suam impotentiam se semper credant ludier* ab ea re aliena est, et verba ὁ γὰρ μετρίως πράττων περισκελέστερον τἀνιαρὰ φέρει non conveniunt loco Terentiano in Adelph. IV. 3. 14. qui illinc sumtus esse putatur.

Saepe hoc in Stobaeo factum est ut aliena conglutinarentur; deinde quid sit φέρειν τἀνιαρὰ περισκελῶς et περισκελέστερον cogitandum est. Suspicantur significare χαλεπῶς, χαλεπώτερον, quod non videtur veri simile: sed σκληρῶς aut στερρῶς significare arbitror, ut est in Gnomis Monostichis vs. 480.

στερρῶς φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ.

quae antiqua et vera lectio est fragmenti Euripidei in Stob. Floril. CVIII. 18.

ἀλλ' εὖ φέρειν χρὴ συμφορὰς τὸν εὐγενῆ.

et docet vitae usus calamitates et aerumnas a tenuioribus fortius et constantius ferri solitas: quo melius intelligitur duo fragmenta esse dispescenda, et alterum cum Adelphis nihil commune habere.

In Menandri fragm. ex Orionis Gnomol. I. 19.

εἰμὶ μὲν ἄγροικος καὐτὸς οὐκ ἄλλως ἐρῶ,

quod solebant dicere omnes οὐκ ἄλλως λέγω reponendum est et notandum quam saepe ἐρῶ et λέγω fuerint confusa, ut apud Demosth. p. 184. 1. πλήρωσιν δὲ μετὰ ταῦτα λέγω, ubi correctores Codd. quorundam λέξω invexerunt, sed ἐρῶ verum est. Simillima sunt Euripidea in Rheso 271.

σκαιοὶ βοτῆρές ἐσμεν, οὐκ ἄλλως λέγω,
ἀλλ' οὐδὲν ἧσσόν σοι φέρω κεδνοὺς λόγους.

In fragm. apud Ammonium p. 62.

Ἐλευθερῶν ἀπῆλθεν εὐθὺς ὡς ταχύ.

corrige ὡς τάχος, i. e. ὡς τάχιστα. Apud Athen. XIV. p. 651. A. ἀμυγδαλᾶς ἐγὼ | παρέθηκα καὶ τῶν ῥοιδίων ἐτρώγομεν, verum est ἐνετράγομεν, namque aoristus requiritur et ἐντραγεῖν dicebant Attici, non τρώγειν. Apud Antiphanem Athen. II. 56. E. κάρυ' ἐντρώγειν, quod metrum violat, bene mutarunt in ἐντραγεῖν.

Quamquam neque res neque oratio constat in fragm. apud Stob. Floril. LI. 27.

τὰ γὰρ τολμηρὰ τῶν ὄχλων ἔχει
ἐν τοῖς λογισμοῖς τὰς ἐπιδείξεις δυσκόλους,
ἐν τῷ δὲ πράττειν, ἂν λάβῃ τὸν καιρὸν εὖ,
ἀπροσδόκητον τὴν τέχνην ἐξηύρατο.

tamen quid Poëta voluerit satis in his tenebris dispicitur: itaque primum τὰ γὰρ τολμηρὰ τῶν ἔργων correxerim, deinde ἂν λάβῃς τὸν καιρὸν εὖ, ut in fragmento eiusdem fabulae apud

Stob. Floril. XXXV. 5. ἄν τις τὸν καιρὸν εὖ λάβῃ, denique in sqq. non obscure latet sententia: *audaces fortuna iuvat* neque admodum difficile est *Fortunam* in τέχνην absconditam evocare. Solemnis est confusio litterarum τ et ψ, quae olim tam simili forma scribebantur, ut scribae τύχην et ψυχήν etiam iis locis confuderint, ubi vel caecus videat utra scriptura sit potior, similiterque εὐτυχία et εὐψυχία, εὐψύχως et εὐτυχῶς locum inter se mutant, conf. Porson. ad Eurip. Medeam vs. 553 et 722. In Menandri fragm. apud Stob. Floril. IV. 6.

τί σαυτὸν ἀδικῶν τὴν ψυχὴν καταιτιᾷ;

recte emendant τὴν τύχην. Neophron Stob. Floril. XX. 34.

καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι ψυχὴν ἐμὴν
ὁρῶσ' ἔρημον καὶ παρημελημένην
ὑφ' ὧν ἐχρῆν ἥκιστα;

scripsit, opinor, τύχην ἐμήν. Contra Dionysio Halic. A. R. IV. 28. redde: ἔτυχε δὲ τῶν γαμβρῶν ἑκάτερος ἐναντίᾳ συναφθεὶς ψυχῇ pro τύχῃ. Deinde τέχνῃ et τύχῃ facile permiscentur, unde fit ut duplici errore τέχνῃ et ψυχή confundantur. In Andocidis oratione κατ' Ἀλκιβιάδου § 26. λογιζόμενος τοὺς ἀγῶνας τοὺς ἱππικοὺς τύχῃ τοὺς πλείστους κρινομένους assentientur mihi, spero, οἱ ἱππικοί reponenti τέχνῃ. Philemon Stob. Floril. XXX. 4.

κἂν μὲν ὁρμισθῇ τις ἡμῶν εἰς λιμένα τὸν τῆς τύχης
ἐβάλετ' ἄγκυραν καθάψας ἀσφαλείας οὕνεκα,

ubi Bentleius cum omnium plausu τέχνης emendavit [1]. Contra in Posidippi loco ap. Stob. Floril. XXXVII. 14.

διὰ τὴν τέχνην μὲν γνωρίμους ἐκτησάμην | πολλούς,

male Meinekius διὰ τὴν τύχην corrigebat: διὰ τύχην utique dicendum erat, sed sanissimum est τέχνην. Poterat homo κουρεὺς εἶναι τὴν τέχνην, et hinc γνωρίμους permultos habere. At in Nicostrati fragm. apud Eustath. p. 667, 4, ubi ex antiquis Scholiis docet βλοσυρόν esse σεμνόν et haec affert: νὴ τὴν Ἀφροδίτην, ὦ ξένη, | βλοσυράν γε τὴν ψυχὴν ἔχεις, non errabis si τὴν τέχνην corriges. Lena erat, ut suspicor. Contra Anaximeni

---

[1]) In eiusdem fragm. vs. 1. legitur ἂν ὀκνῇς τὸ μανθάνειν, ubi τό manifesto soloecam orationem facit. Lege γάρ. Vidi nuper qui μέλλε τὸ γαμεῖν Graecum esse putaret et stomacharetur quod essent, qui se talia ferre posse negarent.

apud Stob. Floril. XCVII. 22. pro *ἡ πενία πρὸς τὰς τέχνας δεινοτέρους — τοὺς ἀνθρώπους καθίστησι* redde *πρὸς τὰς τύχας δειλοτέρους.* Itaque Menandro dicebantur callida consilia, si quis occasione sollerter uteretur, *ἀπροσδόκητον τὴν τύχην — προσλαμβάνει* v. c., aut simile verbum, namque *ἐξηύρατο* et *ἐξεύρετο* lectiones sunt nihili.

Menander apud Athen. XI. 504. D.

καὶ ταχύ
πάλιν τὸ πρῶτον περισοβεῖ ποτήριον
αὐτοῖς ἀκράτου.

ineptissime *πάλιν* e vicinis irrepsit. Emenda

καὶ ταχὺ τὸ πρῶτον περισόβει ποτήριον.

quae domini verba sunt ad servulum pocula ministrantem.

Multa turbata sunt in Menandri fragm. apud Athen. XIV. 659. D.

σπονδή. δίδου σὺ σπλάγχν' ἀκολουθῶν· ποῖ βλέπεις;
σπονδή. Φερεσωπλείω ωσία. σπονδή. καλῶς.
ἔγχει. θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίαισι πᾶσι πάσαις.

in secundo versu de Piersoni coniectura editur: *Φέρ', ὦ παῖ Σωσία*, quod propterea est improbandum, quia qui dicit *ὦ παῖ*, *ὦ διάκονε*, et sim. nomen servuli non addit. Itaque *Φέρ' οἶνον*, *Σωσία*, scriptum fuisse olim suspicor, qua scriptura vix apparente librarius dormitans scripsit temere aliquot litterulas quarum ΦΕΡ et ΩΣΙΑ tantum genuinae sint. In primo versu *ἀκολουθῶν* vitium concepit: legerim *ἀκόλουθε*. Deinde quod Piersonus pro *εὔχου* reposuit *ἔγχει* quamquam id in ea re satis tritum est, haud scio tamen an non poëta *ἐγχοῦ* dederit, quod facillime in ΕΥΧΟΥ potuit depravari.

Intercidit pars sententiae in Menandri dicto apud Stobaeum Floril. CXXI. 10.

ὅταν ᾖ γέρων τις ἐνδεής τε τὸν βίον
οὐδὲν τὸ θνήσκειν δεινόν, ἀλλ' ἐν τῷ καλῶς
ἑκάτερον αὐτῶν τὴν διάγνωσιν φέρει.

periisse nonnulla indicio est *ἑκάτερον* in versu tertio et lectio optimi codicis A. *οὐδ' αὖ* in secundo, unde apparet Poëtam dixisse aliquid huiusmodi:

ὅταν ᾖ γέρων τις ἐνδεής τε τὸν βίον,

οὐκ ἔςι τὸ ζῆν αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ γλυκὺ
οὐδ' αὖ τὸ θνήσκειν δεινόν, κτέ.

vivas tum an moriaris perinde est, inquit: id solum discrimen facit utrum eorum bene et honeste possit fieri. Si honeste vivere datur, vita est potior: non datur, satius est mori.

In Menandri fragmento apud Athen. XIII. 559. C.

οὐ γαμεῖς, ἂν νοῦν ἔχῃς,
τοῦτον καταλιπὼν τὸν βίον. γεγάμηκα γὰρ
αὐτός, διὰ τοῦτό σοι παραινῶ μὴ γαμεῖν.
B. *δεδογμένον τὸ πρᾶγμ', ἀνερρίφθω κύβος.*
A. *πέραινε, σωθείης δὲ νῦν· ἀληθινὸν*
εἰς πέλαγος αὑτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων,
οὐ Λιβυκόν, οὐδ' Αἰγαῖον . . . . . .,
οὗ τῶν τριάκοντ' οὐκ ἀπόλλυται τρία
πλοιάρια, γήμας δ' οὐδὲ εἷς σέσωσθ' ὅλως.

lacunam facile sic expleveris:

οὐ Λιβυκόν, οὐδ' Αἰγαῖον, οὐδὲ Σικελικόν,

in versu tertio corrige *διὰ τοῦτο σοὶ παραινῶ*, et in quinto verba in hunc modum divide: *πέραινε, σωθείης δέ. νῦν ἀληθινὸν κτέ.*

Tyrannorum miserias commemorans nescio quis apud Menandrum in Stob. Floril. XLIX. 8. ita dicit:

ὦ τρισάθλιοι,
τί πλέον ἔχουσι τῶν ἄλλων; βίον
ὡς οἰκτρὸν ἐξαντλοῦσιν οἱ τὰ φρούρια
τηροῦντες, οἱ τὰς ἀκροπόλεις κεκτημένοι.

hanc quoque lacunam et corruptelam facili negotio sic sustuleris: *ὦ τρισάθλιοι, οἳ πλέον ἔχειν ζητοῦσι τῶν ἄλλων, κτέ.*

Glossema irrepsit in Menandri locum apud Stob. Floril. LXXIV. 11.

τοὺς τῆς γαμετῆς ὅρους ὑπερβαίνεις, γύναι,
τὴν αὐλίαν. πέρας γὰρ αὔλιος θύρα
ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμισ' οἰκίας.

mala manus allevit *τὴν αὐλίαν.* Ne dicam frigide admodum et inepte hoc vocabulum praemitti, ubi sequitur *πέρας γὰρ αὔλειος θύρα κτέ.*, ipsa forma arguit hominem Graece imperitum de suo temere id adiecisse. Non aliter Graece dici potest quam *ἡ αὔλειος θύρα*, neque *θύρα* omitti potest et *αὔλιος* plane est barbarum. Graeculi tam diu et tam saepe formas in *-ιος* et *-ειος* con-

fuderunt, ut apud istos quidem promiscue ponantur nihilque tribui possit libris, quos isti scripserint. Neque metrum, neque analogia, neque aliud quidquam homunciones coercet, per quos si stetisset multae formae antiquae et probae sine vestigio intercidissent. Numquam vidi Codicem Graecum in quo ει et ι non imperite permutarentur, estque adeo ea negligentia crebrior in antiquioribus, in quibus abundant formae barbarae ex eo vitio natae. Editores ex ea copia bonam partem corrigunt, sat multa intacta relinquunt. Quam saepe ἀριστοφάνιος, ζηνοδότιος, ἀριστάρχιος, ἐπικούριος in Athenaei Codice legitur? Emendant sedulo. At Μεγάλλιος pro Μεγάλλειος nemo corrigit in Eubuli Athen. XII. 553. B.

καὶ τοὺς πόδας | ἀλείψατ' αὐτοῦ τῷ Μεγαλλίῳ μύρῳ.

aut in Anaxandride ibid. XV. 691. A.

μύροις Μεγαλλίοισι σῶμ' ἀλείφεται.

aut in Amphide eodem loco:

ἔπειτ' ἀλείφειν τῷ Μεγαλλίῳ μύρῳ.

Periit propemodum in Codd. proba forma Ἀκαδήμεια scribis fere omnibus fideli concordia in Ἀκαδημία conspirantibus. Si in poëta legitur metrum pessumdant sed nihil mali suspicantur. Alexis apud Athen. XIII. 610. E.

τοῦτ' ἔστιν Ἀκαδημία, τοῦτο Ξενοκράτης,

dixisse putabatur et Sotion ibid. VIII. 336. E.

Λύκειον, Ἀκαδημίαν, Ὠιδείου πύλας.

et Epicrates ibid. II. 59. D. in anapaestis:

ἐν γυμνασίοις Ἀκαδημίας.

et sic in Nubibus 1002 optimi Codices ἀλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κατιὼν exhibent contra metrum. Nonnumquam Critici in eodem vocabulo corrigunt hoc vitium ubi metri necessitas cogit, negligunt ubi nulla est huiusmodi πειθανάγκη. Defungar exemplo uno sed luculento. Graeci dicebant καθάρειος ut μεγαλεῖος librariis καθάριος scribere praeplacet, unde haec vitia nata sunt: Eubulus Athen. VII. 311. D. et Ephippus VIII. 359. A.

μὴ πολυτελῶς ἀλλὰ καθαρίως ὅ τι ἂν ᾖ,

Nicostratus ibid. II. 65.

μὴ πολυτελῶς ἀλλὰ καθαρίως, δάσυποδα.

Amphis ibid. VII. 295. F.

ἔχειν καθαρίως ἐγχελύδιόν τι καὶ κτέ.

Menander ibid. XIV. 661. F.

ἐὰν | ἡ σκευασία καθάριος ᾖ καὶ ποικίλη.

in his critici καθαρείως restituerunt metro coacti in tribus prioribus: in duobus ultimis καθαρίως et καθάριος aequo animo ferunt. Equidem et illic et ubicumque καθάριος, καθαρίως et καθαριότης legitur utendum arbitror indicio priorum locorum et καθάρειος etc. rescribendum. Miror hanc labem Meinekium non eluisse, qui in Menandri fragmento apud Suidam v. εὐρωτιῶν,

εἰς τὰ καθαρὰ λιμὸς εἰσοικίζεται.

bene emendavit εἰς τὰ καθάρεια, quae sententia quam vera sit noverunt qui in magnis urbibus munditiem multorum animadverterint, quibus plus est elegantiae quam nummorum. Facile esset haec plurimis augere, sed vel haec ipsa satis demonstrabunt Codicum in his nullam omnino esse auctoritatem: analogiam et usum Graecitatis indagandum esse et metrica testimonia, ubi quid his omnibus satis compertum sit spretis futilibus librariis ubique Graecis suum reddendum. In Aristide placuit Dindorfio ubique ἀλαζονία scribere, quasi ex ἀλαζών productum nomen esset. Facile indagantibus apparebit ἀλαζονεία sanum esse, formatum ut εἰρωνεία, παιδεία, δουλεία, κολακεία. Poëta quilibet demonstrare hoc poterit, ut Menander in verissima sententia:

πᾶς ὁ μὴ φρονῶν
ἀλαζονείᾳ καὶ ψόφοις ἁλίσκεται.

Contrarii erroris exemplum unum notabo, quoniam omnium Editiones inficit. Non sunt Graeca λειποτάξιον, λειποστράτιον, λειπομαρτύριον et reliqua eiusdemmodi omnia, sed λιποτάξιον etc. Graeculis aliter visum, qui in λειπο— coniurarunt. Deprehenditur fraus in talibus, quale est hoc Antiphanis apud Athen. VII. 303. F. ubi in Codice est: τὰ δ' ἐγχέλια γράφομαι λειποταξίου pro senario:

τὰ δ' ἐγχέλεια γράψομαι λιποταξίου.

et Xenarchi Athen VI. 225. D.

δόξας καταπίπτει καὶ λιποψυχεῖν δοκῶν.

et multa sunt similia indicia Poëtarum, quibus recte utitur Dindorfius ad Steph. Thes. v. λειπο—, quem miror λιποδεής, λιποδρανεῖν et λιποδρανής concoquere potuisse pro ὀλιγοδεής, ὀλιγοδρανεῖν et ὀλιγοδρανής manifesto errore scripta. Idem bene

Graeca esse putat λιποταξία et λιποστρατία, et est ea communis omnium opinio. At si quid video vitiosae et barbarae hae formae sunt, quas Graeculorum socordia invexit, sanioris Graecitatis analogia respuit, quae postulat formam λιποτάξιον et λιποστράτιον, ut ἀγάμιον, ἀπροστάσιον, ἀναυμάχιον et multa alia in iure Attico omnibus nota. Non est credendum Codicibus Thucydidem scripsisse VI. 76. τοῖς μὲν λειποστρατίαν, τοῖς δὲ ἐπ' ἀλλήλους στρατεύειν, τοῖς δὲ ὡς ἑκάστοις τινὰ εἶχον αἰτίαν εὐπρεπῆ ἐπενεγκόντες κατεστρέψαντο, sed quod ratio docet et linguae usus τοῖς μὲν λιποστράτιον τοῖς δέ κτέ. ut recte apud eundem scriptum est I. 99. καὶ λιποστράτιον εἴ τῳ ἐγένετο, nisi quod λειποστράτιον perpetuo vitio est in libris. Eiusdem monetae est λιποταξία, quod unum testem et auctorem habet Demosthenem in Midiana p. 568, 8 πότερον λιποταξίαν καὶ στρατείας ἀπόδρασιν ἁρμόττει καλεῖν ἢ φιλοτιμίαν; Melius et ipse alibi et caeteri omnes id λιποτάξιον appellant: λιποταξία tum Graecum esse incipiet quum λιπότακτος in usu erit pro λιπὼν τὴν τάξιν. Itaque fides deroganda erit libris Herodoti, qui V. 27 servant: κατεστρέφετο τοὺς μὲν λιποστρατίης ἐπὶ Σκύθας αἰτιώμενος κτέ., cui et ipsi λιποστρατίου reddendum erit, quemadmodum λιποστράτιον Thucydidi reddidimus.

Demosthenis locus cum Menandreo comparatus in magna caligine aliquam lucem dabit. Legitur apud Athen. VIII. 364. E. *Ut sacra Diis facimus*, inquit, *ita est fortuna, qua utimur. Oviculam Diis affero emtam drachmis vix decem, sed tibicinas, unguenta, psaltrias, vina, cupedias,*

> μικροῦ τάλαντον γίνεται τὸ κατὰ λόγον.
> δραχμῶν μὲν ἀγαθὸν ἄξιον λαβεῖν δέκα
> ἡμᾶς, ἐὰν καὶ καλλιερηθῇ τοῖς θεοῖς,
> τούτων δὲ πρὸς ταῦτ' ἀνελεῖν τὴν ζημίαν.

in his γίγνεται τὸ κατὰ λόγον non cum praecedentibus coniungenda sunt, sed referenda ad ea, quae sequuntur: *si tam maligne sacra facimus*, inquit, *et luxuriae instrumenta tam magno emimus* γίγνεται τὸ κατὰ λόγον δραχμῶν μὲν ἀγαθὸν ἄξιον λαβεῖν δέκα ἡμᾶς κτέ. Ad sequentia adhibe haec verba Demosthenis de Corona, p. 304, 18. ἆρά σοι ψῆφοις ὅμοιος ὁ τῶν ἔργων λογισμὸς φαίνεται, ἢ δεῖν ἀνταναιρεῖν ταῦτα; κτέ. et videbis in verbis ΠΡΟΣΤΑΥΤΑΝΕΛΕΙΝ latere πρὸς ταῦτ' ἀνταναιρεῖν, quo verbo

et metrum restituitur et sententia inest loco apposita, quam Oratoris locus demonstrat.

Verissima Menandri sententia apud Stob. Floril. LXII. 27. grave vulnus accepit:

ἅπαντα δουλεύειν ὁ δοῦλος μανθάνει
πονηρὸς ἔςαι. μεταδίδου παρρησίας
βέλτιςον αὐτὸν τοῦτο ποιήσει πολύ.

corrige ἢν πάντα μανθάνῃ, et recipe βελτίον' αὐτόν, quod multi viderunt verum esse.

Scaligeri correctio infelicior male probata ab Editoribus est in Menandri loco apud Suid. v. ἀβέλτερος. *Qui servus*, inquit, *minime callidum et levem herum decipit*

οὐκ οἶδ' ὅ τι
οὗτος μεγαλεῖόν ἐςι διαπεπραγμένος
ἐπαβελτερώσας τόν ποτ' ὄντ' ἀβέλτερον.

ποτ' ὄντ' in ea re vitiosum est et male Graecum: quod in Codd. omnibus est τόν ποτε natum est e compendio male intellecto. Repone: ἐπαβελτερώσας τὸν πρότερον ἀβέλτερον. Dici non potest quam saepe ποτέ, πρότερος et πρότερον fuerint corrupta: causa est, quod compendiose τρ terminatione omissa syllabae πρό superscribuntur. Eadem causa peperit dittographiam in Antiphanis fragmento apud Pollucem IV. 125.

τὸ κλίσιον | ὃ πρότερόν ποτ' ἦν τοῖς ἐξ ἀγροῦ βουσὶ ςαθμός.

ubi non est legendum πρίν ποτ' ἦν sed ὃ πρότερον ἦν.

Quam utile sit sapere Menander praedicans ita dicit:

ἆρ' ἐςὶν ἀγαθῶν πᾶσι πλείςων ἀξία
ἡ σύνεσις, ἂν ᾖ πρὸς τὰ βελτίω σοφή.

apud Stob. Floril. III. 7. et Orionem in Gnomol. I. 15. Ut vera haec sint et recte dicta ἀξία in αἰτία erit mutandum, servatque hoc ipsum Stobaeus, in cuius libris est παμπλείςων αἰτία debebatque αἰτία etiam sine libris reponi. Saepe haec inter se vidi permutari, quamobrem in Aristophanis Acharn. 1062. ne dubita reponere:

ὁτιὴ γυνή 'ςι τοῦ πολέμου τ' οὐκ αἰτία,

pro ἀξία, quod omnes libros obsidet. Scribae non facile distinguebant ductus litterarum τρ et τι a littera ξ: etiam γι et ξ confunduntur. Sitne ὀτρύνω an ὀξύνω scriptum non quivis statim dixerit, quare mirari noli, si haec inter se miscentur.

Huius rei insigne exemplum nuper vidi quum Valckenaerii Commentarium ineditum ad secundum librum Maccabaeorum sedulo excuterem, si forte quid summo viro dignum hinc posset in omnium notitiam proferri. Legitur ibi cap. IX. 7. *πῦρ πνέων τοῖς θυμοῖς ἐπὶ τοὺς Ἰουδαίους καὶ κελεύων ἐποξύνειν τὴν πορείαν.* »*Vereor*", inquit Valckenaerius, *ut ex usu Graecorum posuerit verbum ἐποξύνειν pro accelerare.*" Equidem *ἐποτρύνειν* legendum censeo (ut apud Hesychium: *Ὀτρυνοῦμεν: ταχυνοῦμεν* pro *ὀξυνοῦμεν*), quamquam pessime Graece scribit quicumque hunc secundum Maccabaeorum librum undecumque contexuit. Eidem tamen iniuria imputaveris stolidum errorem in X, 11. ab editoribus commissum, quem obiter corrigere quid vetat? Editur: *οὗτος γὰρ (ὁ εὐπάτωρ Ἀντίοχος) παραλαβὼν τὴν βασιλείαν ἀνέδειξεν ἐπὶ τῶν πραγμάτων Λυσίαν τινά, κοίλης δὲ Συρίας καὶ Φοινίκης ϛρατηγὸν πρώταρχον*: numquam te expedies, donec emendaveris *Πρώταρχον*. Apud Hesychium haec leguntur: *Μογείοντι: πυρέσσουσι. Δωριεῖς. Μογεύοντας: μοχθοῦντας. Μογήσας: κακοπαθήσας. Μόξοντι: πυρέσσοντι. Μοξοῦντες: πυρέσσοντες. Μόγος: πόνος.* Emenda: *Μογίοντι: πυρέσσουσι* — *Μογίοντι: πυρέσσοντι. Μογίοντες: πυρέσσοντες*, in his ΓΙ in ΤΙ transiit ut passim apud Hesychium, qui *Ἀπλῆτις* affert pro *ἀπληγίς*, *Ἀτεώροχοι* pro *ἀγέρωχοι*, *ἄρτον* pro *ἀργόν* I. p. 728, *Λίταινον* pro *λίγαινον*, *Στέννυτρον* pro *ϛεννυγρόν*, *Τέλγη* pro *γέλγη*, *Τόρτυρα* pro *γόργυρα*, et contra passim Γ pro Τ ut in *Ἀρτίγονος*, *Γέγγει*, *Γέλεα*, *Γίν* (pro *σοί*), *Ἔγλασας*, *Ἡιγιᾶτο*, et saepe alibi: deinde *μοτίοντι* et *μοτίοντες* a tachygrapho scripta *μόξοντι* et *μόξοντες*, *μοξοῦντες* pepererunt.

Consolatur apud Menandrum senex iuvenem (in Plutarchi consol. Apollon. p. 103. D.) et his verbis orationem concludit:

σὺ δ' οὐθ' ὑπερβάλλοντα, τρόφιμ', ἀπώλεσας
ἀγαθά, τὰ νυνί τ' ἐϛὶ μέτριά σοι κακά,
ὥϛ' ἀνὰ μέσον που καὶ τὸ λοιπὸν δὴ φέρε.

ubi pro *τὸ λοιπόν* emendandum esse arbitror *τὸ λυποῦν*, *id quod te cruciat.* Saepe *τὸ λυποῦν* in Comoedia occurrit. Antiphanes Stob. Floril. XCIX. 31.

ἅπαν τὸ λυποῦν ἐϛιν ἀνθρώπῳ νόσος
ὀνόματ' ἔχουσα πολλά.

Erroris causa manifesta est: *υ* et *οι* tam saepe confunduntur

atque ε-αι, ι-ει, η-ι et quidquid a Graeculis sono effertur eodem. Apud Hesychium videbis *αἱμοιαίοις* scribi I. p. 161 pro *αἱμυλίοις*, *βοτροίδια* p. 745 et *βοτύσι*: *βοσκήμασιν* et p. 849. *γονορρύα* et p. 818 *γενύσθην* et p. 1137 *ἐκκοιλιςοί* et p. 1225 *ἐνδυάζει* et p. 1253 *ἔνοιςρον* pro *ἤνυςρον* et p. 1428 *ἐριγήροις* pro *ἐρίγηρυς*, et II. p. 293 *κοίημα* et p. 382 in nota Alberti *κοινοφθαλμίζεται* et saepissime alibi eodem modo apud Hesychium peccatur. Qui pro *γενοίσθην* possunt *γενύσθην* scribere et pro *βοτοῖσι* *βοτύσι* ecquid est quod iis satis tuto credi posse putes? Idem vitium in omnium Codicibus frequens occurrit, quale est in Alexidis fragmento apud Poll. VII. 72. *γυνὴ λινουργὸς περὶ τοίχους ἀφείλετο* pro *περιτυχοῦσ'*, quod Porsonus reperit: sed nihil opus est alia exempla afferre, quum *τὸ λυποῦν* et *τὸ λοιπόν* tam saepe alibi confusa sint. Ephippi fragmentum idem bis ab Athenaeo apponitur: in verbis *ἀφεῖλε πᾶν* | *αὐτοῦ τὸ λυποῦν κἀπέδειξεν ἵλεων*, semel recte *τὸ λυποῦν* legitur VIII. 363. C, alio loco XIII. 571. E. vitiose Codex *τὸ λοιπόν* exhibet.

Aegrimonia confectus aliquis apud Menandrum in Stobaei Floril. XCVIII. 8. bestias multo esse quam hominem feliciores queritur his versibus:

τὸν ὄνον ὁρᾶν ἔξεςι πρῶτα τουτονί.
οὗτος κακοδαίμων ἐςὶν ὁμολογουμένως.
τούτῳ κακὸν δι' αὑτὸν οὐδὲν γίγνεται
ἃ δ' ἡ φύσις δέδωκεν αὐτὰ ταῦτ' ἔχει.

ubi requiritur *τούτῳ δὲ κακόν* et *δέδωκεν αὐτῷ.*

Excidit unum vocabulum facile revocandum in hac avari sententia apud Stob. Floril. XCI. 29.

ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς
τἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον.

qui hos Deos colit caeteros omnes non solet multum curare, itaque *μόνους* supple.

Multorum coniecturis vexatum est Menandri dictum (apud Plutarchum in Amatorio p. 763. B. et apud Stob. Floril. LXIII. 34.) de causa amoris:

καιρός ἐςιν ἡ νόσος
ψυχῆς, ὁ πληγεὶς δ' εἴσω δὴ τιτρώσκεται.

haec est Stobaei lectio: in *Amatorio*, qui liber permultis lacunis hiat, excidit id ipsum quod apud Stobaeum tam misere

corruptum est in εἴσω δή. Nemo quidquam extudit quod sententiam adiuvaret: quid enim prodest legere εἰς ὃ δεῖ, aut εἰσβολῇ aut εἴς ὁδί, quae non minus sensu vacua sunt atque εἴσω δή. Non video quid aliud sententiam explere possit quam: ὁ πληγεὶς δ' ἔνδοθεν τιτρώσκεται, quod dictum est ut alio loco apud Menandrum (in Stobaei Floril. XXXVIII. 29) πᾶν τὸ λυμαινόμενόν ἐςιν ἔνδοθεν. Miretur aliquis quomodo ἔνδοθεν in εἴσω δή abire potuerit: desinet mirari qui Stobaei Florilegium diligenter ad Codicum lectiones exegerit, nam passim videbit scripturas apparere a Correctoribus de suo interpolatas, quibus archetypi Codicis lacunas temere et inconsulto supplerent: sic εἴσω δή non ex ἔνδοθεν natum esse arbitror, sed lacunam veteris libri Graeculorum more expletam. Quoniam ea res permagni momenti est ad aestimandam fidem lectionum, quae apud Stobaeum circumferuntur, demonstrabo exemplis compluscilis, quae sibi quisque facile augere poterit, id quod subinde dixi, in Stobaeo audacem correctorem veteres Codicis lacunas temere explevisse de suo, in qua re manifestum tenemus falsarium et quoniam absurda et male Graeca supplere solet, et quoniam ea temere explevit, quorum vera et genuina scriptura nobis aliunde certa fide innotuit. Optimum factu est exempla certa apponere. Euripides dixerat:

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς ἄγαν θηρωμένοις.

venuste dictum servavit Plutarchus in libro τοῖς ἡγεμόσι δεῖν τὸν φιλόσοφον διαλέγεσθαι p. 778. B., ubi scribae ΑΓᾹΘΗΡΩΜΕΝΟΙΣ depravarunt in ἀγάθ' ἠρημένοις: neglecta lineola ν absumsit et ἀγάθ' oscitanter scripserunt, deinde quod supererat ΗΡΩΜΕΝΟΙΣ in *vocabulum bene Graecum* ἠρημένοις mutarunt: egregie, ut vides, sed ea labes certo remedio sanari potuit. Quin utimur eodem in praeclara sententia Euripidis in Floril. XLIII. 20.

ἃ μὴ γάρ ἐςι τῷ πένηθ' ὁ πλούσιος
δίδωσ'. ἃ δ' οἱ πλουτοῦντες οὐ κεκτήμεθα
τοῖσιν πένησι χρώμενοι τιμώμεθα,

alii πειθώμεθα: emenda θηρώμεθα et τῷ πένητι πλούσιος δίδωσ'. Vide nunc quid legatur in Floril. LXIII. 3.

οἱ γὰρ Κύπριν φεύγοντες ἀνθρώπων ἄγαν
νοσοῦσ' ὁμοίως τοῖς διώκουσιν ἄγαν

intelligisne lacunam a Graeculo ex sententia loci infeliciter suppletam: *ἄγαν θηρωμένοις* quacumque de causa legi non poterant: de suo dedit *διώκουσιν ἄγαν* metri securus et immemor, unde fraus perpluit. Celebratus est apud veteres nobilis hic Euripidis locus:

σὺ δ', ὦ θεῶν τύραννε κἀνθρώπων Ἔρως,
ἢ μὴ δίδασκε τὰ καλὰ φαίνεσθαι καλά
ἢ τοῖς ἐρῶσιν ὧν σὺ δημιουργος εἶ
μοχθοῦσι μόχθους εὐτυχῶς συνεκπόνει.

si per Stobaei Codices stetisset Euripides visus esset dixisse:

σὺ δ' ὦ κάκιςε πάντων θεῶν κἀνθρώπων
ἢ μὴ δίδασκε τὰ καλὰ φαίνεσθαι καλά,
ἢ τοῖς ἐρῶσιν εὐμενὴς παρίςασο.

quae leguntur in Floril. LXIV. 6. Unde ista malesana scriptura? Manifestum esse opinor. Supererat *σὺ δ' ὦ* * * * *κἀνθρώπων* * *ἢ μὴ δίδασκε τὰ καλὰ φαίνεσθαι καλὰ ἢ τοῖς ἐρῶσιν* * * * *, quae temerarius corrector suo Marte aggressus est restituere. Lacuna erat in Euripidis versu CVIII. 24. *τὰ* * * *δ' ὅςις εὖ φέρει βροτῶν* | *σοφὸν νομίζω* explevit corrector *τὰ τυγχάνοντα*, quod sensu vacuum est: vera scriptura a Plutarcho servata est Moral. p. 116. F. *τὰ προσπεσόντα.* Supererat in Euripidis fragmento Floril. XCIII. 19. ΣΜΙΚΡΑΝ *θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων* * * * * ΟΙΚΕΙΝ *μᾶλλον ἢ πλουτῶν νοσεῖν*, ubi *σμικράν* male legit sciolus pro *σμίκρ' ἄν* et hinc supplevit *τροφὴν ἐνοικεῖν* et correxit scilicet *θέλοιμ' ἄν.* Vera lectio apparet XCVII. 10.

σμίκρ' ἂν θέλοιμι καὶ καθ' ἡμέραν ἔχων
ἄλυπος οἰκεῖν μᾶλλον ἢ πλουτῶν νοσεῖν.

Quum sit permagna huiusmodi interpolationum apud Stobaeum copia continebo me in fragmentis Menandri, cuius causa haec demonstrare institui. In Floril. LXVIII. 23 supererat *γαμεῖν* * * *εἰς μετάνοιαν ἔρχεται*, inepte Graeculus *ὃς ἐθέλει* inseruit, neque foedum hiatum animadvertens, neque sententiam apte restituens, quae postulat *γαμεῖν ὁ μέλλων*, quod exstat in Menandri Monostich. vs. 91. Supererat LIX. 9.

ὁ δεύτερος πλοῦς ἐςὶ δήπου λεγόμενος
ἂν ἀποτύχῃ τις * * *κώπαισι πλεῖν.*

stupide corrector addidit *πρῶτον ἐν*, idque Meinekius recepit: *ἂν ἀποτύχῃ τις πρῶτον ἐν κώπαισιν πλεῖν.* quamquam sententia

nulla in his inest et πλεῖν ἐν κώπαις absurdum est. Vera lectio est:

ἂν ἀποτύχῃ τις οὐρίου κώπαισι πλεῖν.

quae tam perspicua est atque scita. Servavit e Pausaniae Lexico Eustathius pag. 1453, 18. In Menandri fragmento XXXII. 7. supererat:

ὦ μεγίστη τῶν θεῶν

νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ.

δεῖ δέ. τὸ κρατοῦν γὰρ * * * *

explevit homo nihili νῦν νομίζεται θεός, quae verba sensu vacua sunt. In priore parte Menandri manum ex duobus Artemidori locis revocavimus hanc:

δεῖ δέ. τὸ κρατοῦν γὰρ πᾶν δύναμιν ἔχει θεοῦ.

Supererat in Menandri versiculo IX. 20.

τὸ μηδὲν ἀδικεῖν καὶ * * * ποιεῖ.

levis corrector, qui φιλανθρώπους stolide supplevit, perdidisset omnia, nisi Sextus Empiricus lepidum locum duobus versiculis auctiorem incorruptum servasset in Pyrrhon. Hypotyp. I. 14. § 108. ἀνόμοια φαίνεται τὰ πράγματα, inquit, καὶ παρὰ τὸ φιλεῖν ἢ μισεῖν. ὅθεν καὶ ὁ Μένανδρος ἔφη·

οἷος δὲ καὶ τὴν ὄψιν εἶναι φαίνεται

ἀφ' οὗ τοιοῦτος γέγονεν. οἷον θηρίον.

τὸ μηδὲν ἀδικεῖν καὶ καλοὺς ἡμᾶς ποιεῖ,

quae optime Bentleius interpretatus est. Quam vera sit haec sententia vitae quotidianae usus quemque docet. Compone nunc cum his Stobaei scripturam neque repugnabis si contendero a temerario correctore φιλανθρώπους esse interpolatum. Idem Meinekius viderat et nemo facile dubitabit, quin τὸ μηδὲν ἀδικεῖν καὶ φιλανθρώπους ποιεῖ absurde dictum sit. Eodem igitur modo quum Euripides dixisset:

αἰσχρόν γ' ὅταν τις [ἀξίωμ' ἔχων μέγα]

γλώσσῃ ματαίους ἐξακοντίσῃ λόγους.

post lacunam nunc legitur Floril. XXXVI. 12. αἰσχρόν γ' ὅταν τις ἐπὶ γλώσσῃ φυείς. Similiter natum est μὴ τοῦτο βλέψῃς εἰ νεώτερος λέγω κτέ. pro μὴ τοῦτο μέμψησθ', de quibus supra diximus. Itaque sic fieri potuit, ut ἔνδοθεν a Menandro scriptum sit et nunc in libris interpolatis εἴσω δή legatur. Omnino locus iste Plutarchi apud Stobaeum miserrime depravatus est: quae

praecedunt locum Menandri et quae sequuntur sanari non possunt, et levia sunt quae Wyttenbachius hariolatur. Emendatio felix et certa Gesneri *αἱ τῶν ζωγράφων* pro *αἱ τῶν ζώων φρένες* foedam librorum corruptelam arguit: deinde pro *οὐ γὰρ ἔχει κρίσιν τὸ βλέπειν* lege *οὐ γὰρ ἔχει κρίσιν ἴσην τὸ βλέπειν* et in fine pro *εὐςοχίας ἐςὶ καιροῦ τῷ παθεῖν ἐμοίπως συνάπτοντος ἐν ἀκμῇ τὸ ποιεῖν πεφυκός* emenda *εὐςοχία ἐςὶ — τῷ παθεῖν ἑτοίμῳ συνάπτοντος.* Denique hinc emendari poterit Menandri versiculus in Floril. CXXI. 5.

ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν εἰ μεθ' ὧν κρίνει τις ἄν.

Meinekius: »scripsi *κρίνῃ* pro edito *κρίνει.*" quasi pro *μεθ' ὧν ἄν τις κρίνῃ* sic dici posset, et quid est *κρίνειν* in ea re et quod novum genus ellipseos erit comminiscendum? Nugae hae sunt, quibus nos olim sciolus ludificatur. Supererat: *ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν* * * *, quae Graeculus supplevit. Bonum factum quod ipsa Menandri verba aliunde nobis innotuerunt:

ὡς ἡδὺ τὸ ζῆν ἄν τις ὡς δεῖ ζῆν μάθῃ.

quae iterum inepte depravata sunt in Gnom. Monost. 756.

ὡς ἡδὺς ὁ βίος ἄν τις αὐτὸν μὴ μάθῃ.

Insanabilia haec omnia fuissent nisi aliunde antiqua lectio emersisset et nihil est infelicius illis, qui absurda seriorum supplementa utcumque interpretari nituntur. Quum Babrius scripsisset fab. 81, 8.

Χαίτην δ' ἔμελλε τὴν ἐμὴν καταισχύνειν.

et extrema periissent, priora vix apparerent sciolus dedit:

κακὴν δὲ μελέτην ἐπ' ἐμὲ τῆς ὁδοῦ τρίβει.

I nunc et haec interpretare. In Aeschyli Agamemnone vs. 301. editur:

φρουρὰ πλέον καίουσα τῶν εἰρημένων.

quum vera lectio sit:

φρουρὰ προσαιθρίζουσα πόμπιμον φλόγα,

quam sollerter Dindorfius ex Hesychio eruit in praef. ad Aesch. p. VII. In Euripidis Helena 469.

ποῦ δῆτ' ἂν εἴη; πότερον ἐκτὸς ἢ 'ν δόμοις;
B. *οὐκ ἔνδον.*

non haec est manus poëtae, sed

οὗτος δὲ πότερον ἔνδον ἐς' ἢ 'ξώπιος;

quam quisque facile ex Aristophanis Thesmoph. 881. exscalpere

poterit. Absque eo fuisset, nemo umquam vulgatae scripturae labem potuisset restituere. Quam saepe alibi nos ludificentur errores istiusmodi inextricabiles, facile est ad intelligendum et in plerisque scriptoribus Graecis saepe ii experiuntur, qui non quamlibet librorum scripturam explicari posse arbitrantur. Sed ad Menandrum redeundi tempus est.

Quamquam Menander neque orationis nitore et venustate, neque suavitate numerorum excelluit, non potuit tamen, ut opinor, senarium scribere, qualis est medius in hisce:

καίτοι τί λογίζομ' ὁ κακοδαίμων προσδοκῶν
χάριν παρὰ γυναικὸς κομιεῖσθαι; μὴ μόνον
κακόν τι προσλάβοιμι καὶ κάλλις' ἔχει.

quantillum est haec transponendo sanare, ut fiat: χάριν κομιεῖσθαι παρὰ γυναικός;

Quod Menander verissime monuit (in Stob. Floril. XLVI. 11.) vitio non levi inquinatur. Editur:

ἡ νῦν ὑπό τινων χρηςότης καλουμένη
μεθῆκε τὸν ὅλον εἰς πονηρίαν βίον.
οὐδεὶς γὰρ ἀδικῶν τυγχάνει τιμωρίας.

non enim μεθιέναι huic rei accommodatum est sed μετατιθέναι. itaque μετέθηκε pro μεθῆκε rescribe.

Scite et lepide idem comicus alicubi dixit (Stob. Floril. LXX. 5):

ὅταν πένης ὢν καὶ γαμεῖν τις ἑλόμενος
τὰ μετὰ γυναικὸς ἐπιδέχηται χρήματα
αὑτὸν δίδωσιν οὐκ ἐκείνην λαμβάνει.

sed non inest his verbis sententia, quam ex tertio versu continuo quisque colligit: *quum pauper dotatam uxorem ducit.* Inerit si emendaveris:

μετὰ τῆς γυναικὸς ἐπιδέχηται χρήματα.

Idem fit in alio fragmento apud Stob. Floril. XCVII. 2. ut omnes recte quod poëta voluerit intelligant quamquam corruptela sententiam obscuravit.

κρεῖττον γάρ ἐςιν, ἂν σκοπῇ τις κατὰ λόγον,
μὴ πόλλ' ἀηδῶς, ὀλίγα δ' ἡδέως ἔχειν.

namque κατὰ λόγον non significat εὖ vel ὀρθῶς. Corrige ἂν σκοπῇ τις κατὰ τρόπον, nam prorsus idem significant κατὰ τρόπον et ὀρθῶς, ut apud Platonem de Rep. IX. 581. A. καλοῦντες

αὐτὸ φιλοχρήματον ὀρθῶς ἂν καλοῖμεν, et post pauca: *φιλομαθὲς δὴ καλοῦντες αὐτὸ κατὰ τρόπον ἂν καλοῖμεν*, et passim eo sensu legitur *κατὰ τρόπον*. In priore parte ostendimus in Platonis Legibus XI. 931. A. *κατὰ τρόπον* a sciolo additum habere *ὀρθῶς* in verbis *ἐὰν δὴ κατὰ τρόπον γε [ὀρθῶς] αὐτὸ θεραπεύῃ ὁ κεκτημένος*. Recte *κατὰ τρόπον* legitur in Menandri fragm. apud Stob. Floril. III. 9.

ἕκαςός ἐςι τῷ λογίσασθαι κατὰ τρόπον
ἄρχων, ςρατηγός, ἡγεμὼν δήμου.

Simillimum est hoc Menandri in Floril. XCIX. 7.

οὐκ ἔςι λύπης, ἄνπερ ὀρθῶς τις σκοπῇ,
ἄλγημα μεῖζον τῶν ἐν ἀνθρώπου φύσει.

Vitium alit Menandri locus in Stobaei Floril. XX. 3. Ira, inquit, sanam mentem exturbat,

αὕτη κρατεῖ νῦν. ἂν δὲ μικρὸν παρακμάσῃ
κατόψεταί τι μᾶλλον εἰς τὸ συμφέρον.

quid quaeso est *καθορῶ εἰς τὸ συμφέρον* et quis umquam sic locutus est? *ὁρᾶν, βλέπειν, ἀποβλέπειν εἴς τι* omnes dicebant, at ne *ὁρᾶν* quidem *εἰς τὸ συμφέρον* recte habet. Emenda: *ἂν δὲ μικρὸν παρακμάσῃ κατόψεταί τί μᾶλλόν ἐςι συμφέρον*, quod satis confirmabit ipse Menander alio loco in Stob. Ecl. Phys. I. p. 216.

τὸ συμφέρον τί ποτ᾽ ἐςὶν ἀνθρώπου βίῳ.

Perpetua confusio inter *εἰδῶ* et *ἴδω* novo exemplo cognoscitur in his Menandri Stob. Floril. XXI. 2.

τὸ γνῶθι σαυτὸν ἔςιν ἂν τὰ πράγματα
ἴδῃς τὰ σαυτοῦ καὶ τί σοι ποιητέον.

nam *εἰδῇς* corrigendum esse quis non videt?

In pessime depravatis verbis Menandri apud Bekk. Anecd. p. 462, 6. hoc tantum video pro *πότε ἀξιοῦσι πέρας* rescribendum *τί ποθ᾽ ἕξουσιν πέρας*; *quo tandem evadent?*

Verum est quod Menander dicit in Stob. Floril. CVIII. 44.

εὕροις δ᾽ ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, Σιμύλε,
ἀγαθὸν, ὅπου τι μὴ πρόσεςι καὶ κακόν.

sed *ὅπου* corruptum est, neque *ἐν ᾧ* probari potest quod in eodem loco Stobaeus affert CV. 10. Lege *ὅτῳ τι μὴ πρόσεςι.*

In fragm. apud Priscianum XVIII. p. 230.

χαῖρ᾽, ὦ Γλυκέριον: καὶ σύ: πολλοςῷ χρόνῳ | ὁρῶ σε.

requiro id quod Attici solebant *καὶ σύ γε*, ut apud Aristoph. in Lysistr. 6.

χαῖρ', ὦ Καλονίκη: καὶ σύ γ', ὦ Λυσιςράτη.

et passim aliis locis.

Sensu vacuum est quod Menander dixisse putatur in Stob. Floril. XXXVII. 10.

χρηςοὺς νομιζομένους ἐφόδιον ἀσφαλὲς
εἰς πάντα καιρὸν καὶ τύχης πᾶσαν ῥοπήν.

transpositis duabus litterulis *νόμιζε μόνους* exibit, quod si receperis aliquam sententiam habebis sed satis frigidam et vix satis Graecam, quoniam *τοὺς χρηςούς* dictum oportuit. Forte *τρόπους* excidit, ut *χρηςοὶ τρόποι* dicantur esse *ἐφόδιον ἀσφαλὲς εἰς πάντα καιρόν*, quod verissime dictum erit, ut apud Menandrum Stob. Floril. XXXVII. 18.

νὴ τὴν Ἀθηνᾶν, μακάριον ἡ χρηςότης
πρὸς πάντα καὶ θαυμαςὸν ἐφόδιον βίῳ.

Excidit vocabulum in Menandri fragm. apud Athen. XIV. 654. B.

μικρὸν ἐπιμείνας προστρέχει
ἠγόρακά σοι περιςέρια λέγων.

suppleverim *περιςέρια ταδὶ λέγων.*

Apud Polluc. IX. 76. in Menandri verbis

μακάριος ἐκεῖνος δεκατάλαντον καταφαγών.

nihil erit difficultatis, si legeris *δέκα τάλαντα.* Athenaeus VI. 248. B. haec affert: *Μένανδρος ἐν Πωλουμένοις τάλας ἕςηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύραις* ubi Porsonus supplebat:

τί, ὦ τάλας, ἕςηκας ἔτι πρὸς ταῖς θύραις;

sed Tragicorum est *ὦ τάλας* dicere: Comici *ὦ τάλαν* mulieres inducunt dicentes aut inter se aut ad viros: neque memini me audire virum qui *ὦ τάλαν* diceret pro *ὦ μέλε, ὦτᾶν, ὦ δαιμόνιε*, aut sim. Quamobrem suppleverim: *οἴμοι τάλας. ἕςηκας ἔτι κτἑ.* Non enim *οἴμοι τάλας*, quod Atticis frequens in ore, querentis tantum est et eiulantis et trepidantis, sed saepe indignantis et excandescentis, ut apud Pherecratem in Schol. ad Aristoph. Vesp. 1029 et Aristoph. in Avibus 1260 et aliis locis.

Stultum est, inquit Menander in Stob. Floril. LXXII. 2, *quod in matrimoniis iungendis facere solent: dotis nummos sedulo probare*,

τῆς διὰ βίου δ' ἔνδον καθεδουμένης ἀεί

μὴ δοκιμάσασθαι μηδὲν ἀλλ' εἰκῇ λαβεῖν.

vitiosum est δοκιμάσασθαι, nam δοκιμάζειν Graecum est, non δοκιμάζεσθαι: facili negotio vitium sic tolles ut rescribas:

μὴ δοκιμάσαντα μηδὲν ἀλλ' εἰκῇ λαβεῖν.

Leve vitium non leviter obscurat verba Menandri apud Plut. *de fraterno amore* p. 479. C.

οὐκ ἐκ πότων καὶ τῆς καθ' ἡμέραν τρυφῆς
ζητοῦμεν, ᾧ πιϛεύσομεν τὰ τοῦ βίου
πάτερ, οὗ περιττὸν οἶετ' ἐξευρηκέναι
ἀγαθὸν ἕκαϛος ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.

restitue: πάτερ; οὐ περιττὸν — φίλου σκιάν; *nonne quaerimus —? nonne quisque putat —?*

Periit vocabulum necessarium in Menandri sententia apud Stob. in Floril. XX. 21.

ὀργῆς γὰρ ἀλογίϛου κρατεῖν
ἐν ταῖς ταραχαῖς μάλιϛα τὸν φρονοῦντα δεῖ.

ubi supplendum est τὸν εὖ φρονοῦντα. Differunt enim φρονεῖν et εὖ φρονεῖν non minus quam λέγειν et εὖ λέγειν. Illud est *ratione praeditum esse*, hoc *sapere*: φρονεῖν igitur dicuntur πάντες οἱ ἐν ἡλικίᾳ, τὸ εὖ φρονεῖν paucioribus datum. Hinc factum est ut inter se opponerentur βρέφος εἶναι, νήπιον, παιδάριον et φρονεῖν, unde ἡ φρονοῦσα ἡλικία appellatur, quemadmodum dicitur ἐπειδὴ τάχιϛα ἤρχετο φρονεῖν apud Isaeum IX. § 20. Hinc manifestum tenebis emblema in Aeschinis Timarchea § 139 τοὺς τῆς φιλίας λόγους εἰς τὴν φρονοῦσαν [καὶ πρεσβυτέραν] ἡλικίαν ἀναβάλλεται, quod indicasse satis est. Nota sunt haec Aristophanis:

τὴν γυναῖκ' αἰσχύνομαι | τώ τ' οὐ φρονοῦντε παιδίω.

quibus addam quia iocosissima sunt haec Ephippi Athen. VIII. 358. F.

παππία, βούλει δραμὼν
εἰς τὴν ἀγορὰν καταγοράσαι μοι. B. φράζε τί;
A. ἰχθῦς φρονοῦντας, ὦ πάτερ. μή μοι βρέφη.

ubi recipiendum est κἄτ' ἀγοράσαι, quod dudum reperit Meinekius. Itaque φρονεῖν dicuntur πάντες οἱ ἐν ἡλικίᾳ, sed εὖ φρονεῖν nonnumquam ne senes quidem. Restitue obiter εὖ φρονεῖν in Posidippi dicto in Append. Florent. IV. p. 383. Lips.

οὐκ ἔργον ἐϛὶν εὖ λέγειν ἀλλ' εὖ ποιεῖν,
πολλοὶ γὰρ εὖ λέγοντες οὐκ ἔχουσι νοῦν.

apparet ex ultimis verbis reponendum esse ἀλλ' εὖ φρονεῖν.

Pervulgato Graeculorum errore legitur in Menandri verbis apud Stob. in Floril. XV. 5.

ἂν μὲν πλέωμεν ἡμερῶν που τεττάρων
σκεπτόμεθα τἀναγκαῖ' ἑκάστης ἡμέρας ,

qui credebant *που* pro *ποι*, ut *ὅπου* pro *ὅποι*, optime habere et passim istam loquendi socordiam in veterum scripta invexerunt. Recte admonuit Phrynichus p. 45. Lob. *ποῦ ἄπει; ἁμάρτημα.* sed nemo audiebat. Hinc vitiata est Xenophontis oratio in Cyropaed. VI. 1. 42. *ἐμβαλεῖν που τῆς ἐκείνων χώρας* pro *ποι*, unde in Hellen. V, 1, 2. lege *τῶν νήσων ποι* pro *ἐπὶ τῶν νήσων ποι.* Similiter in Anabasi VI, 3, 23. *ἔφασαν οἴχεσθαι, ὅπου δ' οὐκ εἰδέναι* pro *ὅποι*, et in Hellenicis II, 4, 13. *νῦν παραγεγένηνται οὗ ἡμεῖς ἀεὶ ηὐχόμεθα* pro *οἷ*, et in Memorabilibus I, 6, 6. *βαδίζοντα ὅπου ἂν βούλωμαι* pro *ὅποι*, quod non minus est vitiosum ac si quis Latine vellet dicere: *Crepusculo solutus ubi visum est vagor*, et passim idem vitium recurrit. At nihil Menandro proderit si *ποι* reposueris, et *ἡμερῶν τεττάρων* male suspensum quo referatur nihil habebit. Corrige:

ἂν μὲν πλέωμεν ἡμερῶν πλοῦν τεττάρων.

ΠΛΟΥ peperit vitium, et sexcenties litterula *ν* sic periit: deinde corrector *που* dedit, *vocabulum bene Graecum.* Quam recte dicatur *πλεῖν ἡμέρων τεττάρων πλοῦν* neminem esse arbitror qui nesciat.

Attigimus iam alibi Menandri verba apud Athen. VI. 270. D.

εἰ δὲ λουσάμενοι λογάρια δειπνοῦμεν
μικρὰς τίθημι συμβολὰς ἀκροώμενος.

κατὰ τὸν Μένανδρον, et ostendimus ex Polluce VI. 12. *μακρὰς τίθημι κτἑ.* esse emendandum. Recurrit eadem locutio apud Machonem Athen. XIII. 580. D. *μακρὰς δὲ πράττειν εἰς τὰ λοιπὰ συμβολάς.*

Foeda corruptela abscondit sententiam Menandri in his apud Stob. Floril. IV. 29.

ἐπὰν ἐν ἀγαθοῖς εὐνοούμενός τις ὢν
ζητῇ τι κρεῖττον ὧν ἔχει ζητεῖ κακά.

nauci non est *εὐνοούμενος* et ne Graecum quidem. Scribendum censeo *ἐν ἀγαθοῖς ὁμολογουμένοις τις ὤν*, quemadmodum Timocles dixit Athen. VII. 300. A. Aegyptios ridens:

ὅπου γὰρ εἰς τοὺς ὁμολογουμένους θεούς

ἀσεβοῦντες οὐ διδόασιν εὐθέως δίκην,
τίν' αἰελούρου βωμὸς ἐπιτρίψειεν ἄν;

et verissima est sententia: qui non contentus est *veris* bonis et meliora quaerit invenire solet malum.

Quod Menandri fragmentum servavit Etymol. M. p. 45, 23.

ὁρᾷς; ἀκαρὴς παραπόλωλας ἀρτίως

ita restituendum videtur:

ὁρᾷς; παρ' ἀκαρῆ γὰρ ἀπόλωλας ἀρτίως.

Docet Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* § 194. *ὅτι Μένανδρον ὑποκρίνονται λελυμένον ἐν τοῖς πλείςοις, Φιλήμονα δὲ ἀναγινώσκουσιν*, deinde hunc Menandri versiculum affert *παράδειγμα ὅτι ὑποκριτικὸν ἡ λύσις·*

ἐδεξάμην, ἔτικτον, ἐκτρέφω, φίλε.

melius etiam apparebit, si pro *φίλε* emendaveris *φιλῶ*.

Dici Graece non potest quod Menandrum Meinekius fecit dicentem: *οὐκ ἔςι γὰρ γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι*, requiritur enim *οὐκ ἔςι γὰρ γλυκύτερον οὐδέν*. Locus a multis laudatus emendate scriptus est in Ciceronis Epistola ad Atticum IV. 11, nisi quod *ἐςιν* excidit: legendum enim:

οὐδὲν γλυκύτερόν ἐςιν ἢ πάντ' εἰδέναι.

In sententiis monostichis multa supersunt corrigenda, de quibus duo tantum nunc delibabo. In vs. 439. editur:

οὐδεὶς πῦρ εἰς χρήματα διδοὺς ἐπαύσατο,

verba sensu vacua: emenda *οὐδεὶς πυρέττων χρήματα δοὺς ἐπαύσατο*, violentiore medicina in foeda corruptela erat opus. Contra non est lenius remedium, quam quo vs. 464. sanari potest.

πρὸς εὖ λέγοντας οὐδὲν ἀντειπεῖν ἔχω.

in ΛΕΓΟΝΤΑΣ latebat *λέγοντά σ'*.

In Menandri fragm. apud Athen. IX. 385. E.

ἐπιθυμιάσας τῷ Βορέᾳ ἴδιον
ὀψάριον οὐδὲν ἔλαβον, ἐψήσω φακῆν.

miror Dobraei rationem, qui *τῷ Βορέᾳ κρεᾴδιον* rescribebat et Meinekium haec ita probantem, ut *ἐπεὶ θυσιάσας* substitueret pro *ἐπιθυμιάσας*, quasi vero *κρεᾴδιον ἐπιθυμιᾶν* dici possit aut *κρεᾴδιον θύειν* vel *θυσιάζειν*. Verba sunt pauperculi piscatoris qui se frustra Boreae *adolevisse* queritur — quid igitur? thuris aliquantulum, idque ipsum olim Bentleius reperit *ἐπιθυμιάσας — λιβανίδιον*, in quo optime acquiescemus. Nempe hos honores

Diis habebant inopes et tenuiores. Alciphron III. 35. *συνεισηνέγκατο ὁ μὲν κριὸν, ὁ δὲ τράγον, ὁ δὲ κάπρον, ὁ πένης πόπανον, ὁ δὲ ἔτι πενέστερος λιβανωτοῦ χόνδρους εὖ μάλα εὐρωτιῶντας.* Iocosum admodum Comici incerti fragmentum latet apud Aristidem I. p. 197, 12. *ποιητής τις εἶπε σκώψας εὔξασθαι κατὰ χρυσόκερω λιβανωτοῦ*, ubi mireris Reiskium, eruditorum lepidissimum, non animadvertisse poëtam *ταῦρον χρυσόκερων* per iocum in *χρυσόκερων λιβανωτόν* convertisse.

Finem faciam in restituendo loco Menandri, quem (mirum dictu) scribae integrum ad nos propagarunt, Critici certatim corruperunt. Editur nunc e Diog. Laërt. VI. 83. in hunc modum:

Μόνιμός τις ἦν, ἄνθρωπος, ὦ Φίλων, σοφὸς
ἀδοξότατος, μίαν δὲ πήραν οὐκ ἔχων,
πήρας μὲν οὖν τρεῖς. ἀλλ' ἐκεῖνος ῥῆμά τι
ἐφθέγξατ' οὐδὲν ἐμφερὲς, μὰ τὸν Δία,
τῷ γνῶθι σαυτὸν οὐδὲ τοῖς βοωμένοις
τούτοις. ὑπερεῖδε ταῦθ' ὁ προσαιτῶν καὶ ῥυπῶν.
τὸ γὰρ ὑποληφθὲν τῦφον εἶναι πᾶν ἔφη.

in quibus nemo intelligere umquam poterit quid sit *μίαν δὲ πήραν οὐκ ἔχων πήρας μὲν οὖν τρεῖς.* Bentleius: *unam quidem peram non habens tres siquidem habuit*, quae nihil significant et Graecis non respondent. Libri meliores has scripturas exhibent: *ἀδοξότερος μικρῷ δέ, ὁ τὴν πήραν ἔχων*, quae sanissima sunt. Lege:

Μόνιμός τις ἦν, ἄνθρωπος, ὦ Φίλων, σοφὸς
ἀδοξότερος μικρῷ δ'. B. *ὁ τὴν πήραν ἔχων;*
A. *πήρας μὲν οὖν τρεῖς.*

qui agnoscit hominem rogat: *ὁ τὴν πήραν ἔχων;* cui alter: *πήρας μὲν οὖν τρεῖς*, erat enim gibbosus utrimque. In his *μὲν οὖν*, ut passim, est ita respondentis ut quod alter dixerit corrigat. Adscribam unum exemplum quia simillimum est. Aristophon Athen. VII. 303. A.

καὶ μὴν διέφθαρταί γε τοὖψον παντελῶς.
κλεῖδες μὲν ὀπταὶ δύο παρεσκευασμέναι.
B. *αἷς τὰς θύρας κλείουσι;* A. *τοῦ θύννου μὲν οὖν.*

Monimus igitur dicitur *φθέγξασθαι ῥῆμά τι οὐδὲν ἐμφερὲς τῷ γνῶθι σαυτόν, οὐδὲ τοῖς βοωμένοις τούτοις*, sed inepte additur

ὑπερεῖδε ταῦθ' ὁ προσαιτῶν καὶ ῥυπῶν, id est Bentleio interprete: *contemsit ista mendicus ille et sordidus*, sed *ὑπερεῖδε* significat *aspernatus est*, et quid quaeso est: *Monimus decantatas sapientium sententias aspernatus est?* nihil, opinor. Fac *contemsit* significare. Quid causae est cur homo sapiens dicatur praeclara dicta veterum contemnere? At nihil horum Menander dixit. In Codicibus est omnibus *ὑπὲρ δὲ ταῦθ'*, quod infeliciter admodum Scaliger in *ὑπερεῖδε* mutavit, quem inconsulto Critici omnes sequuntur. *Superavit* haec omnia Monimus, cuius dictum *πᾶν τὸ ὑποληφθὲν τῦφός ἐστι* Menandro videtur celebratissimis veterum sententiis, *τοῖς βοωμένοις τούτοις*, anteponendum esse, et rectissime dixit *οὐδὲν ἐμφερὲς τοῖς βοωμένοις τούτοις, ὑπὲρ δὲ ταῦτα.* Caeterum non aliunde quam ex hoc ipso Menandri loco sumtum est id quod legitur apud Marcum Antoninum II. 15. *ὅτι πᾶν ὑπόληψις. δῆλα μὲν γὰρ τὰ πρὸς τοῦ κυνικοῦ Μονίμου λεγόμενα.*

Postquam Menandro laboranti quantum potuimus tulimus opem reddet nobis hanc operam sic, ut eius auctoritate utamur ad emendandos locos quosdam aliorum, et quod apud eum recte et emendate scriptum superest facem nobis praeferat ad deprehendendam labem, quam populares quidam eius aut alii Graeci scriptores olim contraxerint. Primum omnium planissime confirmabit correctionem, qua pseudo-Luciani locum in libro *de Amoribus* nuper restituimus. Scholiasta Aristoph. ad Aves 1258. erudite docuerat *πατάξαι* a Comicis *εἰς τὸ κακέμφατον* (ut isti loquuntur de verbis *praetextatis*) accipi solere. Trahit huc *χαμαιτύπη* (unde *χαμαιτυπία, χαμαιτυπεῖον, χαμαιτυπεῖν* apud Hesych. Cf. Wyttenb. ad Plut. Moral. p. 5. B.) et e Menandro affert *πρώην ἄρας ἐπάταξα*, unde liquido apparet verba pseudo-Luciani 58, 53. *εἶτ' ἀπὸ τῶν μηρῶν προοιμιασάμενος κατὰ τὸν κωμικὸν αὐτὸ ἐπάταξεν* emendanda esse in *ἄρας ἐπάταξεν*, et Menandri haec verba esse per iocum et risum ex Aristophanis Equitibus 1150. huc translata.

Optime Menander de Aeschine mereri poterit, si quis utriusque locum componere voluerit ex quorum comparatione Oratoris manus apparere possit. Suidas ex aliqua veteri *λέξει κωμικῇ* haec descripta servavit v. *Εἰς ἀγορὰν ὑφαίνειν: τὸ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκφέρειν τὰ ὑφαινόμενα. οὕτω Μένανδρος.* Plane

eodem modo Demosthenes dixit in Philipp. I. p. 47, 14. in acerrimo loco: ὥσπερ γὰρ οἱ πλάττοντες τοὺς πηλίνους εἰς τὴν ἀγορὰν χειροτονεῖτε τοὺς ταξιάρχους καὶ τοὺς φυλάρχους οὐκ ἐπὶ τὸν πόλεμον, quo nihil potuit mordacius dici. Eodem modo dictum est εἰς ἀγορὰν ὑφαίνειν et πλάττειν εἰς τὴν ἀγοράν et sic, credo, omnes Athenis εἰς τὴν ἀγοράν dicebantur ἐργάζεσθαι. Compone nunc mihi haec Aeschinis in Timarchea § 97. τούτῳ γὰρ κατέλιπεν ὁ πατὴρ οὐσίαν ἀφ' ἧς ἕτερος μὲν ἂν καὶ ἐλειτούργει (scribe μὲν κἂν ἐλειτούργει) — ἔτι δὲ πρὸς τούτοις γυναῖκα ἀμόργινα ἐπισταμένην ἐργάζεσθαι καὶ ἔργα λεπτὰ εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκφέρουσαν, et facili negotio interpolatorem deprehendes. Genuina sunt γυναῖκα ἀμόργινα ἐπισταμένην ἐργάζεσθαι εἰς τὴν ἀγοράν. Athenienses optime noverant τὰ ἀμόργινα quae essent: sequiores Graeci non item: itaque docti omnes sedulo vocabulum interpretantur, Harpocration, Hesychius, veteres Aristophanis interpretes, alii. Optime Hesychius Ἀμόργινα: λεπτοϋφῆ ἐνδύματα, hinc ad Aeschinem olim annotatum est ἔργα λεπτά aut ἔρια λεπτά, quod in textum se insinuavit, deinde ἐκφέρουσαν a sciolo additum, id ipsum quo Suidas utitur in explicandis verbis Menandreis εἰς τὴν ἀγορὰν ἐκφέρειν τὰ ὑφαινόμενα: non est antiquum ἐκφέρειν eo sensu sed novicium. Scatet nitida Aeschinis oratio insulsis emblematis. In § 101. φοβηθεὶς γὰρ τὰς λειτουργίας ἀπέδοτο ἃ ἦν αὐτῷ κτήματα ἄνευ τῶν ἀρτίως εἰρημένων χωρίων Κηφισίασιν ἕτερον, ἀγρὸν Ἀμφιτροπῆσιν, ἐργαστήρια δύο ἐν τοῖς ἀργυρείοις ἓν μὲν ἐν Αὐλῶνι, ἕτερον δ' ἐπὶ Θρασύλλῳ. Emenda: ἄνευ τῶν ἀρτίως εἰρημένων χωρίον Κηφισίασιν, ἕτερον Ἀμφιτροπῆσιν (non -ῆσιν) — ἓν μὲν Αὐλῶνι κτέ. Nempe τὰ ἀρτίως εἰρημένα (§ 97 sqq.) non erant χωρία tantum, sed οἰκία ἐν ἄστει, οἰκέται δημιουργοὶ et θεράπαιναι, ἐσχατιὰ Σφηττοῖ et χωρίον Ἀλωπεκῆσιν. ubi primum χωρίον in χωρίων corruptum est repertus est corrector, qui de suo ἀγρόν addidit contra morem Atheniensium, quibus χωρίον solemne est dicere. Praeterea in verbis ἓν μὲν ἐν Αὐλῶνι habemus perpetuam propemodum Graeculorum interpolationem nescientium Αὐλῶνι, Μαραθῶνι, Ἐλευσῖνι, Ῥαμνοῦντι, Ἀγνοῦντι et sim. haud secus adverbia esse et praepositionem respuere atque Σφηττοῖ, Μεγαροῖ, Ἀλωπεκῆσιν, Ἀμφιτροπῆσι, Δεκελείασι, Κηφισίασιν, Ὀλυμπίασιν

multaque alia. Grassantur in poëtis quoque, ubi *ἐπ' αὐτοφώρῳ* deprehenduntur. Photius v. *οὐσίαν.* Εὔπολις Πόλεσιν. "Ος τὴν ἐν Μαραθῶνι κατέλιπεν ἡμῖν οὐσίαν. Porsonus correxit:

ὃς τὴν Μαραθῶνι κατέλιφ' ἡμῖν οὐσίαν.

sed impune adhuc peccarunt in Aristophanis fragmento apud Athen. III. 111. A.

καὶ κολλύραν τοῖσι περῶσιν διὰ τοὺν Μαράθωνι τροπαῖον.

nam ne Bergkius quidem paruit Elmsleio ad Acharn. vs. 343 rectissime emendanti *διὰ τοῦ Μαραθῶνι τροπαίου*: nemo tamen capiet umquam quid sit *περᾶν διὰ τὸ τροπαῖον* et nemo umquam veterum *ἐν Μαραθῶνι* dixit. Itaque Aeschini *Αὐλῶνι* redde et similia vitia apud alios simili ratione tolle.

Locus Menandri et ab alio et a Scholiasta Apollonii Rhodii III. 294. laudatus ad demonstrandum *ὅτι τὸ ἔναγχος τίθεται καὶ ἐπὶ χρόνου* in verbis *ἔγημ' ἔναγχος* admonet me loci misere depravati in oratione Dinarchi *κατὰ Δημοσθένους.* § 34. *οὐδὲν οὗτος χρήσιμος ἀλλ' ἢ τοῖς ἐχθροῖς κατὰ τῆς πόλεως συστῆσαι κατασκευὴν ἑτέραν οἷα ἐπ' αἰγὸς ἐγένετο ὅτε Λακεδαιμόνιοι μὲν ἅπαντες ἐξεστράτευσαν, Ἀχαιοὶ δὲ καὶ Ἠλεῖοι τῶν πραγμάτων ἐκοινώνουν, ὑπῆρχον δὲ ξένοι μύριοι, Ἀλέξανδρος δὲ ἐν Ἰνδοῖς ἦν κτἑ.* Nauci non sunt in his *ἐπ' αἰγός*, at nihilo melius *ἐπ' Ἄγιδος*, quod Wesselingius ad Diod. Sic. XVII. 62 reponendum esse censuit, numquam enim *ἐπί τινος* dicitur de eo, qui cum imperio est ad definiendum annum, quo bellum sit gestum. Neque domi neque militiae *ἐπ' Ἄγιδος* recte dictum erit: libera Graecia eorum tantum, qui *ἐπώνυμον ἀρχήν* gerebant *ἄρχοντος, ἐφόρου, ἱερομνάμονος, στεφανηφόρου, πρυτάνιδος, κόσμου*, aliorum, nomina recte cum *ἐπί* coniunguntur in historicis quidem et Oratoribus et omnibus, qui serio loquuntur et populari lingua utuntur: quamobrem *ἐπ' Ἄγιδος* nihilo sanius est quam *ἐπ' αἰγός.* Equidem in ΕΠΑΙΓΟΣ latere suspicor ΕΝΑΓΧΟΣ *ἔναγχος* et erat utique recentissima huius rei memoria, quum in Demosthenem adversarii undique impetum fecerunt. Paucis ante annis tota Graecia eventum huius belli anxia exspectaverat et in invidiosa huius rei mentione satius erat dicere *οἷα ἔναγχος ἐγένετο*, quam Agidem nominare. Quoniam *ἔναγχος* in desuetudinem abierat et *τοῖς ἰδιώταις* erat incognitum, facile fieri potuit ut depravaretur.

Est operae pretium in Grammaticorum λέξεσιν animadvertere, quae pars antiqui sermonis vulgo non intelligeretur amplius et quae vocabula in quorum locum subierint. Miraberis quam multa vulgus hominum doceri debuerit, quae nunc nemini obscura esse possunt, qui vel mediocriter τὰ τῶν παλαιῶν cognoverit. Pauca ex paucis Photii paginis speciminis causa cognosce: Καὶ τέως: καὶ πρότερον. Καθεςηκώς: καθεςαμένος. Καλοῦμεν ἀντὶ τοῦ καλέσομεν. Κατέσβη: ἐσβέσθη. Κάτιμεν: κατερχόμεθα. Κατεαγότα: κεκλασμένα. Κατεδηδοκώς: καταβεβρωκώς. Κατέθεμεν: κατεθήκαμεν. Κεκτώμεθα: κεκτημένοι ὦμεν. Καθῆςο: ἐκαθέζετο. Καθεδοῦνται: καθεσθήσονται. Κλεψούμενος (lege κλεψόμενος) λέγουσι τὸ ὑφαιρησόμενος, et puerilia Κἄπειτα: καὶ ἔπειτα et Κᾆτα τί; εἶτα τί; et stolidi errores Καντήρια: καταβατήρια pro κατιτήρια. Καθάπτω: καθιερώσω pro καθαγιῶ. Καθαγιάζεται: ἀφιεροῦται pro καθαγίζεται. Καθιγνῦσαι: νεκροῖς θῦσαι pro καθαγνίσαι. Saepe proderit e magistrorum scriptis veterem linguam et vitiosam sequiorum συνήθειαν composuisse, ut ratio constet quemadmodum dicendi vitium irrepere potuerit et veram scripturam expellere, quam constans omnium usus requirat. Exemplum Aeschines suppeditabit, apud quem aequo animo omnes legunt in Ctesiphontea § 43, οἱ δὲ ἀνηγορεύοντο ἐνώπιον ἁπάντων τῶν Ἑλλήνων, quamquam nemo admonitus dubitare poterit, quin ἐνώπιον ab Attici sermonis usu prorsus abhorreat et ἐναντίον sit rescribendum, quo omnes in ea re utuntur constantissime, et Aeschines ipse passim. Inspice nunc Hesychium v. Ἐναντίον: ἐνώπιον, et senties qui factum sit ut proba scriptura periret. Nusquam alibi idem malum plus attulit detrimenti, quam in his locis Herodoti: III. 37. πολλὰ τῷ ἀγάλματι κατεγέλασε. III. 38. οὐ γὰρ ἂν ἱροῖσί τε καὶ νομαίοισι ἐπεχείρησε καταγελᾶν. III. 155. δεινόν τι ποιεύμενος Ἀσσυρίους Πέρσῃσι καταγελᾶν. IV. 79. ἡμῖν καταγελᾶτε, ὦ Σκύθαι, ὅτι βακχεύομεν, et VII. 9. Ἴωνας οὐκ ἐᾷς εἰς καταγελάσαι ἡμῖν. Nihil enim erit quod fieri non possit, si καταγελᾶν recte dativum poterit habere. Suapte natura quidquid sic compositum est genitivum postulat: καταφρονεῖν, κατηγορεῖν, καταψεύδομαι, καταμαρτυρεῖν, καταβοᾶν τινός tam necessarium est dicere atque ἐγγελᾶν τινί vel συγγελᾶν τινί, et non minus est absurdum καταγελᾶν τινί velle dicere atque ἐγγελᾶν τινός. Sunt qui putent caeteros omnes hoc modo

loqui solere, Herodoto placuisse illo uti, et omnino multos multa *singularia* habere, quae miranda potius quam convellenda esse. Qui ita existimant nae illi non intelligunt quae sit vis et ingenium humani sermonis, qui non caeco impetu lege solutus temere vagatur sed certas naturae leges sequitur, quibus omnes ultro obtemperant praeter unum et alterum, quos dementia quaedam et κακοζηλία agit transversos: et ne hi quidem omnia novare audent, sed ita aegrotant ut sana pars corporis vim morbi sustineat, et in plerisque naturam sequuntur ut in paucis quibusdam mirifice ineptire possint. Herodotus eadem lingua utitur qua olim Iones fuerant usi: complura de suo addidit venuste et ornate dicta sed sic ut non absurde dicendi leges et normam desereret. Non nesciebat, opinor, καταγελᾶν τινός dici oportere et ipse ita dixit V. 68. πλεῖστον κατεγέλασε τῶν Σικυωνίων. Quid igitur? Corrupti testes αὐτοῦ καταψεύδονται. Non dixit umquam τῷ ἀγάλματι κατεγέλασε neque quidquam huiusmodi. Hesychius ferat opem: Ἐγχάσκειν: καταγελᾶν, inquit, et Ἐγχανεῖν: καταχασμᾶσθαι (nam certa haec Kusteri est emendatio pro ἐγχαλεῖν, quod nauci non est [1]). Antiquum verbum et acre saepius apud Aristophanem in ea re ponitur ἐγχάσκω, quod recentioribus Graecis tam ignotum fuit ut vitiosam formam χαίνω, ἐγχαίνω, ex formis antiquis ἐγχανοῦμαι et ἐγχανεῖν effinxerint, non minus inepte ac si ἀποθαίνω ex ἀποθανοῦμαι et ἀπέθανον formare voluissent. Suspicor autem Herodotum scripsisse III. 155 δεινόν τι ποιεύμενος Ἀσσυρίους Πέρσῃσι ἐγχάσκειν et VII. 9. Ἴωνας οὐκ ἐάσεις ἐγχανέειν ἡμῖν, et sic in caeteris locis aut ἐνέχανε, ἐγχάσκειν et ἐγχάσκετε olim scripta fuisse, quibus corrector male sedulus omnibus substituerit vocabulum vulgo usitatum. Potuit in nonnullis horum Herodotus ἐγγελᾶν ponere, quod apud Tragicos tam saepe pro καταγελᾶν legitur, sed καταγελᾶν τινί dicere omnino non potuit. Recentiores Graeculi verbum ἐπιγελᾶν, quod veteribus est *arridere*, negligenter solent ponere pro καταγελᾶν, de qua re alius dabitur dicendi locus.

---

[1]) Post pauca apud Hesychium legitur Ἐγχημώμενοι: ἐγχάσκοντες glossa, ut saepe, transposita. Emenda Ἐγχάσκοντες: ἐγχασμώμενοι.

Menandri testimonium, quo utitur Scholiasta Apollonii Rhod. II. 121, egregie facit ad Xenophontis locum veteri mendo liberandum: *τὸ ὁμοῦ*, inquit, *καὶ ἐπὶ τοῦ ἐγγύς οἱ Ἀθηναῖοι εἰώθασι χρῆσθαι.* Μένανδρος·

ὁμοῦ δὲ τῷ τίκτειν παρεγένεθ' ἡ κόρη.

eodem sensu Menander dixerat *ἔστιν δ' ὁμοῦ τὸ χρῆμα* in Schol. Aristoph. Thesm. 572 et apud Harpocrat. v. *ὁμοῦ*. Μένανδρος. *ἤδη γάρ ἐστι τῷ τίκτειν ὁμοῦ*, ubi legerim *ἤδη γάρ ἐστιν ἥδε τῷ τίκτειν ὁμοῦ*; ut *Numnam illa, quaeso, parturit?* in Adelphis III. 4. 42. Hinc sumsit Dion. Halic. I. 78. *καὶ γὰρ ὁμοῦ τι τῷ τίκτειν τὴν κόρην εἶναι.* Multa de *ὁμοῦ* congessit doctus interpres Platonis ad Phaedon. p. 72. A, et multi alii Grammatici veteres de eadem re annotarunt, omnes tamen exiliter et nemo satis diligenter composuit omnia, quae inter se apta et nexa sunt et sic optime intelliguntur si ea cognatio apparet. Docent veteres magistri *ὁμοῦ* poni pro *ἐγγύς*, pro *ἐν ταὐτῷ*, esse *χρονικόν*, habere *δύναμιν συλλεκτικήν* et apponunt ad singula locos Veterum. Deinde *ὁμόσε* quo sensu dicatur docent alii, alii quid sit *ὁμόθεν*. Coniungi haec omnia debent et componi ut usus et ratio antiquae linguae accurate cognosci possit. Origo omnium est priscum *ὁμός*, quod *ὁ αὐτός* significabat, ut olim *ἀμός* significabat *εἷς*, unde *εἷς γέ τις* habet adverbium *ἀμωσγέπως*, id est *ἐξ ἑνός γέ του τρόπου* aut *ἑνί γέ τῳ τρόπῳ*, quae et ipsa in usu sunt. Ὁμός pro *ὁ αὐτός* saepe legitur apud Homerum: *ὁμὸς θρόος*, *ὁμὴ αἶσα*, *ὁμὴ τιμή*, *ὁμὴ ὁδός*, *ὀστέα νῶϊν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι*, Iovi et Neptuno erat *ὁμὸν γένος* Iliad. N. 354. id est *fratres erant*, *ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει.* Hinc fratres dicebantur *ὁμόθεν γεγονέναι*, *ὁμόθεν εἶναι*, quod plane idem est atque *ἐκ τῶν αὐτῶν γεγονέναι*, et omnino *ὁμόθεν* nihil aliud est quam *ἐκ ταὐτοῦ* sive *γένους* sive *τόπου*: eodem modo *ὁμόσε* ubique significat *εἰς ταὐτόν* et *ὁμόσε χωρεῖν*, *ἰέναι*, *βαδίζειν*, *πορεύεσθαι*, *θεῖν*, *φέρεσθαι*, *ἐλαύνειν*, alia, significant, *εἰς τὸν αὐτὸν τόπον τινὶ ἐλθεῖν* et sic *concurrere*, *congredi*, *confligere*, *manus conserere*, similia. Itaque quid sit *ὁμοῦ* apertum est, nempe *ἐν ταὐτῷ*, ut *ὁμοῦ διατρίβειν*, *ὁμοῦ εἶναι*, *ὁμοῦ γίγνεσθαι*, quae non significare *ἐγγύς* ostendunt loci, qualis est Arist. Thesmoph. 570: *γυνή τις ἡμῖν* | *Ἐσπουδακυῖα προστρέχει, πρὶν οὖν ὁμοῦ γενέσθαι* | *Σιγᾶτε*: est enim *ὁμοῦ γενέσθαι τινί* in eum locum, ubi quis est, *per-*

venire. Hinc Xenophontis locum in Hellenicis IV. v. 15. constitui oportet: ἀναχωρεῖν αὐτοὺς ἐκέλευε πρὶν τοὺς ὁπλίτας ὁμοῦ γενέσθαι, nam res ita demum recte enarrata erit, ubi τοῖς ὁπλίταις receperis, quod Schneider. et Dindorf. male spreverunt. Dum peltastae Spartanos lacesserent οἱ ὁπλῖται παρατεταγμένοι ἦσαν οὐ πόρρω τῆς πόλεως neque pugnam capessebant. Spartanis imperatur ut se recipiant priusquam ad eum locum *pervenissent*, ubi οἱ ὁπλῖται stabant in armis, qui se nondum movebant, quamobrem τοῖς ὁπλίταις ὁμοῦ necessarium esse apparet.

Iuvat eodem modo etiam aliorum Poëtarum auctoritate ac testimoniis uti ad eluenda antiqua quaedam menda ex scriptoribus Atticis, in quibus facilius peccabatur et fraus melius latebat quam in Comicorum versibus. Impune adhuc Demostheni vitium dicendi scribae affricuerunt in oratione ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν p. 202, 10. εἴ τις αὐτῶν ἀφέλοι τὸ γιγνώσκεσθαι καὶ τὸ τῇ φωνῇ λέγειν Ἀττικῶς, πολλοὺς ἂν οἶμαι τοὺς μὲν Ἀρκάδας τοὺς δὲ Λάκωνας αὐτῶν εἶναι νομίσαι, non est enim bene Graecum Ἀττικῶς λέγειν aut λέγειν Ἑλληνικῶς. Grammaticorum hic usus est, qui sic antiqui sermonis Attici proprietatem notare solent et ad aequalium συνήθειαν exigere, ut illa Ἀττικῶς, haec Ἑλληνικῶς dici scribant. Nemo veterum ita loquebatur: dicebant ἀττικίζειν, ἑλληνίζειν, ξενίζειν, περσίζειν, βοιωτιάζειν, δωρίζειν, alia. quibus saepe τῇ φωνῇ addebant, ut Demosthenes Aeschini dicitur Σκύθης βάρβαρος ἑλληνίζων τῇ φωνῇ in Ctesiph. § 172 et Βοιωτιάζων τῇ φωνῇ in Anabasi III. ι. 26 et alibi. Pro ἀττικίζειν et ἑλληνίζειν dicebant etiam ἀττικιστὶ λέγειν aut τῇ φωνῇ λέγειν ἀττικιστί, et ἑλληνιστὶ λέγειν, ut δωριστί, ἰαστί, περσιστί, alia notissima. Posidippus apud Dicaearch. in Geogr. min. Hudsoni II. p. 23.

σὺ μὲν ἀττικίζεις, ἡνίκ' ἂν φωνὴν λέγῃς
σαυτοῦ τιν', οἱ δ' Ἕλληνες ἑλληνίζομεν.

Alexis Athen. VII. 287. F.

μεμβράδας μοι κρεῖττον ἦν
ἔχειν μετ' ἀττικιστὶ δυναμένου λαλεῖν.

Antiphanes Athen. VII. 323 B.

πάνυ συχνὴ σφύραινα. B. κέστραν ἀττικιστὶ δεῖ λέγειν.

Hinc colligitur vitiosam esse lectionem, quae in Demosthenis libris est et τῇ φωνῇ λέγειν ἀττικιστί ab ipso Oratore popularium

more scriptum fuisse, librarios reposuisse id quod ipsi in tali re sexcenties solebant dicere. Est hoc et ex se spectatum satis certum et planissime confirmatur scriptura omnium librorum in Prooemiis, quae ex Demosthene et aliis ab aliquo antiquo rhetore descripta in multis Codd. Demosthenis circumferuntur, ubi sine labe legitur pag. 1424, 1. *καὶ τὸ τῇ φωνῇ λέγειν ἀττικιςί.* Mirum est Editores non vidisse quantum in illo loco inesset boni ad emendandam Demosthenis orationem et quanto emendatior et integrior esset scriptura in Prooemiis quam in Orationibus. Facile est paucis id indicare, quia bonitas lectionum perspicua est: pro *οὐχ ὑμῶν ὄντες πολῖται* in Prooemiis optime legitur *οὐχ ὑμῶν ὄντες*, quod melius opponitur verbis *ἀφ' ἑκατέρων ἥκοντες* et additum *πολῖται* requirit *ὑμέτεροι* pro *ὑμῶν*. Deinde pro *ἐγὼ δ' ὁρῶ μὲν ὡς χαλεπὸν τὰ βέλτιςα λέγειν ἐςί* rectissime illic legitur *ἐγὼ δ' οἶδα μὲν ὡς χαλεπὸν τὸ τὰ βέλτιςα λέγειν ἐςί*: si *ὁρῶ* scripsisset non *ὡς* = *ὅτι*, sed *ὄν* addidisset: *οἶδα ὡς χαλεπόν ἐςι* significat *scio quam difficile sit τὸ τὰ βέλτιςα λέγειν.* Praeterea pro *ἂν τὰ μεταξύ τις ἐγχειρῇ λέγειν καὶ ὑμεῖς μὴ περιμένητε μαθεῖν* recte pro *καί* illic *κατα* in optimo S legitur, in caeteris *καὶ ταῦθ'*, unde emergit *κᾆθ' ὑμεῖς*, verissima lectio, et sic solet ΚΑΙΘ corrumpi. In seqq. pro *ἀπὸ δὲ τῶν ὁμολογουμένων ὑφ' ἁπάντων ἄρξομαι*, illic *ἐκ δὲ τ. ὁ. ὑπ' αὐτῶν ἄρξομαι* scriptum est, in quibus *ἐκ* potior lectio est, sed *ὑφ' ἁπάντων* retinendum: *ἁπάντων* in *ὑπ' αὐτῶν* depravatum *ὑφ'* expulit.

Locus Aristophontis Athen. XI. 472. C. cum loco Aeschinis compositus inveteratum mendum simul arguet et sanabit. Locus est in Ctesiphontea § 41. non uno vitio contaminatus: *γιγνομένων γὰρ τῶν ἐν ἄςει τραγῳδῶν ἀνεκήρυττόν τινες οὐ πείσαντες τὸν δῆμον οἱ μὲν ὅτι ςεφανοῦνται ὑπὸ τῶν φυλετῶν, ἕτεροι δ' ὑπὸ τῶν δημοτῶν, ἄλλοι δέ τινες ὑποκηρυξάμενοι τοὺς οἰκέτας ἀφίεσαν ἀπελευθέρους μάρτυρας τῆς ἀπελευθερίας τοὺς Ἕλληνας ποιούμενοι.* In priore parte huius loci postulat Graecitatis ratio, ut scribatur: *ἕτεροι δ' ὅτι ὑπὸ τῶν δημοτῶν*, necesse est enim *ὅτι* repetere, quia praecedens *ὅτι* nihil ad haec verba pertinens cogitando huc trahi nullo modo potest. Si quis hoc verum esse sentit eadem opera emendabit mecum Xenophontem in Hellen. VII. I. 14. *ἐςιν οὖν — ἰσαίτερον ἢ ἐν μέρει ἑκατέρους ἡγεῖσθαι —*

καὶ ὑμᾶς τε εἴ τι ἀγαθόν ἐϛιν ἐν τῇ κατὰ θάλατταν ἀρχῇ τούτου μετέχειν, καὶ ἡμᾶς ἐν τῇ κατὰ γῆν; supplendum necessario est καὶ ἡμᾶς εἴ τι ἐν τῇ κατὰ γῆν; et in primis verbis ἔϛιν οὖν τι ἰσαίτερον; contra perelegans ellipsis correctorum ἀπειροκαλίᾳ interpolando obscurata est in eodem Xenophontis libro VII. v. 18. οὐκ ἐδόκει αὐτῷ (Epaminondae) δυνατὸν εἶναι ἀμαχεὶ παρελθεῖν λογιζομένῳ ὅτι εἰ μὲν νικῴη πάντα ταῦτα ἀναλύσοιτο, εἰ δὲ ἀποθάνοι καλὴν τὴν τελευτὴν [ἡγήσατο] ἔσεσθαι πειρωμένῳ τῇ πατρίδι ἀρχὴν Πελοποννήσου καταλιπεῖν. Primum pro παρελθεῖν requiritur ἀπελθεῖν, ut paulo ante ὅτι ὀλίγων ἡμερῶν ἀνάγκη ἔσοιτο ἀπιέναι, deinde ἡγήσατο est expungendum, namque apertum est ea sic a Xenophonte composita esse: λογιζομένῳ ὅτι ἀναλύσοιτο μὲν ταῦτα εἰ νικῴη, καλῶς δὲ τελευτήσοι, εἰ ἀποθάνοι, tum pro ὅτι καλῶς τελευτήσοι maluit dicere, quod perinde erat, καλὴν τὴν τελευτὴν ἔσεσθαι. Similium vitiorum magna est apud omnes copia, quoniam magistri elegantem et nitidam veterum compositionem discipulis dormitantibus et aliud agentibus ostendentes quod illi venuste omiserant de suo inficete supplebant, aut quod semel erat positum et praemissum putide repetebant. Quale sit quod dicam exempla quaedam demonstrabunt. Plato in Phaedone dixerat p. 116. E. εἰκότως γ᾽, ὦ Κρίτων, ἐκεῖνοί τε ταῦτα ποιοῦσιν — καὶ ἔγωγε ταῦτα οὐ ποιήσω, sed in omnibus libris scriptis editis circumfertur καὶ ἔγωγε ταῦτα εἰκότως οὐ ποιήσω. Quis nostrum tam negligenter esset locutus? Eiusdemmodi mendum est in eodem libro p. 67. E. εἰ γὰρ διαβέβληνται μὲν τῷ σώματι, αὐτὴν δὲ καθ᾽ αὑτὴν ἐπιθυμοῦσι τὴν ψυχὴν ἔχειν, τούτου δὲ γιγνομένου [εἰ] φοβοῖντο καὶ ἀγανακτοῖεν οὐ πολλὴ ἂν ἀλογία εἴη; ubi repetitum εἰ sciolo debetur, qui eo fulcro ad orationem sustentandam opus esse opinabatur, aut mirabatur quid esset εἰ διαβέβληνται μὲν, φοβοῖντο δέ. Xenophontis Hellenica saepe illo modo interpolata sunt. Legitur III. ii. 20. ἔδοξε πυθέσθαι ἀλλήλων ἐπὶ τίσιν ἂν τὴν εἰρήνην ποιήσαιντο. Ὁ μὲν δὴ Δερκυλίδας εἶπεν· εἰ αὐτονόμους ἐῴη βασιλεὺς τὰς Ἑλληνίδας πόλεις. ὁ δὲ Τισσαφέρνης καὶ Φαρνάβαζος [εἶπον ὅτι]· εἰ ἐξέλθοι τὸ Ἑλληνικὸν ϛράτευμα ἐκ τῆς χώρας. viden εἶπον ὅτι magistello deberi, qui pueris Xenophontem legebat? Ibidem III. v. 5. ἀνεμιμνήσκοντο δὲ καὶ ὡς θύειν τ᾽ ἐν Αὐλίδι τὸν Ἀγησίλαον οὐκ εἴων καὶ τὰ τεθυμένα ἱερὰ [ὡς] ἔρριψαν ἀπὸ τοῦ βωμοῦ καὶ

[ὅτι] οὐδ' εἰς τὴν Ἀσίαν Ἀγησιλάῳ συνεστράτευον, pendent οὐκ εἴων, ἔρριψαν, συνεστράτευον ex ὡς praecedente, idque copulae τε - καί - καί evincunt, ut arguantur sciolorum emblemata ὡς et ὅτι. Similiter V. II. 2. αἰσθάνεσθαι γὰρ ἔφασαν - ὡς ἐστι μὲν ὅτε οὐδὲ συστρατεύοιεν, ὁπότε δὲ καὶ ἀκολουθοῖεν [ὡς] κακῶς συστρατεύοιεν eadem de causa alterum ὡς insiticium esse apparet. Arguta et elegans oratio Aeschinis multum a sciolis lectitata passim ab iis eodem modo vitiata est. In Ctesiphontea § 20. τὴν βουλὴν τὴν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ ἐγγράφειν πρὸς τοὺς λογιστὰς ὁ νόμος κελεύει λόγον καὶ εὐθύνας [διδόναι], ultimum vocabulum interpolatum est, ut bis στεφανουμένοις in § 45. τοῖς μὲν ὑπὸ τῆς βουλῆς στεφανουμένοις — τοῖς δ' ὑπὸ τοῦ δήμου [στεφανουμένοις] — τοῖς δ' ὑπὸ τῶν δημοτῶν [στεφανουμένοις] καὶ φυλετῶν. In § 112 magister nescio quis pannum ex Pausania X. 37. § 6. Aeschini assuit: quam inepte is iudicato, qui utrumque locum composuerit. In § 132. ἐσομένοις vitiose additum est in verbis εἰς παραδοξολογίαν τοῖς [ἐσομένοις] μεθ' ἡμᾶς ἔφυμεν. Satis, opinor, erat in § 145 dixisse μετήνεγκεν εἰς τὴν Καδμείαν, at isti εἰς Θήβας inseruerunt, et in § 146 quum optime dixisset ἢ ὑπὸ τῶν ἐκ τοῦ στρατηγείου nunc pueriliter dixisse videtur ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐκ τοῦ στρατηγείου. Scite dixerat § 193. οἱ δὲ δικασταὶ ἐνίοτε ὧν μέν εἰσι κριταὶ ἐπιλανθάνονται, ὧν δ' οὐκ εἰσὶ περὶ τούτων ἀναγκάζονται τὴν ψῆφον φέρειν, perdidit omnia qui dedit ὧν δ' οὐκ εἰσὶ [δικασταί] περὶ τούτων κτέ. Quod optime dixerat § 201 ἐὰν δὲ μὴ προσποιῆται ὑμῶν ἀκούειν μηδ' ὑμεῖς ἐκείνου, misere corrupit magistellus qui de suo ἐθέλετε ἀκούειν adscripsit: debebat certe pueros admonere ἀκούειν προσποιεῖσθε auditoribus supplenda relinqui. Quam frigidum est vel pueris emblema § 208 ὧν οὐδέτερόν ἐστι Δημοσθένει ὑπάρχον. Corrige in § 224 καὶ παρ' ᾧ ἐν Ὠρεῷ κατήγου (κατηγάγου) - ἄνδρα φίλον καὶ ξένον ποιούμενος τοῦτον ἀπέκτεινας. Unum superest in § 246 κηρύττεταί τις ἐν τῷ θεάτρῳ [ὅτι στεφανοῦται] ἀρετῆς ἕνεκα καὶ ἀνδραγαθίας, si ὅτι στεφανοῦται expunxeris ipsum Aeschinem audies. Sed redeo ad alterum vitium in Aeschinis loco, unde digressus sum: vitium concepere verba in § 41 ἄλλοι δέ τινες ὑποκηρυξάμενοι τοὺς οἰκέτας ἀφίεσαν ἀπελευθέρους, ubi sana non sunt verba ἀφίεσαν ἀπελευθέρους, quomodo nemo umquam Graece locutus est: pro *manumitto* dicebant ἀφίημι ἐλεύθερον con-

stanter oratores, philosophi, comici, omnes, ut in Theophrasti testamento apud Diog. Laërt. V. 2. 55. *τῶν δὲ παίδων Μόλωνα μὲν καὶ Κίμωνα* (lege *Σίμωνα*) *καὶ Παρμένοντα ἀφίημι ἐλευθέρους*, et apud Aristophontem l. l.

εἶτ' ἐλευθέραν ἀφῆκε βαπτίσας ἐρρωμένως,

et passim, quamobrem Aeschini reddendum esse censeo *ἀφίεσαν ἐλευθέρους* pro *ἀπελευθέρους* et in sqq. verba *τῆς ἀπελευθερίας* expungenda, quoniam *manumissio ἀπελευθέρωσις* dici potest et a nonnullis dicitur, ut *ἀπελευθεροῦν* pro *ἀφιέναι ἐλεύθερον*, sed *ἀπελευθερία* dici non potest, quod nihil aliud quam *libertini conditionem* significat.

Dicitur, sed vitiose, serva manumissa *ἐλεύθερον οἶνον πίνειν* a Xenarcho Athen. X. 440. E.

ἐμοὶ γένοιτο, σοῦ ζώσης, τέκνον,
ἐλεύθερον πιοῦσαν οἶνον ἀποθανεῖν,

quid debeat dicere Antiphanes docebit Athen. III. 123. B.

εἰ δὲ μὴ μηδέποθ' ὕδωρ πίοιμι | ἐλευθέριον,

quod ipsum Xenarcho restitue. Saepe haec confundi notum est. Aeschines de F. L. § 23. *διατριβαὶ καὶ συνήθειαι μεθ' ὑμῶν ἐλεύθεροι* ex plerisque libris videbatur dixisse, bene Bekkerus ex paucis recepit *ἐλευθέριοι*. Vel sine libris in Ctesiph. § 154 corrigendum est *παιδευθεὶς ἐλευθερίως* pro *ἐλευθέρως*, ut recte legitur in *Memorabilibus* II. VII. 4. *ἐλευθερίως πεπαιδευμένους*: contra *ἐλευθέρως*, quod proprie *de dicendi libertate* poni solet, reponi debet in Memorab. IV. VIII. 1. *τὴν δίκην πάντων ἀνθρώπων ἀληθέστατα καὶ ἐλευθεριώτατα καὶ δικαιότατα εἰπών*, quia cum summa *libertate*, non *liberalitate*, causam dixisse Socrates dicitur emenda *ἐλευθερώτατα*.

Hermippus et Lysias inter se compositi mutuam sibi opem ferent. Pollux VII. 194. ita scribit: *Ἕρμιππος ἐπὶ τοῦ προπιστευθέντος ἄνευ ἀργυρίου πίνειν ἐκ καπηλείου προδόσει πίνειν εἴρηκεν.* Lysias Athen. XIII. 612. C. Aeschinem Socraticum his verbis insectatur: *οὐχ οἱ μὲν κάπηλοι οἱ ἐγγὺς οἰκοῦντες παρ' ὧν προπόσεις λαμβάνων οὐκ ἀποδίδωσι δικάζονται αὐτῷ συγκλείσαντες τὰ καπηλεῖα;* Nihili est et *προδόσει πίνειν* et *προπόσεις λαμβάνων*, ex utroque vitio vera scriptura esse colligitur *προδόσεις λαμβάνων*, estque id ipsum in optimo Athenaei Codice, ubi

Musurus futilem coniecturam suam *προπόσεις* substituit. Πίνειν *προπόσεις* ab ea re diversissimum est: in convivio *ὁ μὲν προπίνει τὴν κύλικα, ὁ δὲ τὴν πρόποσιν δέχεταί τε καὶ πίνει.* Nico Athen. XI. 487. C.

καὶ πάνυ τις εὐκαίρως· προπίνω, φησὶ, σοί,
πατριῶτα. μάνην δ' εἶχε κεραμεοῦν ἁδρόν
χωροῦντα κοτύλας ἓξ ἴσως. ἐδεξάμην.

Sic igitur dixit Antiphanes Athen. III. 127. D.

πιών τε προπόσεις τρεῖς ἴσως ἢ τέτταρας
ἐστρηνίων πως.

et Alexis Athen. XIV. 663. C.

τοὖψον λαβοῦσαι τοῦτο τἀπεσταλμένον
σκευάζετ', εὐωχεῖσθε, προπόσεις πίνετε.

et eodem modo *φιλοτησίας προπίνειν* dicebatur. Alexis Athen. XI. 431. A.

τρεῖς φιλοτησίας ἐγώ
μεστὰς προπίνων ἴσον ἴσῳ κεκραμένας,

et aliis locis. Itaque Hermippo *προδόσεις* reddendum, Lysiae oblatum a bono libro confirmandum. Quoniam huius rei mentio incidit obiter Eupolidis locum corrigam. Pollux II. 159. annotavit: *παρ' Εὐπόλιδι προπόσεως σχῆμα·*

ὅταν δὲ δὴ πίνωσι τὴν ἐπιδέξια.

ubi scribe *πόσεως σχῆμα* non *προπόσεως*, quia *πίνειν ἐπιδέξια, πίνειν τὴν ἐπιδέξια, πίνειν τὴν κύκλῳ* dicebant, non item *προπίνειν*: ut in fragmento Anaxandridae, quem supra constituimus:

βούλεσθε δῆτα τὸν ἐπιδέξι', ὦ πάτερ,
λέγειν ἐπὶ τῷ πιόντι;

et Menander Athen. XI. 504. A.

οὐδεμίαν ἡ γραῦς ὅλως
κύλικα παρῆκεν ἀλλὰ πίνει τὴν κύκλῳ.

si quis ad haec exegerit verba Eupolidis apud Scholiast. Aristoph. Nub. 96.

δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν (ᾄδων)
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν.

facile perspiciet corrigendum esse:

δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπιδέξι' ᾄδων
Στησιχόρου κτέ.

Locus est Lysiae, aut quicumque scripsit *τὸν ἐπιτάφιον λόγον,*

qui in Lysiacis circumfertur, unde vetus vitium comparatus Antiphanis locus tollendum esse monstrabit. Apud Lysiam editur II. § 7. πέμψαντες κήρυκας ἐδέοντο αὐτῶν δοῦναι τὴν τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν. Expungendum esse articulum τήν et res ipsa docet et Antiphanes confirmabit apud Athen. VI. 225. D.

(ἰχθῦς) ἕωλοι κείμενοι δύ' ἡμέρας
ἢ τρεῖς· μόλις δ' ἐάν ποτ' ὠνητὴν τυφλόν
λάβωσ' ἔδωκαν τῶν νεκρῶν ἀναίρεσιν.

et saepissime in historicis legitur δοῦναι vel αἰτεῖν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν, ut apud Thucyd. III. 113. ἦλθε κήρυξ ἀναίρεσιν αἰτήσων τῶν νεκρῶν, quod Demosthenis causa admoneo, apud quem in oratione περὶ Ἁλοννήσου p. 86, 9. vitiose editur: τοῦτον τὸν ἄνδρα ἐκεῖνος — ἀπέκτεινε καὶ οὐδ' ἀναίρεσιν ἔδωκεν ἵνα ταφῇ. Quamquam haec oratio non est ab ipso Demosthene scripta, tamen ab eo scripta est, qui illi popularis et aequalis erat, et ad eos habita, qui satis sciebant quid esset οὐδ' ἀναίρεσιν ἔδωκεν. supervenit diu post sciolus, qui ἵνα ταφῇ de suo adscripsit.

Forma barbara deturpat foedissime locum Aristoph. in Pace vs. 175.

ἤδη ϛροφεῖ τι πνεῦμα περὶ τὸν ὀμφαλόν.

nihil est certius quam ϛρέφει esse emendandum, ut in fragm. Arist. apud Poll. X. 44.

οἴμοι τάλας, τί μου ϛρέφει τὴν γαϛέρα;

et Antiphanis apud Athen. III. 123. B.

οὐ γὰρ κακὸν ἔχω μηδ' ἔχοιμ'. ἐὰν δ' ἄρα
ϛρέφῃ με περὶ τὴν γαϛέρ' ἢ τὸν ὀμφαλόν
παρὰ Φερτάτου δακτύλιός ἐϛί μοι δραχμῆς,

et aliis locis. Στροφῶ autem prorsus barbarum est, quam formam certa Graecitatis lex et analogia respuit: alia ratio est verborum οἰακοϛροφεῖν, χειρονομεῖν, ἱπποτροφεῖν, ᾠοτοκεῖν, μισθοφορεῖν, ἀνθολογεῖν, οἰκοφθορεῖν, aliorum sexcentorum, quae omnia ex adiectivis compositis propagata sunt, οἰακοϛρόφος, οἰακοϛροφεῖν etc. sed ipsum ϛροφεῖν tam barbarum est atque νομεῖν, τροφεῖν etc. Singulare est φορεῖν. Productae formae sunt ϛρωφᾶν, τρωπᾶν, νωμᾶν. Peccant in his graviter et turpiter poëtastri et versificatores, qui sero nati carmina Epica et alia quaelibet lingua Homerica laborioso artificio pangebant inque ea re in mirificos et ridiculos errores se implicabant sexcentos. Di-

cemus de eo genere diligenter alias: sed nihil horum errores ad Aristophanem, qui scribarum vitio non suo nunc *βαρβαρίζειν* videtur.

Idem vitium in Comico feliciter sublatum in Isocrate tollendum esse nunc ostendam. Anaxandrides apud Athen. XIV. 642. B. credebatur dixisse:

ὡς δ' ἐσεφανώθην ἡ τράπεζ' ἐπήγετο
τοσαῦτ' ἔχουσα βρώμαθ' ὅσα μὰ τοὺς θεοὺς
καὶ τὰς θεὰς οὐδ' ἔνδον ὄντ' ᾔδειν ἐγώ.

absurdam scripturam *οὐδ' ἔνδον ὄντ'* evidenti emendatione Hirschigius sanavit, qui reperit veram: *οὐδ' εἰ γέγονεν ᾔδειν ἐγώ.* Quum in detrito libro non satis quid scriptum esset appareret scriba dedit quod ei in mentem venit. Est autem illud *οὐδ' εἰ γέγονεν οἶδα* tritum Atticis de re aut homine, quem juxta cum ignarissimis ignorent, ut apud Demosthenem de Corona p. 248, 6. *Σέρριον δὲ καὶ Δορίσκον καὶ τὴν Πεπαρήθου πόρθησιν — οὐδ' εἰ γέγονεν οἶδα*, et in Midiana p. 539, 24. *μειρακύλλιον ὢν κομιδῇ καὶ τοῦτον οὐδ' εἰ γέγονεν εἰδὼς [οὐδὲ γιγνώσκων] ὡς μηδὲ νῦν ὤφελον*, ubi acerrime dictum non fert languidum additamentum *οὐδὲ γιγνώσκων* ex interpretatione sibi appensum. Isocrates dixit in Euagora § 6. *ἥδιον ἂν εὐλογουμένων ἀκούοιεν οὓς οὐκ ἴσασιν εἰ γεγόνασιν ἢ [τούτους] ὑφ' ὧν εὖ πεπονθότες αὐτοὶ τυγχάνουσιν*, ubi Bekkerus male *τούτους* totum expulit, debebat partem retinere, nam Graece dicendum est *ἢ τοὺς ὑφ' ὧν εὖ πεπονθότες αὐτοὶ τυγχάνουσιν.* Eodem plane modo Cicero scribit ad Famil. IX. 15. Nam mihi scito iam a regibus ultimis allatas esse litteras, quibus mihi gratias agant, quod se mea sententia reges appellaverim, quos ego non modo reges appellatos sed *omnino natos nesciebam.* Hoc ipsum nunc Isocrati reddendum est in Panathenaico § 70. *ἡμῖν μὲν γὰρ συνέπεσε περὶ νησύδρια τοιαῦτα καὶ τηλικαῦτα τὸ μέγεθος ἐξαμαρτεῖν, ἃ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων οὐδ' ἴσασιν, ἐκεῖνοι δὲ τὰς μεγίστας πόλεις τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ τὰς πανταχῇ προεχούσας τῶν ἄλλων ἀναστάτους ἐποίησαν.* Ita demum haec erunt *ἰσοκρατείως* dicta quum suppleveris *ἃ πολλοὶ τῶν Ἑλλήνων οὐδ' εἰ γέγονεν ἴσασιν*, quod quam bene et significanter dictum sit et caeteri loci, quos apposuimus, ostendunt et Anaxandridea *ὅσα - οὐδ' εἰ γέγονεν ᾔδειν ἐγώ.*

Antiphanis locus est depravatus et mutilus, qui ex Platonicis

emendatus Platoni contra hic illic emendando occasionem dabit. Antiphanes in Athenaei Epitome I. p. 11. C. fertur dixisse·

συνακρατίσασθαι πῶς ἔχεις μετ' ἐμοῦ;

ut haec Graeca sint duae voculae adiiciendae sunt et scribendum: πρὸς τὸ συνακρατίσασθαι πῶς ἔχεις μετ' ἐμοῦ; quod urbane et venuste dicitur pro πότερα βούλει ἢ οὔ; πότερα ἀρέσκει σοι ἢ οὔ; vel πότερά σοι δοκεῖ ἢ οὔ; et πότερα οἷός τε εἶ ἢ οὔ, veluti in Platonis Rep. I. p. 329. B. πῶς, ὦ Σοφόκλεις, ἔχεις πρὸς τἀφροδίσια; scite et eleganter quaesivit id ex poëta pro ἔτι οἷός τ' εἶ γυναικὶ συγγίγνεσθαι, quae verba a sciolo interpretationis causa adscripta esse Hirschigio prorsus assentior. In Platonis Symposio p. 174. B. πῶς ἔχεις πρὸς τὸ ἐθέλειν ἂν ἰέναι ἄκλητος ἐπὶ δεῖπνον; labes est sententiae manifesta, siquidem πῶς ἔχεις est πότερα ἐθέλεις ἢ οὔ; Quomodo igitur ἐθέλειν ἂν locum suum tuebitur? Credo genuinum esse πῶς ἔχεις πρὸς τὸ ἰέναι κτέ.; deinde adscripta interpretatio ἐθέλοις ἄν; in Platonis orationem male irrepsit, quo facto utcumque reliquis verbis accommodata est. Plane eodem modo in eadem locutione peccatum est in eodem dialogo pag. 176. B. πῶς ἔχει πρὸς τὸ ἐρρῶσθαι πίνειν Ἀγάθων; Expunge ἐρρῶσθαι et sensus erit ἔτι οἷός τ' ἐςὶ πίνειν Ἀγάθων; et sic demum optime Agatho respondebit: οὐδαμῶς οὐδ' αὐτὸς ἔρρωμαι. Eiusdemmodi est, quod apud Menandrum legitur in Clementis Alex. Strom. II. p. 504. πρὸς τὸ πρᾶγμ' ἔχω κακῶς, et apud Antiphanem Athen. XIV. 641. F.

οἶνον Θάσιον πίνοις ἄν; B. εἴ τις ἐγχέαι.
A. πρὸς ἀμυγδαλᾶς δὲ πῶς ἔχεις; B. εἰρηνικῶς.

et apud alios. Contrario errore πρός τό nescio unde male irrepserunt in Platonis Phaedonem pag. 117. B. ταυρηδὸν ὑποβλέψας πρὸς τὸν ἄνθρωπον· τί λέγεις, ἔφη, περὶ τοῦδε τοῦ πώματος πρὸς τὸ ἀποσπεῖσαί τινι; ἔξεςιν ἢ οὔ; Non video quomodo haec umquam intelligi possint nisi scriptura sic constituatur: τί λέγεις περὶ τοῦδε τοῦ πώματος; ἀποσπεῖσαί τινι ἔξεςιν ἢ οὔ;

Aliud in Platone vitium compositi Comicorum loci arguent in Symposio p. 196. C. πρὸς δὲ τῇ δικαιοσύνῃ σωφροσύνης πλείςης μετέχει. Non esse haec bene Graece dicta non aliunde melius quam ex Comicis aut disci aut doceri potest. Graecum est χάριν πλείςην ἔχειν sed χαρίτων πλεῖςον μετέχειν, non πλείςων. Saepe μέρος additur et quis non passim legit μετέχειν πλέον μέ-

ρος, πλεῖϛον μέρος, ἐλάχιϛον μέρος, οὐδὲν μέρος et sim.? Saepius omittitur μέρος sed sic ut πλέον, πλεῖϛον, ἐλάχιϛον, οὐδέν non mutentur. Itaque Plato scripsit σωφροσύνης πλεῖϛον μετέχει. Similiter in Philebo p. 56. C. scribendum: θῶμεν τοίνυν τὰς τέχνας τὰς μὲν ἔλαττον ἀκριβείας μετεχούσας τὰς δὲ πλέον pro vulgata lectione ἐλάττονος et πλείονος. Recte apud Platonem scriptum est et alibi et in Legibus VII. 816. E. εἴ τις μέλλει καὶ σμικρὸν ἀρετῆς μεθέξειν [1]. Recte apud Thucyd. I. 84. αἰδὼς σωφροσύνης πλεῖϛον μετέχει, recte apud Aristoph. Eccles. 582.

ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει πλεῖϛον παρὰ τοῖσι θεαταῖς,

recte Comicus incertus apud Sext. Empir. adv. Mathem. IX. 186.

εἰμὶ γὰρ Φόβος
πάντων ἐλάχιϛον τοῦ καλοῦ μετέχων θεός.

Hinc intelligitur recte Menandri dictum ex multis scripturis inter se multum discrepantibus a Meinekio sic esse constitutum in fragm. Incert. Fabul. CXCIX.

ὦ Νύξ, σὺ γὰρ δὴ πλεῖϛον Ἀφροδίτης θεῶν
μετέχεις μέρος.

Poterat hinc sarciri locus Plutarchi lacunosus in Sympos. III. 6. p. 654. D. καίτοι κράτιϛον αὐτῇ (τῇ Νυκτί) θεῶν μετεῖναί φησιν ἐρωτικὸς ἀνὴρ Μένανδρος, ubi corrigendum arbitror καίτοι πλεῖϛον θεῶν αὐτῇ Ἀφροδίτης μετεῖναι κτέ. quod confirmabit alius Plutarchi locus item a Meinekio prolatus de Fort. Rom. p. 318. D. πλεῖϛον γὰρ Ἀφροδίτης οὐ Νὺξ κατὰ Μένανδρον ἀλλὰ Τύχη μετέσχηκεν. Diversa miscuit Toupius in Emendatt. in Suidam v. τροπίας οἶνος. Tom. III. p. 276, cuius errores refutare nihil attinet. Hoc tantum utile est monere in (pseudo-) Luciani loco de Amoribus c. XXXI. poëtae, quem Callimachum esse suspicor, subesse videri pentametrum:

εἶπεν ἀνὴρ πλείϛων ἁψάμενος χαρίτων,

id est χαρίτων πλεῖϛον μετέχων vel simpliciter χαριέϛατος. Eadem opera Euripidi in Alcestide 964. redde πλείϛων ἁψάμενος λόγων pro vulgata πλεῖϛον.

Vitium idem, quo non est aliud levius sed tamen sententiam

---

[1]) Quemadmodum hoc optime dicitur, sic vitiosum est in Platonis Legibus p. 887. E. οἱ καὶ σμικρὸν νοῦ κεκτημένοι, ubi repone νοῦν, ut Plato scribere solet.

plane absurdam facit, et Comici locum et Plutarchi infecerat. Comicus dudum emendatus est, nos hinc admoniti Plutarcho opem feremus. In Ammonio de D. V. p. 12. Codicum omnium lectio est: *Εὔπολις ἐν Ταξιάρχοις·*

δίδου μασᾶσθαι ἀξίας ἀμυγδαλᾶς.

Olim correctum est ex Athenaeo II. 52. D.

δίδου μασᾶσθαι Ναξίας ἀμυγδαλᾶς
οἶνόν τε πίνειν Ναξίων ἀπ' ἀμπέλων.

qui ibid. ex Phrynicho affert:

οὐκ ἂν δυναίμην Ναξίαν ἀμυγδαλῆν κατᾶξαι.

ad haec unusquisque statim absurdum Plutarchi locum emendabit in Quaestionibus Graecis cap. 36. p. 299. A. *τὸν Διόνυσον αἱ τῶν Ἠλείων γυναῖκες ὑμνοῦσαι παρακαλοῦσι βοέῳ ποδὶ παραγίνεσθαι πρὸς αὐτάς. Ἔχει δ' οὕτως ὁ ὕμνος· ἐλθεῖν, ἥρω Διόνυσε, ἅλιον ἐς ναὸν ἁγνόν — εἶτα δὶς ἐπᾴδουσιν· Ἄξιε ταῦρε!* Imo vero *ἐπᾴδουσι· Νάξιε ταῦρε.* Deinde pro *ἅλιον ἐς ναόν*, quod vertunt non admodum salse *maritimum ad templum*, emenda *Ἀλεῖον*. Simile vitium est in Epigrammate Diogenis Laërtii I. 39. *ἠέλιε Ζεῦ* pro *Ἠλεῖε Ζεῦ*, quod a Casaubono commendatum receptum oportuit. Quemadmodum *ἐπᾴδουσι νάξιε* in *ἐπᾴδουσιν ἄξιε* stulte depravatum est eodem modo passim homunciones errare videas in libris. In Plutarchi libro adversus Coloten p. 1113. B. editur * * * *καλέουσι. νόμῳ δ' ἐπίφημι καὶ αὐτός*, ex Empedocle, quem aliunde constat dixisse: *ὡς θέμις οὐ καλέουσιν, ὁμῶς δ' ἐπίφημι καὶ αὐτός.* Qui lacunam *εἰκῇ* et leviter expleverunt *εἰκαί(ως)* admonent me loci Plutarchei in Symposiacis I. 3. 6, ubi lacunas librorum absurde expleri video, quum Plutarchi manus possit percommode restitui. In libris supersunt hae laciniae: *οὐ γὰρ μόνον ὠδῖνα τίκτει κυ* * * * *σοφῷ κατὰ τὸ* * * * *ἀλλὰ καὶ κτέ.* Nescio quid in mentem venerit iis, qui de suo haec ita sarciri posse putaverunt ut scriberetur: *ὠδῖνα τίκτει κυβευτῇ σοφῷ κατὰ τὸ λεγόμενον πᾶς βόλος ἀλλὰ καὶ κτέ.* eaque nunc in novissimis editionibus video circumferri. Non solet Plutarchus idem dictum aut versum semel tantum orationi suae inserere et accommodare tenetque in ea re illud veterum *δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά.* Cum Epicureis bellum gerens in libro *ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον* pag. 1090. A. ita scribit: *κατάστημα μὲν γὰρ εὐσταθὲς σαρκὸς γίνεται πολλάκις, ἔλπισμα δὲ*

πιστὸν ὑπὲρ σαρκὸς καὶ βέβαιον οὐκ ἔστιν ἐν ψυχῇ νοῦν ἐχούσῃ γενέσθαι ἀλλ' ὥσπερ ἐν θαλάσσῃ κατ' Αἰσχύλον

ὠδῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ

καὶ γαλήνη. Versus est ex Aeschyli Supplicibus 770.

ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου φιλεῖ
ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ.

unde luce clarius est in Symposiacis scripsisse Plutarchum: οὐ γὰρ μόνον

ὠδῖνα τίκτει νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ

κατὰ τὸν Αἰσχύλον ἀλλὰ καὶ κτέ.

Quemadmodum, ut in proverbio est, nihil in bello contemni oportet, sic neque in re critica. Nihil enim tam leve est, quin neglectum possit in magnum aliquod malum aut vitium evadere. Accentus negligenter positus sensum verborum saepe obscurat, saepe pessumdat. Si forte οὔκουν, ut saepe fit, vitiose οὐκοῦν scribitur, aut contra, solet sententia grave detrimentum accipere. In Eupolidis Ταξιάρχοις apud Pollucem IX. 102. legitur:

οὐκοῦν περιγράψεις ὅσον ἐναριστᾶν κύκλον;

nisi οὔκουν rescripseris vitiose dictum erit. Eodem modo erratum est in Eubulo Athen. XII. 553. B.

οὐκοῦν ὑποστορεῖτε μαλακῶς τῷ κυνί;

pro οὔκουν, quamobrem in sqq. verba καὶ τοὺς πόδας | ἀλείψατ' αὐτοῦ τῷ Μεγαλλείῳ μύρῳ, quae et ipsa ab οὔκουν pendent, requirunt futurum ἀλείψετε. Etiam alibi saepius idem mendum recurrit, sine damno, dixerit aliquis, nam quid dicatur recte ab omnibus intelligitur quamquam aliquid est in scriptura peccatum. Attulit tamen perpusillus ille error grave vitium Platoni in Phaedone p. 67. D. οὐκοῦν γελοῖον ἂν εἴη ἄνδρα παρασκευάζονθ' ἑαυτὸν ἐν τῷ βίῳ ὅτι ἐγγυτάτω ὄντα τοῦ τεθνάναι οὕτω ζῆν κἄπειθ' ἥκοντος αὐτῷ τούτου ἀγανακτεῖν; οὐ γελοῖον; πῶς δ' οὔ; Emenda accentum et importunum emblema ultro excidet. Lege οὔκουν γελοῖον ἂν εἴη; et statim οὐ γελοῖον insiticia esse et una litura sananda esse deprehendes.

Comparatus diligenter locus Aristophanis depravatus et mutilus cum loco Antiphanis sanissimo emendari et suppleri poterit. In Thesmophor. 710 sqq. deprehensum Mnesilochum his minis terrent:

καὶ μὴν ἥκεις ὅθεν ἥκεις,
φαύλως τ' ἀποδρὰς οὐ λέξεις
οἷον δράσας διέδυς ἔργον,
λήψει δὲ κακόν.

ad quem locum hae exstant veterum Scholiorum laciniae: ἥκεις] ἐκ τῶν ἀνδρῶν, φησὶν, ὅθεν οὐκ ἔξεστιν et ἥκεις, φησὶν, εἰς τὰς χεῖρας ἡμῶν ὅθεν οὐ φεύξῃ. Compone cum his Antiphanis locum apud Etymol. M. p. 683, 24.

εἰσδυόμενος εἰς πόρκον ὅθεν ἔξω πάλιν
οὐ ῥᾳδίως ἔξειμι τὴν αὐτὴν ὁδόν.

et facile intelliges apud Aristophanem scribi oportere: καὶ μὴν ἥκεις γ' ὅθεν οὐκ ἔξει | φαύλως ἀποδράς τ' οὐ λέξεις κτἑ.

Vitium non dissimile Aristophanis locum et Diphili inficit et eadem opera utrumque sanari potest. Apud Diphilum editur apud Poll. X. 137.

ὁ δὲ κανδύταλις
οὗτος τί δύναται καὶ τί ἐστιν; B. ὥσπερ εἰ
εἴποις ἀορτάς.

sic Meinekius coniecit pro ὥσπερ εἴποις. In Avibus legitur 179. sq.

οὐχ οὗτος οὖν δήπου 'στὶν ὀρνίθων πόλος;
B. πόλος; τίνα τρόπον; A. ὥσπερ εἴποι τις τόπος.

nemo negabit soloeca esse ὥσπερ εἴποι τις, pro quibus repone ὥσπερ εἰ λέγοις, et apud Diphilum quoque ὥσπερ εἰ λέγοις ἀορτάς legendum est, quemadmodum recte legitur in Avibus 282

ὥσπερ εἰ λέγοις
Ἱππόνικος Καλλίου κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας,

et aliis quibusdam locis. Quae apud Aristophanem continuo sequuntur neque ab ipso neque ab ullo alio poëta scripta sunt sed ab aliquo ludimagistro, cuius annotatio (ridiculum dictu) per vim in numeros iambicos coacta est. In Codd. est: ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται ἅπαντα διὰ τοῦτο καλεῖται νῦν πόλος. Qui serio in animum inducunt senarium antiqui poëtae esse posse hunc, qui vulgo circumfertur:

ἅπαντα διὰ τοῦτό γε καλεῖται νῦν πόλος,

et dactylum sic dividi posse et γε sine incommodo addi et νῦν fruantur quod ament; non ego his persuadere aut possum aut cupio, sed eos λῆρον ἡγοῦμαι τοῦ γνῶναι πέρι φύσεις ποιητῶν.

Ut saepius Comicorum ope ad Oratores emendandos usi sumus

et posthac utemur, sic contra Cratino pessime corrupto et scribarum socordia et Grammatici supina ignorantia egregiam opem Orator feret et alta caligine obrutam veram lectionem Aeschines in clara luce ponet. Suidas v. *ἀμύνασθαι* ex antiqua *λέξει ῥητορικῇ*, unde multa quantivis pretii unus nobis servavit haec affert: *ἐπὶ τῶν προηδικημένων τάσσουσιν οἱ ῥήτορες τὸ ἀμύνασθαι, ὅτε οἱ κακόν τι παθόντες ἀντιπράσσουσι τοὺς προδιαθέντας*, deinde addit: *καὶ ἀμύναιντο ἀμύναιεν.* Κρατῖνος ἐν Πυλαίοις (Πυλαίᾳ)· *Αὐτοὺς ἐπαίδευσεν ἔθρεψέ τε δημοσίοις χρήμασιν εἰς ἥβην ἵνα οἵ ποτε λοιγὸν ἀμύναιντο.* Nihil est in libris praesidii, nisi quod pro *λοιγὸν ἀμύναιντο* in A est *λοιγὸν ἀμύναιτο*, in BDE *λοιγὸν ἀμύναιο.* Neque in Criticis auxilii quidquam est: Meinekius et Hermannus choriambicos numeros et nescio quid restituere voluerunt sed tam infeliciter, ut Bernhardius ad Suidam annotaverit: »*Quae subsequuntur adeo nullum metri vestigium ostendunt, ut sophistae cuidam scriptori, velut Aeliano, malim ea vindicare.*" Haud vidi magis: Aeliano vindicari, ὦ Μοῦσαι φίλαι, futili sophistae, quae scripserit Cratinus, summus Poëta! Expediet nos Aeschines in Ctesiphontea § 154. *προελθὼν ὁ κῆρυξ καὶ παραστησάμενος τοὺς ὀρφανούς, ὧν οἱ πατέρες ἦσαν ἐν τῷ πολέμῳ τετελευτηκότες, νεανίσκους πανοπλίᾳ κεκοσμημένους ἐκήρυττε τὸ κάλλιστον κήρυγμα καὶ προτρεπτικώτατον πρὸς ἀρετήν, ὅτι τούσδε τοὺς νεανίσκους, ὧν οἱ πατέρες ἐτελεύτησαν ἐν τῷ πολέμῳ ἄνδρες ἀγαθοὶ γενόμενοι, μέχρι μὲν ἥβης ὁ δῆμος ἔτρεφε, νυνὶ δὲ καθοπλίσας τῇδε τῇ πανοπλίᾳ ἀφίησιν ἀγαθῇ τύχῃ τρέπεσθαι ἐπὶ τὰ ἑαυτῶν καὶ καλεῖ εἰς προεδρίαν.* Ad hos ipsos igitur, qui in novis armis fulgentes in loco conspicuo sedentes ludos spectabant, se Poëta repente convertit et eos admonet, ut pro his beneficiis fortem ac strenuam reip. operam praestent, his verbis:

[*ὁ Δῆμος*]

αὐτὸς ἐπαίδευσέν σ' ἀνέθρεψέ τε δημοσίοισι
χρήμασιν εἰς ἥβην, ἵνα οἵ ποτε λοιγὸν ἀμύναις.

Vides levia tantum vitia scripturae et tralaticios errores esse, qui horum verborum sententiam et numeros funditus perdiderint. Vides ΑΜΥΝΑΙΟ proxime a vero abesse (et ubique Ο et C permiscentur), at qui *ἀμύναιτο* et *ἀμύναιντο* correxere scilicet propter *αὐτούς*, hi sunt qui istam caliginem offuderunt. Ditto-

graphiam esse putantes in ἐπαίδευσεν et ἐπαίδευσαν tres litteras plane necessarias sustulerunt et Suidas ipse, qui sine suspicione docuit ἀμύναιντο dici pro ἀμύναιεν (quamquam hoc perabsurdum esse patet omnibus), non habet ubi stolidum et indoctum caput abscondat. Aeschines pro utili opera, quam nobis praestitit, hoc praemii ferat, ut ei μέχρι μὲν ἥβης ὁ δῆμος ἔθρεψε reddatur pro ἔτρεφε. Denique accentus vitiosus in ἵνα οἵ ποτε in οἷ ποτε certa de causa corrigatur, ut recte apud Homerum legitur Iliad. E. 800.

ἦ ὀλίγον οἷ παῖδα ἐοικότα γείνατο Τυδεύς.

quod Herodoti causa admoneo, ubi οἷ illud reflexivum librariis plane incognitum foedissimam corruptelam peperit, quamobrem nemo ad hunc diem quid tandem historicus dixerit ullis modis potuerit excogitare. Sed antequam hunc locum proferam ostendam prius in quanto periculo pronomen οἷ inscitia Graeculorum temere corrigentium quidquid iis non esset satis notum soleat in libris versari. In Platonis Symposio p. 174. E. scribae dederunt τὸν μὲν γὰρ εὐθὺς παῖδά τινα ἔνδοθεν ἀπαντήσαντα ἄγειν: veram scripturam primus omnium Porsonus (ad Eur. Med. 734) eruit ex Photio v. οἷ περισπωμένως ἀντὶ τοῦ ἑαυτῷ, ὀξυτόνως δὲ τὸ οὗτοι. Συμποσίῳ· οἷ μὲν γὰρ εὐθὺς παῖδά τινα τῶν ἔνδοθεν ἀπαντήσαντα. Descripsit haec Photius ex antiquis in Platonem Scholiis, qualia permulta et egregia apud eum exstare alibi iam diximus. Postea eadem scriptura in optimis libris reperta est, nisi quod παῖδά τινα ἔνδοθεν servant omnes, quum potior sit Scholiastae lectio παῖδά τινα τῶν ἔνδοθεν. Post pauca apud Platonem in eadem re turpius etiam peccatum est in libris omnibus, optimis pessimis p. 175. A. καὶ ἐμὲ ἔφη ἀπονίζειν τὸν παῖδα, ubi Bastius rem acu tetigit corrigens καὶ ἓ μὲν ἔφη. Vulgata nata est ex KAIEMĒ. In Lyncei fragmento apud Athen. IV. 131. F. in Codice est:

παρέθηκε πίνακα γὰρ μέγαν
ἔχοντα μικροὺς πέντε πινακίσκους ἐν ὧι,

cui Dindorfius optime ἐν οἷ reddidit. Habebat olim οὗ, οἷ, ἓ nominativum, quo Veteres utebantur eodem modo, quo σφεῖς. Unicum exemplum superest a duobus doctis et antiquis Criticis servatum ex Sophoclis Οἰνομάῳ, sed apud utrumque verba Poëtae depravata sunt. Apollonius Dyscolus περὶ ἀντωνυμίας p. 70

B. Bekk. ubi agit de nominativo ἵ ita scribit: ἀξιοπιστότερος ὁ Σοφοκλῆς μάρτυς χρησάμενος ἐν Οἰνομάῳ·

ει μεν ωσει θασσονα ειδωσ ειτεκοι παιδα,

et Scholiasta Victor. ad Iliad. XXII. 410. Σοφοκλῆς Οἰνομάῳ·

ἡ μὲν ὡσεὶ θάσσο. ἡ δὲ ὡσιτέξου παῖδα.

volebant enim nonnulli apud Homerum scribere ὡς ἵ ἅπασα pro ὡσεὶ ἅπασα prava subtilitate. Recte Scholiasta Venetus: οὐκ οἶδε δὲ ὁ ποιητὴς οὔτε τὴν ἵ οὔτε τὴν σφεῖς. Sophocles dixerat: ἡ μὲν ὡς ἵ θάσσονα | ἡ δ' ὡς ἵ τέτοκε παῖδα. Contendebant duae matres, utra filium peperisset velociorem. Res manifesta est. Nunc ad Herodotum emendandum transeo, apud quem sine sensu legitur VII. 169. ὦ νήπιοι, ἐπιμέμφεσθε ὅσα ὑμῖν ἐκ τῶν Μενέλεω τιμωρημάτων Μίνως ἔπεμψε μηνίων δακρύματα, ὅτι οἱ μὲν οὐ συνεξεπρήξαντο αὐτῷ τὸν ἐν Καμίκῳ θάνατον γενόμενον, ὑμεῖς δὲ κείνοισι τὴν ἐκ Σπάρτης ἁρπαχθεῖσαν ὑπ' ἀνδρὸς βαρβάρου γυναῖκα; Nihil attinet demonstrare quam sint haec impedita et absurda, satis enim apparebit si hanc veram lectionem opposuero: ὅτι οἷ μὲν οὐ συνεξεπρήξασθε τὸν ἐν Καμίκῳ θάνατον γενόμενον, ὑμεῖς δὲ κείνοισι κτέ. Vides OIMEN non intellectum foedam corruptelam peperisse et ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendis correctores quod non intelligunt interpolantes. Quoniam οἱ μέν pro οἷ μέν praepostere scripserant pro συνεξεπρήξασθε per vim συνεξεπρήξαντο reposuerunt et αὐτῷ quod abesse non poterat de suo adiecerunt. Deinde nihil aliud effecerunt quam ut sententia plane sensu vacua et absurda esset. Minos ipse infestus popularibus suis ita dixisse fingitur: κλαύσεσθε, ὅτι ἐμοὶ μὲν οὐκ ἐτιμωρήσατε, Μενέλεῳ δέ, quae in oratione indirecta induunt illam formam, quam Herodoto reddidimus. Denique ὑμεῖς δὲ κείνοισι more Homerico et Herodoteo scriptum est noto usu, confer Herod. I. 206. μόχθον μὲν τὸν ἔχεις ἄφες, σὺ δὲ διάβαινε ἐς τὴν ἡμετέρην, et multa eodem modo composita occurrunt apud eundem.

Quemadmodum οἷ in οἱ depravatum effecit ut quod diceretur prorsus intelligi non posset, sic contra οἱ in Aristophanis loco est restituendum, quod ni feceris in interpretando perdes operam. Scribitur in Avibus 369 sqq. in omnibus libris scriptis editisque sic:

φεισόμεσθα γάρ τι τῶνδε μᾶλλον ἡμεῖς ἢ λύκων,
ἢ τίνας τισαίμεθ' ἄλλους τῶνδ' ἂν ἐχθίους ἔτι;

quibus Epops ita respondet:

εἰ δὲ τὴν φύσιν μὲν ἐχθροὶ, τὸν δὲ νοῦν εἰσὶν φίλοι.

quis vidit umquam *μέν* et *δέ* hoc modo in protasi et apodosi posita et quis ita dici posse putat? Nihil certius est quam emendandum esse:

οἵδε τὴν φύσιν μὲν ἐχθροὶ, τὸν δὲ νοῦν εἰσὶν φίλοι,

ut statim vs. 372.

πῶς δ' ἂν οἵδ' ἡμᾶς τι χρήσιμον διδάξειάν ποτε;

et alibi. Id ipsum nunc video praecepisse dudum Dobraeum, in cuius Adversariis II. p. 217. ad h. l. annotatum est: »*lege οἵδε τὴν φύσιν.*" idque olim receptum oportuit.

Graeculorum inscitia et temeritas eadem, qua *οἵ* non intellectum sibi mirifice depravarunt, saepius mihi notata est in pronomine *σφίσι*, quo quum non amplius uterentur, stolide *φησι* substituunt aut *φασι* pro *σφίσι*, quo facto quam ridicula oratio exeat in nonnullis exemplis ostendere iuvat. Pherecratis lepidus locus est apud Athen. XI. 481. B. de mulierum vinositate:

εἶτ' ἐκεραμεύσαντο τοῖς μὲν ἀνδράσιν ποτήρια
πλατέα, τοίχους οὐκ ἔχοντ', ἀλλ' αὐτὸ τοὔδαφος μόνον,
φασὶ δ' αὐταῖσιν βαθείας κύλικας ὥσπερ ὁλκάδας.

Bergkius verum vidit: *σφίσι δέ γ' αὐταῖσιν*. Eadem medicina utendum in Polyaeno IV. III. 7. *οἱ Μακεδόνες ἦσαν ἐπαχθεῖς [τῷ Ἀλεξάνδρῳ] καὶ βαρεῖς καὶ πάντα, φασὶν, αὐτοῖς ἐβιάζοντο παρ' αὐτοῦ γίγνεσθαι*, ubi quis non videt emendandum esse *πάντα σφίσιν αὐτοῖς*. Iulianus in ea oratione, cui nomen est *Μισοπώγων*, p. 337. C. de barbarorum trans Rhenum cantibus haec commemorat: *ἐθεασάμην τοι καὶ τοὺς ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον βαρβάρους ἄγρια μέλη λέξει πεποιημένα παραπλήσια τοῖς κρωγμοῖς τῶν τραχὺ βοώντων ὀρνίθων ᾄδοντας καὶ εὐφραινομένους ἐν τοῖς μέλεσι*, deinde subiungit observationem verissimam hanc: *εἶναι γὰρ οἶμαι συμβαίνει τοῖς φαύλοις τὴν μουσικὴν λυπηροῖς μὲν τοῖς θεάτροις, φύσει δ' αὐτοῖς ἡδίστοις.* Egregius Codex Vossianus 77, ex quo manavit quidquid apographorum adhuc Iuliani innotuit, exhibet hanc lectionem: *φησὶ δ' αὐτοῖς ἡδίστοις*, quae olim nescio quis ita interpolavit, ut *φύσει* pro *φησί* rescriberet, admodum infeliciter, ut vides, nam dudum intellexisti *σφίσι δ' αὐτοῖς* ab ipso Iuliano

esse scriptum. Idem vitium in eodem. p. 65. c codice correctum est in verbis: τὸ πεζὸν γάρ, φασὶν, ἀχρεῖον εἰς τὰ πολεμικὰ καθέστηκεν, ubi Vossianus liber recte γάρ σφιν ἀχρεῖον, ipse autem Iulianus perperam σφιν, ut alibi σφίσι, pro αὐτοῖς posuit, quemadmodum passim in Graecitatis antiquae imitatione impingit et labitur cum aequalibus omnibus. Spanhemius Codicem optimum negligenter hic illic inspexit magis quam accurate excussit neque oculis exercitatis legit. Cuius rei uno exemplo utar ad confirmandam observationem palaeographicam, quam in priore parte indicavi. Pag. 357. A. legitur ὃ δὴ καὶ αὐτὸς συννοήσας, Spanhemius e Voss. affert ξυνοῆσθαι, quum diserte legatur ξυννοήσας, sed ut pro -ασ compendiolum notissimum scriptum sit, quod literae σ adhaerens θ referre videatur. Eodem modo p. 351. B. ἐνεργασάμενος τῇ ψυχῇ καὶ ὥσπερ ἐντυπώσας Spanhemius ἐντυπώσθη imperite affert, quum ἐντυπώσας sit liquido scriptum. Eadem res in Hesychio oculos Schowii fefellit, qui quum unicum Marcianum Codicem perscrutaretur in voce Μήδεά τ' ἀνδρῶν, enotavit:

μήδεατεξερύσθλα ἢ κυσὶν ἅμα δάσουσ,

quum legatur εξερύσασ λα ἢ κυσὶν eodem modo scripta atque γυμνώσας in Charitone, ξυννοήσας et ἐντυπώσας in Iuliano. Musurus ex illo stercore eruit Homerica:

μήδεά τ' ἐξερύσας δώη κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

sic isti libros veteres describebant scilicet. Schowius pag. 596. haeret in scriptura Codicis: ὃσ ἀπὸ χθονὸσ ὑψόοσ ἔργον, quae verba Musurus expunxit non recordatus Homeri Iliad. Ξ. 349. ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔεργεν. In voce ὅπως, ἵνα ὅπως παῖς ὀφθαλμός, Musurus resecuit παῖς ὀφθαλμός, quum dare debuisset: Ὅπως: ἵνα. Ὀπωπαῖς: ὀφθαλμοῖς. Quam vellem Critici, qui Suidae quisquilias nimis diligenter expoliunt, inexhaustam gazam Hesychianam eadem cura ornassent et omnium usui accommodassent. Quod Iuliani Codicem Leidensem archetypum dixi esse omnium apographorum, unde Principis scripta adhuc edita et correcta fuerint, alias, si quid dabitur otii, planissime demonstrare in animo est. Nunc satis erit dixisse lacunas omnes, quibus Iuliani libros nunc fatiscere videmus, hinc esse natas, quod fugientem et evanidam Leidensis libri scripturam expedire et assequi non potuere scribae, qui apographa confecerunt. Lacuna

in Vossiano nulla est et sat multa, si oculorum aciem intenderis, apparent quae illi festinantes omittere maluerunt quam diu quaerere. Dabo exemplum. Pag. 214. C. legitur: Ἀλέξανδρον δὲ καὶ ἥκειν ἐκέλευε παρ' ἑαυτὸν (ὁ Διογένης), εἰ οὕτω ὁ Δίων, sine sensu. Codex εἴ τῳ πιϛὸς ὁ Δίων, et post pauca: ἃ δὲ πρὸς Ἀλέξανδρον γέγραφεν οὐ βασιλικαὶ παραινέσεις εἰσίν; ne quis putet Diogenis ad Alexandrum epistolas Iuliano lectas sciendum est in Codice πρὸς ἀρχίδαμον scriptum esse sed obscuris et fugientibus litteris, quamobrem maluerunt ponere nomen quodlibet quam diu et multum quid esset scriptum rimari. Ad Iulianum aliquando redibo, nunc ad Comicos revertendi tempus est.

Faciam novum initium ab Ephippi fragmento apud Athen. 359. B., in quo veram scripturam mihi contigit reperire. In Codice legitur:

ἐγχελύδια
Θήβηθεν ἐνίοτ' ἔρχεται, ἐκ τούτων λαβέ.
ἀλεκτρυόνιον, φάττιον, περδίκιον,
τοιαῦτα. δασύπους ἐάν τις ἐπέλθῃ φέρε.

in secundo versu verum vidit Jacobsius, qui ἐκ delevit. Meinekius ἔρχεθ', ἓν τούτων λαβέ rescribens lepidam loci εἰρωνείαν obscuravit. In fine Critici ἂν ἐπέλθῃ τις vel ἥν τις εἰσέλθῃ infeliciter admodum reponunt: neque ἐπέρχομαι neque εἰσέρχομαι in ea re habet locum. Requiritur simplex, requiritur perfectum: ecce emicat: δασύπους ἄν τις ἐληλύθῃ, φέρε. Verba sunt heri ad servulum ὀψωνήσοντα, itaque miror in praecedentibus:

ἀλλ' ἀγόρασον εὐτελῶς,
ἅπαν γὰρ ἱκανόν ἐϛι. B. φράζε δέ ποτε.

neminem dum reperisse Poëtae manum, nam quid est, quaeso, φράζε δή ποτε, quod nescio quis leviter supposuit? tu scribe: φράζε, δέσποτα.

In Aristophontis fragmento Athen. 559. D.

κακὸς κακῶς γένοιθ' ὁ γήμας δεύτερος,

vitium inest manifestum et una tantum est emendandi via: nempe Graece dicendum:

κακὸς κακῶς ἀπόλοιθ' ὁ γήμας δεύτερος.

quod supererat * * ΟΙΘ Graeculus inepte explevit.

In Cratino iuniore (sequar enim Meinekium in F. C. G. edit. min.) apud Athen. 661. E. in Codice esse dicitur:

ἐνθύμει δὲ τῆς γῆς ὡς γλυκὺ
ὄζει καπνός τ' ἐξέρχετ' εὐωδέστερος,

unde Meinekius ἐνθυμεῖσθε τῆς γῆς ὡς γλυκύ exsculpsit. Quum in vetusto libro esset scriptum ΕΝΘΥΜΕΙΔΕ scriba Marciani libri quid hoc sibi vellet assecutus non est et dedit ἐνθυμει δέ omittens accentum in vocabulo sibi ignoto. Nempe non intelligebat legendum esse ἐνθυμεῖ δέ, quia secundas personas in -ει exeuntes ἀττικιστί Graeculi ignorabant. Praeterea recipiendum erat εὐωδέστατος a Bergkio commendatum. Incredibile dictu est quam saepe hae formae inter se mutent locum et apud caeteros scriptores et in Comicis. Diphilus Athen. 226. E.

οὐ πώποτ' ἰχθῦς οἶδα τιμιωτέρους
ἰδών. Πόσειδον, εἰ δεκάτην ἐλάμβανες
αὐτῶν ἀπὸ τῆς τιμῆς ἑκάστης ἡμέρας
πολὺ τῶν θεῶν ἂν ἦσθα πλουσιώτερος,

imo vero πλουσιώτατος. Aristophanes ἐν Λημνίαις apud Ammon. de D. V. p. 138.

ἐνταῦθα δ' ἐτυράννευεν Ὑψιπύλης πατήρ,
Θόας, βραδύτερος τῶν ἐν ἀνθρώποις δραμεῖν.

corrigunt βραδύτατος, melius βράδιστος repones, quia haec omnia e Tragoedia παρῳδῆσθαι palam est. Contra in Stobaei Ecl. Phys. I. p. 228. in Codice est

οὐκ ἔστι δυσαρεστότατον οὐδὲ ἓν χρόνου,

pro δυσαρεστότερον, et in Floril. XCVIII. 8. e Menandro:

ἅπαντα τὰ ζῷ' ἐστὶ μακαριώτατα
καὶ νοῦν ἔχοντα μᾶλλον ἀνθρώπου πολύ,

cui Grotius μακαριώτερα reddidit. Saepissime apud alios eiusdemmodi vitia apparent, quae hoc agentem fallere non possunt et nullo labore emendantur. Dabo ex uno scriptore tria exempla. Dinarchus κατὰ Δημοσθένους I. § 87. ὑμεῖς δὴ τί ποιήσετε οἱ πάντων εἶναι φάσκοντες εὐσεβέστεροι; emenda: εὐσεβέστατοι. et § 111. εὑρήσετε γὰρ τοῦτον — ἀντὶ λογογράφου — πλουσιώτερον ὄντα τῶν ἐν τῇ πόλει, ridicule pro πλουσιώτατον. Idem κατ' Ἀριστογείτονος II. § 20. ἵνα τὸ πρᾳότερον εἴπω τῶν ὀνομάτων, imo vero τὸ πρᾳότατον, *ut* lenissime *dicam*.

Apud Alexidem Athen. 552. E. vitiose scribitur:

Ἑρμῆ, θεῶν προπομπὲ καὶ Φιλιππίδου
κληροῦχε.

namque non solebat is θεοὺς προπέμπειν, quod sciam. Scribendum est νεκρῶν προπομπέ, quod a Casaubono olim animadversum esse nunc video.

Alexidis fragmentum est in Stob. Floril. LIX. 2.

ὅϛις διαπλεῖ θάλατταν ἢ μελαγχολᾷ
ἢ πτωχός ἐϛιν ἢ θανατᾷ. τούτων τριῶν
ἑνός γ' ἀποτυχεῖν τοὐλάχιϛον οὐκ ἔνι,

in quo διαπλεῖν ridiculum est. In hoc genere iocorum, quo permulti utebantur, πλεῖν solum recte dicitur, neque ulli composito locus est. In eodem Florilegii capite § 6. in libris est:

πλείϛην θάλατταν σχοινίων πωλουμένων;

Salmasius primus vidit πλεῖς τήν verum esse. Philemon Stobaei Floril. XCVIII. 20.

οὐ τοῖς πλέουσι τὴν θάλατταν γίγνεται
μόνοισι χειμών, ὡς ἔοικεν.

et sic passim alibi: quamobrem ὅϛις δὲ πλεῖ θάλατταν veram scripturam esse arbitror. Obiter verbum διαπλεῖν reddamus Isocrati in Panegyrico § 96. ἐκ τῆς πόλεως εἰς τὴν ἐχομένην νῆσον ἐξέπλευσαν. Quanto rectius in Aeginetico scribitur § 51. ὁρῶσα τοὺς πολίτας τοὺς ἡμετέρους, ὅσοιπερ ἦσαν ἐν Τροιζῆνι, διαπλέοντας εἰς Αἴγιναν, et omnino διαπλεῖν, διαπορθμεύειν et sim. in usu sunt de iis, qui in vicinam insulam traiiciunt. Saepe apud Isocratem quoque ἐξ et δι confusa sunt: quare confidenter rescribe διέπλευσαν.

Pythagoreorum sordes et miserias describens Alexis Athen. 161. B. ita scripsisse putatur:

ἄρτος καθαρὸς εἷς ἑκατέρῳ, ποτήριον
ὕδατος. τοσαῦτα ταῦτα. B. δεσμωτηρίου
λέγεις δίαιταν. A. πάντες οὕτως οἱ σοφοί
διάγουσι καὶ τοιαῦτα κακοπαθοῦσί που.
τρυφῶσιν ἕτεροι πρὸς ἑτέρους. ἆρ' οἶσθ' ὅτι
Μελανιππίδης ἑταῖρός ἐϛι καὶ Φάων,
καὶ Φυρόμαχος καὶ Φᾶνος, οἳ δι' ἡμέρας
δειπνοῦσι πέμπτης ἀλφίτων κοτύλην μίαν;

male divisa haec sunt et in uno vocabulo graviter corrupta, ut perspicue intelligi non possint. Equidem locum sic constituerim:

B. δεσμωτηρίου
λέγεις δίαιταν. πάντες οὕτως οἱ σοφοί
διάγουσι καὶ τοιαῦτα κακοπαθοῦσί που;
A. τρυφῶσιν οὗτοι πρὸς ἑτέρους. ἆρ' οἶσθ' ὅτι κτέ.

quae non indigent Interprete.

Inepte γε legitur in Alexide Athen. 692. F. ἀλλ' ἔγχεον | αὐτῷ Διός γε τήνδε σωτῆρος. corrige Διὸς ἔτι τήνδε, namque haec omnium ultima ἐγχεῖται κύλιξ e convivio abituris. In sequentibus versibus scriba ineptus dedit:

ὁ Ζεὺς ὁ σωτήρ, ἂν ἐγὼ διαρραγῶ,
οὐδὲν μόνησ εἰ πείθει θαρρῶν,

quum haberet ob oculos ΟΥΔΕΝΜΟΝΗΣΕΙΠΕΙΘΙΘΑΡΡΩΝ, id est οὐδέν μ' ὀνήσει et πῖθι θαρρῶν, quorum illud Piersonus, hoc Canterus reperit.

Alexis Athen. 572. C.

διὰ ταῦθ' ὁ πόρνος οὗτος οὐδὲ τῶν πράσων
ἑκάστοτ' ἐπιδειπνεῖ μεθ' ἡμῶν. τοῦτο δ' ἦν
ἵνα μή τι λυπήσειε τὸν ἐραστὴν Φιλῶν.

demonstrat ἦν scripsisse poëtam ἐπεδείπνει pro ἐπιδειπνεῖ.

Excidit articulus ex Alexidis fragmento Athen. 40. E.

ὁ γὰρ θεὸς δεδωκὼς τἀγαθά
ὧν εὖ πεποίηκεν οἴεται χάριν τινά
ἔχειν ἑαυτῷ,

namque requiritur ὁ γὰρ θεὸς ὁ δεδωκὼς τἀγαθά.

Nondum eluit Meinekius vitium, quo non est aliud magis ridiculum, e fragmento Diodori apud Athen. p. 239. D.

(ἡ πόλις) κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυναστῶν γεγονότας,
ἔχοντας οὐσίας, καλῶς βεβιωκότας.

in Marciano Codice archetypo scriptum est: τοὺς ἐκ δυαστῶν γεγονότας ἔχοντας θυσίας, nempe sic descripsit homuncio ΕΚΔΥΑΣΤΩΝ et ΟΥΣΙΑΣ: deinde nescio quis δυναστῶν vocabulum bene Graecum de suo dedit, non reputans quam difficile olim fuerit reperire cives Atticos ἐκ δυναστῶν natos. Ridebis ubi videris ἐκ δύ' ἀστῶν fuisse scribendum.

Turpe vitium inquinat verba Eriphi apud Athen. p. 693. C:

ἐκπεπίῃ δέκας πρὶν ἀγαθοῦ πρῶτα δαίμονος λαβεῖν
πρὶν Διὸς σωτῆρος,

emenda ἐκπεπήδηκας et omnia erunt sanissima, ut apud Eubulum Athen. p. 668. D.

ἐξεπήδησ' ἀρτίως πέττουσα τὸν χαρίσιον.

Mnesimachi locus est apud Athen. p. 403. A.

μέμνησ' ἃ λέγω. πρόσεχ' οἷς φράζω.
χάσκεις αὐτός; βλέψον δευρί.

Athenienses in tali re non dicebant αὐτός, quod sic positum nihil significat. Corrige χάσκεις οὗτος; qua locutione quid notius?

Vitium a Criticis deprehensum sed non sublatum est in verbis Philemonis apud Polluc. X. 164.

ἐγὼ γὰρ ἐς τὴν χλαμύδα κατεθέμην ποτέ
καὶ τὸν πέτασον.

una litterula correcta scribe ὡς τὴν χλαμύδα κατεθέμην ποτέ, id est *postquam excessi ex ephebis*, ut Terentius dixisset. Notum est τῶν ἐφήβων φόρημα ἡ χλαμύς: unde inter se opponuntur λαβεῖν τὴν χλαμύδα et καταθέσθαι, ut *ponere praetextam* et *sumere togam virilem*. Compara Alexidem Athenaei p. 240. B.

πρὶν ἐγγραφῆναι καὶ λαβεῖν τὸ χλαμύδιον.

Apud Diphilum Athen. p. 132. D.

ἂν Βυζαντίους (καλέσῃς ἐπὶ δεῖπνον),
ἀψινθίῳ σπόδησον ὅσα γ' ἂν παρατιθῇς,

ineptum est γε et metri fulcrum: rescribe ἅττ' ἂν παρατιθῇς. Ostendam alio loco quam saepe ἅττα et ἄττα ab indoctis Graeculis in alia omnia fuerint permutata.

Vera lectio simul reperta et non reperta est in fragmento Diphili apud Athen. p. 292. E.

σαυτὸν ἀποτάξεις τόν τε κόλπον ἀποτρέχων.

Casaubonus feliciter poëtae manum reperit σαυτὸν ἀποσάξεις, sed nil proderit tibi aut Comico si putabis ἀποσάξεις *implebis* significare, quod Meinekium existimare video. Contraria sunt ἐπισάττειν et ἀποσάττειν, quemadmodum ἐπιφορτίζειν et ἀποφορτίζειν, quae idem significant, nempe τὸ σάγμα, τὸ φορτίον ἐπιτιθέναι et ἀφαιρεῖν. Itaque ἀποσάξεις est *exonerabis*, quod quam bene furaci coquo conveniat, qui cibis ingurgitatus sinum furtis repletum retulerit domum satis perspicuum opinor esse.

Donatus Terentii Hecyram interpretans nonnulla Graeca Apol-

lodori servavit, quae, ut Graeca a scribis Latinis solent, mirifice depravata circumferuntur. Primum fabulae versum ex illis sordibus ingeniose Bentleius eruit:

'Ολίγαις ἐραςὴς γέγον' ἑταίραισιν, Σύρα,
βέβαιος.

Terentius: *Per pol quam paucos reperias meretricibus*
Fideles evenire amatores, Syra.

tria alia ipse dabo emendatiora. Terentius II. i. 17. *Tu, inquam, mulier, quae me omnino lapidem non hominem putas.* Apollodorus:

σύ με παντάπασιν ἡγεῖ λίθον,

sic Meinekius, qui et ἡγεῖ δὴ λίθον coniecit. Codex παντάπασιν eHCAT λίθον in quo latet:

σύ με παντάπασιν ἥγησαι λίθον.

Satis notum est quam frequenti usu perfectum ἥγημαι apud Atticos teratur. Reponendum est plusquam perf. ἡγήμην in Lysiae Orat. VII. § 21. οὐδεμίαν ἄλλην ἡγήμην ἂν εἶναί μοι σωτηρίαν ἢ σὲ πεῖσαι pro ἡγούμην.

Terentius III. iii. 20. *Omnibus nobis ut res dant sese ita magni atque humiles sumus.* Apollodorus:

οὕτως ἕκαςός ἐςι διὰ τὰ πράγματα
ἢ σεμνὸς ἢ ταπεινός.

vera lectio ex Terentii verbis haec esse colligitur:

ἡμῶν ἕκαςός ἐςι παρὰ τὰ πράγματα
ἢ σεμνὸς ἢ ταπεινός.

quis enim nescit eo sensu παρά dici oportere?

Terentius III. i. 6. *Nam nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labos, omne quod est interea tempus, prius quam id rescitum est, lucro est.* Apollodori miserrimae quaedam reliquiae supernatant unde haec vocabula pellucent: οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον * * ΔΙΕΝΤΙΚΗΚΟΤΕΣ, adiutus Terentii versione haec exsculpsi:

οἱ γὰρ ἀτυχοῦντες τὸν χρόνον κερδαίνομεν
ὁπόσον ἂν ἀγνοῶμεν ἠτυχηκότες,

quae Terentianis ita respondent ut appareat Latinum poëtam, qui caetera quoque verbosius interpretatus est, argutam Graeci Comici brevitatem referre non potuisse.

Bis idem vitium irrepsit in iocosum Apollodori fragmentum in Stob. Floril. CXVI. 35.

ἀλλὰ μέγα τοῦθ' οἱ πατέρες ἡλλαττώμεθα.
ὑμεῖς μὲν ὠνειδίσατ', ἐάν τι μὴ ποιῇ
ὁ πατὴρ προθύμως· οὐ γέγονας αὐτὸς νέος;
τῷ δὲ πατρὶ πρὸς τὸν υἱὸν, ἂν ἀγνωμονῇ,
οὐκ ἔστιν εἰπεῖν· οὐ γέγονας αὐτὸς γέρων;

recte vs. 3. Meinekius *προθύμως* correxit pro *πρόθ' ὑμῶν*. Quid me offendat in caeteris optime Menandri locus comparatus patefaciet, qui apud Athenaeum legitur p. 166. A.

καίτοι νέος μὲν ἐγενόμην κἀγώ, γύναι,
ἀλλ' οὐκ ἐλούμην πεντάκις τῆς ἡμέρας,

requiro enim *οὐ γέγονας καὐτὸς νέος;* et *οὐ γέγονας καὐτὸς γέρων;* ut ibi *κἀγὼ νέος ἐγενόμην.*

Labes quaedam inficit Apollodori fragmentum in Stob. Floril. CV. 49.

οὐκ οἶδ' ὅτῳ πέποιθας ἀργυρίῳ, πάτερ,
ὃ καιρὸς ὁ τυχὼν τοῖς μὲν οὐ κεκτημένοις
ἔδωκε, τῶν κεκτημένων δ' ἀφείλετο.

namque vitiosum est *ὅτῳ* et sensu vacuum. Miratur filius *quomodo* pater nummis confidere possit: *οὐκ οἶδ' ὅπως πέποιθας ἀργυρίῳ, πάτερ.* Quod Comico pronomen exemimus duobus Oratoribus reddemus: Lysiae IV. § 7. *ἀδήλου ὄντος εἰ παρὰ τούτῳ εὑρήσομεν ὄστρακον ἢ οὕτως αὐτὸν ἀποκτενοῦμεν*, restitue *ὄστρακόν τι ὅτῳ* et Aeschini in Ctesiph. § 222. *ἐξηλέγχθης ὑπ' ἐμοῦ ἑξήκοντα καὶ πέντε νεῶν ταχυναυτουσῶν τριηράρχους ὑφῃρημένος, πλεῖον τῆς πόλεως ἀφανίζων ναυτικὸν ἢ ὅτε Ἀθηναῖοι τὴν ἐν Νάξῳ ναυμαχίαν Λακεδαιμονίους καὶ Πόλλιν ἐνίκησαν*, in quo loco permiror tam manifestum mendum tamdiu latere potuisse. Arguitur Demosthenes maiorem classem perdidisse quam *qua* Athenienses insignem illam victoriam ad Naxum reportassent. Emenda igitur *ἢ ὅτῳ Ἀθηναῖοι.* Verene haec an accusatorie dicantur dubitari possit: dicta sic ab Aeschine esse id vero dubium esse non possit, quoniam *ἢ ὅτε* nihil prorsus significat. De numero navium haec Diodorus XV. 34. *εἶχε δὲ τριήρεις ὁ μὲν Πόλλις ἑξήκοντα καὶ πέντε, ὁ δὲ Χαβρίας ὀγδοήκοντα καὶ τρεῖς*, ubi haud scio an *ἑξήκοντα* et *ὀγδοήκοντα* locum mutare debeant, ut Chabrias dicatur triremes habuisse *ἑξήκοντα καὶ τρεῖς* et verissimum

sit, quod Orator dixerit. Nihil autem erat Athenis hac victoria clarius, quam multi supererant qui vidissent, et nihil erat facilius quam scire quot utrique navibus dimicassent. Sed quidquid huius rei est sive ex fide rerum gestarum sive ad invidiam inimico conflandam ita dixit, non potest aliter quam ᾗ ὅτῳ Ἀθηναῖοι dixisse.

Quod Anaxippus Athen. p. 404. C. εὐφήμως dixerat scribae ita corruperunt ut nunc nihil dicat in his versibus:

ὅταν ἐγγὺς ᾖ δ' ὅδ' ὕςερος, ἀρτύω φακῆν
καὶ τὸ περίδειπνον τοῦ βίου λαμπρὸν ποιῶ.

satis apparet eum dicere voluisse ὅταν ἐγγὺς ᾖ τὸ χρεών, ὁ θάνατος et hac εὐφημίᾳ usum arbitror ut dixerit ὅδ' ἕτερος.

In Philippide apud Pollucem IX. 30. ὅταν ἐξῆς παραγώγιον ἂν ἐκφέρῃς εἰσπράξομαι nil proficimus Bekkeri coniecturis ὅ τι ἂν ἔχῃς παραγώγιόν σ', ἂν ἐκφέρῃς, quas Meinekius in ordinem recepit. Emenda:

ὅταν ἐξίῃς,
παραγώγιον, ὧν ἂν ἐκφέρῃ, σ' εἰσπράξομαι.

Coquus garrulus et iactabundus apud Batonem Athen. p. 662. C. ita crepat:

τὰς νύκτας οὐ καθεύδομεν,
οὐδ' ἀναγεγράμμεθ', ἀλλὰ κάεται λύχνος,
καὶ βιβλί' ἐν ταῖς χερσίν.

Quid sit ἀναγεγράμμεθα noli quaerere, nam nihil reperies sani. Quin potius legis mecum οὐδ' ἀναπεπαύμεθ', est enim ἀναπαύεσθαι in usu de iis, qui quamquam somnum non capiunt requiescunt tamen et quiete recreantur et fessum corpus reficiunt, et coniunguntur nonnumquam καθεύδειν et ἀναπαύεσθαι. Perfectum ἀναπεπαῦσθαι optime de eo dicitur, qui intermisso labore aliqua quiete fruitur ad vires reficiendas, quemadmodum et simplex πέπαυμαι saepius pro *quiesco* ponitur.

Epinici locus apud Athen. p. 432. B. in primis verbis vitium contraxit:

ἐπ' ἀλφίτου πίνοντα τοῦ θέρους ποτὲ
ἰδὼν Σέλευκον ἡδέως τὸν βασιλέα.

Nauci non est ἐπ' ἀλφίτου πίνειν, sed vera lectio ex reliquo loco erui commode poterit. Comicus ineptum historiarum scriptorem Mnesiptolemum scripta in eum fabula ludificatur. Μνη-

σιπτολέμου ἀνάγνωσιν ποιησαμένου τῶν ἱϛοριῶν ἐν αἷς ἐγέγραπτο ὡς Σέλευκος ἐπηλφίτισε, γράψας δρᾶμα Μνησιπτόλεμον καὶ κωμῳδῶν αὐτὸν καὶ περὶ τῆς πόσεως ταῖς ἐκείνου χρώμενος φωναῖς ἐποίησε λέγοντα· Ἐπ' ἀλφίτου πίνοντα κτἑ. Inducit hominem suis ipsius verbis ineptientem: nam *ταῖς ἐκείνου φωναῖς χρώμενος* de Mnesiptolemi oratione dici, non de Seleuci, ut opinatur Meinekius, perspicuum est. Quid igitur ineptus historicus dixerat? *ὡς Σέλευκος ἐπηλφίτισε*, sed non est hoc Graecum vocabulum *ἐπαλφιτίζειν*. itaque H. Stephano assentior *ἐπηλφίτωσε* reponenti, quod eodem exemplo dictum et formatum est atque in Nubibus 669.

διαλφιτώσω σοι κύκλῳ τὴν κάρδοπον.

Hoc ipsum igitur risit Comicus et dixit:

ἐπαλφιτοῦντα τοῦ θέρους ποτέ | ἰδὼν Σέλευκον.

estque *ἐπαλφιτοῦν* id, quod Athenaeus docet, *ἄλφιτα ἐπιβάλλειν τῷ οἴνῳ.*

Phoenicides apud Hesychium v. *Δύνασαι σιωπᾶν* dicitur *ἀποσκῶψαι βουλόμενος τὴν σιωπωμένην ὁμολογίαν περὶ τῶν διαλύσεων Ἀντιγόνου καὶ Πύρρου* hos senarios fecisse:

Δύνασαι σιωπᾶν; B. *ὥϛε τοὺς τὰς διαλύσεις*
συντιθεμένους κεκραγέναι δοκεῖν.

Secundum senarium non uno modo Meinekius sarcire conatus est, modo *κεκραγέναι πᾶσιν δοκεῖν* supplens, modo *κεκραγέναι δοκεῖν μέγα*, utroque modo suavitatem dicti minuens. Suppleverim:

συντιθεμένους τούτους κεκραγέναι δοκεῖν.

In eiusdem perfaceto fragmento apud Stob. Floril. VI. 30. mendum haesit in his:

οὐδὲν ἐδίδου γάρ. εἴ τι δ' αἰτοίμην, ἔφη,
οὐκ ἀγαθὸν εἶναι τἀργύριον.

queritur meretricula de philosopho avaro: corrige igitur *αἰτοίην*, nam *αἰτεῖν* si quid aliud meretricium est, non *αἰτεῖσθαι*. Menander apud Plutarch. de aud. poët. p. 19. A.

ἐμοὶ μὲν οὖν ἄειδε τοιαύτην, θεά,
ἀδικοῦσαν, ἀποκλείουσαν, αἰτοῦσαν πυκνά,

et quis non Comicorum?

Quod Posidippus dixit de Phryne in capitis iudicium adducta apud Athen. 591. C.

βλάπτειν δοκοῦσα τοὺς βίους μείζους βλάβας
τὴν Ἡλικίαν εἶλε περὶ τοῦ σώματος.

intelligi potest quidem, sed ut appareat id a poëta his verbis dici non potuisse. Violentius Dobraeus εἰς Ἡλικίαν ἦλθε, admodum infeliciter Schweighaueserus εἶχε. Tamen una tantum litterula in εἶλε mutata est opus: τὴν Ἡλικίαν εἶδε, quod dictum est ut in Acharn. 613.

εἶδέν τις ὑμῶν τἀκβάταν' ἢ τοὺς Χαόνας;

ut eadem sit sententia, quam Dobraeus quaerebat, εἰς Ἡλικίαν ἦλθεν.

In Posidippi sententia apud Stob. Floril. CXVIII. 17.

ὧν τοῖς θεοῖς ἄνθρωπος εὔχεται τυχεῖν
τῆς ἀθανασίας κρεῖττον οὐδὲν εὔχεται,

unus liber verum servavit τῆς εὐθανασίας. Memini me idem remedium adhibere loco Polybiano in Excerptis Vaticanis Tom. II. p. 440. Maii: ἡ τύχη τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἆθλον τὴν ἀθανασίαν τοῖς χειρίστοις ἐνίοτε περιτίθησιν, ubi εὐθανασίαν legendum esse palam est. Id ipsum in Palimpsesto scriptum invenit Heyse.

Apud Theognetum Athen. p. 104. B.

ἐπαρίστερ' ἔμαθες, ὦ πονηρέ, γράμματα.
ἀνέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βιβλία.

Porsoni correctiuncula male recepta est ἀνέστροφεν pro ἀντέστροφεν, in quo vera lectio adhuc latet. Pervulgato errore ἀνατρέπειν et ἀναστρέφειν inter se permiscentur, quamquam haec certo discrimine diremta nullo negotio possunt distingui et sua cuique sedes assignari. Graecum est ἀνατρέπειν τράπεζαν, πλοῖον, σκάφος, et figurate ἀνατρέπειν οἶκον, τὸν βίον, τὸν πλοῦτον, τὴν πόλιν, τὴν πατρίδα, τὴν Ἑλλάδα similiaque multa. Andocides I. § 131. οἰόμενος γὰρ Ἱππόνικος υἱὸν τρέφειν ἀλιτήριον αὐτῷ ἔτρεφεν, ὃς ἀνατέτροφεν ἐκείνου τὸν πλοῦτον, τὴν σωφροσύνην, τὸν ἄλλον βίον ἅπαντα. Emenda igitur: ἀνατέτροφέν σου τὸν βίον. Eadem opera Isocrati succurri potest in Archidamo § 66. ὥστε τετμῆσθαι μὲν τὰς χώρας, πεπορθῆσθαι δὲ τὰς πόλεις, ἀναστάτους δὲ γεγενῆσθαι τοὺς οἴκους τοὺς ἰδίους, ἀνεστράφθαι δὲ τὰς πολιτείας, imo vero ἀνατετράφθαι.

Apud Nicomachum Athen. p. 291. B. enectus aliquis longa coqui oratione dicit:

μικρὰ διάκονσον ἐν μέρει κἀμοῦ. B. λέγε.

A. σὺ μηδὲν ἐνόχλει μήτε σαυτὸν μήτ' ἐμέ,
ἀπραγμόνως δὲ διαγενοῦ τὴν ἡμέραν.

importunum est διακούειν de verbis tam concisis: in ΜΙΚΡΑΔΙΑΚΟΥΣΟΝ latere suspicor μίκρ' ἀντάκουσον et pro διαγενοῦ scripserim δίαγε νῦν.

In Antiphanis loco apud Athen. p. 396. B. τραγῳδίαν περαίνω Σοφοκλέους Codex vitiose παραινῶ exhibet, quod Casaubonis emendavit. Iterum Antiphanes Athen. p. 503. E.

ἔπειτα μηδὲν τῶν ἀπηρχαιωμένων
τούτων περάνῃς.

et Nicostratus ibid. p. 474. B. αὐτὸς περανῶ τὰ πάντα. Hinc redde Eunapio p. 50. compositum προσπεραίνω, quod nunc Editoris negligentia ridicule corruptum est in his: ὁ μὲν τὰ αὐτὰ προσεπέῤῥαινεν. Sana scriptura in libris est προσεπέραινεν. Contrario errore Hesychius Ἀφεδρύνεσθαι: περαίνεσθαι, ἀπολούεσθαι. pro ἀφυδρήνασθαι: †ραίνεσθαι· (περιρραίνεσθαι).

Verba Antiphanis apud Athen. p. 692. F.

Ἁρμόδιος ἐπεκαλεῖτο, παιὰν ᾔδετο,

adhibita loco Demosthenis vetus et turpe vitium patefacient. Legitur in Orat. de Corona p. 300, 21. καὶ ἔγωγε ἡδέως ἂν ἐροίμην Αἰσχίνην ὅτε ταῦτ' ἐπράττετο καὶ ζήλου καὶ χαρᾶς καὶ ἐπαίνων ἡ πόλις ἦν μεστὴ πότερον συνέθυε καὶ συνευφραίνετο τοῖς πολλοῖς ἢ λυπούμενος — οἴκοι καθῆτο. Non potui umquam concoquere ἐπαίνων ἡ πόλις ἦν μεστή, nec dubito quin παιάνων sit reponendum, ut in Sophoclis notissimis versibus:

πόλις δ' ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει,
ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.

Athenienses re bene gesta laudibus ferebantur ab caeteris (παρὰ μὲν τῶν ἄλλων ὑμῖν ἐγίγνοντο ἔπαινοι p. 300, 20), ipsi inter se ἔθυον καὶ πομπὰς ἔπεμπον καὶ ὡς ἐν ἐπινικίοις παιᾶνας ᾖδον, quemadmodum brevi post Philippus, apud quem Aeschines dicitur p. 321, 17. παιωνίζειν ἐπὶ ταῖς τῶν Ἑλλήνων συμφοραῖς. In simili laetitia confecto bello Phocensi Aeschines τοὺς παιᾶνας ᾆσαι dicitur a Demosthene de F. L. p. 450, 3. οὗτος δὲ τοὺς παιᾶνας ᾖδεν, cui respondet Aeschines de F. L. § 162. συνῇδον γὰρ τοὺς παιᾶνας Φιλίππῳ, ὥς φησιν ὁ κατήγορος. Sic igitur Atheniensibus illo tempore ἡ πόλις παιάνων ἦν μεστή, quemadmodum semper in re laeta aut in conviviis, ut apud Antiphanem, παιὰν ᾔδετο.

Antiphanes apud Athen. p. 329. E.

Δήμου δ' Ἁλαιεύς ἐστιν. Β. ἓν γὰρ τοῦτό μοι
τὸ λοιπόν ἐστι, καὶ κακῶς ἀκούσομαι.

in ΕΝ latet ΕΤΙ, ἔτι γὰρ τοῦτό μοι, *nempe hoc* etiam *mihi restat.*

Idem apud Polluc. IX. 48.

ἐκ τῶν μαγειρείων βαδίζων ἐμβαλὼν
εἰς τοὖψον.

libri ἐμβάλλων. Malim ἐμβαλῶ. Eodem modo dicitur ἐμβάλλειν εἰς τοὖψον atque notissimum ἐμβάλλειν εἰς ἀγοράν. Demosth. p. 752, 21. 751, 25. Aeschin. in Tim. § 164. Lycurg. in Leocr. § 5. αἰσχρὸν εἶναι νομίσας τοῦτον περιορᾶν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλοντα, et alibi.

Antiphanes Athen. p. 401. F. dixisse putatur

λαβὼν ἐπανάξω σύαγρον εἰς τὴν οἰκίαν,

sed dixit ἐπανήξω.

Similiter una litterula corrigenda est in eodem apud Athen. p. 237. F.

ἂν ᾖ τὸ σιτάρχημα δεῖπνον εὐτρεπές,

imo vero σιτάρκημα, quemadmodum σιταρκία et σιταρκεῖσθαι scribendum est, ubi Graeculi σιταρχία et σιταρχεῖσθαι scripserunt.

In alio fragmento eiusdem apud Athen. p. 448. E.

ὁπότε προστάττοιτό τις
λέγειν ἐφεξῆς ὅ τι φέρων τις μὴ φέρει,

Codex exhibet: ὁπότε προστάξεταί τις, in quo latet: ὁπότε προστάξειέ τις.

Iocus periit non inficetus in Antiphanis versibus apud Athen. p. 303. F.

ὁ μὲν ἀγρῷ τρεφόμενος
θαλάττιον μὲν οὗτος οὐδὲν ἐσθίει
πλὴν τῶν παρὰ γῆν, γόγγρον τιν', ἢ νάρκην τιν', ἢ
θύννης τὰ πρὸς τῇ. Β. ποῖα; Α. τὰ κάτωθεν λέγω.

Meinekius: »*ad* τῇ *intellige* οὐρᾷ" quod inauditum est ellipseos genus. Codex: τὰ πρὸσ τῆσ ποια. Emenda: τὰ πρὸς γῆς. Β. ποῖα; Lepide enim τὰ κάτωθεν ita appellavit per iocum. τὰ πρὸς γῆς dictum est ut τὰ πρὸς ποδῶν, τὰ πρὸς νότου et similia. Eodem ioco τὰ ἄνωθεν μέρη dixeris τὰ πρὸς οὐρανοῦ. Praeterea in primo versu supple ὁ μὲν (ἐν) ἀγρῷ τρεφόμενος.

Multis modis librarii grassati sunt in Antiphanis facetissimo

fragmento apud Athen. p. 226. D.

εἶτ' οὐ σοφοὶ δῆτ' εἰσὶν οἱ Σκύθαι σφόδρα,
οἳ γενομένοισιν εὐθέως τοῖς παιδίοις
διδόασιν ἵππων καὶ βοῶν πίνειν γάλα,
οὐχὶ μὰ Δία τίτθας εἰσάγουσι βασκάνους

καὶ παιδαγωγοὺς αὖθις ὧν μείζω γε μαίας νὴ Δία. Grotius supplevit:

καὶ παιδαγωγοὺς αὖθις, ὧν μεῖζον κακὸν
οὐκ ἔστιν οὐδὲν, μετά γε μαίας, νὴ Δία.

satis probabiliter, sed quia μείζω superest probabilius esse arbitror lacunam sic explere:

καὶ παιδαγωγοὺς αὖθις, ὧν μείζων βλάβη
οὐκ ἂν γένοιτο, μετά γε μαίας, νὴ Δία.

Saepe animadverti codicem Athenaei unicum Marcianum (unde et Epitome manavit et quidquid ubique est apographorum) descriptum esse ex vetusto libro uncialibus litteris exarato, versibus brevioribus syllabarum novem decemve, et librarium, qui pulcherrime scribebat sed stupore et oscitantia superabat caeteros, subinde versum unum aliud agentem omisisse. Describens igitur veterem codicem, in quo erat:

ΔΑΓΩΓΟΥΣΑΥΘΙΣΩΝΜΕΙΖΩ
ΒΛΑΒΗΟΥΚΑΝΓΕΝΟΙΤΟΜΕΤΑ
ΓΕΜΑΙΑΣΝΗΔΙΑΑΥΤΑΙΔΕ

oscitanter omisit versum medium, et saepe id in Athenaeo factum esse observabis, ut in poëtarum locis novem decemve syllabae exciderint. Quam nihil scriba Marciani codicis cogitare soleat in seqq. luculentum indicium est, ubi quum in antiquo libro ΜΗΤΡΑΓΥΡΤΟΥΝΤΑΣΓΕ scriptum esset et suprascriptum futile interpretamentum ἀπατῶντας, stupide haec ita miscuit μητραρπατωντασ γυργοῦντασγε, quem errorem primus Schweighaeuserus perspexit. In caeteris quoque multa turbata sunt. In tertio versu scriptura codicis:

οὐχὶ μὰ Δία τίτθας εἰσάγουσι βασκάνους

in metri leges peccat, quamobrem οὐ μὰ Δία reposuerunt, sed aliud remedium loci ratio postulat, quod facili negotio ex ΓΑΛΑΟΥΧΙ eruas, nempe:

ἀλλ' οὐχὶ τίτθας εἰσάγουσι βασκάνους,

ut manifestus teneatur interpolator, qui μὰ Δία cum metri la-

be ad sarciendum damnum inseruit de suo. Denique nova lacuna est in fine, ubi Marcianus liber exhibet: *εἰ μὴ νὴ δία τοὺσ ἰχθυοπώλασ τισ βούλεται λέγειν μετά γε τουσ τραπεζίτασ.* In his genuina esse suspicor

ΕΙΜΗ

ΝΗΔΙΑΤΟΥΣΙΧΘΥΟΠΩΛΑΣ

* * * * * * * * *

ΜΕΤΑΓΕΤΟΥΣΤΡΑΠΕΖΙΤΑΣ

τις βούλεται λέγειν Graeculi est hiulcam sententiam utcumque sarcientis additamentum eiusdem generis atque *μὰ Δία* in superioribus. Deinde Editoris temeritate *γε* additum est, ut Antiphanes videretur dixisse:

τοὺς ἰχθυοπώλας τίς γε βούλεται λέγειν,

bellissime, ut vides. At nihilo melius est quod Meinekius a se inventum recepit:

τοὺς ἰχθυοπώλας βούλεταί γέ τις λέγειν.

Periit iterum unus libri antiquissimi versus syllabarum decem, quas mihi nondum contigit ita supplere, ut aliquid Atticis et Antiphane dignum proferrem. Aut igitur felicior hora id mihi suggeret aut acutiores alii reperient.

Facilius est lacunam sarcire in Antiphanis fragmento apud Porphyrium de Abst. II. 17

ὅταν γὰρ ἑκατόμβας τινὲς
θύωσιν ἐπὶ τούτοις ἅπασιν ὕϛατος
* * *ἁπάντων καὶ λιβανωτὸς ἐπετέθη,*

optime habebit enim: *ὕϛατος ἁπαξαπάντων.* Eodem remedio utendum in Eubulo apud Schol. Eurip. Med. 600

τί ποτ' ἐϛὶν * * *ἅπαντα διαπεπρισμένα*
ἡμίσε' ἀκριβῶς ὡσπερεὶ τὰ σύμβολα.

cui redde: *τί ποτ' ἔσθ' ἁπαξάπαντα διαπεπρισμένα.*

In iis, quae apud Antiphanem sequuntur, aliud mendum inest:

ὡς τἄλλα μὲν τὰ πολλὰ παρακαλούμενα
δαπάνην ματαίαν οὖσαν αὐτῶν οὕνεκα,
τὸ δὲ μικρὸν αὐτὸ τοῦτ' ἀ ρ ε ϛ ὸ ν τοῖς θεοῖς.

ἀρεϛόν sanum non est, quia nec ipsum sententiae convenit et certe *ἀρεϛὸν ὄν* requireretur. Quare emenda:

τὸ δὲ μικρὸν αὐτὸ τοῦτ' ἀ ρ έ σ κ ο ν τοῖς θεοῖς.

Antiphanes Athenaei p. 441. C.

βούλει καὶ σύ, Φιλτάτη, πιεῖν;
B. *καλῶς ἔχει μοι.* A. *τοιγαροῦν Φέρε* * *
μέχρι γὰρ τριῶν δεῖν Φασὶ τιμᾶν τοὺς θεούς.

Fuit quum in *καλῶς ἔχει μοι* (quod Hermannus pro *ἔχοιμι* reposuit) offenderet pronomen male additum: namque nota esse *καλῶς ἔχει, ἔχει κάλλιςα, πάνυ καλῶς, καλῶς ἐπαινῶ* gratias agentium et comiter urbaneque recusantium, vid. Casaub. ad Diog. Laërt. II. 76, qui appositum Plutarchi locum attulit (ex libro *de audiendis poëtis* p. 23 A) *τῷ ἐπαινεῖν ἀντὶ τοῦ παραιτεῖσθαι κέχρηται, καθάπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ καλῶς Φαμὲν ἔχειν ὅταν μὴ δεώμεθα μηδὲ λαμβάνωμεν.* Nempe *καλῶς ἔχει, ἔχει κάλλιςα* in talibus solent dicere, non *καλῶς ἔχει μοι.* Sed exemerunt hunc scrupulum duo loci ex oratione Lysiaca I. § 23. *ἐδειπνοῦμεν. ἐπειδὴ δὲ καλῶς αὐτῷ εἶχεν ἀπιὼν ᾤχετο,* quae iisdem verbis repetita leguntur in § 39. Urbane enim *καλῶς αὐτῷ ἔχει* dicitur pro *ἅδην ἔχει, ἀρκούντως ἔχει* de saturo conviva aut eo, qui satis cibi sumsit aut adbibit satis. Itaque in sqq. tertia persona loquitur, parasitus, ut opinor, qui quod illa recusabat avide sibi poscit his verbis:

τοιγαροῦν ἐμοὶ Φέρε.
μέχρι γὰρ τριῶν δεῖν Φασὶ τιμᾶν τοὺς θεούς.

Quae Antiphanis trochaicis apud Athen. p. 642. A. immixta sunt dactylica:

καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς.
τῆς τρυΦερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνοπότου ςαγόνος
πλῆρες, ἀΦρίζον, ἕκαςος δεξιτερᾷ δ' ἔλαβεν.

sumta sunt ex eo carmine, quod recens editum totius Graeciae plausum tulerat et ingentem omnium admirationem moverat, in his Antiphanis, cuius tum primum laus nascebatur. Philoxeni *Δεῖπνον* dico, cuius carminis pars ab Athenaeo nobis servata est, in qua simillima illis leguntur, veluti:

παντοδαποῖσι τέχνας εὑρήμασι πρὸς βιοτάν —
τοῖς δ' ἔπι πρῶτα παρῆλθ' οὐ κάκκαβος, ὦ Φιλότας —
σηπιοπουλυποδείων τῶν ἁπαλοπλοκάμων —
θρυμματίδες δ' ἐπὶ ταύταις εὐπέταλοι, χλοεραί —
σπλάγχνον ἔπειτα δὲ νῆςις δέλΦακος οἰκετικᾶς —
μιξεριΦαρνογενής, ἂν δὴ Φιλέοντι θεοί —

σμήμασιν ἰρινομίκτοις χλιεροθαλπὲς ὕδωρ —
ἧς ἄμυλος πλατανίτας σασαμορυτοπαγῆ —
ᾠά τ' ἀμυγδαλίδες τε τῶν μαλακοφλοΐων —
ἔνθα τι καινὸν ἐλέχθη κομψὸν ἀθυρμάτιον —

quae exstant apud Athen. p. 146. et 642., quibus ex Antiphane addenda:

καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς —
τᾶς τρυφερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνοπότου σταγόνος
πλῆρες, ἀφρίζον, ἕκαστος δεξιτερᾷ δ' ἔλαβεν.

Quantam sui admirationem Philoxenus excitaverit optime ipse Antiphanes docebit apud Athen. p. 643. D.

πολύ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος. πρώτιστα μὲν γὰρ ὀνόμασιν
ἰδίοισι καὶ καινοῖσι χρῆται πανταχοῦ.
ἔπειτα τὰ μέλη μεταβολαῖς καὶ χρώμασιν
ὡς εὖ κέκραται. θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν.

quam fuerint celebrata eius carmina ex alio Antiphanis loco colligitur apud Athen. p. 446. A.

παραδιδοὺς δ' ἑξῆς ἐμοί
τὸν ἀρκεσίγυιον, ὡς ἔφασκ' Εὐριπίδης.
B. Εὐριπίδης γὰρ τοῦτ' ἔφασκεν; A. ἀλλὰ τίς;
B. Φιλόξενος δήπουθεν.

Ex his alia Antiphanes iuvenis videtur lusisse vivo Philoxeno: verba θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν mortuum esse indicant.

Grave vitium concepit Antiphanis locus apud Athen. p. 342. E.

ἐλογίζετο τῶν πραγμάτων οὐκ οἶδ' ὅ τι,

cui Critici nihil profuerunt: hoc tantum video in fine legendum esse: πραγματίων οὐκ οἶδ' ὅ τι, et versu tertio in πάλαι ὀψοφάγοι τοιοῦτοί τινες in tribus prioribus verbis latere adiectivum Comicorum more compositum παλαιοψοφαγοτ * * οί τινες.

Non perfecit emendationem Casaubonus in Antiphane apud Athen. p. 450. D.

αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιτρέψει,

quum ἐπιτρίψει reponeret, namque ἐπιτρίψαι scribendum est, quae nota est imprecatio, ut ἐπιτριβείης, quemadmodum ἐξολέσειε et ἐξόλοιο, alia. Aristophanes Ecclesiaz. 776 ὁ Ζεὺς σέγ' ἐπιτρίψειεν et alibi. Per hanc occasionem Theognidi subvenire

licet, qui in huiusmodi re misere depravatus est vs. 893.

οἱ δ' ἀγαθοὶ φεύγουσι, πόλιν δὲ κακοὶ διέπουσιν.
ὡς δὴ Κυψελιδῶν Ζεὺς ὀλέσειε γένος.

nihili est ὡς δή, in quo latet πῶς ἂν *utinam*. AN et ΔΗ saepissime vidi permutari et in πῶς prima litterula intercidit. Iratus poëta exclamavit:

πῶς ἂν Κυψελιδῶν Ζεὺς ὀλέσειε γένος.

Quid notius est quam πῶς ἂν eo sensu? Exemplis igitur nihil opus est: utilius augebuntur nota exempla loco incerti Tragici apud Plutarchum in Consolatione ad Apollonium p. 106. D.

ὦ θάνατε παιὰν ἰατρὸς μόλοις,

ubi supplendum arbitror:

ὦ θάνατε παιάν, πῶς ἂν ἰατρὸς μόλοις.

Praeterea in eodem Antiphanis fragmento vs. 3 male ex ΚΑΙΤΑΥΤΗΝ fecere καὶ ταύτην, quum esset κᾆτ' αὐτήν.

Quod in Antiphanis loco apud Athen. p. 240. F. εὖ πράξεται γὰρ μισθόν supra emendavimus εἰ πράξεται γὰρ μισθόν — συλλέξει συχνά admonet me loci apud Andocidem, ubi contrario vitio scribae peccarunt. Editur apud Andoc. περὶ τῶν μυςηρίων § 130. εἰ γὰρ μέμνησθε, ὅτε ἡ πόλις ἦρχε τῶν Ἑλλήνων καὶ εὐδαιμόνει μάλιςα, Ἱππόνικος δὲ ἦν πλουσιώτατος τῶν Ἑλλήνων, τότε μέντοι πάντες ἴςε ὅτι κτἑ. Quod in his vitiosum est simul patebit et sanabitur si legeris: εὖ γὰρ μέμνησθε — τῶν Ἑλλήνων, τότε μέντοι πάντες ἴςε κτἑ.

Rectissime Elmsleius in Antiphanis fragmento apud Athen. p. 299. E. ἢ πλέον ἀναλώσασιν ὀσφρᾶσθαι μόνον. foedam mendam deprehendit et poëtae suum ὀσφρέσθαι reddidit. Saepe sic Graeculi errant, qui satis constanter ἀφείλατο et εὕρατο et sim. Veteribus obtrudunt et antiquam formam ὠσφρόμην aut in ὠσφρώμην corruperunt aut in ὠσφράμην. Ὠσφρῶντο: συνῆκαν, ᾔσθοντο, ἔγνωσαν apud Hesychium ex Aristoph. Acharn. 179. οἱ δ' ὤσφροντο πρεσβῦταί τινες correxit Elmsleius. In Herodoto I. 80. ὡς ὄσφραντο τάχιςα τῶν καμήλων οἱ ἵπποι, nulla est dubitatio, quin ὤσφροντο sit rescribendum. Graeculis et poëtastris, quibus ὀσφρῶμαι et ὠσφρησάμην placuit dicere, suos errores lubenter relinquimus.

Turpissimum barbarismum Antiphani obtrudit Antiatticista p. 98, 28. Ἠκροᾶσο: ἀντὶ τοῦ ἠκροῶ. Ἀντιφάνης Ἐπιδαυρίῳ.

Procul aberant Antiphanes et aequales ab illis sordibus, quibus Graeculi maiorum linguam contaminarunt quum coeperunt ἀκροᾶσαι dicere pro ἀκροᾷ (Moeris Attic. p. 16) et ἠκροᾶσο pro ἠκροῶ, decepti formis, quales sunt δύνασαι, ἐπίστασαι, ἵστασαι. Vere Phrynichus in Bekk. Anecd. p. 18, 9. ἀνακτᾷ τόνδε: οἱ δὲ ἀμαθεῖς προσθέσει τῆς σαι ἀνακτᾶσαι λέγουσιν. Iudaeis Alexandrinis haec relinquenda sunt et si qui alii in provinciis aut sero nati Graecam linguam inepte loquendo corrumpebant. Antiphanem sic dixisse quis credet Antiatticistae, qui nullius iudicii homo est et membranarum mancipium, cui quodvis librorum mendum imponit, ut in superiore parte ostendimus. Quamquam nunc quidem non errantem librarium temere secutus videtur, sed ipse ultro inscite barbarismum invexisse ex sanissima scriptura ΗΚΡΟΑΣΟ, unde iste elicuit ἠκροᾶσο, quod avide ad Atticistas refellendos arripuit, non facturus si vidisset ἠκρόασο esse legendum, quae forma tam proba est atque ἠκρόασαι, ἴασαι similesque, ut in notis senariis:

εἰ μὴ τεθέασαι τὰς Ἀθήνας, στέλεχος εἶ,
εἰ δὲ τεθέασαι μὴ τεθήρευσαι δ', ὄνος.

Antiphanis duo versiculi apud Stobaeum Floril. LIII. 9. olim perfaceti nunc unius vocabuli corruptela nihil prorsus significant. Nisi quis forte sibi videtur haec intelligere:

τίς δ' οὐχὶ θανάτου μισθοφόρος, ὦ φιλτάτη,
ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος;

Verbum necessarium proclivi errore scribendi in nomen abiit, quod sententiam prorsus perdidit. Nempe revocandum est verbum, quod et apud alios crebro legitur et in iocoso loco Platonis in Phaedone p. 64. B. τῷ ὄντι οἱ φιλοσοφοῦντες θανατῶσι καὶ σφᾶς γε οὐ λελήθασιν ὅτι ἄξιοί εἰσι τοῦτο πάσχειν. Omnia optime habebunt, ubi emendaveris:

τίς δ' οὐχὶ θανατᾷ μισθοφόρος, ὦ φιλτάτη.

Solemni admodum et frequenti confusione inter se permutantur in libris ἀφελής et ἀσφαλής, ἀφελῶς et ἀσφαλῶς, ἀφέλεια et ἀσφάλεια sic, ut ubi ἀφέλεια requiritur passim ἀσφάλεια perinepte legatur. Videntur ἀφελής, ἀφελῶς et ἀφέλεια in desuetudinem abiisse, unde factum ut scribae notum sibi vocabulum ignoto substituerent sententiae et metri securi. In Antiphanis fragmento apud Athen. p. 494. D. liber Venetus et apographa

hanc habent lectionem:

πολλὰ κἀγάθ' οἱ θεοὶ
τῷ δημιουργῷ δοῖεν, ὅς ἐποίησέ σέ,
τῆς συμμετρίας καὶ τῆς ἀσφαλείας οὕνεκα.

ἀφελείας οὕνεκα repositum est ex Athen. p. 446. C., ubi Marcianus ἀφελείας servat, apographis in ἀσφαλείας aberrantibus. Idem vitium Hemsterhusius et Valckenaerius eluerunt ex Satyro Athen. p. 534. D. ἐν Σπάρτῃ δὲ (Alcibiades) καρτερίαν καὶ ἀσφάλειαν ἐπιτηδεύων ἐνίκα τοὺς Λάκωνας, rectissime enim uterque καὶ ἀφέλειαν emendavit et persaepe alibi eadem menda eodem remedio sanata est. Quo magis miror tam apertam correctionem fugere potuisse Editores in Isocratis Panegyrico § 11. τοσοῦτον διημαρτήκασιν ὥϛε τοὺς πρὸς ὑπερβολὴν πεπονημένους πρὸς τοὺς ἀγῶνας τοὺς περὶ τῶν ἰδίων συμβολαίων σκοποῦσιν, ὥσπερ ὁμοίως δέον ἀμφοτέρους ἔχειν ἀλλ' οὐ τοὺς μὲν ἀσφαλῶς, τοὺς δὲ ἐπιδεικτικῶς. Quid enim certius est quam ἀφελῶς emendandum esse, quod in Valckenaerii Adversariis MSS. annotatum reperio. In iis, quae continuo sequuntur apud Isocratem: ἢ σφᾶς μὲν διορῶντας τὰς μετριότητας, τὸν δ' ἀκριβῶς ἐπιϛάμενον λέγειν ἁπλῶς οὐκ ἂν δυνάμενον εἰπεῖν, ne haec insulse et pueriliter dicta et composita videantur, expunge ultimum vocabulum εἰπεῖν, quod nemo nostrum, nedum Isocrates, in tali re umquam addidisset.

Nemo dubitet, quin foeda corruptela nobis manum abscondat Antiphanis apud Athen. p. 338. F.

τὸν κάραβον δὲ τόνδε πρὸς τὰς μαινίδας
ἀπόδος. παχύς γε, νὴ Δί'. ὦ Ζεῦ, τίς ποτε
ὦ Καλλιμέδων, σε κατέδετ' ἄρτι τῶν φίλων;
οὐδεὶς ὃς ἂν μὴ κατατιθῇ τὰς συμβολάς.

quis enim ferre potest ἄρτι κατέδεται? Suspicor in ΑΡΤΙΤΩΝ delitescere ΑΡΙΣΤΩΝ: τίς ποτέ — σε κατέδετ' ἀριϛῶν, quo recepto φίλος rescribendum erit, a scribis in φίλων refictum, postquam ΑΡΙΣΤΩΝ in ἄρτι τῶν abierat.

Apud Antiphanem Athen. p. 397. A.

τῶν ταῶν μὲν ὡς ἅπαξ τις ζεῦγος ἤγαγεν μόνον,

recte vidit Hirschigius scribendum esse ἤγαγ' ἓν μόνον ut in vs. 3. ἐάν τις ἕνα μόνον ζητῶν ἴδῃ. Hoc quoque vitium natum est ex scriptura ΗΓΑΓΕΝ.

Multum me exercuit versiculus Antiphanis apud Athen. p. 14. F.

Φαινίνδα παίζων ἧεις ἐν Φαινεϛίου,

in quo multi alii operam perdiderunt. Prorsus barbara sunt *παίσων ἧεν ἐς Φαινεϛίου* et *παίσων ἧας ἐκ Φαινεϛίου*, quorum illud Valckenaerius coniecit ad Phoenissas vs. 1082 (ubi docet dici *ἥκω, ἔρχομαι, ἦλθον, ἐλήλυθα ἀγγελῶν, σημανῶν, φράσων* sim.) hoc Porsonus adolescens admodum, ut opinor, nam neque *παίσων* ex *παίζω* formatur neque *ἧας* aut *ἧεν* Graeca sunt. Athenienses dicebant *ᾔεισθα* et *ᾔειν* ante vocalem. Videor nunc mihi poëtae manum reperisse in ΠΑΙΖΩΝΗΙЄΙϹ latentem, nempe hanc:

Φαινίνδα παίζων νῆϛις ἐν Φαινεϛίου.

Ut Martialis iocatur III. 12. 3.

Res salsa est bene olere et esurire,

sic Antiphanes dixit nescio quem *φαινίνδα παίζειν esurientem*. Apparet quam facile ΠΑΙΖΩΝΗϹΤΙϹ in vulgarem abire potuerit. In esurientes omnia sunt plena iocorum, in quibus *νῆϛις*, *κεϛρεὺς νῆϛις*, sim. tritissima sunt.

Apud Antiphanem in Stob. Floril. XCI. 14.

ἆρ' ἐϛι λῆρος πάντα πρὸς τὸ χρυσίον;
μόνου γὰρ αὐτοῦ διαμένειν εἴωθ' ἀεὶ
τὸ χρῶμα ταὐτό, τῶν φίλων δὲ τοὺς τρόπους
οὐδέποθ' ὁμοίως ζωγραφοῦσιν αἱ τύχαι.

non *similiter pingunt* dixit, quod nihil significat, sed *similes*, *ὁμοίους*. *Auro suus color constat*, inquit, *amicorum mores pro diversis temporibus diversi sunt*, sed servans figuram *ζωγραφοῦσι* dixit iocans, *non iisdem coloribus pingunt*, sed faciunt ut alias alii videantur esse. Contrarius error est in Lysiae orat. XX. 7. *καὶ ὁμοίας τὰς κατηγορίας ποιοῦνται τῶν τε εἰπόντων γνώμην τινὰ ἐν τῇ βουλῇ καὶ τῶν μή*, ubi requiritur *ὁμοίως pariter*. Quod apud Antiphanem sequitur:

ὅταν εὐπορῶν γὰρ αἰσχρὰ πράττῃ πράγματα,
τί τοῦτον ἀπορήσαντ' ἂν οὐκ οἴει ποιεῖν;

Sanum erit si correxeris: *ὃς ἂν εὐπορῶν*, ut apud Antiphanem Stob. Floril. LXXIX. 7.

ὅϛις γὰρ ὁμόλογόν τι μὴ ποιεῖ πατρί,
πάντων ἂν οὗτος κατεφρόνησε τῶν θεῶν.

et eundem ibid. CXVII. 2. ὃς ἂν φέρῃ | ἀγνωμόνως αὔθ', οὗτός ἐςιν αἴτιος, et Amphidem Athen. p. 309. A.

ὅςις κορακῖνον ἐσθίει θαλάττιον
γλαύκου παρόντος οὗτος οὐκ ἔχει φρένας.

et passim apud alios. In alio Antiphanis fragmento in Stob. Floril. CXVI. 26.

ὦ γῆρας, ὡς ἅπασι τοῖς ζητοῦσί σε
ψέγειν ἀφορμὰς παραδίδως τοῦ πράγματος.

corrige ὅσας ἅπασι, quemadmodum perlepide dixit:

τοῖς ἄρτοις ὅσας
ἱςᾶσι παγίδας οἱ ταλαίπωροι βροτῶν.

Prorsus absurdum vocabulum vitio irrepsit in Eubuli locum apud Athen. p. 300. C.

αἵ τε λιμνοσώματοι
Βοιωτίαι παρῆσαν ἐγχέλεις θεαί
τεῦτλ' ἀμπεχόμεναι.

Verissime Valckenaerius emendavit λειοσώματοι, quemadmodum dicitur: καὶ λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς.

In eiusdem loco apud Athen. p. 568. C.

φιλῳδοὺς κερμάτων παλευτρίας
* * * πώλους Κύπριδος ἐξησκημένας,

lacunas ex ipso Athenaeo supplere licet: ἢ οὐκ οἶδας κατὰ τὴν Εὐβούλου Παννυχίδα τὰς φειδωλοὺς κερμάτων παλευτρίας κτέ. unde sic legendum:

ἢ τὰς φιλῳδοὺς κερμάτων παλευτρίας
οὐκ οἶσθα πώλους Κύπριδος;

φιλῳδούς pro φειδωλούς felix est emendatio Dobraei. Eodem modo stolidi scribae errarunt in Maximo Tyrio XXXV. 1. ἐρᾷ ὁ μὲν χρηματιςὴς χρυσοῦ, ὁ δὲ φ ε ι δ ω λ ὸ ς μελῶν, ὁ δὲ ῥήτωρ λόγων, ubi optime viri docti φιλῳδός reposuerunt.

Facetum Eubuli fragmentum servavit Clemens Alexandr. Strom. VII. p. 847.

αὐτοῖς δὲ τοῖς θεοῖσι τὴν κέρκον μόνην
καὶ μηρὸν ὥσπερ παιδεραςαῖς θύετε.

vitiosum est μηρόν, pro quo repone καὶ μηρί' ὥσπερ, ut solent μηρία in sacrificiis commemorari. Bacchus ipse in alio Eubuli loco apud Clementem l. l.

οὐκ ἐσθίω γλυκεῖαν οὐδὲ μηρία.

Eubulus apud Athen. p. 559. B.

ὦ Ζεῦ πολυτίμητ', εἶτ' ἐγὼ κακῶς ποτέ
ἐρῶ γυναῖκας; νὴ Δί', ἀπολοίμην ἄρα,
πάντων ἄριϛον κτημάτων. εἰ δ' ἐγένετο
κακὴ γυνὴ Μήδεια, Πηνελόπεια δέ
μέγα πρᾶγμα.

corrigendum est Πηνελόπη δέ γε. In Codice enim diserte scriptum πηνελόπη δὲ μέγα πρᾶγμα, non πηνελόπηα δέ, ut perhibent. Post pauca in Codice est χρηϛή τισ ἦν μέντοι τισ, quae sic sunt distinguenda:

χρηϛή — τίς ἦν μέντοι; τίς; οἴμοι δείλαιος.
ταχέως γέ μ' αἱ χρηϛαὶ γυναῖκες ἐπέλιπον.

postquam dixit χρηϛή -- haeret et non reperit quod dicat, ut Strepsiades in Nubibus 787.

Φέρ' ἴδω. — τί μέντοι πρῶτον ἦν; τί πρῶτον ἦν;

et Phaedrus in cognomine dialogo p. 236. D. ὄμνυμι γάρ σοι — τίνα μέντοι; τίνα θεῶν; ἢ βούλει τὴν πλάτανον ταυτηνί;

Araros Athen. p. 237. A.

οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ εἶ παράσιτος, φίλτατε,
ὁ δ' Ἰσχόμαχος ὁ διατρέφων σε τυγχάνει,

rem acu tetigit Bothius emendans ὁδὶ τρέφων, et est haec ipsa scriptura in archetypo Codice, in quo librarius in διατρέφων litteram α puncto supra scripto expungendam esse solito more indicavit. Caeterum absque eo indicio fuisset ex se spectatum ὁδὶ τρέφων verum esse satis apparebat.

Araros apud Suidam v. ἀναθεῖναι.

ὅπως δὲ τὴν νύμφην ἐὰν ὁ καιρὸς ᾖ
μετέωρον ἐπὶ τὸ ζεῦγος ἀναθήσεις φέρων.

neque ἐάν rei convenit et Graecum est καιρός ἐϛι, non ὁ καιρός. Emenda: ἐπειδὰν καιρὸς ᾖ.

Nicostratus Athen. p. 474. B.

ἡ ναῦς δὲ πότερ' εἰκόσορός ἐϛιν ἢ κύκνος
ἢ κάνθαρος; τουτὶ γὰρ ἂν πύθωμ' ὅτι
αὐτὸς περανῶ τὰ πάντα.

In Codice est ἡ ναῦσ δὲ πότερον εικοσ οροσε | ϛιν ἢ κύκνοσ et ἐὰν πύθωμαι ὅτι αὐτὸσ περιανω τὰ πάντα. Qui optime emendavit περανῶ Iacobsius, idem recte πύθωμ' ἔτι coniecit, quod dudum receptum oportuit.

Nicostratus Athen. p. 587. D.

ἔπειτα τῆς αὐτῆς ὁδοῦ
πρὸς Ἀερόπην ἐλθοῦσα πέμψαι ϛρώματα
αὐτὴν κέλευε, φησὶ, καὶ παρ' Ὤκιμον
χαλκώματα.

legendum est καὶ παρ' Ὠκίμου, quod hi loci comparati demonstrabunt. Anaxandrides Athen. p. 553. D. et Cratinus iunior apud Athen. p. 469. C.

παρ' Ἀρχεφῶντος ἡδυπότια δώδεκα.

Cratinus Athen. p. 685. D.

καὶ δὴ κύτισος αὐτόματος παρὰ Μέδοντος ἔρχεται.

Simillimus plane est locus Theophrasti in Charact. X. τῆς αὐτῆς ὁδοῦ παριὼν κομίσασθαι παρ' Ἀρχίου τοὺς ταρίχους.

Amphidis locus est idem apud Athen. p. 50. F. et Pollucem I. 233.

ὁ συκάμινος συκάμιν', ὁρᾷς, φέρει.

apud Pollucem est in libris ὁρᾷ καὶ φορεῖ, unde male Meinekius φορεῖ recepit. Arbores enim καρποὺς φέρειν dicuntur, non φορεῖν. Sic dicitur ἡ γῆ, ἡ χώρα φέρειν τι, αἱ Ὧραι φέρουσιν, alia similia. Theocritus I. 134. ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι, V. 125: τὰ δέ τοι σία καρπὸν ἐνείκαι, et passim alii. Scriptura vitiosa ὁρᾷ καί nata est ex ΟΡΑΙC confusis IC et K, quo facto καί pro κ dederunt. Quam saepe huiusmodi error commissus sit, saepe ostendimus. Addemus nunc ex Sophocle novum exemplum. Apud Scholiast. Hom. Odyss. H. 106 affertur Σοφοκλῆς ἐν Αἰγεῖ:

ὥσπερ γὰρ ἐν φύλλοισιν αἰγείρου μακρᾶς
κἂν ἄλλο μηδὲν ἀλλὰ τοὐκείνης κάρα
κινήσῃς αὔραις ἀνακουφίζει πτερόν.

pro κινεῖ τις αὔρα κἀνακουφίζει, quod Dindorfius quoque vidit. Vides ΑΥΡΑΙCΑΝΑΚ. peperisse vitium.

Etiam luculentius exemplum est in Aeschyli Choëphoris vs. 897.

ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαϛὸν, πρὸς ᾧκὺ πολλὰ δὲ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα.

est haec archetypi Codicis Medicei scriptura πρὸς ᾧκύ, non πρὸς ᾧήν, ut memorant, sed κυ et ην in libris antiquis exercitatis

tantum oculis possunt distingui, unde ἐντὸς ἀρήνων natum est pro ἀρκύων et similia. Aeschyli manum πρὸς ὧι σύ (ΩΙϹΥ pro ΩΚΥ) restituit Robortellus.

Adiiciam his nonnulla ex Poëtis τῆς μέσης κωμῳδίας.

Archippus ἐν Ἰχθύσιν Athen. p. 328. A.

ἱεροὺς Ἀφροδίτης χρυσόφρυς Κυθηρίας.

emenda ἱερεύς, comparato fragmento ex eadem fabula p. 315. B.

ἱερεὺς γὰρ ἦλθ' αὐτοῖσιν ὀρφὼς τοῦ θεοῦ.

Non est Graecum, quod Aristomenes dixisse creditur apud Priscianum XVIII. p. 232 λέγεις με ταἰσχρά. Compone cum his Xenophontem Mem. II. ii. 9 ὅταν ἐν ταῖς τραγῳδίαις ἀλλήλους τὰ ἔσχατα λέγωσιν et probabis: λέγεις με τἄσχατα.

Hegemon Athen. p. 108. C.

μάλα ταχέως αὐτῶν πρίω μοι πουλύπουν
καὶ δὸς καταφαγεῖν κἀπὸ τηγάνου γόνον.

Meinekius μοι addidit: praeterea correxerim: ἀλλὰ ταχέως ἰὼν πρίω μοι, non enim dicitur μάλα ταχέως sed ταχέως πάνυ, ταχὺ πάνυ, neque ἀπιών, quod ex αὐτῶν Meinekius eruebat, sed ἰών usitatum est dicere vel ἐλθών. In Codice est πριῶ, nempe indocti Graeculi eam formam cum ἀκροῶ, αἰτιῶ, χρῶ, ἰῶ, πειρῶ et sim. comparabant, quemadmodum πριᾶσθαι solent scribere et ἐπριᾶτο. Sic apud Hesychium scribitur ἀγᾶσθαι I. p. 35, κρεμᾶσθαι p. 278, ἀναπιμπλᾶσθαι et ἀναπιτνᾶσθαι p. 355, ἐκιρνᾶτο p. 546, περνᾶται II. p. 942, προσφᾶσθαι pro προσφάσθαι p. 1055, περνᾶσθαι p. 1090 et καταπιμπρᾶσθαι II. p. 179 et alibi. Apud eundem legitur Κτᾶσθαι: ἀναιρεθῆναι, κτανθῆναι: eiusdem barbariei est κτανθῆναι dicere et κτᾶσθαι pro κτάσθαι substituere. Passim in codicibus similes errores in omnibus formis eiusdem analogiae recurrunt, ut in κιχρᾶσθαι, πτᾶσθαι, διαπτᾶσθαι, de quo Porsonus admonuit ad Eurip. Med. vs. 1, quem versum quum Aristophanes in Ranis 1378 attulisset Ravennas liber in διαπτᾶσθαι conspirat. In Thesmoph. 749. pro

ἐμπρήσομεν τοίνυν σε: πάνυ γ' ἐμπίπρατε,

Ravennas ἐμπιπρᾶται exhibet triplici mendo, namque non ἐμπίπρατε sed ἐμπίμπρατε scribendum est. Attici ἐμπιμπράναι dicebant et ἐμπίμπλασθαι, quae formae ubique invitis libris restituendae sunt, metro saepe iubente, semper permittente,

nam a Graeculis demum fictae sunt formae ἐμπίπρημι et ἐμπίπλαμαι. Critici non satis sibi constant: in Eubulo Athen. p. 417. C.

ὥς' οὐδὲ δειπνῶν, ὥς λέγουσ', ἐμπίπλαται,

Meinekius necessariam Dindorfii correctionem ἐμπίμπλαται recepit, alibi idem vitium aequo animo ferens. In Photii Codice legitur annotatio Πριῶ: ἀγοράσω. Apparet emendandum esse πρίω: ἀγόρασον, et ostendit haec ipsa annotatiuncula, quae et apud Hesychium emendata habetur, formam πρίω vulgo ignotam et doctis magistris explicandam fuisse.

Metagenes Athen. p. 385. B. δειπνῶμεν πρῶτον κᾆπειτά με πάντ' ἀνερώτα, | ὅ τι ἂν βούλῃ, scio esse, qui πάνθ', ὅ τι recte dici putent: equidem haec scribis imputo et πᾶν reponendum censeo eodem modo, quo in Nubibus vs. 348 emendandum esse diximus γίγνονται πᾶν ὅ τι βούλονται, ubi Ravennas πάνθ' ὅ τι servat, Venetus a sciolo interpolatus πάνθ' ὅσα exhibet.

In eiusdem loco apud Athen. p. 269. F. sic legitur:

τὰ δὲ μικρὰ ταυτὶ ποτάμι' ἐν μὲν τευθενὶ
ῥεῖ τευθίσιν ὀπταῖς καὶ φάγροις καὶ καράβοις,
ἐντευθενὶ δ' ἀλλᾶσι καὶ περικόμμασιν,
τῃδὶ δ' ἀφύαισι, τῇδε δ' αὖ ταγηνίαις.

Codex: ἓν μὲν ἐντεῦθεν ῥέει, unde Elmsleius ad Acharn. vs. 108. sollertissime elicuit ἐν μὲν τευθενὶ ῥεῖ, qui et in quarto senario recte reponebat τῃδεδὶ ταγηνίαις. Eodem exemplo in *Avium* vs. 2. scribendum est:

διαρραγείης. ἡδεδὶ κρώζει πάλιν,

pro scriptura librorum ἥδε δ' αὖ. Multo etiam foedius indocti correctores, qui illas Atticorum tmeses plane ignorabant, mulcarunt Avium vs. 11.

ἐντευθενὶ τὴν πατρίδ' ἂν ἐξεύροις σύ που;
B. οὐδ' ἂν μὰ Δία γ' ἐντεῦθεν Ἐξηκεςίδης.

vitiosa esse μὰ Δία γ' ἐντεῦθεν nemo dubitabit eorum, qui Atticorum consuetudinem, quam primus Porsonus aperuit in Advers. p. 33, longo usu constare intellexerint. Immigravit γε in alienam sedem postquam magistri tmesin Atticam sustulerunt. Sana erunt omnia si hanc scripturam revocaveris:

οὐδ' ἂν μὰ Δί' ἔν γε τεῦθεν Ἐξηκεςίδης.

quod equidem comparaverim potissimum cum loco in Thesmoph.

646. *οὐκ ἐνγεταυθί*, quod feliciter correctores evasit. Post paucos versus in Avibus nova corruptela apparet vs. 23, ubi Ravennas:

ἧδ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ τι λέγει πέρι;

frustra corrigunt *ἡδὶ κορώνη*. Corrige:

τί δ' ἡ κορώνη τῆς ὁδοῦ λέγει πέρι;

postquam TI in H abiit versus est interpolatus.

Strattis Athen. p. 323. B.

ἡ σφύραινα δ' ἐστὶ τίς;

B. *κέστραν μὲν ὕμμες ὡττικοὶ κικλήσκετε.*

scribe *ὑμές*, nam sic pro *ὑμεῖς* et *ὑμέ* pro *ὑμᾶς* dicebant *οἱ δωρίζοντες*. Parata est his omnibus sciolorum interpolatio vulgares formas certatim aut Homericas substituentium. In *Pace* vs. 214. scribe:

ναὶ τὼ σιώ, νῦν ὡττικίων δωσεῖ δίκαν,

pro *ἀττικίων δώσει δίκην*. In *Lysistrata* 174 male editur:

καὶ τἀργύριον τὤβυσσον ᾖ παρὰ τᾷ σιῷ,

ubi emendandum *τὡργύριον* et *πὰρ τᾷ σιῷ*, et in versu 171 *πᾶ κά τις ἀμπείσειεν* pro *πᾶ καὶ τις ἂν πείσειεν*. Scribae *τὤβυσσον* quia non intelligebant reliquerunt intactum, *τὡργύριον* in formam optime sibi notam sine mora refinxerunt. Passim *καί* pro *κα* Dorico irrepsisse videbis. Et innumeri quidem loci sunt, ubi *κα* restituit criticorum sollertia libris omnibus in *καί* conspirantibus: permulti etiamnunc supersunt, in quibus *κα* restituendum nobis reliquerunt. De magna copia nunc duo expromam. In Stobaei Floril. XLIII. 94 queritur Hippodamus *ὅτι τὰν μεγίσταν κακοδαιμοσύναν ἐντίκτοντι τοὶ τῶν σοφιστῶν* (L. *σοφιστᾶν*) *λόγοι ταῖς τῶν ἀνθρώπων ψυχαῖς αἰ κατατολμῶντι κινῆν παρὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ἤτι τῶν θείων ἢ τῶν ἀνθρωπίνων*, ubi verum est *αἴ κά τι τολμᾶντι* et *ἤτοι τῶν θείων*. Partem veri vidit Gaisfordus. Multo etiam foedius depravatus est Ecphanti locus in Floril. XLVIII. 64. *οὐδ' ὁ σύμπας κόσμος ἐχθαίρει τὸν θεόν, αἰ δὲ καὶ ἐμίσει τὸν ἀγεμονεύοντα οὐκ ἀεί ποτε ἂν πειθόμενος αὐτῷ*, ubi facile mihi dabitur certum esse *οὔ κα εἵπετο πειθόμενος αὐτῷ*, tum *αἰ δέ γα ἐμίσει* scribi poterit, namque *καί* nihil significat et *αἰ δέ κα ἐμίσει* pessimus est soloecismus. Quemadmodum indocti scribae *κα*, quia non intelligunt, in *καί* depravare solent, sic nonnumquam pereruditi critici *καί* impor-

tunc in κα mutaverunt, quod in Philyllii fragmento apud Pollucem X. 58 factum esse videbis. Meinekius edidit:

ἐκ τᾶς πινακίδος δ' ἀμπερέως ὅ τι κα λέγῃ
τὰ γράμμαθ' ἑρμήνευε.

pro scriptura librorum *ὅ τι κἂν λέγοι*. Facile apparet *ὅ τι καὶ λέγει* corrigendum esse. Nescio quis litteras nesciens scriptam tabellam alteri porrigit iubens sibi interpretari *ὅ τι καὶ λέγει τὰ γράμματα*, id est *ὅ τι ποτὲ τὰ γράμματα λέγει*, quo sensu *καί* tam bene et frequenter dicitur (vide Porson. ad Eurip. Phoen. vs. 1373) atque *ἄν* absurdum est. Doricum *πάρ* passim in libris solet in *παρά* abire, recteque Ahrens in iocoso parasiti Epicharmei dicto apud Demetr. *περὶ ἑρμ.* § 24.

τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών,

rescripsit *πὰρ τήνοις* de Dial. Dor. p. 355 probans in Aristophanis loco *πὰρ τᾷ σιῷ* a Koenio repositum. Admonet me ea res loci Pindarici, quem a multis inde saeculis ridiculum mendum obsidet Pyth. I. 26

τέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι
θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι,

facile vincam *πὰρ ἰδόντων* a poëta scriptum esse.

Theopompus apud Schol. Arist. Lysistr. 45.

ὑποδοῦ λαβὼν τὰς περιβαρίδας

comparandus est cum Aristophane in Vesp. 1158.

τασδὶ δ' ἀνύσας ὑποδοῦ λαβὼν Λακωνικάς,

namque sic optime Hirschigius sanavit ridiculam librorum lectionem *ὑπόδυθι τὰς Λακωνικάς*. Hinc Theopompo redde *τασδὶ περιβαρίδας*.

Idem apud Zonaram p. 388 *τοὺς βιβλιοπώλας λεύσομαι* barbare, Meinekius *πεύσομαι* soloece. Suspicor: *πρὸς βιβλιοπώλας θεύσομαι*.

Nicophon Athen. p. 80. A.

ἐὰν δέ γ' ἡμῶν σῦκά τις μεσημβρίας
τρώγων καθεύδῃ.

fieri hoc nullo modo potest, ut quis *τρώγων ἅμα* dormiat: rescribe *τραγών*.

Polyzelus apud Photium v. Τῶν τριῶν κακῶν ἕν.

τριῶν κακῶν γοῦν ἦν ἑλέσθ' αὐτῷ τι πᾶσ' ἀνάγκη,

ἢ ξύλον ἐφέλκειν ἢ πιεῖν κώνειον ἢ προδόντα
τὴν ναῦν ὅπως τάχιςα τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι.

Meinekius: »*valde displicet illud* τι *post* αὐτῷ *sine* ἕν." Itaque utrique malo sic medendum:

τριῶν κακῶν ἕν γοῦν ἑλέσθ' αὐτῷ 'ςὶ πᾶσ' ἀνάγκη.

non ἦν sed ἐςί requiri confirmat quod sequitur:

ταῦτ' ἔςι τρία Θηραμένους ἅ σοι φυλακτέ' ἐςίν.

In eiusdem fragmento apud Pollucem X. 76 restituerim hos octonarios:

ὥσπερ λεκανίῳ τῷδε γὰρ πρῶτον μὲν ἐναπονίψει,
ἐνεξεμεῖς, ἐνεκπλυνεῖς, ἔπειτ' ἐναποπατήσει.

Codices ὥσπερ et τῷδε omittunt, tum μὲν ἀπονίψεις ἐν ἐξέμεις ἐν ἐκπλύνεις ἐναποβάσεις exhibent. Hemsterhusius ἐνεξεμεῖς, ἐνεκπλυνεῖς reperit, Elmsleius ad Acharn. 1110 ἐναπονίψει et ἐναποπατήσει, sed pro tertiis personis. Non meminerat ἀποπατήσομαι Athenienses dicere, ut in *Pluto* vs. 1184

πλὴν ἀποπατησόμενοί γε πλεῖν ἢ μυρίοι.

verba ὥσπερ λεκανίῳ τῷδε ἐναπονίψει significare ἀπονίψει ἐν τῷδε ὥσπερ ἐν λεκανίῳ multis exemplis in priore parte ostendimus. Simili modo Euripides in *Cyclope* dixit vs. 433.

ὥσπερ πρὸς ἰξῷ τῇ κύλικι λελημμένος
πτέρυγα σαλεύει.

Apollophanis verba, quae servavit Schol. Arist. Pac. 542: κύαθον λάβοιμι τοῖς ὑπωπίοις fortasse sic explenda sunt, ut legatur:

πόθεν ἂν κύαθον λάβοιμι τοῖς ὑπωπίοις;

Admonent me haec loci Aristophanei in Pace 542, cui explicando adhibentur:

καὶ ταῦτα δαιμονίως ὑπωπιασμέναι
ἁπαξάπασαι καὶ κυάθοις προσκείμεναι,

qui nimium diu grave vitium aluit. Poterat mendum ex ipsa Graecitatis ratione deprehendi, sed malo id patefacere comparato loco Aristotelis in Problem. IX. 12 διὰ τί ποτε πρὸς τὰ ὑπώπια τοὺς κυάθους προστιθέμεθα; Intelligisne corrigendum esse καὶ κ υ ά θ ο υ ς προσκείμεναι? id est, ut sequiores loquebantur, κυάθους προσκειμένους ἔχουσαι. Quemadmodum enim veteres dicebant περιτίθεμαι ςέφανον, sic ςέφανον περίκειμαι usitatum erat dicere, quod retinuere omnes etiam recentiores, quibus περικείμενος σκευήν, ἱμάτια, ἐσθῆτα, τιάραν, ςέφανον, ἄνθη et sim. tritissi-

ma sunt, sed ut sunt isti *ἀπειρόκαλοι* et non penitus perspiciunt vocabulorum naturam, in novos errores se implicant dicentes *περίκειμαι ἅλυσιν, περίκειμαι ὑποδήματα*, ut Lexicographi docebunt. Non sentiebant quantum interesset utrum diceres *περικείμενοι τελαμῶνας περὶ τοῖσι αὐχέσι* (Herodot. I. 171) an *τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι* = *ἔχω περικειμένην*. Aristophanes et aequales, qui dicebant *κύαθον προστίθεμαι* in perfecto non aliter quam *κύαθον πρόσκειμαι* poterant dicere, ut *πρόσκειμαι κυάθῳ* eo fere sensu diceretur, quo Cicero usus est »*quum Lentulum generum suum, exiguae staturae hominem, longo gladio accinctum vidisset:* quis, *inquit*, generum meum ad gladium alligavit?" apud Macrob. Saturn. II. 3.

Ex his parata medicina est Eunapii loco pag. 56 *βαρὺς ἦν ἤδη στολήν τε ἁβροτέραν ἢ κατὰ φιλόσοφον περιχεόμενος καὶ πρὸς τὰς ἐντεύξεις ὢν χαλεπώτερος.* Quid, quaeso, est *στολὴν περιχεῖσθαι?* Quamquam ineptus scriptor Eunapius est, et quum ornate et exquisite vult scribere ridicule se dare solet, tamen hoc vitio absolvendus videtur corrigendumque *στολὴν περικείμενος.*

Restat, ut in poëtis Comoediae Antiquae locos nonnullos male habitos breviter attingam.

In Cratini fragm. apud Apollon. Dysc. *περὶ ἀντωνυμίας* p. 25. B. Bekk. de *ὦ οὗτος* agentem, Κρατῖνος ἐν Δραπέτισιν

ουτως καθεύδεις οὐκ αναστησεισβοτων;

scribendum esse censeo:

οὗτος, καθεύδεις; οὐκ ἀναστήσει; βοῶν.

Stephanus Byzant. v. Ἰβηρία — *καὶ αὐτὸς Ἴβηρος τραγοπώγων ἐν* Μαλθακοῖς *εἴρηται* Κρατίνου. Comicus dixisse videtur:

αὐτοΐβηρος τραγοπώγων,

ut *αὐτοβορέας* et similia.

In Πυτίνης fragmento VI apud Meinekium solus senarius Cratini esse videtur, quem ita dixisse suspicor:

ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοις σοφόν,

non *τέκοι*, quod illi debetur, qui decantatum versiculum Comici in suum epigramma recepit et subiecit suo hexametro:

οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ,

qui neque Comoediae convenit, neque Cratino dignus est. De semet ipso haec dixisse scurram satis constat, sed si quis pu-

tat Cratinum se ipsum *χαρίεντα ἀοιδόν* dicere potuisse, is nondum Κρατίνου τοῦ ταυροφάγου γλώττης βακχεῖ' ἐτελέσθη.

In eadem fabula fragm. IX. Cratinus dixisse traditur:

ἀτὰρ ἐννοοῦμαι δῆτα τὰς μοχθηρίας
τῆς ἠλιθιότητος τῆς ἐμῆς.

pro ἠλιθιότητος, quod metrum iugulat, Fritzschius ἐνεότητος coniecit, idque Meinekio verum videtur. Sed neque ἐνεός pro stulto stolidoque dicebatur neque ἐνεότης veteribus in usu erat. Ἐνεός est Atticis ὁ ἐξ ἀρχῆς κωφὸς ὢν καὶ διὰ τοῦτο φωνῆς ἐστερημένος. vide omnino Ruhnkenium ad Tim. p. 102, quem miror non sensisse in Platonis Theaeteto p. 206. D. τοῦτό γε πᾶς ποιεῖν δυνατὸς τὸ ἐνδείξασθαι τί δοκεῖ περὶ ἑκάστου αὐτῷ ὁ μὴ ἐνεὸς ἢ κωφὸς ἀπ' ἀρχῆς, aliena esse ἢ κωφὸς ἀπ' ἀρχῆς, quandoquidem quicumque κωφὸς ἀπ' ἀρχῆς fuit is ἐνεός ab antiquis dicitur, et Plato ipse κωφὸς ἐκ γενετῆς dicturus fuisset. Procedente tempore ἐνεός dici coeptum est pro *stupidus*, *vecors*, σκαιός, ἀμαθής, ἀμήχανος, deinde et pro ἄναυδος, ἄφωνος. Qui in Alcibiade II. p. 140. C. docet stultos ἐνεούς dici posse diu post Platonis tempora id didicit. In Suidae loco: ἀπηνεάθη· ἀμὸς ἐγεγόνει nihil aliud latet quam ἐνεὸς ἐγεγόνει, nam sic isti loquebantur pro ἄφωνος ἦν. Sed nihil haec Cratinum adiuvabunt. Quod in Codice est ΤΗϹ ΗΙϚΤΝΤΟϹ natum est ex lectione τῆς ἠπιότητος, quae verissima esse videtur.

Incertarum Fabularum fragm. V. πῶς ἂν Ἰσχομάχου γεγονὼς Μυκονίου φιλόδωρος ἂν εἴης ita veteres numeros recipiet si scripseris:

καὶ πῶς ἂν Ἰσχομάχου σὺ γεγονὼς Μυκονίου
φιλόδωρος εἴης;

praecedens ΟΤ ut saepe ϹΤ expulit.

In fragmento XIV bis neglecta est lineola, quae ν omissum esse significabat. Namque ut nemo umquam capiet quid sit

τρίγλη δ' εἰ μὲν ἐδηδοκοίη τένθου τινὸς ἀνδρός,

sic nemo non intelliget

τρίγλην δ' εἰ μὲν ἐδηδοκοίη 'ν τένθου τινὸς ἀνδρός.

Necessaria vocula fragmento XXVII addita sententiam et metrum iuvabit.

Δασὺν ἔχων τὸν πρωκτὸν ἅτε κυρήβι' ἐσθίων ἀεί.

vulgo ἀεί omissum est.

Cratinus non μηνυτήν· τὴν γυναῖκα dixit, quod in fragm. LXXVII traditur, sed μηνυτίν. Pervulgatum hoc est librorum vitium in talibus. Saepe δραπέτης, προδότης, similiaque in Codd. leguntur pro δραπέτις, προδότις, caett. Formae in -ις, ut ϛρατιῶτις, οἰνόποτις sim. et rariores erant et apud sequiores in desuetudinem videntur abiisse, quamobrem proclivi errore ad formas in -της scribae delabi solebant.

Vitium alit fragmentum CXXIX.

τούτου δ' ἁπάσας ἀποτεμῶ τὰς μηχανάς,

namque in ea re non ἀποτέμνειν veteres dicebant sed ὑποτέμνειν, veluti ἐλπίδας, ὁδόν, πλοῦν sim. *praecidere spem, iter, reditum.* Obiter emenda Xenophontis locum Hellen. I. vi. 15. κατιδὼν δὲ αὐτὸν ἀναγόμενον ἅμα τῇ ἡμέρᾳ ἐδίωκεν ὑποτεμνόμενος τὸν εἰς Σάμον πλοῦν [ὅπως μὴ ἐκεῖσε φύγοι], ubi pueris fortasse quid sit ὑποτέμνεσθαι τὸν πλοῦν nescientibus utilia esse potuerunt verba ὅπως μὴ ἐκεῖσε φύγοι, caeteris omnibus tam sunt inutilia atque Xenophonte indigna sunt.

Admonet me fragm. CXLVIII. πρὸς σανίσιν ἐδεσμεύοντο πολλάκις, ὡς καὶ Κρατῖνος δηλοῖ loci apud Hesychium monstrose corrupti v. Δῆσαι πρὸς ἄνοδον, Ἀττικῶς. βασανίσαι ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ. Viden corrigendum esse Δῆσαι πρὸς σανίδα, Ἀττικῶς, nam utroque modo dicebant veteres πρὸς σανίδα δεῖν, et δεῖν πρὸς σανίδι. Aristoph. Thesmophor. 940

κέλευε πρὸς τῇ σανίδι δεῖν τὸν τοξότην.

Δεσμεύειν pro δεῖν dicere Graeculorum est. Hesychius Δῶν· δεσμεύων. Eodem modo, ut ostendimus, λεπίζειν pro λέπειν dicebant, ἀροτριᾶν pro ἀροῦν, λυτροῦμαι pro λύομαι, σκαλεύω pro σκάλλω, κλαδεύειν pro κλᾶν, καθαρίζω pro καθαίρω, αἱρετίζω pro αἱροῦμαι, aliaque permulta, de quibus unum Thucydidis caussa addam. Dicebant veteres τετρῦσθαι, τετρυμένος πόνοις, ταλαιπωρίᾳ sim., pro quo sequiores τετρυχῶσθαι dicebant et τετρυχωμένοι. Itaque saepiuscule factum est ut in Codicibus τετρυμένος abiret in τετριμμένος, aut ut nova forma τετρυχωμένος substitueretur, cuius rei exempla Dindorfius dedit ad Steph. Thesaur. v. τρύω, quibus Platonem adde in Legibus VII. p. 806 B. ubi libri fluctuant inter τετρυμένων et τετρυχωμένων, quorum hoc perperam receptum est. Duobus locis in Codicibus Thucy-

didis, qui valde interpolatus ad nos pervenit, idem plane factum esse suspicor IV. 60 ὅταν γνῶσιν ὑμᾶς τετρυχωμένους et VII. 28 ἤδη τῷ πολέμῳ κατὰ πάντα τετρυχωμένοι, et τετρυμένους — τετρυμένοι rescribendum esse censeo, quoniam τρύχομαι antiquum est et τέτρυμαι, sed τρυχοῦμαι et τετρυχωμένοι formae τοῦ πονηροῦ κόμματος sequiorum.

Cratetis fragmentum apud Athen. p. 117. D.

Σκυτίνη ποτ' ἐν χύτρᾳ τάριχος ἐλεφάντινον
ἧψε ποντιὰς χελώνη πευκίνοισι κύμασιν κτἑ.

ita scriptum est, ut scurriliter componerentur ὀνόματα καὶ ῥήματα μηδεμίαν ἔχοντα διάνοιαν, ut de Chrysippi loco Galenus scribit Tom. V. 512 Kühn. Itaque dici non potest Aristophanes Cratetis τάριχος ἐλεφάντινον risisse, neque quisquam poterit expiscari umquam quid pro ὑσοριμαχεῖν ἄνδρες sit a poëta scriptum.

Cratini fragmentum a Prisciano servatum XVIII. p. 271 ab ipso Prisciano non intellectum et a scribis corruptum ita circumfertur: addam Prisciani verba: »Χαμόθεν *quod est* a loco *Cratinus pro* in loco *posuit:*

ὃς τὴν πίτυν
ἔκαμπτεν ἔσως χαμόθεν ἄκρας τῆς κόμης
καθέλκων."

Non debebat Meinekius commemorare Spengelii commentum καθελκύων reponentis, namque ἑλκύω Graecum non est sed a magistellis fictum ex εἵλκυσα, quum nescirent Veteres ἕλκω, ἕλξω, εἵλκυσα, εἵλκυκα, εἵλκυσμαι dixisse, quemadmodum ἕρπω, ἑρπύσω, εἵρπυσα, de qua re alias dicam. Χαμόθεν non est minus vitiosum quam ἑλκύω. Veteres dicebant χαμαὶ, χαμᾶζε et χαμᾶθεν, ut θύρασι, θύραζε et θύραθεν. Vitiosa Graeculorum συνήθεια invexit formam χαμόθεν, quam excusat Apollonius Dyscolus in Bekk. Anecd. p. 602, 12. οὐ βίαιον δὲ καὶ τὸ χαμόθεν κατὰ τὸ σύνηθες, τοῦ σχήματος ἀπαιτοῦντος τὸ χαμᾶθεν, qui debebat adiicere hanc ipsam formam, quam analogia requirat, constanti veterum usu confirmari. At scribae passim χαμᾶθεν in χαμόθεν depravant, et ne metrum quidem homunciones retinet. In Vespis vs. 249

κάρφος χαμᾶθέν νυν λαβὼν τὸν λύχνον πρόβυσον,

in Veneto Codice χαμόθεν scriptum est, quemadmodum in Dio-

nysii minaci ioco ad Locrenses χαμᾶθεν ὑμῖν οἱ τέττιγες ᾄσονται, quum significare vellet τὰ δένδρα ὑμῖν ἐκκοπήσεται, et apud Aristotelem Rhetor. II. 21 et in Demetrii libro περὶ ἑρμηνείας §§ 99 et 243 in χαμόθεν omnes conspirant. Alia exempla dedimus in priore Parte pag. 89, unde hoc satis certum esse intelligitur χαμόθεν Veteribus inauditum esse et sicubi apud eos occurrit scribarum socordia irrepsisse. Praeterea quid eo Grammatico facias, qui serio potuerit in animum inducere χαμᾶθεν pro χαμαί umquam dictum esse et χαμᾶθεν ἑστὼς *humo stans* coniungenda esse, quod non minus absurdum est quam si quis χαμᾶθεν κεῖσθαι vellet dicere aut θύραθεν pro θύρασιν aut Ὀλυμπίαθεν pro Ὀλυμπίασιν. Misso autem Prisciano, qui (quod multi faciunt) non locos singulos ad totius linguae usum et rationem exigit, sed ex singulis locis etiam male intellectis et vitiosis dicendi usum ita constituit et colligit, ut nihil satis firmum et stabile videatur, cui aliqua Codicum scriptura tamquam machina obmoveri possit, videamus an ex corruptis reliquiis Cratini manum possimus eruere ut sanae rationi certaeque analogiae usui consultum sit. Videor mihi octonarios latentes in illa caligine deprehendere, quos sic constituerim:

ὃς τὰς πίτυς ἔκαμπτεν
ἑστὼς χαμᾶθεν (ῥαδίως) ἄκρας κόμης καθέλκων,

quod, credo, facere dicebatur Sinis ipse, ὁ πιτυοκάμπτης,

qui poterat curvare trabes et agebat ab alto
ad terram late sparsuras corpora pinus,

teste Ovidio Metamorph. VII. 440. Comparandus Euripidis locus in Bacchis 1068:

ὡς κλῶν' ὄρειον ὁ ξένος χεροῖν ἄγων
ἔκαμπτεν εἰς γῆν ἔργματ' οὐχὶ θνητὰ δρῶν.

Cratini versiculos apud Zonaram p. 1366 bene Meinekius in hunc modum constituit:

ὁ Φορμίων τρεῖς ἀργυροῦς στήσειν ἔφη
τρίποδας, ἔπειτ' ἔθηκεν ἕνα μολύβδινον,

nisi quod ἔθηκεν non satisfacit: ἱστάναι τρίποδα optime dicitur, τρίποδα τιθέναι non item. Quod apud Zonaram est ἔπειτα ἔθηκεν manu ducit ad

τρίποδας, ἔπειτ' ἀνέθηκεν ἕνα μολύβδινον.

In Pherecratis venustissimo fragmento apud Athen. p. 364. B.

χὤτι τάχιστα θύρας ἐξελθεῖν βουλόμεθ' αὐτόν,

facile mihi dabitur *θύραζ' ἐξελθεῖν* verum esse. Deinde vs. 5.

ἤδη σύ; τί οὐχ ὑποπίνεις;
οὐχ ὑπολύσεις σαυτόν;

vereor ne Critici corrigendo locum vitiaverint. Nemo enim dicebat *ὑπολύειν ἑαυτόν* pro *ὑπολύεσθαι*, neque *ἑαυτὸν ὑποδεῖν* pro *ὑποδεῖσθαι*. Revocanda est Codicis et Apographorum scriptura *οὐχ ὑπολύσεις αὐτόν;* quam nemo tentabit, qui intellexerit ad servulum haec dici prope adstantem. Servile autem ministerium est heri amicos et convivas *ὑπολύειν*.

Periit ioculare Pherecratis inventum apud Pollucem VIII. 34. *τὸν δὲ κλέπτην εἴποις ἂν καὶ κλεπτίστατον, ὡς Εὔπολις. Φερεκράτης δ' εἴρηκε καὶ κ λ ε π τ ί δ η ς.* Aut ego fallor aut *κλεπτιδεύς* a Pherecrate *πέπαικται* pro *κλέπτου πατρὸς νεόττιον*, sicuti *ἀετιδεύς, ἀηδονιδεύς, χελιδονιδεύς, λυκιδεύς, ἀλωπεκιδεύς, λεοντιδεύς*, similiaque alia *pullorum* nomina. Κορωνιδεύς: *ὁ τῆς κορώνης νεοσσός*. Κρατῖνος Πυλαίᾳ affert Antiattic. p. 105, 23. Eiusdemmodi sunt in Anacreonteis *ἐρωτιδεῖς μικροί*. Praeiisse omnibus Aristophanes videtur, cuius Χαιριδῆς *βομβαύλιοι* omnibus noti sunt.

In Teleclidis loco, quem Plutarchus servavit in Nicia cap. 4 vetus mendum residet. Editur:

τέτταρας δὲ μνᾶς ἔδωκε Νικίας Νικηράτου.
ὧν δ' ἕκατι τοῦτ' ἔδωκε καίπερ εὖ εἰδὼς ἐγὼ
οὐκ ἐρῶ. φίλος γὰρ ἀνὴρ σωφρονεῖν δέ μοι δοκεῖ.

alterum *ἔδωκε* oscitanter ex praecedenti versu repetitum esse videtur et emendandum *ὧν δ' ἕκατι τοῦτ' ἔδρασε*, id est *τέτταρας μνᾶς ἔδωκε*, quemadmodum saepe *τοῦτο δρᾶν* usurpari solet, ne praecedens verbum invenuste sit repetendum, ut in Platonis Theaeteto p. 166. C. *ὓς δὲ δὴ καὶ κυνοκεφάλους λέγων οὐ μόνον αὐτὸς ὑηνεῖς ἀλλὰ καὶ τοὺς ἀκούοντας τοῦτο δρᾶν εἰς τὰ συγγράμματά μου ἀναπείθεις*, ubi emenda *πρὸς τὰ συγγράμματα* ex antiquo Scholio in Platonem a Photio servatum v. Ὑηνεῖς, ubi duae annotationes male in unam coaluerunt. Distingue: Ὑηνῶν *θρεμμάτων*: sequitur locus ex Platonis Legibus VII. p. 819. D. tum Ὑηνεῖς: *κτέ*.

Idem in Bekkeri Anecd. p. 418, 15 non videtur scripsisse *σὺ δὲ φρόνιμος αὐτὸς ὢν* sed *οὐδὲ φρόνιμος κτέ.*

In Philonidis loco apud Poll. IX. 29:

πανχγεῖς γενεάν, πορνοτελῶναι, Μεγαρῆς, δεινοὶ πατραλοῖαι,

ut nemo expediat quid sit πανχγεῖς γενεάν, sic nemo dubitet, quin πανχγὴς γενεά sit reponendum.

Criticorum curae multum nocuerunt Eupolidis fragmento apud Harpocrationem v. Μεῖον, quod in libris ita scribitur:

τοιγαροῦν ϛρατηγὸς ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου
οὐδεὶς δύναται ὥσπερ μειαγωγὸς ἐϛιῶν
τῆς τοῦδε νίκης πλεῖον' ἑλκύσαι ϛαθμόν,

ubi urendo et secando docti homines augent malum. Transponit οὐδείς post τοιγαροῦν Gronovius, post ϛρατηγός Dindorfius: deinde δύναται mutatur in ἐδύναθ', ut trochaicorum reliquiae esse videantur, quos Iacobi apud Meinekium ita explebat: ὥσπερ μειαγωγὰς ἱϛάνων τὰ πράγματα | τῷ ζυγῷ τῆς τοῦδε νίκης, quae valde miror Dindorfio placere potuisse, quia prorsus barbarum est ἱϛάνων pro ἱϛάς positum. Sequiores Graeculi ita errabant, qui formas antiquiores in -μι exeuntes expellebant et pro ἵϛημι aut ἱϛῶ dicebant aut ἱϛάνω, quos leniter corripit Socrates quidam in Luciani Pseudosophista LXXVI. 7. ἀφιϛᾶν δέ τινος εἰπόντος καὶ ἑτέρου ἀφιϛάνειν, Ἄμφω μέν, ἔφη, οὐκ οἶδα. Quamquam autem ista satis constet esse παρεφθορυίας λέξεως tamen nonnumquam in Atticorum scripta irrepserunt, ut olim in Vespis vs. 41 legebatur:

τὸν δῆμον ἡμῶν βούλεται διϊϛάνειν,

cui tandem Ravennas suum διϊϛάναι reddidit. Equidem in Eupolideis versibus nihil deesse, sed contra nonnihil male agglutinatum esse suspicor. Primam mali labem puto in ἑλκύσαι ϛαθμόν inesse: quum εἵλκυσε ϛαθμόν poëta dedisset tralaticio vitio εἵλκυσαι, deinde ἑλκύσαι natum est, quo facto supervenit qui δύναται de suo adiecerit ruentem sententiam sustentans scilicet. Itaque haec sponte nascitur emendatio:

τοιγὰρ ϛρατηγὸς ἐξ ἐκείνου τοῦ χρόνου
οὐδείς ποθ', ὥσπερ μειαγωγὸς ἐϛιῶν,
τῆς τοῦδε νίκης πλεῖον' εἵλκυσε ϛαθμόν,

quae de Themistoclis victoria Salaminia dici apertum est. Induxerat enim Eupolis in ea fabula (Δήμοις) veteres Atheniensium ϛρατηγοὺς καὶ δημαγωγοὺς ἐξ ᾅδου ἀναβεβηκότας et, ut quisque prodibat, nescio quis eius res gestas et vitam et inge-

nium et mores iocose commemorabat, vide Plutarchum in Pericle cap. 3.

Fragmentum I ex Eupolidis Πόλεσιν servatum a Scholiasta Aristoph. ad Plutum vs. 718:

Τῆνος αὕτη
πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους,

expletur in Codice Veneto in hunc modum:

πολλοὺς ἔχουσα σκορπίους ἔχεις τε συκοφάντας.

Receptam oportuit certam Porsoni emendationem in Eupolidis fragmento apud Athen. p. 392. E.

Ὄρτυγας ἔθρεψας σύ τινας ἤδη πώποτε;
B. ἔγωγε μικρά γ' ὀρτύγια. κἄπειτα τί;

rectissime Porsonus μίκρ' ἄττ' ὀρτύγια.

Dubitabit nemo, qui observaverit quam saepe ἄττα et ἅττα ab indoctis scribis obscurari et depravari soleant, de qua re ad Euripidem plura dicere in animo est: nunc pauculis locis defungar ad demonstrandum ATTA et ATT in libris minus antiquis abire solere in ατι, ατ', αγ', ατε, αγε, sim. Apud Hesychium legitur Ἀτιοῦν pro ἄττ' οὖν. Idem Ἴδι' ἄττα, Ὀλίγ' ἄττα et similia sedulo interpretatur ἴδιά τινα cet., quia haec olim in desuetudinem abierant. In Ranis vs. 936. Ravennas exhibet ποῖά γ' ἐστὶν ἄττ' ἐποίεις, Venetus ποῖά τ' ἐστὶν ἄττ' ἐποίεις, alii libri ἄγ' ἐποίεις, quum poëta dedisset ποῖ' ἄττ' ἐστὶν ἄττ' ἐποίεις. Sic in Ephippi fragm. apud Athen. p. 482. D. in libris est:

καὶ Δημοφῶντος ἄτ' ἐποίησεν εἰς Κότυν,

pro ἄττ' ἐποίησεν, quod viri docti reposuerunt et passim eodem modo titubatur in libris. Euripidis fragmentum apud Clem. Alex. Strom. IV. p. 495 sic editur:

ἄγ' οὖν παραινῶ, ταῦτά μου δέξαι, γύναι,

male pro ἄττ' οὖν. Plus etiam huius rei observatio Platoni proderit in Theaeteto pag. 167. C. ἐπεὶ οἷά γ' ἂν ἑκάστῃ πόλει δίκαιά καὶ καλὰ δοκῇ ταῦτα καὶ εἶναι αὐτῇ ἕως ἂν αὐτὰ νομίζῃ, cui loco neque οἷα convenit neque γε recte additur, sed utrique malo medeberis scribendo ἄττ' ἂν ἑκάστῃ πόλει. Simili medicina Babrius indigere videtur fabul. LXII. 9. Boisson.

κακῶν δὲ πάντων ἄτε σύνεστιν ἀνθρώποις
δοτῆρες ἡμεῖς.

κακά dicuntur *ἐνεῖναι* non *συνεῖναι τοῖς ἀνθρώποις* et quid est *ἅτε?* Rescribe igitur: *ἅττ' ἔνεστιν ἀνθρώποις*.

Verba Eupolidis *ὄρτυγας ἔθρεψας ἤδη πώποτε;* admonent me loci apud Isocratem, ubi Editores margaritam in egregio Codice repertam negligenter abiecerunt. Editur in oratione *πρὸς Νικοκλέα* § 45 *ὅλως γὰρ εἰ θέλοιμεν σκοπεῖν τὰς φύσεις τὰς τῶν ἀνθρώπων εὑρήσομεν τοὺς πολλοὺς αὐτῶν οὔτε τῶν σιτίων χαίροντας τοῖς ὑγιεινοτάτοις οὔτε τῶν ἐπιτηδευμάτων τοῖς καλλίστοις οὔτε τῶν μαθημάτων τοῖς ὠφελιμωτάτοις ἀλλὰ παντάπασιν ἐναντίας τῷ συμφέροντι τὰς ἡδονὰς ἔχοντας*, ubi pro *μαθημάτων* egregius liber Urbinas *θρεμμάτων* solus servavit optimam et verissimam lectionem. Carpit enim orator futilem popularium *ὀρτυγοτροφίαν*, quae iuventutem Atticam et multos etiam aetate grandiores impense oblectabat, ut multorum exemplis notissimum est, vide Plutarch. in Alcibiade cap. 10.

Eupolidis fragmentum in Scholiis ad Aristoph. Pac. vs. 347 corruptum et mutilum affertur, cui videbo an prodesse possim. Vetus et eruditus Criticus ad Aristophanis verba *στιβάδας, ἃς ἔλαχε Φορμίων* haec annotavit: *οἱ τὰ πολεμικὰ ἐξασκησάμενοι ὑπὸ γυμνασίων καὶ πόνων εἰώθασι χαμαικοιτεῖν καὶ Διόνυσος ἐν Ταξιάρχοις παρ' Εὐπόλιδι* (transpone *παρ' Εὐπόλιδι ἐν Ταξιάρχοις*) *μανθάνων παρὰ τῷ Φορμίωνι τοὺς τῶν στρατηγιῶν καὶ πολέμων νόμους φησίν*

ὡς οὐκέτ' ἂν
φύγοιμι . . . στιβάδος ἐξ ὅτου 'φαγον.

Ita haec Meinekius constituit felici emendatione *Διόνυσος* pro *Διονύσιος* reponens. Deus ipse laetitiae dator, sed in Comicorum quidem fabulis *δειλότατος*, fortissimo imperatori in disciplinam se dederat et ipse loquens inducitur. Apparet eum dicere ex quo duris militiae laboribus exercitus fuerit vicisse se naturam et ex imbelli et ignavo fortem ac strenuum factum esse. Excidit autem Phormionis ipsius mentio, apud quem haec didicerat et cuius caussa haec afferuntur, quamobrem locum ita redintegrandum esse censeo, ut scribatur:

ὡς οὐκέτ' ἂν φύγοιμ' ἐγώ,
ἐν Φορμίωνος στιβάδος ἐξ ὅτου 'φαγον.

Φαγεῖν et *γεύσασθαί τινος* iocose dicuntur pro *πειραθῆναι, ὑπομεῖναι, ἀνασχέσθαι* sim. *Ἐν Φορμίωνος* dictum est ut apud

Aristophanem apud Herodian. π. Μ. Λ. p. 8, 35 ἐν Ἀγχομενοῦ et apud Eupolidem Athenaei p. 106. B.

ἅπαξ ποτ' ἐν Φαίακος ἔφαγον καρίδας.

et quod Cratino reddidimus

τρίγλην δ' εἴ τις ἐδηδοκοίη 'ν τένθου τινὸς ἀνδρός,

et Antiphani

φαινίνδα παίζων νῆστις ἐν Φαινεστίου.

et saepe alibi, quod Aristophanis caussa admoneo, cui nuperrime Bergkius invito restituit vitiosam librorum scripturam in Equitibus vs. 400:

εἴ σε μὴ μισῶ γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον,

καὶ διδασκοίμην προσᾴδειν Μορσίμου τραγῳδίαν.

iure enim omnium plausum tulit emendatio ἐν Κρατίνου: praeterea quid sit προσᾴδειν τραγῳδίαν, aut (quod Bergkio in mentem venit) πρὸς ᾄδειν, quum nemo umquam expedire possit suspicor ὑπᾴδειν Μορσίμου τραγῳδίαν a Comico scriptum fuisse. Dicitur enim ὑπᾴδειν ut ὑπαγορεύειν, ὑπογράφειν, ὑπορχεῖσθαι, ὑποθεῖν sim.

Fragmenta duo Eupolidis apud Pollucem VII. 168 et IX. 58, quae Meinekius male conglutinavit, ambo vitium alunt: in verbis enim ἀντὶ ποικίλου πιναρὸν ἔχοντ' ἀλουτίᾳ κάρα τε καὶ τρίβωνα, et ἱματίου aut simile quid desideratur, et κάρα pro κεφαλήν positum est ineptissime, neque quomodo ὁ τρίβων possit ἀλουτίᾳ fieri πιναρός facile quisquam excogitabit. Multo gravius haec depravata sunt et mutilata, (ut multa apud Pollucem) quam ut umquam sanari queant. Quae altero loco leguntur: ὅτ' ἦν μέντοι νεώτερος κρόκης πέντε στατῆρας εἶχε non debebant cum illis coniungi, quia ὁ τρίβων ipse non potest dici νεώτερος olim fuisse, nisi quis forte putabit νέος τρίβων pro καινός recte poni. Τρίβωνα sive τριβώνιον ἔχειν (namque frustra inter τριβώνιον et τρίβωνα aliquid discriminis comminiscuntur) aut τρίβωνα (τριβώνιον) φορεῖν solebant cives inopes et pauperculi, unde Menander dixit:

καὶ συκοφάντης εὐθὺς ὁ τὸ τριβώνιον

ἔχων καλεῖται κἂν ἀδικούμενος τύχῃ,

pro ὁ πένης in Stob. Floril. XCV. 5. Haec Isaei caussa commemoro, ubi pertinaciter haeret vitium in orat. V. § 11. ἐγκαλεῖ αὐτῷ ὅτι ἐμβάδας καὶ τριβώνια φορεῖ, ὥσπερ — οὐκ ἀδικῶν ὅτι ἀφελόμενος αὐτὸν τὰ ὄντα πένητα πεποίηκεν. Nemo enim unus

τριβώνια φορεῖν solebat, neque *pallia:* itaque Oratori redde τρίβωνα φορεῖ. Ad Eupolidem revertens dabis Meinekio in πέντε στατῆρας εἶχε non videri sanum εἶχε: coniecit ἦγε, sed aliquanto probabilius videtur εἷλκε reponendum esse, quod Atticis multo est in tali re usitatius et propius ad librorum scripturam accedit.

In Eupolidis Φίλοις fragm. II. ex Ammonio de D. V. p. 133:

οὐ δεινὰ ταῦτα δὲ Ἀργείας φέρειν | σχιστάς.

compendiolum neglectum absorpsit (ut sexcenties alibi) ἐστί, praeterea φορεῖν ὑποδήματα, ἱμάτια et quidquid ad corporis cultum et ornatum pertinet, non φέρειν, dicebant. Itaque corrigendum:

οὐ δεινὰ ταῦτα δ' ἐστίν; Ἀργείας φορεῖν
σχιστάς.

exprobrat alicui nescio quis cultum nimis elegantem: nempe σχισταὶ πολυτελὲς ὑπόδημα καὶ θρυπτικόν. ταύτας δὲ καὶ λεπτοσχιδεῖς ὠνόμαζον, teste Polluce VII. 85, quem obiter corrige § 89. in verbis ἀπὸ δὲ τῶν χρησαμένων Ἰφικρατίδες, Δεινιάδες, Ἀλκιβιάδες, Σμινδυρίδια, Μυννάκια. Emenda, sodes, Ἀλκιβιαδίδες, Σμινδυρίδεια, Μυννάκεια.

Eiusdem fabulae fragmentum apud Athen. p. 266. F. Χῖος δεσπότην ὠνήσατο non potest his verbis ab ipso Eupolide conceptum esse, quia nemo veterum ἐωνήσατο dixit umquam, multo minus ὠνήσατο, sed constanter omnes, ubicumque verbi ὠνεῖσθαι aoristo esset opus, utebantur forma ἐπριάμην, πρίω, πριαίμην, πρίωμαι, πριάμενος, πρίασθαι (quod in πριᾶσθαι corrumpebant indocti Graeculi, ut supra ostendimus). Coniunctivus in μὴ πρίῃ apud Aristoph. in Nubibus vs. 604:

μὴ πρίῃ, παῖ, δᾷδ', ἐπειδὴ φῶς σεληναίας καλόν.

praeterquam in Ravennate et Veneto flagitiose depravatus est in μὴ πρίε, μὴ πρίου, μὴ πρίω, μὴ πρί', ὦ παῖ. Tanta erat describentium inscitia. Dicebant igitur ὠνοῦμαι, ὠνήσομαι, ἐπριάμην et ἐώνημαι, et passivo sensu ἐώνημαι, ἐωνήθην, ὠνηθήσομαι. Graeculi pro ἐπριάμην coeperunt ἐωνησάμην dicere, analogiam magis quam usum secuti, deinde et ὠνησάμην, quemadmodum in similibus antiquae Graecitatis consuetudinem deserebant et ὠνούμην dicebant pro ἐωνούμην, et οὔρουν, ἐνούρουν et ἠντιβόλουν et ἠντιδίκουν et ἠμφισβήτουν et ἠμφιγνόουν et διῃτώ-

μην et διηκόνουν et similia, quae formae omnes in Antiquorum scripta vitio irrepserunt et sedulo expellendae sunt. Admonent quidem magistri, sed nemo audit, et tam inveteratus est error, ut illis ipsis locis, ubi Grammatici Atticorum usum demonstrant, scribae antiquum obtinentes novitiam formam substituant, quae res est iocularis admodum. Sic Photium faciunt dicentem in v. Ἠνείχετο καὶ ἠνώχλει καὶ ἠκηκόει καὶ ἠντιβόλει: κοινὸν τῶν Ἀττικῶν ἰδίωμα, quum manifestum sit eum de *duplicis* augmenti usu dicere et ἠντεβόλει scripsisse. Etiam absurdius, si fieri potest, peccarunt in Etymologo Magno pag. 112, 52. Disertis verbis Magister annotaverat apud Aristophanem ἠντεβόλησε legi et quamquam ita dixit διὰ τοῦ ε ἠντεβόλησε δύο κλίσεις ὑπέστη, tamen in libris fere omnibus ἀντεβόλησε scriptum est. Grammaticus in Anecd. Oxon. Krameri I. p. 446, 17 quum de forma ἐνεούρησεν annotaret scribae dederunt ἐνούρησεν Ἀττικῶς. Deinde ex Eupolide apponit

ἆρα σφόδρ' ἐνεούρησεν ἐξώλης γέρων,

ubi ἐνεούρησεν Meinekio debetur pro ἀνεούρησεν, praeterea requiro οὑξώλης γέρων. Idem docuit ibid. ἐωνούμην dixisse Veteres et auctore utitur Eupolide in senario:

κρούων γε μὴν αὐτὰς ἐωνούμην ἐγώ.

Nempe id erant aequales docendi, qui ἀνούμην, ἀνησάμην et sim. dicere solebant, deinde ea in Codices importabant. Quum sic satis constet Aristophanem ἠντεβόλησε dixisse consectaneum est in eiusdem loco apud Athen. p. 525. A.

ἔπειθ' ὅσοι παρῆσαν ἐπίσημοι ξένοι
ἐπηκολούθουν κἠντιβόλουν προσκείμενοι,

non sic sed κἠντεβόλουν scribi oportere. Eodem iure ἠντεβόλει reponendum in Acharnensibus vs. 147, et in Equitibus vs. 664 et passim apud Oratores et alios, quibus eadem opera ἠντεδίκουν redde et ἠμφεσβήτουν et ἠμφεγνόουν, caeteraque, quae sequiores refingere diximus, in qua re saepe optimorum librorum praesidio uteris, ut in Demosthene p. 886, 9 et 986, 29 et 1175, 15 Codex S optime ἠμφεσβήτει et ἠμφεσβητήθη servavit. Contrario vitio scribae sexcenties ἀπήλλαυστα pro ἀπέλαυστα dare solent et παρηνόμουν pro παρενόμουν, quem putidum errorem nonnumquam apud Oratores in recentissimis Editionibus video propagari. Ὠνήσατο igitur (ut redeam illuc, unde digressa est

oratio) in Eupolide ferri non potest, neque ita dixisse Comicum diligentius inspectus Athenaei locus demonstrabit. Παροιμία, inquit, Χῖος δεσπότην ὠνήσατο, ᾗ κέχρηται Εὔπολις ἐν Φίλοις, nam alia quavis orationis forma potest Poëta usus esse, quum vetus dictum verbis suis accommodaret.

Quoniam de formis verbi ὠνεῖσθαι diximus eadem opera indicare lubet iuniorum potissimum caussa, quas formas habeat apud Atticos *vendendi* verbum. Nempe quod aiunt πιπράσκω dici pro *vendo* verum non est: neque Iones neque Attici ea forma umquam utuntur sed apud sequiores protrita est. Callimachus igitur quum diceret βοῦν κολλύβου πιπρήσκουσιν (Poll. IX. 72) non veterem auctorem sed popularium usum sequebatur, et sic passim recentiores scribere videbis, quum olim πωλῶ dicerent et nonnumquam (raro admodum) ἀποδίδομαι. Futurum est πωλήσω et ἀποδώσομαι, quorum hoc frequentissimi usus est, illud paulo rarioris. Aoristi una tantum forma est ἀπεδόμην et perfecti una solum πέπρακα. In passivis nemo aliis formis utitur quam πέπραμαι, ἐπράθην et πεπράσομαι, pro qua forma sequiores πραθήσομαι dicebant. Praesentis temporis forma est πωλοῦμαι. Duobis locis apud Platonem πιπρασκόμενος occurrit in Phaedone p. 69. B. et in Sophista p. 224. A. sed non sine gravi corruptelae et interpolationis suspicione. Itaque respondent sibi inter se ὁ πριάμενος καὶ ὁ ἀποδόμενος, πρίω καὶ ἀποδοῦ, ὁ πεπρακὼς καὶ ὁ ἐωνημένος. Nauci non est quod Lysiae imputat Antiatticista p. 95, 25 Ἐωνηκώς: ἀντὶ τοῦ ἐωνημένος. Λυσίας κατὰ Καλλίου ἐνδείξεως, quae est putidissima barbaries. Non minus immanis est soloecismus apud Thucyd. VI. 62. Νικίας παρῆν ἐς τὸ ϛράτευμα καὶ τἀνδράποδα ἀπέδοσαν καὶ ἐγένοντο ἐξ αὐτῶν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τάλαντα. Satis apparet captivos non *redditos* esse sed sub corona *venditos*, quare aut ἀπέδοντο recipiendum a Bekkero commendatum, aut (quod mihi praeplacet) ἀπέδοτο (ὁ Νικίας): qui cum imperio est dici solet talia fecisse. Xenoph. Hell. IV. vi. 6. Ἀγησίλαος διεπώλει τὰ αἰχμάλωτα, et saepe alibi. Quemadmodum igitur nihili sunt formae ἐωνηκώς pro ἐώνημαι et ἀπέδοσαν pro ἀπέδοντο, sic caeteras formas, quas reiicimus, apud veteres non esse usitatas unusquisque inter legendum facili negotio poterit animadvertere. Nusquam comparere videbit ἐπώλησα, πεπώληκα, πεπώ-

λημαι etc. sed ἀπεδόμην ubique legi et πέπρακα et πέπραμαι etc. Ἀποδάσομαι crebro legitur, creberrime ἀποδόσθαι, nonnumquam ἀποδίδομαι, sed nusquam locorum ἀποδέδομαι invenies pro πέπρακα positum, neque pro πέπραμαι. Nusquam ἀπεδόθην significat ἐπράθην, neque ἀποδοθήσομαι ponitur pro πεπράσομαι (πραθήσομαι). In compositis omnibus idem loquendi usus constantissime servatur et ἐκπέπραται v. c. et διεπράθη ad ἐκπωλεῖν referendum et διαπωλεῖν, haud secus atque ἐξεπρίατο, ὑποπρίασθαι sim. ad ἐξωνεῖσθαι, ὑπωνεῖσθαι, etc. sunt referenda. In nominibus derivatis usus Atticorum sic est constitutus, ut πρᾶσις dicatur (ὠνὴ καὶ πρᾶσις est *emtio venditio*), et ἄπρατος, παλίμπρατος, δημιόπρατα etc., sed πωληταί de Magistratibus et πωλητήριον. Privati πρατῆρες dicebantur, πρατήριον Atticum non est.

Ceterum πωλεῖν et ἀποδίδοσθαι non perinde habentur aut possunt ubique inter se permutari, πωλεῖν saepe est *venale habere, proponere, venditare*, etiam si nemo emit: ἀποδίδοσθαι dicitur qui emtorem nactus quum convenit pretium mercem tradit. Itaque ὁ μὲν ἀποδιδόμενος πάντως καὶ πωλεῖ, ὁ δὲ πωλῶν οὐ πάντως καὶ ἀποδίδοται. Hinc fit ut πωλεῖν καὶ ἀποδίδοσθαι coniungantur, ut apud Xenoph. in Symposio VIII. 21. τί μᾶλλον στέρξει τὸν πριάμενον ἢ ὁ ἐν ἀγορᾷ πωλῶν καὶ ἀποδιδόμενος, et in Memorab. II. v. 5. ὅταν τις οἰκέτην πονηρὸν πωλῇ καὶ ἀποδιδῶται τοῦ εὑρόντος, *quando quis servum nequam venditat et* (nactus emtorem) *quovis pretio abiicit.*

Vehementer mihi suspectum est apud Hesychium Ἀποδοθῇ: πραθῇ, quia omnes, quos equidem noverim, πραθῇ dicere solebant et nemo umquam ἀποδοθῇ, ἀποδοθῆναι alio sensu scripsit quam ut responderet aoristo ἀποδοῦναι, non ἀποδόσθαι. Caeterum quam monstrose Hesychiana λέξις depravata sit in hoc notissimo certissimoque verbo aestimari potest. Habet enim: Ἀπέδετο: ἐκδέδωκεν. Ἀπέδοτο: ἀπεπωλήσατο. Ἀπέδοτο: ἐκδέδωκεν. Ἀπέδου: παρέδου. Ἀποδομένου: πωλήσαντος. Ἀπόδοντο: ἀπώλοντο. Ἀποδόσθαι: πιπράσαι. Ἀποδοῦ: ἀπόδυσον. Ἀποδοῦ: ἀποδοῦναι. Ἀποδάσεται: πωλεῖ. Portentosos errores vides, quos unusquisque abstergere posset, si esset operae pretium.

Addo Platonis in Politico locum p. 160. D. qui πωληθέντα pro πραθέντα dixit concinnitatis gratia: πωληθέντα που πρότερον ἔργα ἀλλότρια παραδεχόμενοι δεύτερον πωλοῦσι (quae Pollux affert VII.

10), sequitur autem: ἐπιταχθὲν τἀλλότρια νοήματα παραδεχόμενον δεύτερον ἐπιτάττει, imo vero ἐπιταχθέντ' ἀλλότρια, quod qui primus reperit inconsulto abiecit.

Eupolis in Schol. ad Iliad. B. 333:

οἷόν γέ που 'στὶ γλῶττα κἀνθρώπου λόγος.

neque haec scriptura sana est, neque in Aristoph. Thesm. 21:

οἷόν τέ που 'στὶν αἱ σοφαὶ ξυνουσίαι.

Utrobique repone: οἷόν τί που.

Idem apud Eustath. ad Odyss. p. 1406, 27:

κατ' ἀντιβολίαν δέκα τάλαντ' ἀπετισάμην.

quis ferat ἀποτίσασθαι pro ἀποτῖσαι positum? Emenda: ἀπετίσαμεν.

Idem apud eundem p. 1571, 35:

τῇ χειρὶ νῶσαι μαλθακωτάτην κρόκην.

Male Meinekius νῆσαι. Participium est νῶσαι. Athenienses enim νῆν dicebant (non νεῖν), ut ζῆν, σμῆν, ψῆν, κνῆν, unde apud Grammaticos exstant νῶσι, νῶντα, νώμενος, ἔνη, ἔννη, quae vide apud Dind. ad Steph. Thesaur. Fallit omnes forma νεῖν a librariis pro νῆν posita apud Polluc. VI. 32 ἐφ' οὗ δὲ νήθουσιν ἢ νῶσιν (τὸ γὰρ νήθειν οἱ 'Αττικοὶ νεῖν λέγουσιν) ἐπίνητρον καλεῖται, dubitari non potest quin νῶσιν — νῆν sit rescribendum. Si quis pertinacius repugnat quid Hesychii loco faciet:

Νημερτής: ἀναμαρτής.
Νεῖν: νήθειν.
Νηνεμία: γαλήνη ἀνέμων.

namque hic quidem manifestum est Νῆν restitui oportere. Itaque sic habebimus νεῖν dixisse Atticos pro νήχεσθαι et νῆν pro νήθειν, quemadmodum ψῆν, καταψῆν pro ψήχειν, καταψήχειν, et σμῆν, ἐπισμῆν pro σμήχειν, ἐπισμήχειν, et κνῆν, ἐπικνῆν pro κνήθειν, ἐπικνήθειν, et Eupolidi suum νῶσαι non esse eripiendum.

In Eupolidis fragmento apud Aristot. Eth. Nicom. IV. 6.

τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν καὶ σφόδρα
ψυχρόν. γελᾷς ὁρᾷς τὰ παιδία.

Meinekius Dobraei suspicionem γελῶσιν ὡς ὁρᾷς recepit. Mihi γελῶσι τὰ παιδία non arridet, et γελᾷ requiro, quod ita reposuerim ut legatur: γελᾷ γάρ, ὡς ὁρᾷς, τὰ παιδία.

Eupolidis fragmentum est apud Erotianum p. 348 v. Σελαχίοισι: — μέμνηται τῆς λέξεως καὶ Εὔπολις ἐν Αἰξὶ λέγων· ὡς ἡ ποτὲ αὐτὸν ἦν κάμῃ τις εὐθέως ἐρεῖ πρὸς αὐτὸν πρίω μοι σελάχιον. τί δ' ἦν λύκον κεκράξεται Φρασεῖται πρὸς τὸν αἰπόλον. Quamquam haec pessime habita sunt, ut pleraque in Erotiani Glossario, tamen aliquid extundi potest. Scribendum existimo:

πῶς * * αὐτῶν ἦν κάμῃ τις; B. εὐθέως πρὸς αὐτόν
ἐρεῖ· πρίω μοι σελάχιον. A. τί δ' ἦν (ἴδῃ) λύκον (τις);
B. κεκράξεται Φράσει τε πρὸς τὸν αἰπόλον (δραμοῦσα).

Colloquium in his verbis inesse certum est de caprarum grege, quarum mirifica quaedam sollertia celebratur. Post τί δ' ἦν excidisse ἴδῃ evidens est et nihil aliud quam λύκον ἰδεῖν in hac sententia locum habet. Initium loci restituat alius.

Tradunt veteres magistri Eupolidem dixisse ἐβλάστηκα et ἔγλυμμαι et afferunt duos eius senarios:

ἐκ τῶν ἀγρῶν ἥκουσιν ἐβλαστηκότες —
ὡς οἴχεται μὲν τυρὸς ἐξεγλυμμένος.

Solent ista sic afferri ac si singulari quodam usu unius scriptoris niterentur, et multi ex iis collegerint fortasse ἐξεγλυμμένος dixisse solum Eupolidem, caeteros omnes unanimi consensu γέγλυμμαι dicere solitos: quod et falsum est et absurdum. Sed istud commentum et analogia Graecitatis et scriptorum usus redarguit. Notam pueris analogiam haec exempla confirmabunt: καταγλωττίζομαι habet κατεγλώττισμαι, ex ἀπογλυκαίνομαι formatur ἀπεγλυκασμένος, ex ἀπογλαυκοῦσθαι Alexidis fabula inscribitur ἀπεγλαυκωμένος, haud secus atque ἔγνωκα, ἐγνώρισμαι, κατεβλακευμένος similiaque formantur. Non est enim apud veteres reduplicationi locus ubi vocalis ε positione Attica producta est, et qua de causa ἔγνωκα dicebant eadem ἔγλυμμαι et ἐξέγλυμμαι formabatur. Eupolis igitur non solus sed cum omnibus ita loquebatur, et sequiores demum γέγλυμμαι coeperunt dicere: neque tamen omnes, nam recte διέγλυπται scripsit Androsthenes apud Athen. p. 93. C οὐ διέγλυπται δὲ ἀλλὰ λεῖον τὸ ὄστρακον ἔχει. Sequiores postquam frequenter γέγλυμμαι, διαγέγλυμμαι, ἐγγέγλυμμαι caett. scribere coepissent, factum est ut antiquior forma ad novum usum refingeretur. Cuius rei multa exempla in eodem huius verbi composito ἐγγλύφω Herodotus habet, apud quem vitiose nunc scribitur II. 106 ἐκατέ-

ρωθι δὲ ἀνὴρ ἐγγέγλυπται et 148 ἐν τῇ ζῴα μεγάλα ἐγγέγλυπται et saepius alibi. Suspicor ΕΝΕΓΛΥΠΤΑΙ genuinum esse et probum, librarios ad id quod solebant ipsi dicere subinde delapsos esse.

Quum longo usu γέγλυμμαι invaluisset exstitit aliquis, qui veterem usum demonstrare volens Eupolidis versum apposuit, quum quovis alio auctore uti potuisset.

Phrynichus Athen. p. 474 B.

ἑκατὸν ἂν τῆς ἡμέρας ἔκλαιεν οἴνου κανθάρους.

Absurdum esse ἔκλαιεν nemo negat. Meinekius recepit Letronnii levem correctiunculam ἔκαεν; sed aliud est ὀπτᾶν, opinor, aliud κάειν, et quia haec dicitur fecisse Chaerestratus κεραμεύων οἶκοι σωφρόνως suspicor pro ἔκλαιεν reponendum esse ἔπλαττεν, quod boni κεραμέως artificium est.

Phrynichi fragmentum ἐκ τῶν Σατύρων apud cognominem Grammaticum Epitom. p. 266 Lob. abiicit Meinekius, quoniam »*ex pluribus Aristophanis locis temere conflatum est, ut recte vidit Dindorfius.*" Phrynichus sic scribit cum ridicula gravitate ut solet: Εὐαγγελίζομαί σε: καὶ περὶ ταύτης τῆς συντάξεως διασκεπτόμενος ἐπὶ συχνὸν δήτινα χρόνον εἴτε αἰτιατικῇ συντακτέον αὐτὸ πτώσει, εἴτε δοτικῇ εὑρίσκω κατὰ δοτικὴν ἡρμοσμένον. Hem acutum hominem et optime Graece scientem. Diu et multum quaesivit utrum εὐαγγελίζομαί σε an σοι esset dicendum, quasi ulla possit esse dubitatio, quin εὐαγγελίζομαί σοί τι id est φέρω σοι ἀγγελίαν ἀγαθήν unice verum esset, quod omnium Veterum usus confirmat. Deinde duo exempla affert ex poëtis comoediae antiquae. Alterum Aristophanis: Ἀριστοφάνους μὲν οὕτω λέγοντος ἐν τοῖς Ἱππεῦσιν· (vs. 642)

Εὐαγγελίσασθαι πρῶτος ὑμῖν βούλομαι.

Phrynichi alterum: Φρυνίχου δὲ τοῦ κωμῳδοῦ ἐν τοῖς Σατύροις οὕτως· ὅτι ἡ πρὶν ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς βουλὴν ἔδει καὶ ταῦτ' ἀπαγγείλαντα πάλιν πρὸς τὸν θεὸν ἥκειν, ἐγὼ δ' ἀπέδραν ἐκεῖνον δευριανὸν δεῖ: in quo loco initium vitiosum est et finis, praeterea excidit versiculus ipse in quo esset id, quamobrem locus afferretur. In ὅτι ἡ πρίν quid lateat non exputo. Caetera sic restituerim:

ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς βουλὴν ἔδει
καὶ ταῦτ' ἀπαγγείλαντα πάλιν πρὸς τὸν θεὸν
ἥκειν. ἐγὼ δ' ἀπέδραν ἐκεῖνον δεῦρ', ἵνα

εὐαγγελίσωμαι πρῶτος ὑμῖν τἀγαθά.

quae ex quibus Aristophanis locis temere conflata sint exspecto qui me doceat. Perspicuum est in verbis ἐκεῖνον δευριακὸν δεῖ lacunam esse. Scriptum olim erat δευρια * * * ον δεῖ. Ἵνα scribi solet ἵα, lineola per ι ducta. Quod addit Phrynichus apud Platonem legi εὐαγγελεῖς spectat ad locum in Republ. IV. p. 432 D. εὖ ἀγγέλλεις, ἦ δ' ὅς. Probavit εὐαγγελεῖς Dindorf. ad Steph. Thes. comparans

κακαγγελεῖν μὲν ἴσθι μή θέλοντά με,

apud Demosth. p. 315, 22 et Photium: Εὐαγγελεῖν ὑφ' ἓν λέγουσι καὶ κακαγγελεῖν, sed poëtis haec omnia relinquenda censeo ut et ψευδαγγελεῖν, quo Aristophanes utitur in Avibus vs. 1340

ἔοικεν οὐ ψευδαγγελήσειν ἄγγελος.

quamquam Bergkius quoque ineptum ψευδαγγελὴς εἶν' ἄγγελος servavit. Denique εὐαγγελεῖς, (quod certe idem significat atque εὐαγγελίζει) a Platonis sententia alienum est, quae est: *Bene narras, inquit.* Simillimum est in eadem re καλὰ δὴ πατάγεῖς, quo Plato utitur in Euthydemo pag. 293 D. ubi libri καλὰ δὴ πάντα λέγεις, scholiasta καλὰ δὴ πάντ' ἄγεις: ἀντὶ τοῦ ἀγγέλλεις, ἐπὶ τῶν αἴσια ἀγγελλόντων. Ἀριστοφάνης Γεωργοῖς. Hunc quoque flosculum ex Aristophane Plato decerpsit. Veram lectionem servavit Hesychius ubi stolidus scriba καλάδη πατατεῖς dedit. Emendate Photius, quem Suidas describit, unde viri docti Platonem emendarunt. Bergkius tamen in Aristophanis loco vitiosum καλὰ δὴ πάντ' ἄγεις retinuit.

Percurram nunc Aristophanis reliquias, in quibus paene otium fecit sollers et acuta criticorum industria, sed nemo omnia exhausit aut reperit: superest et nobis aliquid: etiam post venturis aliquid supererit.

Manifestum teneo scribarum mendum in Anecd. Bekk. p. 331, 24 Ἀγοράσαι λέγουσι, τὸ δ' ἀγορᾶν βάρβαρον. παραδειγμάτων δὲ μεστὰ πάντα. Qui haec olim scripsit volebat docere futuri formam ἀγορᾶν barbaram esse: Athenienses dicere ἀγοράσειν et exemplorum omnia plena esse. Affert tamen ex Aristophane ἀγοράσω | Ἁπαξάπανθ' ὅσ' ἂν κελεύῃς. Namque duobus modis in his sequiores peccare solebant: aut contractas Atticorum formas male resolvebant ἐλάσω dicentes, ἐξελάσω, βιβάσω, ἀναβιβάσομαι, ἐκπετάσω, κεράσω, κρεμάσω sim. aut contrahe-

bant inepte eas, in quibus σ non elidebant Athenienses, cuius vitii exemplum est *ἀγορᾶν* pro *ἀγοράσειν* dictum prorsus barbare. Eiusmodi barbarismum in *δανειῶ* pro *δανείσω* videsis apud Photium v. *Δανειῶ*. Ergo certissimum est non *ἀγοράσαι λέγουσι* sed *ἀγοράσειν λέγουσι* scriptum a grammatico olim fuisse. Nihil est in libris tritius quam ut futuris infinitivi aoristi substituantur quamquam plerique omnes Editores nescio quomodo librariis malunt credere quam iudicio uti, unde factum est ut permagna errorum id genus copia per novissimas editiones sit propagata temere reiectis passim criticorum emendationibus futuri temporis formas reponentium, cuius rei multa exempla apud multos iam alibi protulimus, plura etiam aliquando proferemus, ubi ad Historicos et Oratores emendandos accedere dabitur. Nunc paucula tantum e Lysia indicabimus, quae in emendatissimis editionibus probata circumferuntur: XII. § 19 *ἔχοντες — ὅσα οὐδεπώποτε ᾤοντο κτήσασθαι*. XIII. § 6 *νομίζοντες τὰ πράγματα ὡς αὐτοὶ ἠβούλοντο καταστήσασθαι* et § 15 *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι ταῦτα γενέσθαι* et § 47 *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψαι τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι*. Nempe dicebant: *οὐκ ἐπιτρέψομεν ταῦτα γενέσθαι*, non *οὐκ ἐπετρέψαμεν*, ut opinor. Itaque in indirecta oratione dicendum esse apparet: *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψειν*, quemadmodum poterat dici: *ἔφασαν ὅτι οὐκ ἐπιτρέψουσιν*. Rectissime dicitur *ἐκέλευσαν ἀπελθεῖν, ἐδεήθη δοῦναι* et similia omnia, quoniam *ὁ κελεύων* Graece dicit *ἄπελθε* et *ὁ δεόμενος* solet *δός μοι, χάρισαί μοι, σύγγνωθί μοι* dicere. Contra *ὁ ὀμνύς* dicebat *ἐμμενῶ τούτοις* non *ἐμμένω, ὁ ὑπισχνούμενος* non *δίδωμι* dicit sed *δώσω*, unde Antigonus *ὁ Ἐπίτροπος* a populo per iocum *ὁ Δώσων* appellabatur. Conturbant haec omnia Graeculi, sed quid in re certa Graeculorum errores moramur? In oratione funebri, quae in Lysiacas irrepsit, § 21 legitur: *ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς οὐκ ἀγαπῶν τοῖς ὑπάρχουσιν ἀγαθοῖς ἀλλ' ἐλπίζων καὶ τὴν Εὐρώπην δουλώσασθαι ἔστειλε πεντήκοντα μυριάδων στρατιάν*. Non hoc Xerxes in animum induxerat *ὅτι ἐδουλώσατο*, sed *ὅτι δουλώσεται*, ut nihil sit certius quam *δουλώσεσθαι* esse reponendum. In eadem oratione vitium idem et in Aristophanis quodam loco commissum ubi obiter emendavero sponte ad Comici fragmenta revertar. Legitur § 28 *ἐξὸν γὰρ αὐτῷ χιλίαις ναυσὶ διαβιβάσαι κατὰ τὸ στενώτατον τοῦ Ἑλλησπόντου τὴν*

πεζὴν ϛρατιὰν ἐκ τῆς Ἀσίας εἰς τὴν Εὐρώπην οὐκ ἠθέλησεν ἡγούμενος τὴν διατριβὴν α ὐ τ ῷ πολλὴν ἔσεσθαι: corruptum est αὐτῷ, cui quid sit substituendum dicam ubi prius Aristophanis locum adscripsero, in quo plane eadem corruptela inest. Legitur in *Pace* vs. 683.

ἀποςρέφεται τὸν δῆμον ἀχθεσθεῖσ' ὅτι
αὐτῷ πονηρὸν προςάτην ἐπεγράψατο.

vitiosum esse αὐτῷ manifestum est: non fert locutio ἐπιγράφεσθαι προςάτην otiosum pronomen: si quis προςάτην ἐπεγράψατο id eum *sibi* facere non *alteri* satis apparet. Itaque nemo addit: ne Lucianus quidem, cui reddidimus in libello de morte Peregrini LXVIII. § 11 καὶ προςάτην ἐπεγράφοντο· μετὰ γοῦν ἐκεῖνον ἔτι σέβουσι τὸν ἄνθρωπον τὸν ἐν τῇ Παλαιςίνῃ ἀνασκολοπισθέντα, pro scriptura Codicum: καὶ προςάτην ἐπέγραφον· τὸν μέγαν γοῦν ἐκεῖνον κτἑ. Quid igitur? Quod in senarii initio legebatur ΥΤΩΠΟΝΗΡΟΝ male expletum est αὐτῷ πονηρόν, quum debuissent scribere:

ο ὔ τ ω πονηρὸν προςάτην ἐπεγράψατο.

Improbum esse Demagogum dicere non satis erat: valebat iam tum quod apud Menandrum est:

προςάταισι χρώμεθα
ἀεὶ πονηροῖς, κἄν τις ἡμέραν μίαν
χρηςὸς γένηται δέκα πονηρὸς γίγνεται.

sed *tantam* improbitatem hominis, cui respublica committeretur, nondum viderant. Eodem exemplo in funebri oratione corrigendum est: ἡγούμενος τὴν διατριβὴν ο ὔ τ ω (*si sic faceret*) πολλὴν ἔσεσθαι. *ΥΤΩ in αὐτῷ facile abiit, quia ι scribarum arbitrio ubique additur vel demitur, ut nemo nescit. Notissima ea res insperatam lucem afferet fragmento Aristophaneo in scholiis ad Aves vs. 538 ὥ σ π ε ρ κ ε ν ε β ρ ε ί ω ν: τὰ θνησιμαῖα κρέα οὕτως ἐκάλουν·

οὐκ ἔσθ' ᾧ κενέβρειον ὅταν θύσῃ.

Erotianus p. 204. Κενέβρεια: τὰ νεκριμαῖα κρέα οὕτω καλοῦνται, ὡς καὶ Ἀριςοφάνης·

οὐκ ἔσθ' ὃ κενέβρειον ὅταν θύῃς τι καλεῖ με.

Legitur ἔσθ' ᾧ in optimis libris: ἔςαι nescio cuius temeraria correctiuncula in Aldinam irrepsit, quod arripuit Dindorfius, probavit Bergkius, qui edidit:

οὐκ ἔςαι, κενέβρειον ὅταν θύσῃς τι, καλεῖν με.

Risum movet *κενέβρειον θύειν*: eiusdemmodi est quod apud Hieroclem *σχολαςικός*, lepidum caput, coquum iubet: *ἐωλόν μοι ὄρνιν ἀπόσφαξον.* Natum est *ἔσθ' ᾧ* ex ΕΣΘΩ, quod sanissimum esse intelliges si mecum rescripseris:

οὐκ ἔσθω κενέβρειον, ὅταν θύσῃς τι κάλει με.

Nihil offensionis habet forma antiquior *ἔσθω* pro *ἐσθίω* posita in dactylico versu, qui aut e vetere poëta sumtus est, aut (ut plerique hexametri in Comoedia) ad carminis Epici exemplum adumbratus. Sed ne in senariis quidem Comici priscis formis *ἔσθω* et *ἔδω* abstinebant. Alcaeus Athen. p. 316 C.

ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὥσπερ πουλύπους.

et Philippides Athen. p. 230. A.

ὅταν ἀπορουμένους μὲν ἀνθρώπους ἴδω
ἐλευθέρους, μαςιγίας δ' ἐπ' ἀργυροῦ
πίνακος ἄγοντος μνᾶν τάριχον ἐνίοτε
δυοῖν ὀβολοῖν ἔσθοντας ἢ τριωβόλου.

Caeterum quod Aristophani restituimus *οὐκ ἔσθω κενέβρειον* per se ipsum tam appositum est et evidens, ut verbum amplius addere non sit opus.

Bene constituerunt docti homines facetum Aristophanis senarium apud Pollucem VI. 31.

τὸν Πειραιᾶ δὲ μὴ κεναγγίαν ἄγειν,

quod dictum est ut *ἑορτὴν ἄγειν*, et quemadmodum rusticus ille apud Theophrastum rogitat in Charact. cap. IV *εἰ σήμερον ὁ ἀγὼν νουμηνίαν ἄγει*, et *ἀπαςίαν ἄγειν* in Nubibus vs. 621. In codd. est *τὸν πειραιέα* errore tam pervulgato quam manifesto, et tamen praeter poëtas omnes omnium editiones obsidet. Nihil potest esse certius quam quidquid in *-αιεύς*, *-ιεύς* et *-οεύς* exeat perpetuo in casibus obliquis contrahi solere. Passim id veteres magistri inculcant sed praevalet futilis auctoritas librorum, in quibus regnat vitiosa sequiorum *συνήθεια*. Testis est Apollonius *περὶ ἀντωνυμ.* p. 126 B. *Ἀττικοὶ Εὐβοᾶς φασί.* Editur tamen *Εὐβοέας* apud omnes. Suidas v. *Ἀτρέα* ex nescio quo descripsit: (*Ἀττικοὶ*) *τὰς ἀπὸ τῶν εἰς -εύς αἰτιατικὰς καθαρὰς συναιροῦσι χοᾶ, Μηλιᾶ, Σουνιᾶ.* Similia multi alii admonent, quibus nemo auscultat. Apud omnes saepe leges *Μηλιέας*, *Πλαταιέας*, *Θεσπιέας*, *Ἑςιαιέας*,

Ἡρκιέας, Δωριέας sim. aut Παιανιέα, Λευκονοέα, Αἰγιλιέα, Στειριέα aut Αἰγιλιέως, Στειριέως, Κηφισιέως, Ἐρχιέως, Μηλιέως aliaque permulta, quae numquam Veteribus in usu fuerunt neque umquam in antiquis libris scripta fuisse vetusta quaedam vitia demonstrant. In Thucydidis libris I. 107 antiquum mendum ἐς δωριὰς intactum servavit Δωριᾶς, quod verum est. Nihil aliud sibi vult Hesychii glossa, quae mirifice doctis imposuit: Δωριάς: δωριάς. Emenda Δωριᾶς: Δωριέας et ad hunc ipsum Thucydidis locum scito esse referendum. Permultas λέξεις Thucydideas in suam farraginem Hesychius recepit, qui simillima habet et alibi, quale est Χασιᾶ: τὸν ἀπὸ δήμου et Αἰγιλᾶς: (Cod. apud Schow.) ἀντὶ τοῦ Αἰγιαλέως. Ἀττικῶς. Lege: Αἰγιλιᾶς: ἀντὶ τοῦ Αἰγιλιέως. Hinc Αἰγιλιᾶς redde Demostheni et aliis. Στειριᾶς Atticos dicere testis est Steph. Byzant. v. Στειρία, sed vitiose tamen apud Lysiam editur XVI. 15 πολλῶν ἐνθανόντων ὕστερον ἀνεχώρησα τοῦ σεμνοῦ Στειριέως τοῦ πᾶσιν ἀνθρώποις δειλίαν ὠνειδικότος, ubi genuinum est Στειριῶς et ὕστερος pro ὕστερον. Eodem iure in Lysiae orat. XXIII rescribendum ubique est Πλαταιᾶ, Πλαταιῶν, Πλαταιᾶς et eodem modo si quid huiusmodi in caeteris scriptoribus Atticis est depravatum.

Quam multae Thucydideae λέξεις sine auctoris nomine in Hesychianis copiis dispersae sint nemo ignorat qui in Thucydide diu versatus Hesychium evolvit. Quis punctum temporis poterit dubitare quin Hesychii glossa: Ἐξεδιήτει: τὸ ἔξω τῆς νομίμου διαίτης ἐγεγόνει. in hunc modum sit emendanda: Ἐξεδεδιήτητο: ἔξω τῆς νομίμου διαίτης ἐγεγόνει, et sumta ex Thucydide I. 75 εἴ τί που ἐξεδεδιήτητο τῶν καθεστώτων νομίμων. Res manifesta est. Saepius ex Hesychio vera scriptura Thucydidi reddi potest, cuius rei nunc quidem uno exemplo defungar. Editur apud Thucydidem I. 77 ἐλασσούμενοι γὰρ ἐν ταῖς ξυμβολαίαις πρὸς τοὺς ξυμμάχους δίκαις, quamquam facile apparet δίκας ξυμβολαίας non bene Graece appellari τὰς κατὰ ξύμβολα δίκας vel τὰς ἀπὸ ξυμβόλων, quas dici manifestum est. Nempe συμβολαῖος adiectivum est quod respuit Graecitatis et ratio et usus. Ἐμβόλιμος Graecum est et ἐκβόλιμος et ὑποβολιμαῖος: ἐμβολαῖος etc. Graeca non sunt. Quid multa? Servavit Historici manum solus Hesychius v. Ξυμβο-

λιμαίας δίκας: *Ἀττικοὶ τὰς κατὰ συμβόλαια*, ubi nemo dubitabit emendare *τὰς κατὰ σύμβολα*, collato Harpocrat. v. *Σύμβολα* et multis Oratorum locis, neque quisquam, ut opinor, repugnabit si Thucydidi suum reddetur: *ἐν ταῖς ξυμβολιμαίαις πρὸς τοὺς ξυμμάχους δίκαις*. Non tamen heri aut nudius tertius natus error est, qui nostros codices omnes obsidet: apud ipsum Hesychium depravata scriptura conspicitur v. *Συμβολαίας δίκας*: *τὰς κατὰ συμβολαῖον* (*σύμβολα*): qui locus non emendandus sed cum contemtu abiiciendus est, quemadmodum sexcenties apud Hesychium eadem glossa alibi integra et incorrupta legitur, alibi vitiosa et depravata. Servavit, ut hoc utar, intactum Thucydideum: *Διοκωχή*: *διάςασις χρόνου τινός*, servavit *συνοκωχότε* apud Homerum, servavit *κατοκωχή* et *μετοκωχή*. Servavit *ἀνοκωχή* quoque, sed ita ut alio loco vitiosam formam *Ἀνακωχή* suo praesidio muniverit. Non est dubitatio ulla quin Thucydidi ubique *ἀνοκωχή* et *διοκωχή* sint restituenda, quidquid adversari videntur indocti Graeculi, qui pertinaciter *α* pro *ο* ubique substituunt, adeo ut apud Hesychium quoque contra litterarum seriem scripserint:

Διοίσουσι: *διαφέρουσι* (quae bellissima interpretatio est.)
Διακωχή: *διάςασις χρόνου τινός*.
Δι' ὀλίγου: *ἀντὶ τοῦ μετ' ὀλίγον*.

sed neminem fallent amplius, qui auream Valckenaerii annotationem perpenderit ad Ammonium pag. 23 sqq. et Piersoni ad Moeridem pag. 220. qui nondum legerant Grammaticum in Anecd. Bekk. pag. 406, 19 *Ἀνοκωχήν*: *διὰ τοῦ ο τὴν ἀνοχὴν λέγουσι. πολὺ δέ ἐςι παρὰ Θουκυδίδῃ*. Subridentes igitur legimus apud Photium:

Παροκλάζων: *γονατίζων*.
Παροκωχή: *παροχὴ παρὰ Θουκυδίδῃ ὡς ἡ ἀνακωχὴ καὶ διακωχή*.

neque feremus amplius apud Thucyd. VI. 85 *νεῶν παροχῇ* pro *παροκωχῇ* a Graeculis male sedulis correctum. *Συνοκωχή* feliciter Correctorum manus evasit apud Hippocratem et Erotianum et Hesychium v. *Συνοκωχότε*: *ἐπισυμπεπτωκότες* (lege -*ότε*). *συνοκωχὴ γὰρ ἡ σύμπτωσις*, unde Valckenaerius dudum emendavit Homeri locum Iliad. B. 218.

Φολκὸς ἔην, χωλὸς δ᾽ ἕτερον πόδα, τὼ δέ οἱ ὤμω κυρτώ, ἐπὶ ςῆθος συνοκωχότε.

quamquam et Bekkerus et Dindorfius in nuperrima Editione vitiosam scripturam *συνοχωκότε* male servarunt. *Κατοκωχή* aetatem tulit apud Platonem duobus locis: in Phaedro pag. 245 A. *τρίτη δὲ ἀπὸ Μουσῶν κατοκωχή τε καὶ μανία*, ubi in plerisque libris est manifesta interpolatio *κατοχή*, et in Ione p. 536 C. *θείᾳ μοίρᾳ καὶ κατοκωχῇ*, quamquam tralaticium vitium *κατακωχῇ* in longe plurimis apparet. Natum hinc *κατοκώχιμος* in summo ubique periculo est ne aut in *κατακώχιμος* abeat aut alio quo vitio depravetur. Hesychius *Κατοκωχή*: *κατοχή*, et *Κατοκώχημα*: *κάτοχον*, *ἐχυρόν*, ubi rescribendum: *Κατοκώχιμον*: *κατόχιμον*, *ἐνέχυρον*, idque perite Isaeo restituit Dobraeus in Advers. I. p. 288 et Dindorfius ad Steph. Thes. *διεκώλυε τὸ χωρίον πραθῆναι, ἵνα κατοκώχιμον γένηται* pro *κατόχιμον*. Facile his vincam *κατακώχιμα* apud Moeridem ex eodem errore manasse et sicubi alibi apud Veteres ea forma legitur certa emendatione esse utendum et *ἀνακωχή* (unde initium duximus) non minus depravatum esse quam *παρακωχή* aut *διακωχή*. Nulla umquam Grammaticorum auctoritate effici poterit ut inter *ἀνακωχή* et *ἀνοκωχή* aliud discrimen esse credamus nisi quod hoc probum et genuinum est, illud ex Graeculorum inscitia profectum et *τοῦ πονηροῦ κόμματος*. Contemnendum igitur censeo Ammonium sic scribentem: *Ἀνακωχή καὶ ἀνοκωχή διαφέρει. Ἀνακωχή μὲν γάρ ἐςιν ἡ ἐπὶ τῶν νεῶν ἀναχώρησις, ἡ δὲ διὰ τοῦ ο ἀνοκωχή ἀνοχὴ μικρὰ πολέμου.* Nae multum falluntur qui librum *περὶ διαφόρων λέξεων* ab antiquo et docto Grammatico conscriptum esse opinantur. Tam multa continet et levissima et falsissima ut sequioris aetatis farraginem esse undecumque collectam facile demonstrari possit, quod lubenter alias faciam. Una atque eadem est *ἀνοκωχὴ ἤτοι τοῦ πολέμου ἀντὶ τοῦ ἐκεχειρία ἢ νεῶν ἐπ᾽ ἀγκύρας ἀποσαλευουσῶν.* Nihil igitur ne Hesychio quidem credendum, ubi veluti ex antiquis *λέξεσιν* expromit: *Ἀνακωχεῖν*, *Ἀνακωχεύειν*, *Ἀνακωχή*, *Ἀνακωχῆς* et *Ἀνακωχήσαντες*, namque *ἀνακωχεῖν* nihili vocabulum est, *ἀνακωχεύειν* ex *ἀνοκωχεύειν* depravatum, cuius simplex forma apud ipsum Hesychium exstat: *Ὀκωχεύειν*: *ἔχειν*, *συνέχειν*: itaque *ἀνέχειν* veteribus *ἀνοκωχεύειν* dicebatur, quae

forma et Herodoto saepius reddenda et Sophocli in Electra vs. 722 ἔξω παρασπᾷ κἀνοκωχεύει pro κἀνακωχεύει, et sicubi apud Veteres et probatos scriptores occurrit. Sequioribus quominus vitiosum ἀνακωχεύειν relinquatur nihil caussae est, ut qui »*linguae suae rationem saepe minus perspectam habuerunt*" ut rectissime iudicat Pierson. ad Moerid. p. 221. Neque quemquam Grammaticorum auctoritas commovere debet pravas et absurdas scripturas utcumque interpretantium, quale est in Bekkeri Anecd. I. 391, 11. Ἀνακωχῆς: ἀναπαύσεως, ἐνδόσεως, τῆς πρὸς μικρὸν ἐν πολέμῳ εἰρήνης. ἀνακωχὴ δὲ εἴρηται παρὰ τὸ ἄνω τὰς ἀκωκὰς ἔχειν, ubi et etymologiam absurdam vides et scripturam. Eiusdem igitur farinae est quod praecepit: Ἀνακωχεύειν: τὸ ἐν πελάγει χειμῶνος ὄντος ςήσαντας (lege ςείλαντας) τὰ ὀθόνια σαλεύειν, quod nihilo sanius est quam quod in vicinia apparet Ἀναίδην: ἀθρόως, σφοδρῶς, quum pueri sciant ἀνέδην ex ἀνιέναι natum scribi oportere, neque Ἀνόκαιον p. 405, 32 apud Xenophontem significat τὸ ὑπερῷον οἴκημα sed ἀνώγαιον, Anabas. V. 4. 29 κάρυα ἐπὶ τῶν ἀνωγαίων ἦν πολλά, quamquam ne hoc quidem genuinum esse suspicor sed ἐπὶ τῶν ἀνώγεων, ut Athenienses omnes dicere assolent. Non minus foedi errores ab ipso commissi (ut litterarum series arguit) apparent 370, 30 Ἀκάλλειν: ἰδίως τὸ τῇ οὐρᾷ σαίνειν, imo vero αἰκάλλειν. 376, 1 Ἀλέοιμι: ἀντὶ τοῦ θερμαίνοιμι: debebat Ἀλεαίνοιμι — θερμαινοίμην scribere ex Aristoph. Eccles. vs. 540. p. 381, 11 Ἀλωπόχρους: ὁ πολιός pro Ἀλφιτόχρους. p. 389, 9 Ἀμφιματῶσαι: ἀποδῦσαι pro ἀφιματῶσαι. p. 396, 25 Ἀνείληπτος pro ἀνήλιπτος. p. 398, 25 Ἀνεσίμου pro Ionico ἀναισίμου. p. 412, 6 Ἀνώνητον: ἀνωφελές pro ἀνόνητον. p. 414, 29 Ἀπάλλεις: ἀποπέμπεις pro ἀπιάλλεις. p. 440, 11 Ἀποψάς: ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς ὑποκόρισμα pro ἄπφα et, ut aliquando finem faciam, p. 448, 28 Ἀρύει: βοηθεῖ, apage istud ἀρύει oscitanter scriptum pro ἀρήγει. I nunc et isto teste in re dubia utere, aut crede librariis, qui multis partibus sunt etiam negligentiores et indoctiores.

Non prius Hesychium deponam de manibus quam correctionem loci Demosthenis nuper a me propositam novo Hesychii emendati praesidio munivero. Editur apud Hesychium:

Συμπλευσάντων: ὁμονοησάντων.

Συμπνευσμός: ὁμόνοια.

Quum aliud sit συμπλεῖν aliud ὁμονοεῖν nullo negotio viri docti veram lectionem repererunt, quae est συμπνευσάντων, sed unde glossa sumta esset nemo poterat reperire, quia olim in depravata scriptura latebat apud Demosthenem de corona pag. 284. ὡς οὐδ' ἂν εἴ τι γένοιτο ἔτι συμπνευσόντων ἂν ἡμῶν καὶ τῶν Θηβαίων, quod quamquam prorsus esset barbarum tamen nescio quomodo criticorum acumen adhuc effugerat.

Quod fertur dixisse Aristophanes in Bekkeri Anecd. p. 427, 5 ἀποβροχθίσαι pro καταπίνειν fieri non potest ut verum sit. Dixit καταβροχθίσαι, ut et alii passim et ipse alibi loquitur. 'Αποβροχθίσαι tam vitiosum est ac si quis ἀποπίνειν vellet pro καταπίνειν dicere.

Repetenda syllaba est in Aristophanis senario apud Athen. p. 422. E.

ἤδη παροινεῖς ἐμὲ πρὶν δεδειπνάναι.

scriba dare voluerat παροινεῖς εἰς ἐμέ, poëta dederat παροινεῖς ἐς ἐμέ.

Aristophanis fragmentum apud Athen. p. 1561. Ed. Dind. et scribarum socordia pessime depravatum est et eorum, qui difficilem lectu locum male legerunt. Bergkius haec affert: προειπὼν λυχνοῦχον οἴμοι κακοδαίμων φησὶν λυχνοῦχος ἡμῖν οἴχεται εἶτ' ἐπιφέρει καὶ πῶς επιρραςας τὸν λυχνοῦχον οἴχεται εἶτ' ἐπιφέρει καὶ ἔλαθες. ἐν δὲ τοῖς. Unum tantum recte vidit Bergkius, male repetita esse vocabula:

οἴχεται εἶτ' ἐπιφέρει καὶ.

In ipso Codice non sine aerumnis tandem vidi sic esse scriptum: καὶ πῶς ὑπερβὰς τὸν λυχνοῦχον, unde haec emergit manus poëtae: προειπὼν λύχνον·

Οἴμοι κακοδαίμων (φησὶν), ὁ λύχνος ἡμῖν οἴχεται.

εἶτ' ἐπιφέρει·

καὶ πῶς ὑπερβὰς τὸν λυχνοῦχον ἔλαθέ σε;

manifestum est enim in ἔλαθες· ἐν δὲ τοῖς nihil aliud latere. Praeterea ex hoc quoque scribae dormitantis errore colligitur eum describere vetustum codicem in versiculos breviores sic divisum ut scriptum esset:

ΔΑΙΜΩΝΦΗΣΙΝΛΥΧΝΟΥΧΟΣΗΜΙΝ
ΟΙΧΕΤΑΙΕΙΤΕΠΙΦΕΡΕΙΚΑΙ

ΠΩΣΤΠΕΡΒΑΣΤΟΝΑΤΧΝΟΤΧΟΝ
ΕΛΑΘΕΣΕΕΝΔΕΤΟΙΣΕΞΗΣ

librarius quum tertium versum descripsisset alias res agens secundum iterum descripsit et sic quartum subiecit.

In Aristophanis fragm. apud Stob. Floril. LVI. 1 Γεωργία dicitur:

τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποισιν Εἰρήνης φίλης
πιστὴ τροφός, ταμία, συνεργός, ἐπίτροπος,

recte quidem et vere modo scripseris:

τῆς πᾶσιν ἀνθρώποισιν Εἰρήνης φίλης.

Dubitatur in Aristophanis senario apud Schol. ad Nub. 699 et Suidam v. Τήμερος

ἰὼ Λακεδαίμων, τί ἄρα πείσει τήμερα;

utrum sic an *Λακεδαῖμον* sit scribendum. Dirimet hanc controversiam emendatus locus Photii, ubi editur: *Λακεδαιμῶν: τὴν κλητικὴν περισπῶσιν. οὕτως Ἀριστοφάνης*, edendum est: *Λακεδαῖμον: τὴν κλητικὴν προπερισπῶσιν.*

Mirificum Aristophanis fragmentum Macrobius affert Saturn. V. 18 *ἤμουν ἄγριον βάρος. ἤτειρεν γάρ τοι μ' οἶνος οὐ μιγεὶς πόμ' Ἀχελῴῳ*, unde Bergkius infelicissimos senarios exsculpsit. Habemus ipsius Macrobii interpretationem hanc: *Gravabar vino, cui aqua non fuisset admixta*, quae Latina Graecis non respondent, et repugnant plane Bergkianis

ἤγειρε γάρτοι μ' οἶνος οὐ μιγεὶς ποτῷ
Ἀχελωίῳ.

contraria prorsus sunt *gravabar vino* et *ἤγειρέ μ' οἶνος*, ut vides. Hoc unum expedire possum: in scriptura ΗΓΕΙΡΕΝ latet *ἔτειρεν*, quod verbum ab huius loci ratione non est alienum et legitur apud Aristophanem et alibi, quem locum proferam ut obiter veteri mendo liberem. Legitur in Lysistrata vs. 959

ἐν δεινῷ γ', ὦ δύστηνε, κακῷ
τείρει ψυχὴν ἐξαπατηθείς.

sed vitiose abundat praepositio in verbis *ἐν δεινῷ κακῷ τείρει.* Omnes dicebant *τείρεσθαι κακοῖς, ὀδύναις, λύπαις*, sim. Emenda igitur: *ἦ δεινῷ γ', ὦ δύστηνε, κακῷ τείρει ψυχήν*, quod dictum est eodem modo atque vs. 1031

ἦ μέγ', ὦ Ζεῦ, χρῆμ' ἰδεῖν τῆς ἐμπίδος ἔνεστί σοι.

et in Eupolidis fragmento in Orionis Anthol. p. 54

ἢ πολλά γ' ἐν μακρῷ χρόνῳ γίγνεται.

Restituenda videtur ea vocula Demostheni p. 84 ἢ σφόδρα γε βούλεται τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους εἶναι, et pag. 1517 ἢ πολλοῦ γ' ἔδεόν τινας ἐγκαταλιπεῖν τῶν μὴ Ἀθηναίων, et apud Lysiam XXXI. 38 οὐκ ἂν ἄρα ἐτέθη. σφόδρα γ' ἂν repetita vocali scribendum: ἢ σφόδρα γ' ἄν.

Caetera in Aristophanis loco non expedio: neque μιγείς pro κραθείς et πόμα pro πῶμα positum neque Ἀχελώϊος pro Ἀχελῷος recte habent et est ulcus insanabile, ut nimis multa in Comoediae Antiquae reliquiis.

Nondum perfecta emendatio est loci Aristophanei apud Plotium et Suidam v. πρόδικον δίκην.

ἐγὼ γάρ, εἴ τι σ' ἠδίκηκ', ἐθέλω δίκην
δοῦναι πρόδικον ἐν τῶν φίλων τῶν σῶν ἐνί.

recte Porsonus correxit librorum scripturas εἴ τις ἢ δίκη θέλω et εἴ τις ἠδίκηκε θέλω, sed minus feliciter e vestigiis antiquae lectionis ἐνὶ τῶν φίλων τῶν σῶν vel ἐν τῶν φίλων τῶν σῶν ἔνι elicuit id quod vides. Intelligi enim non potest quid sit ἐν ἑνὶ τῶν φίλων τῶν σῶν ἐθέλω δοῦναι δίκην, namque prorsus sensu vacuum est ἔν τινι δοῦναι δίκην. Requiro praepositionem ἐπί, quae poni solet de eo, apud quem causa agitur, sive is iudex est vel arbiter, sive Rex vel magistratus, apud quem quaeritur iudiciumque exercetur. Trita sunt ἐπὶ τοῦ διαιτητοῦ, ἐπὶ τῶν διαιτητῶν, ἐπὶ τῶν δικαςῶν similiaque multa, ut ἐπὶ τοῦ Φιλίππου δικάζεσθαι, quae omnibus nota sunt. Itaque Aristophani reddendum censeo ἐπὶ τῶν φίλων τῶν σῶν τινός. Per hanc occasionem gravi errore absolvam Plutarchum in Ciceronis vita cap. IX. ubi editur: λέγεται δὲ καὶ Λικίνιος Μάκερ κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι. Absurdum est κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ, quasi vero Licinius Macer *a Cicerone praetore* de repetundis fuerit accusatus. Satis constat Licinium *apud Ciceronem praetorem*, qui de repetundis quaerebat, accusatum damnatumque esse, vide Valerium Maximum IX. XII. 7. Itaque emendandum est κρινόμενος κλοπῆς ἐπ' αὐτοῦ: Plutarchum enim praepositione ἐπί eo sensu passim videbis utentem, ut in Caesaris vita cap. IV. ὁ Καῖσαρ συνηγόρευσεν αὐτῇ Πόπλιον Ἀντώνιον διωκούσῃ δωροδοκίας ἐπὶ Λευ-

κούλλου. Caeterum quae fuerit Ciceronis in reum Macrum aequitas, de qua ipse ad Atticum scribit I. 4. 2, ex Plutarcho negligenter admodum scribente cognosci non potest, luculenter ostendet Valerius Maximus l. l.

Turpissimum vitium commissum a scribis est in verbis Aristophanis apud Pollucem X. 93 ἐν δὲ Ταγηνιςαῖς ὠνόμαςαί τι καὶ μελιτήριον ἄγγος. Eodem modo peccatum apud Antiphanem Pollucis X. 179.

ἀγγεῖον ἀλφιτήριον κόϊξ.

sic enim Meinekius scripturam librorum ἀγγεῖον ἀλφιτήριον ὁ κόϊξ ἐςίν in iambos coegit, non facturus si animadvertisset quam vitiosa forma esset ἀλφιτήριος, quam haud secus atque μελιτήριος respuit Graecitas. Graeca sunt οἰνηρός, ut apud Cratinum Athen. p. 494. c.

οὐδ' ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἔτι κεκτήσεται.

et Alexidem Athen. p. 441. d. καὶ Ζωπύρα | οἰνηρὸν ἀγγεῖον. Σιτηρός: Photius Σιπύα: σιτηρὸν ἀγγεῖον. Μυρηρός: Aristophanes Poll. X. 119 τῆς μυρηρᾶς ληκύθου, et in noto fragmento Sophoclis:

χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Ἀνθρακηρός: Alexis Poll. X. 111.

Ἀριςογείτονα
τὸν ῥήτορ' εἶδον λάρκον ἠμφιεσμένον
τῶν ἀνθρακηρῶν.

Eiusdem analogiae sunt ὀξηρός, γαρηρός, μαζηρός, ἐλαιηρός, ἰχθυηρός, alia non pauca, ut dubitari nullo pacto possit quin scripserit Aristophanes μελιτηρόν, Alexis ἀλφιτηρόν. Reddi eadem opera ἀλφιτηρόν Theophrasto poterit, qui in Characteribus cap. XVI. τὸν δεισιδαίμονα describens vulgo scripsisse putatur: καὶ ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾶν τί χρὴ ποιεῖν, ubi in eximio Codice Palatino scriptum esse vidi: θύλακον ἀλφίτην litteris την praecedenti vocali suprascriptis. Repone θύλακον ἀλφιτηρόν: praeterea διαφάγῃ corruptum est quum διατράγῃ Theophrastus dedisset. Fidem faciat Comicus incertus apud Clementem Alexandr. Strom. VII. p. 842.

Ἂν μῦς διορύξῃ βωμὸν ὄντα πήλινον,
κἂν μηδὲν ἄλλ' ἔχων διατράγῃ θύλακον,

ἀλεκτρυὼν τρεφόμενος ἂν ἐφ' ἑσπέρας
ᾄσῃ, τιθέμενοι τοῦτο σημεῖόν τινες,

ubi verum esse suspicor: *τιθέμεθα τοῦτο σημεῖόν τινος, portendere hoc* aliquid *credimus.* Bion Borysthenita apud eundem: *τί δὲ καὶ θαυμαστὸν εἰ ὁ μῦς τὸν θύλακον διέτραγεν οὐχ εὑρὼν ὅ τι φάγῃ. Διατρώγειν* haec mures solent, non *διεσθίειν*, sed saepe vidi *διατραγεῖν* et *διαφαγεῖν* inter se permutari, quoniam in veterum Codicum scriptura *φ* et *τρ* simillimo ductu exarantur. Manifesta res est in Dione Cassio LXXII. 21. *φύλλα δάφνης αὐτός τε διέφαγον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς πλησίον μου καθημένους διατραγεῖν ἔπεισα*, nam quis dubitabit quin *διέτραγον* recte sit emendatum. Idem vitium *ὁδοῦ πάρεργον* bis ex Plutarcho eximi poterit: in Marcello cap. XXVIII. *ἀλλὰ πολλὰ σημεῖα ἐτάραττον αὐτὸν καὶ μύες τὸν ἐν Διὸς χρυσὸν διαφαγόντες. Mures in aede Iovis aurum rosisse* scribit Livius XXVII. 23, emenda autem *διατραγόντες*, et in Sylla cap. VII. *μυῶν ἐν ἱερῷ χρυσὸν ἀνακείμενον διαφαγόντων*, imo *διατραγόντων.* Obsequens cap. 79. *Frusinone aurum sacrum mures adroserunt.* Sic igitur apud Theophrastum *μῦς οὐδὲν ἄλλ' ἔχων, οὐχ εὑρὼν ὅ τι φάγῃ, rosisse* dicitur non *θύλακον ἀλφίτων* (*μεστόν*) sed *θύλακον ἀλφιτηρὸν* (*κενόν*). De ipsa forma *ἀλφιτηρός* non *ἀλφιτήριος* neminem dubitaturum esse arbitror.

In Aristophanis loco apud Poll. VII. 13 legerim:

κράτιστον ἡμῖν εἰς τὸ Θησεῖον δραμεῖν,
ἐκεῖ δ' ἕως ἂν πρᾶσιν εὕρωμεν μένειν.

quod editur *ἐμοὶ* | *κράτιστόν ἐστιν* non satis bene convenit cum *πρᾶσιν εὕρωμεν.* Deliberant inter se servuli de fuga capessenda.

Satis alibi demonstravimus non *κέχρισμαι* et *χρίσμα* dixisse Veteres, ut *πέπρισμαι* et *πρίσμα*, quamquam et *πρίω* priorem producit, sed *κέχριμαι* et *χρῖμα*, ut *κεκόνιμαι* et *μήνιμα.* Deprehenditur igitur fraus Graeculorum in verbis:

ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα,

quae ex Aristophane affert Dio Chrysostomus II. p. 273. Dioni ita licebat dicere, *κεχριμένου* dixit Aristophanes, ut Magnes dixerat apud Athen. p. 690. c.

λούσαντα δεῖ καὶ βακκάριδι κεχριμένον.

et Eubulus Athen. p. 557. f.

οὐδ' ὥσπερ ὑμεῖς συκαμίνῳ τὰς γνάθους
κεχριμέναι.

et ipse Aristophanes in Stob. Floril. CXXI. 18, cui reddidimus:

προὐκείμεθ', οὐδὲ βακκάρει κεχριμένοι,

ubi librorum scriptura *κατακεκριμένοι* manifesta servat formae antiquae vestigia, quae veteribus ubique restituenda est.

Vitium ultro invexit Bergkius in Aristophanis versiculum apud Eustathium p. 1442, 4.

ἔφευγε κἀγὼ τῇσδ' ὑπαντὰξ εἰχόμην.

quod si in omnibus libris esset certa correctione reponi potuisset *τῆς ὑπαντάξ*, quod habent omnes. Comparari debebat incerti comici locus apud Etymol. p. 365, 25.

ὅςις τῆς ὁδοῦ
ἡγήσεταί σοι τὴν ἐπιτάξ,

cui et ipsi *τὴν ὑπαντάξ* censeo esse reddendum: *ἡ ὑπαντὰξ* (*ὁδός*) quo sensu dicatur perspicuum est, *ἡ ἐπιτὰξ* de via dictum quid sit exputare non valeo. Nihil autem tritius est quam *ὁδόν* in talibus omittere, cuius rei exempla afferre putidum est. Afferam potius locum, ubi male seduli lectores *ὁδόν* de suo addiderint. Creditur dixisse Lysias in orat. III. § 35. *ἐγὼ δὲ ἑτέραν ἀπελθὼν ὁδὸν ᾠχόμην*: quicumque sentiet quam importuno loco *ὁδόν* sit interpositum facile sentiet interpolatum esse. Adverbium *ἐπιτάξ* apud Hesychium delitescit in ridiculo vitio *ἐπιζάξ*: quod ita explicatur ut Interpres nihil certi scire videatur: *ἐπὶ τὰ ἀριςερὰ καὶ ἐπ' εὐθείας καὶ ἐπὶ τὴν σύντομον καὶ ἐκ πλαγίου.* Mirum si idem vocabulum haec omnia potuerit significare. Caeterum Ζ et Τ in vetustis libris scribebantur forma tam simili ut discerni non possent nisi ab eo qui quid Graecum sit et quid quoque loco sententia requirat expenderit. Non solebat hoc facere qui Hesychianam *λέξιν* ita constituit ut nunc in unico Marciano libro superest. Neque enim Ζιτᾶνα scripsisset pro Τιτᾶνα, neque contra Ταμίαν: *ζημίαν* pro *ζαμίαν* et Τώνα: *ζώνη* pro *ζώνα.* Eodem modo emendanda est glossa: Ὠδάκτατον: *ἔδακνον*, imo vero *ὠδάκταζον.* Ioculare exemplum incogitantiae obiter addam. Editur Τῶν οὐτιῶν: *οὐδαμῶς*, quod scriptum est pro *τῶν οὔτι: ὧν οὐδαμῶς* ex Homeri locis, qualis est in Iliad. Α. 160.

τῶν οὔτι μετατρέπῃ οὐδ' ἀλεγίζεις.

Recte docti homines correxerunt verba Aristophanis apud Plutarchum in Compar. Arist. et Menandri in hunc modum:

ὑπὸ τοῦ γέλωτος εἰς Γέλαν ἀφίξομαι.

vitiose scripti libri γελᾶν pro Γέλαν exhibent. In Γέλα secundam produci et analogia docet et poëtarum usus confirmat. Est autem Γέλα ex Γελόα contractum, quae forma comparanda est cum Μεσσόα, Μέσση apud Homerum similibusque. Argumento est τὸ ἐθνικόν, quod non est Γελῶος (ut apud Meinekium et plerosque scribi video) sed Γελῷος, nam nullum esse adiectivum Graecum in -ῶος exiens sed -ῷος ubique scribendum alibi monuimus. Fallitur Stephanus v. Γέλα scribens: τὸ ἐθνικὸν Γελῶος οὐ Γελαῖος, ὡς Ἄβρων καὶ ἡ συνήθεια. καὶ ἴσως ἀπὸ τοῦ γέλως τὸ Γελῶος. Ridicula haec suspicio est. Γελοαῖος, ut Οἰνοαῖος, in Γελῷος contractum est.

Non scripsit Aristophanes apud Steph. Byzant. v. Ἄργος.

οὐκ ἠγόρευον; οὗτός ἐς' οὐκ Ἀργόλας.

namque οὐκ ἔς' Ἀργόλας utique scriptum oportuit. Quod in libris est οὗτός ἐστί γ' οὐκ Ἀργόλας manu ducit ad:

οὐκ ἠγόρευον; οὑτοσί γ' οὐκ Ἀργόλας.

Simillimum vitium est in Avibus vs. 32

ὁ μὲν γὰρ ὢν οὐκ ἀςὸς εἰσβιάζεται,

non dicitur enim ἔςιν οὐκ ἀςός pro ἔςι ξένος. Transpone igitur:

ὁ μὲν γὰρ οὐκ ὢν ἀςὸς εἰσβιάζεται.

Leve vitium inficit Comici versus apud Poll. VII. 66

τὴν πτέρυγα παραλύσασα τοῦ χιτωνίου
καὶ τῶν ἀποδέσμων, οἷς ἐνῆν τιτθίδια.

emenda οἷς ἐνῆν τὰ τιτθία. Articulus enim necessarius est et Attici τὰ τιτθία dicebant, non τιτθίδια.

Erotianus v. ἀνεκάς ex Aristophane affert:

ὁ μηχανοποιός, ὁπότε βούλει τὸν τροχόν
ἐλᾶν ἀνεκάς, λέγε· χαῖρε, φέγγος ἡλίου.

ἐλᾶν est infelix Bergkii coniectura. Codd. ἐᾶν κἀνεκάς. Corrigendum censeo ἕλκειν ἀνεκάς.

In nobilissimo τῶν Δαιταλέων fragmento apud Galenum in praefat. Lex. Hippocr. in extremo vocabulo mendum insidet. Bergkius edidit;

τί ὑποτεκμαίρει καὶ κακῶς ἄνδρας λέγεις
καλοκἀγαθεῖν ἀσκοῦντας. B. *οἴμ', ὦ Θρασύμαχε,*
τίς τοῦτο τῶν ξυνηγόρων τερθρεύεται;

optime ille quidem *καλοκἀγαθεῖν* reposuit sed minus feliciter ex *τερύεται* vel *τηρεύεται* elicuit id quod vides. Equidem emendandum esse *τερατεύεται* censeo, quod in ea re imprimis appositum verbum est de iis, qui monstra et portenta verborum loquuntur, quale est hoc ipsum *καλοκἀγαθεῖν*.

Quod Aristophanis fragmentum apud Plutarchum l. l. sequitur: *τί δέ σοι δράσω κακόδαιμον ἀμφορεὺς ἐξοϛρακισθείς* minus perite Bergkius sic redintegravit ut scriberet:

τί δῆτα δράσω σ', ὦ κακόδαιμον;

una tantum syllaba tralaticio errore vitiata est legendumque:

τί δὲ σὺ δρᾷς, ὦ κακόδαιμον;

Scribae Aristophani formam minus Atticam affricuerunt apud Suidam v. *Αὔλειος*.

πρὸς τὸν ϛροφέα τῆς αὐλείας ἐχίνου κεφαλὴν κατορύττειν,

usitatum est enim illis *τῆς αὐλείου* dicere et *ἡ αὔλειος θύρα*. Lysias I. 17 *ἐψόφει ἡ μέταυλος θύρα καὶ ἡ αὔλειος*. XII. 16 *ἐπὶ τῇ αὐλείῳ θύρᾳ*. Plato Sympos. p. 212 C. Solon apud Demosth. de F. L. p. 422.

αὔλειοι δ' ἔτ' ἔχειν οὐκ ἐθέλουσι θύραι.

Menander noto loco:

ὅρος γὰρ αὔλειος θύρα
ἐλευθέρᾳ γυναικὶ νενόμιϛ' οἰκίας.

et alii. Manifestum vitium *ἐχίνου* tenet libros omnes: *σχίνου* scribendum esse vidit olim Gaisfordus, cui temere Bernhardy obloquitur Harpocrationis locum adducens nihil huc pertinentem. Sunt autem in antiquis libris C et Є permisceri solita, quia discrimen fere aciem fugit oculorum et illud *νοῦς ὁρῇ* non in alios minus quam in scribas valet. Exquisita quaedam exempla dedit Valcken. ad Herod. VIII. 5, in his Critonis apud Stob. Floril. III. 75 ubi in libris est *ἐπωδὰς καὶ παιδείας ποτὶ λόγον ἐς τὸ αὐτὸ συνδραμοίσας*, partem veri Valckenaerius reperit *σπουδὰς* reponens, perfecit emendationem Hirschigius sic: *σπωδᾶς καὶ παιδιᾶς — συνδραμοίσας*. Plura dabit Porson. in Advers. p. 39. Apparet in his potissimum erroribus quam nihil scribae cogitent et quam nihil intelligant. Apud Hesychium

est: Ἀεπάσιον: ἀσμένως, χαίροντα, pro ἀσπάσιον, uti vides, et Ἀναθέης: βασιλίσσης pro ἀνάσσης. sic C et ϵ et O et Θ ab hominibus omnium rerum ignarissimis perpetuo perturbantur. Διεσοῦτο apud Hesychium est pro διέσσυτο, Θέοπις pro θέσπις, Θεόφατα pro θέσφατα, Ὑελεῖν pro ὑθλεῖν. In aliis non simplex vitium est, sed in duabus simul litterulis peccatur ut in Ἰάδος pro ἰλλός et Ἰάλασι pro ἰλλάσι, et Σκιλλεῖον pro σκιαδεῖον. Sic Τετάργιστο: ἐκορέσθη, ἐπλήσθη monstrum est ex τετάρπετο natum confusis Π — ΓΙ et C — ϵ. Sic Σφετρίδες: ἐπιβλήματα ex Ἐφεςρίδες ortum. Multiplici vitio prodiit Ἀρτίτμαγεν: ἐχωρίσθησαν ex locis Homericis, ubi est: τώ γ' ὡς βουλεύσαντε διέτμαγεν, διέτμαγεν ἀρθμήσαντε, sim. Recte eadem glossa suo loco scripta exstat: Διέτμαγεν: ἐχωρίσθησαν. Περιττόν in ποιητόν depravatum est v. Περιείργασμαι: ποιητὸν ἐποίησα. Βέβαιον in βιβλίον abiit v. Φερέγγους: φέρων τὸ βέβαιον pro Φερέγγυος — βέβαιον. Quam possit locus funditus pessumdatus certa crisi in integrum restitui luculento indicio est annotatio e λέξει κωμικῇ apud Hesychium servata v. Σιδάρεοι: παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Νεφέλαις, Σιδάρεοι θεοὶ, ὡς ἐν Βυζαντίῳ. ἔτι εἰσὶ ἐν τῷ λεπτῷ νομίσματι, ᾧ σιδηρῷ καὶ ἐλαχίςῳ ἐχρῶντο Βυζάντιοι. In ipso Codice est ἔτι εἰσὶ βυζάντιοι. optime! nam ἔτι εἰσὶ natum est ex ΕΠΕΙΟΙ, ἐπεὶ οἱ Βυζάντιοι λεπτῷ νομισματίῳ σιδηρῷ καὶ ἐλαχίςῳ ἐχρῶντο. Sic solent scribere Interpretes. Hesychius: Σικελὸς ςρατιώτης: ἐπεὶ ξένοις ἐχρῶντο ςρατιώταις ὡς ἐπὶ πολὺ οἱ περὶ Ἱέρωνα, et Παραλύομαι: ἐπεὶ ὑπὸ τῶν πλουσίων οἱ πένητες παρελύοντο, ubi παραλοῦμαι et παρελοῦντο verum est. Addam tertium exemplum, ut ineptum vocabulum e Graecitatis gaza eiiciam. Hesychius: Μελλονικιᾷν: ἐπίβραδυς καὶ μελλητὴς ὁ Νικίας ἐλέγετο, hinc Hemsterhusio auctore ἐπίβραδυς in ordinem receptum est, nimium festinanter, nam quis non videt ἐπεὶ βραδύς esse emendandum? Saepius ita fit, ut qui nova vocabula venentur nubem pro Iunone amplectantur et Graecitatis copias mercibus vitiosis augeant. Egregia opera esse poterit illius qui bene Graece sciens complura *obiter eximere* Lexicis instituet vocabula vitio nata, quale est ab Hemsterhusio repertum et probatum ἀμετάκλαςον in Xenophontis ad Aeschinem epistola apud Stob. Floril. LXXX. 12 τεθαύμακα τὸ ἀμετάκλαςόν σου τῆς γνώμης.

At neque *μετακλᾶν* Graecum esse potest, (ut neque *μετάγνυμι*, *μεταρρήγνυμι*, *μετατρίβω* neque quidquam huiusmodi) neque *ἀμετάκλαστος*, quamobrem *ἀμετάπλαστον* censeo esse rescribendum. Sed redeo ad *λέξιν κωμικήν*, cuius locum redintegrare coepimus: postquam *ἐπεὶ οἱ Βυζάντιοι κτὲ.* persanatum est nullo negotio caetera sic restituentur: *Σιδάρεοι θεοί*: *παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Νεφέλαις*· (vs. 247 sqq.)

ποίους θεοὺς ὀμεῖ σύ; πρῶτον γὰρ θεοί
ἡμῖν νόμισμ' οὐκ ἔστι. B. *τῷ γὰρ ὄμνυτ'; ἢ*
σιδαρέοισιν, ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ;

ἐπεὶ οἱ Βυζάντιοι κτὲ. Omnino eximiae reliquiae *τῆς Κωμικῆς Λέξεως* apud Hesychium passim exstant, sed foedissime depravatae resectisque poëtarum et fabularum nominibus, ut in *Ἀροῦσι τρία*: *ἐπὶ οἴνου ἐλέγετο κτὲ.* ex Cratino apud Athen. p. 29 D.

οἴμ' ὡς ἁπαλὸς καὶ λευκός. ἆρ' οἴσει τρία;

et v. *Ἐν Κέῳ τίς ἡμέρα*; e loco Cratetis apud Athen. p. 117 B.

παῖ' ἐκεῖνον, ἄγχ' ἐκεῖνον. ἐν Κέῳ τίς ἡμέρα;

ubi Codex unicus Marcianus *ἐγκαιῶτις ἡμέρα* exhibet, quod Porsonus emendavit. Alibi Hesychius: *Τακτονίτου*: *τὰ τῶν μαγείρων ξηρὰ ἀρτύματα κτὲ.* Optime Pierson. ad Moerid. p. 352 *τὰκ τοῦ νίτρου* correxit, quod ad Anaxippi locum referendum apud Athen. p. 169 B.

οὐ μὴ πρότερον οἴσεις, θεοῖσιν ἐχθρὲ σύ,
τὸ λεβήτιον· τὰκ τοῦ νίτρου· πάλιν ὑστερεῖς;

ubi in Marciano libro est: *κὰκ τοῦλητρου*, confusis ΛΗ et ΝΙ, ut saepius. Turpius etiam depravata est particula *τῆς κωμικῆς λέξεως* v. *Ἐγκεκριωρωμένη*: *διὰ Κριώραν τὴν Μεγακλέους μητέρα τοῦ Ἀλκμαιωνίδου. ἔστι δὲ ἐνειλημένη καὶ κεκορδυλημένη καὶ ἐγκεκαλυμμένη καὶ σεμνυνομένη τῷ γένει.* Inepte permixtae sunt duae *λέξεις* ex Aristophanis Nubibus vs. 10

ἐν πέντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος.

et vs. 48

σεμνήν, τρυφῶσαν, ἐγκεκοισυρωμένην.

unde omnia scribarum vitia et fraudes perpluunt. Praeclare Dindorfius locum e *λέξει Κωμικῇ* depromtum apud Hesychium v. *Καταπληγκμήσει* (Cod. ap. Schow.) emendavit ad Steph. Thes. v. *Καταπλίσσομαι* et revocavit *Καταπλιγήσει*: *κατακρατηθήσει*, sumtum ex Aristophanis nobili loco apud Galenum Praef. Lex. Hippocr.

ἦ μὴν ἴσως σὺ καταπλιγήσει τῷ χρόνῳ.

ubi in libris est καταπληγήσει. Quam vellem omnes reliquias τῆς κωμικῆς λέξεως, quae apud Hesychium, Photium et alios circumferuntur, et Comicorum versiculos, qui sine nomine volitant, sed facile agnoscuntur, adiiciat aliquis iis, quae eruditissima Meinekii industria undique collecta lucido ordine disposuit. Largam messem Hesychius sedulo excussus praebebit, et Photius, et Bekkeri Anecdota, et Proverbiorum collectores. Quis dubitet quin incerti Comici versiculus sit apud Photium v. παράϛασις·

Ἄνδρες Ἑλλήνων ἄριϛοι καταβαλεῖν παράϛασιν,

quod lepidissime dictum est in Athenienses Φιλοδίκους, aut

Οὐκ ἂν Φθανοίμην τὴν μάχαιραν παρακονῶν,

modo scribas Φθάνοιμι. aut notissimum:

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

aut:

Οὐδὲν Φρονεῖ δίκαιον ἐϛυκὼς ἀνήρ.

ubi Comicorum et Comicae dictionis immemor Schleusnerus suspicatur »*fortasse legendum esse ἐϛηκώς, ut iocose dictum hoc sit respiciendo ad eos qui stant cogitabundi, quum alioquin sedeant potius ii, qui aut quieto aut saltem minus inquieto sunt animo.*" quae illi stanti in mentem venisse probabile est. Neque magis sedebat is, qui eandem παραδιόρθωσιν teste Albertio ad Hesych. v. Ἔϛυγμαι sic munivit: »*Ut animus quiescendo et sedendo fit prudens: sic e diverso dum* stat *nihil grave cogitat.*" Caeterum non plus sapiebant librarii, qui ἐϛυκώς et ἐϛηκώς iocose admodum inter se permutant, vide scripturas Codicum ad Aristoph. Aves 557, Thesmophor. 164, Pacem 729. Qui ferre possunt

διὰ τῆς χώρας τῆς ἡμετέρας ἐϛηκόσι μὴ διαΦοιτᾶν,

in Avibus l. l. ecquid est quod eos non posse concoquere existimas?

Quam multa de genere hoc ex Grammaticorum scriptis colligi possint et margaritae ex sterquiliniis erui unusquisque qui volet experimentum facere comperire poterit. Eadem opera Aristophanis fabulas superstites iuvabit melioresque scripturas complures apud Grammaticos servatas videbit, in codicibus, quibus utimur, sine vestigio veri obliteratas: cuius rei duo pro-

feram exempla, ut aliorum studia incendam. In Aristophanis Ranis editur vs. 1066

οὔκουν ἐθέλει γε τριηραρχεῖν πλουτῶν οὐδεὶς διὰ ταῦτα
ἀλλὰ ῥακίοις περιιλλόμενος κλάει καὶ φησὶ πένεσθαι.

Ravennas περιειλλόμενος vulgato errore, quia in ἴλλω et compositis ι productum est, unde passim ἴλλω in εἴλλω, εἴλω et εἰλῶ depravatur. Vera huius loci scriptura apud Photium servata est v. Περιειλάμενος: περιειλησάμενος, nisi quod illic quoque περιιλάμενος est scribendum: habet enim περιίλλομαι aoristum περιιλάμην, ut ὑπίλλω habet ὑπῖλα in pulcherrimo Sophoclis versu de Sphinge:

οὐρὰν ὑπίλασ' ὑπὸ λεοντόπουν βάσιν.

quia sequiores omnes dicebant εἰλεῖν pro ἴλλειν (quod apud Iones et Atticos veteres solum in usu est) vel ipsa interpretatio περιειλησάμενος demonstrat περιιλάμενος antiquum et probum esse. Aoristum pro praesenti tempore requiri palam est. Repone vs. 1063 pro ῥακί' ἀμπισχών praesens ἀμπέχων et eodem vitio sententiam affeceris, quo nunc περιιλλόμενος laborat.

Alterum exemplum est in Avibus vs. 142

οὐκ ἔκυσας, οὐ προσεῖπας, οὐ προσηγάγου,
οὐκ ὠρχιπέδησας ὢν ἐμοὶ πατρικὸς φίλος.

emendationem loci Hesychius ipse prius emendatus dabit. Editur: Ὀρχιπαιδίζειν: τὸ κακοσχολεύεσθαι παρὰ τοῖς παισί. Corrige ὀρχιπεδίζειν et hinc Aristophani suum redde ὠρχιπέδισας.

Finem faciam, a quo olim initium, in Platone Comico. In fabula Adonide traditur usus fuisse formis Ἀδώνιος ἀντὶ τοῦ Ἀδώνιδος et accusativo τὸν Ἀδώνιον, quae et falsa sunt et inter se pugnant. Sed corruptus testis est, Grammat. Bekk. p. 346, 1 ubi legendum: Ἀδῶνος Φερεκράτης εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀδώνιδος λέγει δὲ καὶ τὴν αἰτιατικὴν τὸν Ἀδῶνα. Hesychius: Ἀδῶνα: τὸν Ἄδωνιν, ubi vide Albertium.

Plato apud Hesychium v. Ἀσπαλιέως. — λίνον δὲ ἡ ὁρμιά, ὡς Πλάτων ἐν Ταῖς ἀφ' ἱερῶν:

πόθεν ὁρμιὰ καὶ κάλαμος;

Requiri λίνον pro ὁρμιά viderunt omnes. Senarium sic redintegrandum arbitror:

πόθεν λίνον μοι καὶ κάλαμος γενήσεται;

Facile expleri potest senarius eiusdem apud Schol. Arist.

Lysistr. 288.

τουτὶ προσαναβῆναι τὸ σιμὸν δεῖ.

Codd. ἀεί. supple:

τουτὶ προσαναβῆναι τὸ σιμὸν δεῖ σ' ἔτι.

sed melius etiam πρὸς ἀναβῆναι scribetur.

In Platonis versu apud Hephaestionem p. 91:

Χαῖρε παλαιογόνων ἀνδρῶν θεατῶν ξύλλογε παντοσόφων,

mutata una vocali παλαιογενῶν suspicor verius esse, quoniam talia ex γένος non ex γόνος propagari apud Atticos solent, ut εὐγενής, δυσγενής. Eadem forma est in Nubibus vs. 358: χαῖρ', ὦ πρεσβῦτα παλαιογενές.

Nondum sanatum est ulcus in Platonis fragmento apud Scholiast. Aristoph. Thesmoph. 808:

ὅτι πονηρῷ καὶ ξένῳ
ἐπέλαχες ἀνδρὶ οὐδέπω γὰρ ἐλευθέρῳ.

nam quod reponunt μηδέπω, κοὐδέπω γ' et οὐδαμῶς γ' eiusmodi sunt, ut statim meliora quaerere instituas. Conieci κοὐ καθαρῶς ἐλευθέρῳ, quod bene Atticum est et rei apprime convenit. Οὐ καθαρῶς ἐλεύθερος οὐδ' ἀστὸς ἄν ex imitatione Veterum Lucianus in Timone dixit § 52. Iocose Antiphanes καθαρὸν δοῦλον dixit mancipium, in quo nil inesset libero homine dignum in Bekk. Anecd. pag. 103, 5. In loco tam male habito, qui ex uno Codice Rav. utcumque descriptus est, nihil attinet apices singulos litterarum investigare. Quum quod scriptum esset non satis apparebat dederunt quod primum in mentem venit: cuiusmodi est quod apud Plutarchum legitur in comparatione Lysandri et Syllae cap. III. *Lysander*, inquit, *servabat in imperio patriae mores* εἰ δή τις ἄλλος ἐκπεφευγὼς τουτὶ τὸ περίακτον·

οἴκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ δ' ἀλώπεκες.

Bonum factum, quod de iocoso in Spartanos dicto aliunde constabat: nam quis potuisset non dico reperire sed probare aliis emendationem:

οἴκοι λέοντες, ἐν Ἐφέσῳ δ' ἀλώπεκες.

unde igitur ὑπαίθρῳ natum est sententiae non minus quam metro inimicum? Nempe fugientes litterarum ductus utcumque suppleverunt. Idem prorsus factum est in vicinis, nam περίακτον mihi dabis ridiculum et absurdum esse. Supererat,

ut opinor, περι * * τον, quod si περιβόητον suppleveris, Plutarcho suam manum reddideris.

Demagogi nomen latet in Platonis fragmento apud Plutarchum de gerenda rep. p. 801. B. Πλάτων ὁ κωμικὸς τὸν Δῆμον αὐτὸν ποιεῖ — αἰτοῦντα λεκάνην καὶ πτερὸν ὅπως ἐμέσῃ λέγοντα·

προσίςαταί μοι πρὸς τὸ βῆμα Μαντίλη.

in Demagogum aliquem et notum hominem haec dici apparet ex iis, quae apud Plutarchum praecedunt: populus saepe demagogis nequissimis utitur, inquit, sed cum fastidio et contemtu, gaudetque quum eos Comici ludibrio habent. Cogitavit Meinekius de Mantia Thoricio, cuius apud Demosthenem mentio est. Mihi Plato dixisse videtur:

πτερὸν ταχέως τις καὶ λεκάνην ἐνεγκάτω —
προσίςαταί μοι πρὸς τὸ βῆμα Μαρψίας,

quem hominem ex Aristophane novimus Acharn. 702.

πρὸς τάδε τί ἀντερεῖ Μαρψίας;

προσίςαται non est *nauseam et fastidium creat*, sed ponitur eo sensu, quo saepe apud oratores solet, de iis qui *adstant* aut *circumstant* in comitiis aut in iudicio. Reponendum est hoc ipsum apud Demosth. p. 1142. ὅταν τις τὸ σῶμα παραδιδῷ κομίσας πολλοὶ προΐςανται ἐπακούοντες τῶν λεγομένων, imo vero προσίςανται.

Certam Piersoni emendationem in Platonis fragmento apud Moeridem v. Ἀνακῶς Meinekius inconsulto sprevit. Editur: Πλάτων ὁ Κωμικός: καὶ τὰς θύρας ἀνακῶς ἔχειν. Pierson optime τῆς θύρας. Meineke: »*recte* ἀνακῶς ἔχειν *dicuntur fores firmiter occlusae.*" Non intellexit quid esset ἀνακῶς ἔχειν, quemadmodum neque Moeris, qui ἀσφαλῶς ἢ φυλακτικῶς, neque Hesychius, qui ἐπιμελῶς, πεφροντισμένως interpretatur. Significat ἀνακῶς ἔχειν nihil aliud quam ἐπιμελεῖσθαι, ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι et sic φυλάττειν, τηρεῖν. Observare aliquem, ne clam elabatur, observare fores, ne quis clanculo intrare vel egredi possit. Herod. I. 24 Περίανδρον δὲ ὑπὸ ἀπιςίης Ἀρίονα μὲν ἐν φυλακῇ ἔχειν, ἀνακῶς δὲ ἔχειν τῶν πορθμέων. Thucyd. VIII. 102 ὅπως αὐτῶν ἀνακῶς ἕξουσιν ἣν ἐκπλέωσιν. Itaque quod apud Lysiam est I. 23 εἰπὼν ἐκείνῃ ἐπιμελεῖσθαι τῆς θύρας, id Plato optime dixerat καὶ τῆς θύρας ἀνακῶς ἔχειν.

CAPUT III.

Utar nunc libero illo genere scriptionis, quod mihi in tanta *ἀσχολίᾳ* viventi necessarium esse dixi, ad digrediendum nonnihil a proposito missaque paulisper Comicorum festivitate, ut et aliorum et meae satietati occurram, tractabo locos quosdam ex Euripide et sic ad Theophrasti Characteres transiens quod me dicturum promisi de optimo Codice Palatino-Vaticano solvam fidem.

Diu et multum me Euripidis Helena tenuit, in qua fabula emendanda haud ita pridem C. Badham perutilem operam posuit, quum Iphigeniam in Tauris et Helenam Londini ederet. Itaque primum omnium hanc fabulam hic illic emendatiorem reddere conabor, tum de nonnullis locis reliquarum Euripidis fabularum pauca edisseram.

In Tragoediae initio offendo vs. 20.

ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' ἀετοῦ
δίωγμα φεύγων, εἰ σαφὴς οὗτος λόγος.

in secundo versu et necessarium vocabulum desidero et contra vehementer displicet aliud, quod inutile est et prorsus supervacuum. Nam quid sibi vult *οὗτος*? quod ita demum recte additum erit, si qua alia fama opponetur. Est apud Livium locus, unde id optime apparere potest, sed nunc misere depravatus et sensu vacuus, cui obiter opem feremus. Legitur XXV. 16. *Haec vera fama est. Gracchus in Lucanis ad campos, qui Veteres vocantur, periit. Sunt qui in agro Beneven-*

tano prope Calorem fluvium ostendant interfectum. Sunt qui quingentos passus a castris — circumventum scribant. Adeo nec locus nec ratio mortis in viro tam claro et insigni constat. Quî igitur potuit Livius scribere: *haec vera fama est*, ut prima et ultima adversis frontibus concurrant? Sed dixerat id ipsum quod apud Euripidem nunc est: *εἰ σαφὴς οὗτος λόγος.* Ex praecedenti verbo *iussit* repetita syllaba corrige: *Si haec vera fama est Gracchus in Lucanis — periit.* Sic demum *εἰ σαφὴς οὗτος λόγος* recte dici poterat. Quid plura? dedisse poëtam arbitror:

δίωγμα φεύγων δῆθεν, εἰ σαφὴς λόγος,

ubi *δῆθεν* casu aliquo excidit senarius a sciolo temere expletus est. Est autem necessarium *δῆθεν* additum, ut *simulato* id actum esse appareat, ut in Rheso 719.

βασιλίδ' ἑςίαν 'Ατρειδᾶν κακῶς
ἔβαζε δῆθεν ἐχθρὸς ὢν ςρατηλάταις.

et in Ione 656.

ἄξω θεατὴν δῆθεν ὡς οὐκ ὄντ' ἐμόν.

et apud Thucydidem I. 127. *τὸ ἄγος ἐκέλευον ἐλαύνειν δῆθεν τοῖς θεοῖς πρῶτον τιμωροῦντες, εἰδότες δὲ Περικλέα προσεχόμενον αὐτῷ κατὰ τὴν μητέρα*, et passim ubi significatur aliud agi, aliud simulari. Sic igitur *ὁ Ζεὺς* non *διωκόμενος ὑπ' ἀετοῦ*, sed *ὑπ' ἀετοῦ διώκεσθαι προσποιούμενος πρὸς τὴν Λήδαν κατέφυγεν.* Haud scio an non idem vocabulum fuerit a scribis obscuratum in Helena vs. 1380.

ὡς τῷ θανόντι χάριτα δὴ συνεκπονῶν,

quum verius sit *χάριτα δῆθεν ἐκπονῶν*, ut in Oreste 1319.

κἀγὼ σκυθρωποὺς ὀμμάτων ἔξω κόρας
ὡς δῆθεν οὐκ εἰδυῖα τἀξειργασμένα.

et in Herc. Furente 949.

κἄθεινε κέντρον δῆθεν ὡς ἔχων χερί.

Recte cogitantibus in vs. 60 sqq.

ἕως μὲν οὖν φῶς ἡλίου τόδ' ἔβλεπε
Πρωτεύς, ἄσυλος ἦν γάμων, ἐπεὶ δὲ γῆς
σκότῳ κέκρυπται,

displicebit *γῆς σκότῳ κέκρυπται*, quod de luna deficiente optime dicetur, de mortuo et sepulto, *quem terra tegit*, non item. Corrigendum esse censeo *ἐπεὶ δὲ γῆς κάτω κέκρυπται*, ut sae-

pe in Tragoedia legitur κάτω γῆς, κάτω χθονὸς κεκρύφθαι, κεύθειν, κεκευθέναι, quod perinde est atque ἐν ᾅδου κεκευθέναι in Sophocl. Antigone 911.

μητρὸς δ' ἐν ᾅδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔς' ἀδελφὸς ὅςις ἂν βλάςοι ποτέ,

unde νεκρῶν κευθμῶνα Orcum appellant. Haec omnia ornate et splendide dicuntur pro τεθνηκέναι, sive (ut Veteres Critici loquebantur) καταςρέφει εἰς τὸ τεθνηκέναι. Labem contraxit illud dicendi genus in Sophoclis Oedip. Tyranno vs. 968.

κτενεῖν ἔμελλον πατέρα τὸν ἐμόν, ὁ δὲ θανὼν
κεύθει κάτω δὴ γῆς.

molestum et importunum δὴ libri scripti omittunt: corrige κάτω κέκευθε γῆς, quod planissime id ipsum est, quod in Euripide reponimus γῆς κάτω κέκρυπται. Praeterea ἄσυλος ἦ γάμων scribendum: constat enim Tragicos sic scribere solitos, constat librarios pro ἦ pertinaciter ἦν rescribere etiam in iis locos, quibus docti Grammatici utuntur ad demonstrandum Veteres Atticos non ἦν dicere sed ἦ. Perdocta est Porphyrii de ea re annotatio in Cod. Ven. B. ad Iliad. Ξ. 533. et ad Odyss. Θ. 186, ubi verissime docet: τὸ ἦν ἐπιπολάζει νῦν. τῶν δὲ Ἀττικῶν οἱ μὲν ἀρχαῖοι μονογράμματον αὐτὸ προεφέροντο, et post pauca τὸ μονοσύλλαβον — τῶν Ἀττικῶν ἔςι παρὰ Κρατίνῳ ἐν Πυτίνῃ·

γυνὴ δ' ἐκείνου πρότερον ἦ, νῦν δ' οὐκέτι.

καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῇ Νιόβῃ·

ἦ γὰρ φίλη 'γὼ τῶνδε τοῦ προφερτέρου.

καὶ ἐν Οἰδίποδι Τυράννῳ (vs. 1123).

ἦ δοῦλος οὐκ ὠνητὸς ἀλλ' οἴκοι τραφείς.

καὶ παρὰ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ (de Rep. I. p. 328 C.)· εἰ μὲν γὰρ ἐγὼ ἔτι ἐν δυνάμει ἦ τοῦ ῥᾳδίως (πορεύεσθαι εἰς τὸ ἄςυ). Si his locis omnibus in omnibus libris scriptum esse videbis πρότερον ἦν, ἦν γάρ, ἦν δοῦλος et ἐν δυνάμει ἦν non putabis, opinor, istorum futili auctoritate esse opus, ut in antiqua Atthide ubique ἦ pro ἦν ante consonantem reponatur. Lenissima imprimis est medicina, qua versus Sophocleus in Trachiniis 564 sanari debeat:

φέρων ἐπ' ὤμοις ἡνίκ' ἦν μέσῳ πόρῳ
ψαύει ματαίαις χερσίν.

corrige: *ἡνίκ' ᾖ 'ν μέσῳ πόρῳ*, nisi forte putabis *εἰμὶ μέσῳ πόρῳ* sine praepositione recte dici posse.

Nihil attinet locos indicare, ubi *ᾖ* vel *παρῇ* Tragicis reddenda esse appareat: utilius in hac ipsa fabula ostendam, quam facile librorum auctoritas etiam optime Attice scientes decipiat. In Codd. est vs. 930.

κλύοντες εἰσιδόντες ὡς τέχναις θεῶν
ὤλοντ'. ἐγὼ δὲ προδότις οὐκ ἄρ' ἦν φίλων.

Piersonus ad Moerid. p. 172. ex Etymol. Mag. p. 430, 15. protraxit scripturam *οὐκ ἤμην φίλων*, quam quum Macedonibus et Alexandrinis et faeci Graeculorum debebat relinquere »*Etymologi auctoritate*" recepit, quem Dindorfius secutus est. Debetur hoc *ἑρμαῖον* Georgio Choerobosco p. 882, 10, quem si quis id sibi habere iusserit et Euripidi *οὐκ ἄρ' ἦ φίλων* reddiderit, eum boni critici officio functum esse existimabo.

In Helenae vs. 77.

τί δ', ὦ ταλαίπωρ', ὅςις ὢν μ' ἀπεςράφης;

numquam te expedies donec *ὅςις εἶ* emendaveris. Saepe *ὅςις εἶ, ὅςις ποτ' εἶ, ἥτις εἶ ποτέ* eodem modo interposita apud Euripidem leguntur. Exemplo uno utar ut simul emendem locum, qui est in Iphig. Taur. 482.

τί ταῦτ' ὀδύρει κἀπὶ τοῖς μέλλουσι νῷ
κακοῖσι λυπεῖς, ἥτις εἶ ποτ', ὦ γύναι;

ubi corrigendum videtur *κἀπὶ τοῖς μέλλουσι νῷν λυπεῖ κακοῖσιν.*

In versu 97.

τὸν Πηλέως τιν' οἶσθ' Ἀχιλλέα γόνον;

inextricabilis est difficultas, quam sic sustulerim ut scribatur:

Ἀχιλλέα τιν' οἶσθα Πηλέως γόνον;

In versu 116 sq.

ΕΛ. *εἶδες σὺ τὴν δύςηνον ἢ κλύων λέγεις;*
ΤΕΤ. *ὥσπερ σέ γ', οὐδὲν ἧσσον, ὀφθαλμοῖς ὁρῶν.*

emenda: *ὥσπερ σ' ἐγὼ οὐδὲν ἧσσον ὀφθαλμοῖς ὁρῶ.* Quamvis nota synizesis indoctos scribas fefellit et in errores trahit. In Thesmophor. 1197. ubi in omnibus est:

ἀλλ' οὐκ ἔκ' ὠδέν, ἀλλὰ τὸ συβίνην λαβέ,

Photius v. *Συβήνη* servavit lectionem *ἀλλ' οὐκ ἔχω οὐδέν,* quare scripserim *ἀλλ' οὐκ ἔκω οὐδέν.*

Non est alia synizesis notior quam in ἐγὼ οὐ, ἐγὼ οὐδέ, ἐγὼ οὐδέν sim. Titubarunt tamen aliquid scribae in Cyclope vs. 172. ubi editur:

εἶτ' ἐγὼ οὐ κυνήσομαι
τοιόνδε πῶμα;

in libris est: εἶτ' ἐγὼ κυνήσομαι, et in vetusto quodam libro repertum esse testantur: ἐγὼ ὀκυνήσομαι. Rem acu tetigit Tyrwhittus, felicissimus coniector, qui emendavit: εἶτ' ἐγὼ οὐκ ὠνήσομαι. Comparandus Aristophanis locus in Vespis 52:

εἶτ' οὐκ ἐγὼ δοὺς δύ' ὀβολὼ μισθώσομαι
οὕτω σ' ὑποκρινόμενον σοφῶς ὀνείρατα;

nam sic scribendum, non οὕτως ὑποκρινόμενον. Hinc emenda quod scite parasitus Philippo dixit apud Plutarchum in Symposiac. II. I. cap. 5. § 5. ὑπὸ Φιλίππου σκωφθεὶς ὁ παράσιτος εἶπεν· οὐκ ἐγώ σε τρέφω; non hoc dixit, sed admirabundus: εἶτ' οὐκ ἐγώ σε θρέψω; Neglecta synizesis eadem Theognidis versum 253. plane perdidit. Scribitur:

Αὐτὰρ ἐγὼν ὀλίγης παρὰ σεῦ οὐ τυγχάνω αἰδοῦς,

quum sit scribendum:

αὐτὰρ ἐγὼ οὐδ' ὀλίγης παρὰ σεῦ νῦν τυγχάνω αἰδοῦς.

In vs. 121.

αὐτὸς γὰρ ὄσσοις εἰδόμην, ὡς νῦν σ' ὁρῶ.

offendo in εἰδόμην pro εἶδον in senario positum, quamobrem facili correctione scriptum malim:

αὐτὸς γὰρ ὄσσοις εἶδον, ὡς σὲ νῦν ὁρῶ.

In vs. 135.

φασίν, βρόχῳ γ' ἅψασαν εὐγενῆ δέρην.

requiro βρόχῳ 'νάψασαν. Deinde vs. 266.

ὅστις μὲν οὖν εἰς μίαν ἀποβλέπων τύχην
πρὸς θεῶν κακοῦται βαρὺ μέν, οἰστέον δ' ὅμως.
ἡμεῖς δὲ πολλαῖς συμφοραῖς ἐγκείμεθα.

elevare debet Helena aliorum miserias, quo melius suorum malorum magnitudo appareat: dixerat igitur: βαρὺ μέν ἐστ', οἰστὸν δ' ὅμως.

In vs. 277. ubi in Codd. plerisque sunt manifestae corruptelae

ἄγκυρα δή μου τὰς τύχας ὀχεῖ μόνη
πόσιν ποθ' ἥξειν καί μ' ἀπαλλάξαι κακῶν

οὗτος τέθνηκεν οὗτος οὐκέτ' ἐςὶ δή.

Scaliger δ' ἥ μου et ἄχει restituit, libri meliores ἀπαλλάξειν dederunt, et in tertio senario Badham ἀφ' οὗ τέθνηκεν οὗτος coniecit: de sensu assentior, sed malim idem ita restituere ut legatur:

ἐπεὶ τέθνηκεν οὗτος οὐκέτ' ἐςὶ δή.

In vs. 308. probat Badham Bergkii correctionem ἀληθεία σαφής »*licet metricam licentiam admittat.*" Ea difficultas sic tolli potest ut scribatur ἀληθία, quemadmodum ἀμελία, εὐσεβία aliaque simul penultimam corripiunt et producunt ultimam. Non aliter in ἀγνοία, ἀνοία, παλιρροία similibusque ultima longa fit, nisi ut — οι fiat breve. Scribis nil subolet: Cratetem apud Iulianum p. 199. A. inducunt dicentem:

Χαῖρε, θεὰ δέσποινα, σοφῶν ἀνδρῶν ἀγάπημα,
Εὐτέλεια, κλεινῆς ἔκγονε σωφροσύνης.

pro Εὐτελία, et ita passim metrum securi violant.

In vs. 314.

εἰς ποῖον ἕρπεις μῦθον ἢ παραίνεσιν;

legam ἔρχει, donec me quis docuerit ἕρπειν aut ςείχειν aut βαδίζειν in tali re bene dici posse. In vs. 416.

ὄνομα δὲ χώρας ἥτις ἥδε καὶ λεώς
οὐκ οἶδα,

mihi quidem καὶ λεώ videtur esse necessarium, et vs. 447. μὴ πρόσιλλε χεῖρα pro προςείλει.

Versum 488.

πείθει γὰρ οὐδὲν ὧν λέγω. σὺ δ' αἴτιος.

ita demum intelligam, si transposueris:

σὺ δ' αἴτιος. πείθει γὰρ οὐδὲν ὧν λέγω.

Iam supra ostendimus vs. 505.

κλεινὸν τὸ Τροίας πῦρ, ἐγὼ θ' ὃς ἧψά νιν.

solum esse ab poëta scriptum, deinde Graeculum aliquem assuisse versum insipidum et vitiosum:

Μενέλαος οὐκ ἄγνωςος ἐν πάσῃ χθονί.

in quo et alia fraudem arguunt, ut illic ostendimus, et hoc, quod ἄγνωςος Veteribus non dicitur pro ἀγνώς. Quod in Theophr. Charactt. XXIII. 4. legitur καὶ ἀγνώςων δὲ παρακαθημένων κελεῦσαι θεῖναι τὰς ψήφους vitiosum esse apparet et unusquisque poterat certa coniectura reperire veram lectionem ἀ-

γνώτων, quam mihi Codex Palatino-Vaticanus obtulit. *Ἄγνωςος* bene Graece significat eum, *qui intelligi non potest*, quemadmodum *οἱ Εὐρυτᾶνες* in Aetolia dicuntur Thucydidi III. 94. *ἀγνωςότατοι τὴν γλῶσσαν.* ignotus homo aut obscurus *ἀγνὼς* dicitur, ut in notissima Euripidis sententia in Iphig. Aul. 18.

ζηλῶ δ' ἀνδρῶν ὃς ἀκίνδυνον
βίον ἐξεπέρασ' ἀγνὼς ἀκλεής.

habeat igitur sibi ineptum senarium *Μενέλαος οὐκ ἄγνωςος ἐν πάσῃ χθονί* sciolus qui olim adscripsit. Eadem opera emenda Aristophanis verba in Ranis 924. *ῥήματ' ἂν βόεια δώδεκ' εἶπεν | ἄγνωτα τοῖς θεωμένοις*, ubi *ἄγνωςα* requiritur, neque te Aeschyli locus in Agamemnone 1050 deterrere debet:

ἀλλ' εἴπερ ἐςὶ μὴ χελιδόνος δίκην
ἀγνῶτα φωνὴν βάρβαρον κεκτημένη,

quo melius uteris ad emendandum vs. 1681. in Avibus:

εἰ μὴ βαδίζειν, ὥσπερ αἱ χελιδόνες.

quod erit omnibus *ἄγνωςον* donec emendaveris:

εἰ μὴ βαΰζει γ', ὥσπερ αἱ χελιδόνες.

Difficillimum est definire in sequiorum libris utrum *ἀγνὼς* et *ἄγνωςος* scribarum an scriptorum vitio confusa sint, ut in Plutarchi Catone maiore I. *τῶν προγόνων παντάπασιν ἀγνώςων γεγονέναι δοκούντων*, aut in Dionysio Halic. X. 12. *ὑπ' ἀνδρὸς ἀγνώςου* (ubi optime Cod. Vat. *ἀγνῶτος*), et saepe alibi.

Non probo in vs. 592.

λείψεις γὰρ ἡμᾶς, τὰ δὲ κέν' ἐξάξεις λέχη;

usum verbi *ἐξάγειν*, sed *ἐξάγεσθαι* requiro, quamobrem *ἐξάξει* scribam, ut recte legitur vs. 988.

ἀλλ' ἐγώ σφ' ἀπάξομαι
εἰ μὴ πρὸς οἴκους δυνάμεθ' ἀλλὰ πρὸς νεκρούς.

Post pauca vs. 607.

βέβηκεν ἄλοχος σὴ πρὸς αἰθέρος πτυχὰς
ἀρθεῖσ' ἄφαντος, οὐρανῷ δὲ κρύπτεται
λιποῦσα σεμνὸν ἄντρον, οὗ σφ' ἐσώζομεν.

ridiculum mihi semper visum est *σεμνόν* et videor mihi simul reperisse veram lectionem et quemadmodum falsa oriri potuerit. Aperiam prius causam erroris satis frequentis in Codicibus, deinde eundem hic commissum esse vincam. Apud Ephippum Athen. XIV. 642. A.

Φοινικίνου βῖκός τις ὑπανεῴγνυτο,
ἴτρια, τραγήμαθ' ἧκε, πυραμοῦς, ἄμης.

in Codice est τραγήματα θῆκε, Porsonus verum reperit τραγήμαθ' ἧκε. Nempe quum esset in vetusto libro ΤΡΑΓΗΜΑΘΗΚΕ aliquis de more superscripsit τα supra Θ, idque sexcenties in poëtarum Codicibus factum esse vidi. Similiter apud Pherecratem Athen. X. 430. E.

ὑδαρῆ 'νέχεέν σοι; B. παντάπασι μὲν οὖν ὕδωρ.

in Codice est ὑδαρὴν ἐνέχεεν. In Sophoclis Trachiniis 14. pro κύματά τ' εὐρέϊ πόντῳ scribendum est κύματ' ἐν εὐρέϊ πόντῳ. In Oreste vs. 1020. pro ἰδοῦσ' ἐν ὄμμασιν in multis libris est ἰδοῦσά σ' ἐν ὄμμασιν. In Demosthenis orat. de F. L. p. 447, 26. ἔςω γὰρ πάντα τἀληθῆ λέξειν τουτονί vitiose scribitur eadem de causa pro πάντ' ἀληθῆ. Apud Antiphanem Athen. p. 441. B. pro οἶδα δ' ἐγώ ποτε πιοῦσα recte correxit Meinekius οἶδ' ἐγώ. Manifesta imprimis ea res est in fragmento Euripidis apud Ammonium de D. V. v. τροχοί p. 137.

ὁρῶ μὲν ἀνδρῶν τόνδε γυμνάδα ςόλον
ςείχοντα θεωρὸν ἐκ τροχῶν πεπαυμένον.

scriptum olim fuit ΣΤΕΙΧΟΝΘΕΩΙΟΝ et supra Θ scriptum τα: itaque scriba primum ςείχοντα dedit et quod supererat ΘΕΩΙΟΝ in vocabulum bene Graecum θεωρόν refinxit. Vera lectio est ςείχονθ' ἑῷον, ut dudum Dindorfius vidit. Similium errorum magna est passim copia, et sic in Helenae loco, quum esset vera scriptura:

λιποῦσ' ἔρημον ἄντρον, οὗ σφ' ἐσώζομεν.

suprascriptum σα peperit nobis vitium λιποῦσα σεμνόν. Saepe legitur ἔρημον λιπεῖν et similia: affine est in hac ipsa fabula 1177. τύμβου γὰρ κενὰς λιποῦσ' ἕδρας.

Post paucos versus animadverto aliud mendum in verbis vs. 614.

ἐγὼ δ', ἐπειδὴ χρόνον ἔμειν' ὅσον μ' ἐχρῆν,
τὸ μόρσιμον σώσασα πατέρ' ἐς οὐρανόν
ἄπειμι.

quis ferat πατέρ' ἐς οὐρανόν pro ἐς τὸν οὐρανόν, ὅθεν ἐπλάσθην. Multo simplicius poëta dixerat: πάλιν ἐς οὐρανὸν ἄπειμι. Idem vocabulum ereptum est Sophocli in Oedipo Coloneo vs. 113.

σιγήσομαί τε καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα
κρύψον κατ' ἄλσος.

multa Tragicis *παρακεκινδυνευμένα* audendi semper fuit aequa potestas, sed etiam in his sunt certi denique fines. Sunt qui aequis animis audiunt Sophoclem *αἷμα* dixisse pro *ξίφος* [1] et similia. Non multum dubito, quin verum sit *καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πάλιν κρύψον κατ' ἄλσος.*

In versu 700 sq.

Μενέλαε, κἀμοὶ προσδοτέα τῆς ἡδονῆς
ἣν μανθάνω μὲν καὐτός, οὐ σαφῶς δ' ἔχω.

in libris est *πρόσδοτε τι* aperte vitiosum. Itaque in *προσδοτέα* docti homines acquiescunt. Suspicor rescribendum esse *κἀμοὶ πρόσδοτον τῆς ἡδονῆς* et in sequenti senario: *ἣν μανθάνω μὲν καὐτός, οὐ σαφῶς δέ πω.*

Facillime N et TI et IT confunduntur, ut notum est. Exemplis, quae alibi attuli, addo Sophoclem in Aiace vs. 1100.

ποῦ δέ σοι λεῶν
ἔξεστ' ἀνάσσειν ὧν ὅδ' ἡγεῖτ' οἴκοθεν;

restitues metrum, si scripseris ΗΓΕΝ pro ΗΓΕΙΤ: *ὧν ὅδ' ἦγεν οἴκοθεν*, ut apud Homerum de ipso scriptum est:

Αἴας ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας.

Ineptum emblema nos ludificatur vs. 748 sqq.

Κάλχας γὰρ οὐκ εἶπ' οὐδ' ἐσήμηνε στρατῷ
οὐδ' Ἕλενος ἀλλὰ πόλις ἀνηρπάσθη μάτην.
[εἴποις ἂν οὕνεκ' ὁ θεὸς οὐκ ἠβούλετο.]
τί δῆτα μαντευόμεθα;

qui auspiciorum patrocinium suscipiebat de suo insulsam hanc defensionem importuno loco inseruit.

In vs. 806.

ἄνανδρ' ἄρ' εἶπας Ἰλίου τ' οὐκ ἄξια,

in ea re *γε* non *ἄρα* requiritur: quare legendum *ἄνανδρά γ' εἶπας*. quod tertio versu sequitur

---

[1]) In Electra vs. 1391.

νεακόνητον αἷμα χειροῖν ἔχων.

Hesychius v. *Αἷμα* — *ὁ δὲ Σοφοκλῆς ἐν Ἠλέκτρᾳ τὴν μάχαιραν αἷμα ἔφη*, et alii, ex Didymo, ut opinor. Quod viri docti reponunt *νεοκόνητον αἷμα* non est Graecum vocabulum.

οὕτω σίδηρον τρωτὸν οὐκ ἔχει δέμας;

habet negationem inepte traiectam: medeberis huic malo si correxeris: οὗτος σιδήρῳ κτἑ.

Soloecum est vs. 823.

εἴπως ἂν ἀναπείσαιμεν ἱκετεύοντέ νιν.

namque εἴπως non fert voculam ἄν sibi additam. Commode legi potest:

εἴπως νιν ἀναπείσαιμεν ἱκετεύοντε νῴ.

In versu 863 sqq. Theonoe ita dicit:

ἡγοῦ σὺ μὲν φέρουσα λαμπτήρων σέλας
θείου δὲ σεμνοῦ θεσμὸν αἰθέρος μυχόν
ὡς πνεῦμα θολερὸν οὐρανοῦ δεξώμεθα.

versum medium emendare non possum: λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος, hoc tantum certum est θείου esse θείῳ κάθαιρε. More sacerdotum Aegyptiorum turbidum aërem sulphure purgat. Adscribam et ipse nonnulla e Plutarchi loco, quem primus Musgravius ad Euripidem adhibuit e libro *de Iside et Osiride* p. 383. B. ubi docet sacerdotes Aegyptios ita Diis suffimenta multa adolere, ut corporum valetudini simul prospiciatur. ἐπειδὴ τοίνυν ὁ ἀὴρ νύκτωρ πυκνοῦται — ἀναςάντες εὐθὺς ἐπιθυμιῶσι ῥητίνην θεραπεύοντες καὶ καθαίροντες τὸν ἀέρα τῇ διακρίσει. Hoc ipsum igitur Theonoe agebat θολερὸν ὄντα τὸν ἀέρα θεραπεύουσα καὶ καθαίρουσα. Hinc intelligitur θολερόν verum esse, quod inconsulto in καθαρόν mutatum est. Mali labes est in δεξώμεθα, (libri δεξαίμεθα), in quo optima scriptura latet quae facillimo negotio erui potest. Videbantur sibi scribae in ΟΥΡΑΝΟΥΛΕΞΩΜΕΘΑ videre οὐρανοῦ δεξώμεθα quum esset οὐρανοῦ 'λεξώμεθα (ἀλεξώμεθα), quo non est aliud verbum huic rei accommodatius. Ἀλέξασθαι enim est omne genus mali *a se depellere.* Xenophon Mem. IV. 3. 11. πολλὰ μηχανώμεθα, δι' ὧν τῶν τε ἀγαθῶν ἀπολαύομεν καὶ τὰ κακὰ ἀλεξόμεθα. Itaque quemadmodum Empedocles quum pestilentem ventum a patria depulisset ἀλεξανέμας dictus est, sic qui aërem turbidum et corruptum thure aut sulphure purgat optime πνεῦμα θολερὸν οὐρανοῦ dicetur ἀλέξεσθαι. Quam facile ΛΕΞΩΜΕΘΑ in δεξώμεθα corrumpi potuit a scribis, qui nonnumquam ΑΠΟΛΑΥΝΑΙ corruperunt in ἀποδοῦναι et ex ΑΠΟΛΩΛΕΚΑ fecerunt ἀποδέδωκα nihil prorsus cogitantes. Factum hoc est in Lysia,

quem homunciones induxerunt ita dicentem XII. 86. *ἐβουλόμην μέντἂν αὐτοὺς οὕτω προθύμους εἶναι σώζειν τὴν πόλιν ὥσπερ οὗτοι ἀποδοῦναι*, ubi *ἀπολλύναι* revocavit Marklandus, et in Isocratis Plataico § 16: ubi Urbinas eximius liber exhibet: *οὐ γὰρ ἰδίαν κατηγορίαν ποιούμενοι κατὰ τῆς πόλεως τῆς ἡμετέρας ἀποδεδώκασιν αὐτήν* pro *ἀπολωλέκασιν αὐτήν*. Miror in Plutarcho *de Fraterno Amore* p. 483. F. *οἱ δὲ καὶ τιτθὰς ἀποσπῶντες ἀλλήλων — ἀπίασιν ἀνδραπόδου τιμὴν πλέον ἔχοντες, τὸ δὲ μέγιστον καὶ τιμιώτατον τῶν πατρῴων φιλίαν ἀδελφοῦ καὶ πίστιν ἀποδεδωκότες*, in his, inquam, miror neminem vidisse emendandum esse *ἀπολωλεκότες*. Nusquam autem quidquid per similitudinem formae litterarum confundi potest ineptius confusum esse videbis quam in Hesychio, qui palaeographicis observationibus fons est inexhaustus. Apud Hesychium *κατὰ στοιχεῖον* scriptum est *Ἀέρον* pro *δέρον*, *Ἄοιγον* pro *λοιγόν*, *Ἀριστῆραι* pro *δρήστειραι*, *Ἄτματα* pro *λύματα*, *Ἀλμήτην*: *ἀδάμαστον* pro *ἀδμήτην*, *Ἀπόδοντο* pro *ἀπόλοντο*, *Δείληθι* pro *δείδιθι*, *Ἐλέννάζεν* pro *ἐδέννάζεν*, *Ληται* pro *ἄηται*, *Λίξαντα* pro *ἀΐξαντα*, *Παῖδνες* pro *παιᾶνες*, *Πελιανόν* pro *πελιδνόν*, *Συνδέσαι* pro *συναέσαι* et similia passim. Eiusdem plane generis errores in libris Euripideis Critici plurimos deprehenderunt: *καθόλου* pro *καθόδου* Herc. Fur. 19. *ἅμα θέντας* pro *δμαθέντας* Alcest. 127. *ἅπτουσαι* pro *λιποῦσαι* Bacch. 56. *ὁ πάντες ἀργαλῆς* pro *Ὅπλητες*, *Ἀργαδῆς* Ion. 1580. *κατέκαυσε* in Cyclope 671. in *κατέκλασε* Reiskius mutavit: verum Dobraeus reperit *κατέκλυσε*. Facile intelligitur unde natum sit *οὐ ταῦτ' ὄνειδος* in Ione 587. pro *οὐ ταυτὸν εἶδος*, aut ut insigni exemplo defungar:

εἰς ἓν δὲ κραθὲν ταυτὸν ἰχῶρ' εἰσφορεῖς;

in eadem fabula vs. 1016. pro:

εἰ ἓν δὲ κραθέντ' αὐτὸν ἢ χωρὶς φορεῖς;

Crasis in *οὐρανοῦ 'λεξώμεθα* comparari potest cum *μακροῦ 'ποπαύσω* in Suppl. 641. *μόχθου 'πικουφίζουσαν* Electr. 72. *σκηπτοῦ 'πιόντος* in Rheso 674. et similibus. Mendum non admodum dissimile atque *οὐρανοῦ δεξώμεθα* pro *'λεξώμεθα* deprehendi in Medea 1117.

καραδοκῶ τἀκεῖθεν οἷ προβήσεται,

non enim quo *progressurum* id esset Medea exspectabat, sed quo *evasurum*, quem exitum habiturum, quare scribendum *οἷ*

'ποβήσεται, ut apud Herod. VIII. 67. *ἐκαραδόκεον τὸν πόλεμον κῇ ἀποβήσεται* et I. 32. *σκοπέειν χρὴ παντὸς χρήματος τὴν τελευτὴν κῇ ἀποβήσεται*, et in Platonis Lyside 206. A. *δεδιὼς τὸ μέλλον ὅπῃ ἀποβήσεται* et saepe alibi, ut mirer cur hoc Aristophanes riserit in noto fragmento *τῶν Δαιταλέων*

ἀποβήσεταί σοι ταῦτα ποῖ τὰ ῥήματα;
B. *παρ' Ἀλκιβιάδου τοῦτο τἀποβήσεται*,

sed ad *Helenam* revertor, ubi vs. 896. male scribitur:

μή μου κατείπῃς σῷ κασιγνήτῳ πόσιν
τόνδ' εἰς ἐμὰς ἥκοντα φιλτάτας χέρας,

pro *φίλτατον*. Gravius multo corruptus est versus 1021.

αὐτοὶ μὲν οὖν τὴν ἔξοδόν γ' εὑρίσκετε,

ubi *τήν* male additur et *γε* ridiculum est, praeterea *εὑρίσκειν* non est rei accommodatum, quae *ἐξευρίσκειν* postulat. In tam multiplici malo et tam manifesto probabile est non ipsam poëtae manum leviter depravatam in corrupta scriptura subesse, ex cuius reliquiis vera lectio perite reconcinnanda sit, sed alienum vocabulum irrepsisse, quamobrem corrigendum esse arbitror:

αὐτοὶ μὲν οὖν τιν' ἔξοδον ματεύετε.

Similiter in Ione vs. 616. in libris est manifesto mendosa scriptura:

ὅσας σφαγὰς δὴ φαρμάκων θανασίμων
γυναῖκες εὗρον,

futile est inserere *τε*, quae est *συκίνη ἐπικουρία*. Poëta mihi scripsisse videtur *φαρμάκων θυμοφθόρων*, ut apud Homerum est Odyss. B. 329. *ὄφρ' ἔνθεν θυμοφθόρα φάρμακ' ἐνείκῃ*. Adscripsit magistellus *θανασίμων*, quod eum sibi habere iubemus.

In versu 1033.

κοινὴν ξυνάπτειν μηχανὴν σωτηρίας,

mihi quidem *κοινῇ* melius videtur. Prorsus absurdum est vs. 1049.

βούλει λέγεσθαι μὴ θανὼν ἔργῳ θανεῖν;
MEN. *κακὸς μὲν ὄρνις, εἰ δὲ κερδανῶ λέγων*
ἕτοιμός εἰμι μὴ θανὼν λόγῳ θανεῖν.

lacuna vetus in primo versu videtur ex tertio olim imperite suppleta, quemadmodum multa in hac fabula et aliis nonnullis huiusmodi sunt, ut vix unum et alterum vocabulum genui-

num sit sed a sciolis addita lacunarum supplementa nos torqueant, qualia multa in Stobaeo ostendimus inesse. Recte procedent omnia si legemus:

βούλει λέγεσθαι μὴ θανὼν τεθνηκέναι;

nempe plane idem est λόγῳ θανεῖν et λέγεσθαι τεθνηκέναι.

In vicinia vs. 1062.

ὡς εὖ τόδ' εἶπας πλὴν ἕν. εἰ χέρσῳ ταφὰς
θεῖναι κελεύσει σ', οὐδὲν ἡ σκῆψις φέρει.

non exputo quid sibi ὡς velit in priore senario et insiticium esse credo, quum vera lectio sit: εὖ τοι τόδ' εἶπας κτέ. In altero senario mendum inest quod ne literula quidem mutata sanabo. Scriptura vetus ΚΕΛΕΤΣΕΙΣΟΤΔΕΝ intus hanc lectionem servabat κελεύσει, 'ς οὐδὲν ἡ σκῆψις φέρει, nam sic loquebantur pro οὐδὲν ἡμᾶς ὠφελεῖ. In vs. 1074. πόνους γὰρ δαίμονες παύσουσί μου credo praesens requiri παύουσι. Satis me Dii exercuerunt: iam *dant* mihi laborum finem, non *dabunt*. Vs. 1104. pro εἰ δ' ἦσθα μετρία solet Euripides μέτριος dicere. Optime confirmabit Euripides ipse, quem Plutarchus ἐν τοῖς ὑγιεινοῖς παραγγέλμασιν pag. 132. B. inducit his verbis πρὸς τὴν 'Αφροδίτην διαλεγόμενον·

Εἴης μοι, μέτριον δέ πως εἴης, μηδ' ἀπολείποις.

qui μέτριος δέ πως, ut opinor, dixerat.

In vss. 1164 sqq.

ὦ χαῖρε, πατρὸς μνῆμ', ἐπ' ἐξόδοισι γὰρ
ἔθαψα, Πρωτεῦ, σ' ἕνεκ' ἐμῆς προσρήσεως.
ἀεὶ δέ σ' ἐξιὼν τε κεἰσιὼν δόμους
Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπει, πάτερ,

et ob alias causas et ob praecedens ἔθαψα genuinam lectionem arbitror fuisse προσεννέπω, non προσεννέπει. Apertum est unde orta sit corruptela, quales mihi saepius apud alios observatae sunt. Iam alibi emendavi versum Aristophanis in Acharn. 406.

Εὐριπίδη, Εὐριπίδιον,
Δικαιόπολις καλεῖ σε Χολλείδης ἐγώ,

ubi ne ἐγώ quidem additum scribas retinuit, quo minus interpolarent sinceram scripturam hanc:

Δικαιόπολις καλῶ σ' ὁ Χολλείδης ἐγώ.

Quis ferat quod apud Thucydidem legitur I. 128. Παυσανίας

ὁ ἡγεμὼν τῆς Σπάρτης τούσδε τέ σοι χαρίζεσθαι βουλόμενος ἀποπέμπει δορὶ ἑλὼν καὶ γνώμην ποιοῦμαι κτἑ. pro ἀποπέμπω, ut recte scribitur cap. 137. Θεμιςοκλῆς ἥκω παρά σε. Quam impudenter in talibus scribae grassentur in Herodoto quoque conspicitur III. 14. ubi legimus: δεσπότης σε Καμβύσης, Ψαμμήνιτε, εἰρωτᾷ διότι δὴ τὴν μὲν θυγατέρα ὁρέων κεκακωμένην καὶ τὸν παῖδα ἐπὶ θάνατον ςείχοντα οὔτε ἀνέβωσας οὔτε ἀπέκλαυσας, τὸν δὲ πτωχὸν οὐδέν σοι προσήκοντα, ὡς ἄλλων πυνθάνεται, ἐτίμησας; Lectio πυνθάνομαι, quam multi Codices servant, manu ducit ad hanc correctionem: Καμβύσης εἰρωτῶ τάδε· τί δή — et ὡς ἄλλων πυνθάνομαι. Eodem modo Aegyptius haud secus ac praesenti respondet: ὦ παῖ Κύρου, κτἑ. Haud scio an non Euripides in Electra vs. 1238.

Ἀγαμέμνονος παῖ, κλῦθι. δίπτυχοι δέ σε
καλοῦσι μητρὸς σύγγονοι Διόσκοροι,

scripserit μητρὸς καλοῦμεν σύγγονοι, quemadmodum in Helena 1647. optime legitur: δισσοὶ δέ σε | Διόσκοροι καλοῦμεν. Similiter in Hippolyto 1285. recte scribitur:

Λητοῦς δὲ κόρη σ' Ἄρτεμις αὐδῶ.
Θησεῦ, τί τάλας τοῖσδε συνήδει;

ad quod exemplum refinge alium Euripidis locum in Oreste 1225 sqq.

ὦ δῶμα ναίων νυκτὸς ὀρφναίας πάτερ,
καλεῖ σ' Ὀρέςης παῖς σὸς ἐπίκουρον μολεῖν
τοῖς δεομένοισι, διὰ σὲ γὰρ πάσχω τάλας
ἀδίκως. προδέδομαι δ' ὑπὸ κασιγνήτου σέθεν.

ubi καλῶ rescribendum esse satis ostendunt πάσχω et προδέδομαι. In loco Hippolyti plerique libri tralaticio mendo inquinati exhibent Λητοῦς δὲ κόρη σ' Ἄρτεμις αὐδᾷ pro αὐδῶ, quod in uno libro repertum Valckenaerius vindicavit et aliis locis et appositissimo hoc ex Oreste 1664.

Φοῖβός σ' ὁ Λητοῦς παῖς ὅδ' ἐγγὺς ὢν καλῶ.

qui vel solus confirmare satis poterat quod dedimus: ἀεὶ δέ σε — Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπω. Idem vitium, nisi vehementer fallor, inquinat Ennii versum apud Ciceronem de Senectute V. 14. *Sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt: quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius:*

Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
vicit Olympia, nunc senio confectu' quiescit.

equi fortis et victoris senectuti comparat suam. Vere hoc dictum esse ita demum intelliges si emendaveris:

nunc senio confectu' *quiesco.*

Prima persona negligenter in secundam corrupta est apud Ciceronem de Divinatione I. 45. *Quum imperator exercitum lustraret — bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur; quod idem in delectu consules observant ut primus miles fiat bono nomine: quae quidem a te* scis *et Consule et Imperatore summa religione esse servata.* Quis admonitus dubitabit, quin Cicero dederit: *scio*, et quis in Tuscul. Disputatt. I. 2. non malet cum Bentleio legere: *Honos alit artes omnesque* incendimur *studio gloriae*, quam cum scribis Codicum vetustiorum *incenduntur.* Quam facile haec omnia a scribis depravari soleant novum exemplum est in Alcestide vs. 167.

μὴ δ' ὥσπερ αὐτῶν ἡ τεκοῦσ' ἀπόλλυμαι,

ubi in multis libris est vitiose *ἀπόλλυται.* Felicius evasit Andromach. 414.

ὦ τέκνον, ἡ τεκοῦσά σ', ὡς σὺ μὴ θάνῃς,
ςείχω πρὸς ᾅδην.

Neque multum dubito, quin in Theocriti Epigr. XXI.

ὁ μουσοποιὸς ἐνθάδ' Ἱππῶναξ κεῖται,

quia caetera ex ipsius Hipponactis persona dici videntur, rescribendum sit *Ἱππῶναξ κεῖμαι.*

Addam perelegantem Bionis locum apud Stob. Floril. LXIII. 7.

ἢν μὲν γὰρ βροτὸν ἄλλον ἢ ἀθανάτων τινὰ μέλπω
βαμβαίνει μευ γλῶσσα καὶ ὡς πάρος οὐκέτ' ἀείδει,

ubi quidquid est hominum venustiorum credo libenter mecum emendaturos *καὶ ὡς πάρος οὐκέτ' ἀείδω*, et in sequenti disticho:

ἢν δ' αὖτ' ἐς τὸν ἔρωτα καὶ ἐς Λυκίδαν τι μελίσδω
καὶ τόκα μοι χαίροισα διὰ ςόματος ῥέει ᾠδά.

triplex vitium sic sublaturos, ut scribant:

δὴ τόκα μοι χαρίεσσα διὰ ςόματος ῥέει αὐδά.

In vs. 1235. blande Helena:

σπονδὰς τέμωμεν καὶ διαλλάχθητί μοι,

inquit. Cui Theoclymenus laetus respondet:

μεθίημι νεῖκος τὸ σόν, ἴτω δ' ὑπόπτερον,

sed graviter in his metrum laborat. Deo immortali in Hexametro licet dicere:

καὶ κωφοῦ ξυνίημι καὶ οὐ φωνεῦντος ἀκούω.

mortali Tragico aut Comico in senariis non licet in ἵημι et compositis ι corripere. Emendandum est μεθῆκα νεῖκος τὸ σόν, quemadmodum in Ione recte legitur 256. μεθῆκα τόξα, et in Electra Eurip. 622. προσηκάμην τὸ ῥηθέν et 260.

ξυνῆκ' Ὀρέστῃ μήποτ' ἐκτίσῃ δίκην.

et 644.

ξυνῆχ', ὕποπτος οὖσα γιγνώσκει πόλει.

et in Oreste 433.

ξυνῆκα. Παλαμήδους σε τιμωρεῖ φόνος.

Adscripsi haec potissimum ut emendarem Aristophanis in Avibus versum 945.

ξύνες ὅ τοι λέγω.

B. ξυνίημ', ὅτι βούλει τὸν χιτωνίσκον λαβεῖν.

ubi ad illa exempla quivis videat corrigendum esse ξυνῆχ', ὅτι βούλει κτέ.

Versus 1298 sqq.

εὐμενέστερον γὰρ ἂν
τῷ φιλτάτῳ μοι Μενέλεῳ τὰ πρόσφορα
δρῴης ἂν ἡμῶν τυγχάνων οἵων σε χρή.

ipsi integerrimi sunt et sine labe, sed egregie faciunt ad sanandos alios locos, ubi eadem dicendi forma olim vitium concepit. Incipiam hoc demonstrare in loco Sophocleo in Oedipo Coloneo 1480, sqq.

ἵλαος, ὦ δαίμων, ἵλαος εἴ τι γᾷ
ματέρι τυγχάνεις ἀφεγγὲς φέρων.
ἐναισίου δὲ συντύχοιμι μηδ' ἄλαστον ἄνδρ' ἰδὼν
ἀκερδῆ χάριν μετάσχοιμί πως.

offendit omnes merito ἐναισίου δὲ συντύχοιμι, sed omnes quod est in ea scriptura sanum tentaverunt, quod non est intactum reliquerunt. Schaeferus primus ἐναισίῳ δὲ συντύχοιμι dedit, quem Elmsleius sequitur. Badham quoque assentitur (ad Helen. vs. 580), sed quoniam »*pronomine carere non possumus*" ut recte vidit, durissimam crasin Sophocli tribuit: ἐναισίῳ δὲ σοὐντύχοιμι. Multo faciliore negotio locus sanari potest: le-

gendum enim: ἐναιτίου δὲ σοῦ τύχοιμι, quod perinde est ac si dixisset: ἐναίτιος δέ μοι εἴης: quemadmodum dicitur μετρίου σοῦ ἔτυχον pro μέτριος περὶ ἐμὲ ἐγένου, et in Alcestide 559.

αὐτὸς δ' ἀρίστου τοῦδε τυγχάνω ξένου,
ὅτανπερ Ἄργους διψίαν ἔλθω χθόνα.

id est οὗτος δέ μοι ξένος ἄριστός ἐστιν.

Ex eiusdem usus observatione emendari poterit locus in Euripidis Oreste vs. 701.

ὅταν γὰρ ἡβᾷ δῆμος εἰς ὀργὴν πεσὼν
ὅμοιον ὥστε πῦρ κατασβέσαι λάβρον.
—— —— —— ὅταν δ' ἀνῇ πνοάς,
τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.

non significat enim novissimus senarius: *facile quidvis ab eo impetrare possis*, quoniam τύχοις ἂν παρ' αὐτοῦ eo sensu Graece dicendum est [2], neque ὅσον θέλεις, *quantumvis*, rei convenit: quamobrem scriptum olim fuisse suspicor:

τύχοις ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως οἵου θέλεις.

Eodem modo dictum est in Androm. 742.

θυμούμενος δὲ τεύξεται θυμουμένων.

et in Troad. 734.

αὐτή τ' Ἀχαιῶν πρευμενεστέρων τύχοις.

et saepe alibi. Hinc certa emendatio peti potest Euripidis fragmento in Stob. Floril. LXIII. 1.

τῇ δ' Ἀφροδίτῃ πόλλ' ἔνεστι ποικίλα.
τέρπει τε γὰρ μάλιστα καὶ λυπεῖ βροτούς.
τύχοιμι δ' αὐτῆς, ἡνίκ' ἐστὶν εὐμενής.

emenda:

τύχοιμι δ' αὐτῆς, ἡνίκ' εἶσιν, εὐμενοῦς.

id est: εἴη δέ μοι εὐμενής, ὅταν ἔλθῃ, quod simillimum est Sophocleis ἐναιτίου δὲ σοῦ τύχοιμι. Quid sit ἡνίκ' εἶσιν optime ipse Euripides interpretabitur apud Athen. p. 561. B.

τὸ δ' ἐρᾶν προλέγω τοῖσι νέοισιν
μήποτε φεύγειν,
χρῆσθαι δ' ὀρθῶς, ὅταν ἔλθῃ.

---

[2] Etiam πρός τινος, ἔκ τινος pro παρά τινος dicebant. Adversatur unus, quod sciam, locus in Iphigen. Aulid. 995.

ἢ μὴ παρούσης ταῦτα τεύξομαι σέθεν;

Eodem modo verbum *τυγχάνειν* et caeteri omnes saepe usurpant et saepissime Oratores, quorum aliquot locos praemittam emendate in libris scriptos, ut ex iis restituam alios, ubi hoc dicendi genus scribae interpolando depravarunt. Lysias XXIV. 23. *μηδαμῶς, ὦ Βουλή, ταύτῃ θῆσθε τὴν ψῆφον. διὰ τί γὰρ ἂν καὶ τύχοιμι τοιούτων ὑμῶν*; XVIII. 23. *ταύτην ἀπαιτοῦμεν ὑμᾶς τὴν χάριν· μὴ περιιδεῖν ἡμᾶς ἀπόρως διατεθέντας — ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον παράδειγμα ποιῆσαι τοῖς βουλομένοις τὴν πόλιν εὖ ποιεῖν, οἵων ὑμῶν ἐν τοῖς κινδύνοις τεύξονται*, id est *οἷοι περὶ αὐτοὺς ὑμεῖς ἐν τοῖς κινδύνοις ἔσεσθε*. Andocides III. 21. *ἡμῖν δὲ πῶς ἔξεςι τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι; ποίων τινῶν Λακεδαιμονίων τυγχάνοντας*; Idem IV. 2. *μεγίςοις περιπέπτωκα κινδύνοις προθύμων μὲν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑμῶν τυγχάνων, διόπερ σώζομαι, πλείςοις δὲ καὶ δεινοτάτοις ἐχθροῖς χρώμενος*. Quicumque hanc orationem aut habuit aut scripsit hoc dicit: saepe in iudiciis in capitis discrimen adductus sum, sed semper absolutus, *ὅτι πρόθυμοι καὶ ἀγαθοὶ ἄνδρες περὶ ἐμὲ ἐγένεσθε*. In Xenophontis Anabasi V. v. 15. *ἐρωτᾶτε ὁποίων τινῶν ἡμῶν ἔτυχον*, id est *ὁποῖοί τινες περὶ αὐτοὺς ἐγενόμεθα*. Reponenda est eadem loquendi forma apud Lysiam XII. 77. Theramenes, inquit, ipse haec omnia, quae ego dico, in senatu dixit, *ὀνειδίζων μὲν τοῖς φεύγουσιν ὅτι δι᾽ αὐτὸν κατέλθοιεν, οὐδὲν φροντίζων τῶν Λακεδαιμονίων* (nam sic legendum), *ὀνειδίζων δὲ τοῖς τῆς πολιτείας μετέχουσιν ὅτι πάντων τῶν πεπραγμένων αὐτὸς αἴτιος γεγενημένος τοιούτων τυγχάνοι*, imo vero *τοιούτων αὐτῶν τυγχάνοι*, id est *ὅτι περὶ αὐτὸν εἶεν τοιοῦτοι*, nempe *ἄπιςοι καὶ ἀχάριςοι*. Similiter XXIV. 26. *μὴ τοίνυν, ὦ Βουλή, μηδὲν ἡμαρτηκὼς ὁμοίως ὑμῶν τύχοιμι τοῖς πολλὰ ἠδικηκόσι*, quoniam apparet hoc dicere hominem: *μὴ τοιοῦτοι περὶ ἐμὲ γένεσθε τὸν μηδὲν ἡμαρτηκότα, οἷοίπερ ἐςε περὶ τοὺς πολλὰ ἠδικηκότας*, perspicuum est legi oportere *ὁμοίων ὑμῶν τύχοιμι*, et in fine lepidissimae oratiunculae § 27. *ἐγὼ δὲ τούτων ὑμῖν τυχὼν ἕξω τὴν χάριν*, qui Lysiam bene norunt facile intelligent ita ab eo dici non potuisse pro *ἐγὼ δὲ τούτου παρ᾽ ὑμῶν τυχών* vel pro *ἐγὼ δὲ τούτου τυχὼν ὑμῖν ἕξω τὴν χάριν*, quo facilius mihi assentientur emendandum esse *ἐγὼ δὲ τοιούτων ὑμῶν τυχών κτέ*. Ex eiusdem rei observatione explicandus est Sophoclis in Philocteta locus vs. 320. Dixerat Philoctetes:

τοιαῦτ' Ἀτρεῖδαί μ' ἥ τ' Ὀδυσσέως βία,
ὦ παῖ, δεδράκασ'. οἷς Ὀλύμπιοι θεοί
δοῖέν ποτ' αὐτοῖς ἀντίποιν' ἐμοῦ παθεῖν.

cui Neoptolemus respondet:

ἐγὼ δὲ καὐτὸς τοῖσδε μάρτυς ἐν λόγοις
ὡς εἴσ' ἀληθεῖς οἶδα συντυχὼν κακῶν
ἀνδρῶν Ἀτρειδῶν τῆς τ' Ὀδυσσέως βίας,

ubi Sophoclea audacia συντυχών positum esse videtur pro ὁμοίως σοὶ τυχών, ut sensus sit καὶ περὶ ἐμὲ οἱ Ἀτρεῖδαι καὶ ὁ Ὀδυσσεὺς ἄνδρες κακοὶ ἐγένοντο. Simplex τυχόντες vitiose legitur in Iphig. Taur. 252.

πῶς δ' εἴδετ' αὐτοὺς καὶ τυχόντες εἵλετε;

verum monstrat versus in Helena 1217.

ναῦταί σφ' ἀνεῖλον ἐντυχόντες, ὡς λέγει.

quo indicio legerim κἀντυχόντες εἵλετε; sed in Helenae versu non leve mendum superest in ἀνεῖλον. Dicebant omnes in ea re ἀνείλοντο, quod notissimum est vel ex decem Praetorum iudicio, qui capitis damnati sunt, ὅτι οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ἀρίστους ὑπὲρ τῆς πατρίδος γενομένους apud Xenophontem in Hellen. I. VII. 11. et passim. Ne credas Tragicis alia placere quam populo inspice Helen. vs. 1615.

ἤδη δὲ κάμνονθ' ὁρμιὰν τείνων μέ τις
ἀνείλετ', ἐς δὲ γαῖαν ἐξέβησέ σοι
ταῦτ' ἀγγελοῦντα.

In vs. 1564.

ἐκάλεσεν· ὦ πέρσαντες Ἰλίου πόλιν.

non potest ἐκάλεσεν scribi pro ἐβόησεν, ut opinor. Correxerim ἐκέλευσεν, comparato vs. 1569. οἱ δ' εἰς κέλευσμ' ἐλθόντες et 1600 et 1606.

Quae forma recte vs. 1567. legitur εἰς πρῷραν ἐμβαλεῖτε et 1586. εἰς πρῷραν εἶρπεν, in eam undique expellendam scribae omnes fere conspirarunt, quibus solemne est πρώρα et apud Herodotum πρώρη scribere, veluti I. 194. πρώρην συνάγοντες, quod non minus est vitiosum quam μίη, μίην, σφαίρη, πείρη sim. In quibus paenultima diphthongum habet, in iis α corripitur, ut in σφαῖρα, πεῖρα, μοῖρα, ἄρουρα. Αὖρα olim Aeolicam litteram videtur habuisse. Quum constet in ΠΡΩΙΡΑ olim ι fuisse ex Etymol. M. p. 692, 25. sequitur ultimam

brevem esse oportere. Male Bekkerus in Homeri carminibus retinuit vitiosas scripturas *πρώρης*, *κυανοπρώροιο*, et barbaram formam *κυανοπρωρείους* in Odyss. Γ. 299, ubi iam pridem ex Etymol. l. l. scribendum esse ostendimus *κυανοπρωείρους*. Quod in secundo Euripidis loco praecedit vs. 1585. *δεξιᾷ δ' ἑλὼν ξίφος | ἐς πρῷραν εἷρπε* leviter est depravatum ex *δεξιᾷ δ' ἔχων ξίφος*, ut recte legitur vs. 1810. *Μενέλεως δ' ἔχων ὅπλα*. Tralaticia haec est in libris confusio: in Aristophanis Pace vs. 219. in libris est:

ἥξουσι καὖθις, ἣν ἔχωμεν τὴν πόλιν,

sed verissimum est *ἣν ἕλωμεν τὴν Πύλον*, quod primus reposuit R. Hirschig ad Arist. Vesp. p. 149.

In extrema fabula vs. 1666.

σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ. συγγόνῳ δ' ἐμῇ λέγω·
πλεῖν σὺν πόσει σῷ. πνεῦμα δ' ἕξετ' οὔριον,

fuit quum *λέγω* mihi esset de mendo suspectum et suspicarer duplici vitio sublato scribendum esse: *συγγόνῳ δ' ἐμῇ τάδε· πλεῖ σὺν πόσει σῷ*. Utramque suspicionem et correctionem Badhamo probavi, quem nunc, ut sunt *αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι*, conabor *μεταπείθειν*, ut *λέγω* saltem retineat, quod sanissimum esse hi Euripidis loci demonstrabunt: Phoeniss. 568.

σοὶ μὲν τάδ' αὐδῶ. σοὶ δὲ, Πολύνεικες, λέγω.

et ibid. vs. 778.

σοὶ μὲν τάδ' εἶπον. προσπόλοις δ' ἐμοῖς λέγω·
ἐκφέρετε τεύχη πάνοπλά τ' ἀμφιβλήματα.

et Supplic. 1213.

σοὶ μὲν τάδ' εἶπον. παισὶ δ' Ἀργείων λέγω.

sed *πλεῖ σὺν πόσει σῷ* rescribendum esse pro *πλεῖν* et per se satis certum et evidens est et illi ipsi loci confirmant.

Quod supra diximus Stobaei libros turpiter interpolatos esse duobus novis exemplis ex Helena confirmabimus. In optimo Codice Vindobonensi ex Helena haec afferuntur Floril. LXII. 2.

ἐγὼ δὲ δοῦλος εἰ πέφυχ' ὅμως λάτρις,

pro *ἐγὼ μὲν εἴην, κεἰ πέφυχ' ὅμως λάτρις*, (Hel. vs. 727.) deinde pro *τοὔνομ' οὐκ ἔχων ἐλεύθερον*, in AB. Parisinis est *τοῦτ' ὄμμα οὐκ ἔχων*, in Vindob. *τοῦτ' ὄνομ' οὐκ ἔχων*, natum ex *τουνομ'* (supra scr. *το*), et paulo post pro *ἕν' ὄντα* quod erat in vetusto libro

ΕΝΑΟΝΤΑ stolide depravarunt in ἐνδόντα. Alter locus est in Eclogis Phys. I. 7. 6. ubi ex Helena affertur:

σκέψαι γὰρ ὁ θεὸς ὡς ἔχει τι ποικίλον
καὶ δυστέκμαρτον.

quum vera scriptura sit: ὦ θύγατερ, ὁ θεὸς ὡς ἔφυ τι ποικίλον vs. 710. Supererat in libro detrito * * ΓΑ * * ΟΘΕΟΣΩΣΕ * * ΤΙΠΟΙΚΙΛΟΝ, quum corrector audax et temerarius quidquid in mentem venit supplere coepit. Idem in Euripidis Codicibus nimis saepe factum esse apparet. Multa apud Euripidem leguntur nimis arguta, subinepta, frigida, ἀπροσδιόνυσα, neque rei neque personae neque temporibus satis convenientia, quae ipsi Poëtae imputanda sunt, qui non βλέποντα σώματα sed νευρόσπαστα inducit in scenam, δι' ὧν αὐτὸς πάσας φωνὰς ἀφίησιν aequales et aequalium et popularium vitia carpens et castigans aut insaniam insectans aut morum praecepta ἄκαιρα ponens aut rerum naturam subtiliter philosophando explicans, quae omnia alibi egregium usum habere potuissent, nunc οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον. Deinde quoniam omnia ad praesentem vitae usum et rationem accommodat et est curiosus magis quam μεγαλόφρων καὶ ὑψηλόνους nimis saepe ad exiles minutias delabitur et dicendi genus sequitur vulgare et humi repens, quod Deorum heroumque maiestati non respondet. Haec igitur ipsius Poëtae sunt ἀποτεύγματα. Praeterea magnus inest locorum numerus a scribis et correctoribus tam male corruptorum, ut omnis propemodum spes emendandi abiicienda videatur. Quis enim ex verbis σκέψαι γὰρ ὁ θεὸς ὡς ἔχει umquam eruat ὦ θύγατερ, ὁ θεὸς ὡς ἔφυ, vel ex lectione ἐγὼ δὲ δοῦλος εἰ πέφυχ' ὅμως eliciat ἐγὼ μὲν εἴην κεἰ πέφυχ' ὅμως? Nemo hercle. Torquent tamen sese Interpretes in talibus et obtundunt sibi iudicium aut comminiscuntur aliquid, ὅπερ ἄρρητον ἄμεινον. Quis, ut hoc utar, umquam sibi satisfaciet in vs. 434 sqq.

ἐλπὶς ἔκ γε πλουσίων δόμων
λαβεῖν τι ναύταις. ἐκ δὲ μὴ 'χόντων βίον,
οὐδ' εἰ θέλοιεν, ὠφελεῖν ἔχοιεν ἄν.

quae scabrities orationis est in verbis: ἐκ δὲ μὴ 'χόντων βίον οὐδ' εἰ θέλοιεν ὠφελεῖν ἔχοιεν ἄν. Dici et intelligi potest οἱ δὲ μὴ ἔχοντες βίον, sed haec ipsa sententia quam futilis et insulsa est. Post pauca ancilla vetula Menelaum minis absterret a fo-

ribus haec fere dictitans sermone populari: *τίς ἐϛι πρὸ τῆς θύρας; οὐκ ἄπει; μὴ πράγματα πάρεχε τῷ δεσπότῃ πρὸς τὴν αὔλειον θύραν προσεϛώς, ἢ ἀποθανεῖ Ἕλλην ὤν, οἷς οὐκ ἔϛιν ἐπιμιξία.* Cui Menelaus:

ὦ γραῖα, ταῦτα πάντ' ἔπη καλῶς λέγεις.

satin sanus videatur, qui illis haec respondeat? Etiam absurdiora addit:

ἔξεϛι. πείσομαι γάρ. ἀλλ' ἄνες λόγον.

ô miseros interpretes, quibus haec explicari posse videntur et qui aliquam inesse in istis sententiam firmiter credunt, quam nitendo elicere satagunt, ut ille qui *versat Saxum sudans nitendo neque proficit hilum.* Neque adhuc plane exemta est ex Interpretum animis illa simplicitas, qualis erat eius qui ad Phoen. vs. 916.

ἅπερ πέφυκε ταῦτα κἀνάγκη σε δρᾶν.

annotavit: »*Dum melior lectio e Codicibus eruatur videndum an explicari saltem locus possit.*" Quis igitur mirabitur, si sic monstra et portenta interpretationum comminiscuntur? Post pauca iterum Menelaus urget vs. 449.

ἄγγειλον εἴσω δεσπόταισι τοῖσι σοῖς.

Cui anus:

πικρῶς ἂν οἶμαί γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους.

in quo versu si quid emendari potest *πικρούς* erit probandum, quo sensu utuntur vocabulo *πικρός* qui alicui malum minantur, ut in hac ipsa re Aristophanes Thesmoph. 853.

πικρὰν Ἑλένην ὄψει τάχ', εἰ μὴ κοσμίως
ἕξεις, ἕως ἂν τῶν πρυτάνεων τις φανῇ.

sed quid quaeso sic proficimus? neque *ἀγγελεῖν ἄν* ullo modo sanum esse potest neque *γε* ineptissime interpositum.

In istiusmodi locis mortuo, ut aiunt, medicinam facimus et nequidquam nos excruciamus et *ἀνήνυτα μοχθοῦμεν.* Quam multa de genere hoc habeat Euripidis Helena, quae in paucis libris deterrimis et flagitiose interpolatis ad nos pervenit, palam faciunt Editorum infelices interpretationes et levissimae coniecturae, in quibus nihil est quod repertae veritatis virtute feriat animum, sed contra multa, quibus certus Graecitatis usus aut numerorum ratio turpiter violetur, ut nihil sit corruptius quam id ipsum quod reponunt amissae veritatis inda-

gatores. Utar uno tantum exemplo, quod in aliis quoque locis usum habere poterit. Scriptum est in libris vs. 290.

εἰ μὲν γὰρ ἔζη πόσις ἀνεγνώσθημεν ἂν
ἐς ξύμβολ' ἐλθόντες, ἃ φανερὰ μόνοις ἂν ἦν.

non esse hunc senarium Attici poëtae et omnino esse istos numeros innumeros et κακομέτρους, quales ne Tzetzes quidem fundere potuerit, dabunt mihi omnes qui aurem habent καὶ τούτων πέρι κἂν σμικρὸν ἐπαΐουσιν. Non multo melius est quod Porsonus (ad Orest. 51) commendat:

ἐς ξύμβολ' ἐλθόνθ', ἃ φανέρ' ἂν μόνοις ἂν ἦν.

et peius etiam quod Reisig coniecit Coniect. p. 245.

ἐλθόντες ἐς ξύμβολ', ἃ φανερὰ μόνοις ἂν ἦν.

Ne dicam de sermonis vitio in ἂν ἦν commisso, ubi additum ἂν orationem soloecam facit, violatur in his certa lex metrica, quae iubet in senario tragico dactylum in tertia sede ita ponere, ut prima syllaba in caesura sit, nisi forte (quod tamen in Tragoedia perrarum est) dactyli syllabae omnes uno eodemque vocabulo contineantur, ut in Helena 755.

τί δῆτα μαντευόμεθα; τοῖς θεοῖσι χρή.

et vs. 767.

τὰ Ναυπλίου τ' Εὐβοϊκὰ πυρπολήματα.

et vs. 1016.

ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.

reliquis omnibus locis, quorum ingens est apud Euripidem ubique copia, dactyli longam syllabam in caesura positam videbis et duas breves aut monosyllabas esse, ut vs. 22, 52, 92.

Ἑλένη δ' ἐκλήθην. ἃ δὲ πεπόνθαμεν κακά.
Ψυχαὶ δὲ πολλαὶ δι' ἔμ' ἐπὶ Σκαμανδρίοις.
Τελαμὼν ὁ φύσας. τίν' ἂν ἔχοις μᾶλλον φίλον;

et passim, aut duas breves eodem vocabulo contineri ut vs. 2, 3, 15.

ὃς ἀντὶ δίας ψακάδος Αἰγύπτου πέδον
λευκῆς τακείσης χιόνος ὑγραίνει γύας.
καλοῦσιν αὐτὴν Θεονόην. τὰ θεῖα γάρ.

et sexcenties alibi. Rarissime tertia dactyli syllaba in vocabulo hypermonosyllabo collocatur, unde senarius immodulatior et durior exit, qualis est in Helena 263.

τί δῆτ' ἔτι ζῶ; τίν' ὑπολείπομαι τύχην;

et vs. 826.

τί χρῆμα δρᾶσαι; τίν' ὑπάγεις μ' εἰς ἐλπίδα;

In Hecuba unicum huius rei exemplum est vs. 345.

θάρσει. πέφευγας τὸν ἐμὸν ἱκέσιον Δία.

in Medea nullum: sed numquam dactyli duae priores syllabae in vocabulo disyllabo aut in hyperdisyllabi fine collocari possunt, quo facto versus non tantum elumbis et immodulatus evadit sed ne est quidem versus, neque *κακόμετρος* est sed plane *ἄμετρος*, qualis est in Helena vs. 9.

Θεοκλύμενον ἄρσεν' ὅτι δὴ θεοὺς σέβων,

quem nemo adhuc emendare potuit. Quid autem de tragico senario dubitabimus, quum in Comicis quoque dactylus in tertia sede et quinta in ingenti exemplorum copia non aliter quam his ipsis legibus recte ponatur, ut prima in caesura sit aut dactylus totus eodem vocabulo contineatur, ut in Aristophanis Pluto 445.

καὶ μὴν λέγω δεινότατον ἔργον παρὰ πολύ.

Cf. vs. 55, 57, 69, 94, 97, 113, 216, 335, 358, 388, 415, 432, 434, et passim. Non facile reperies in Comoedia senarios, quales hi sunt in Pluto vs. 174 et 176:

ὁ Πάμφιλος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον κλαύσεται;
'Αγύρριος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;

ubi sic legendum est divisis interlocutorum vicibus:

τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;
B. *ὁ Πάμφιλος δέ γ' οὐ διὰ τοῦτον κλαύσεται;*
A. *ὁ Βελονοπώλης δ' οὐχὶ μετὰ τοῦ Παμφίλου;*
B. *'Αγύρριος δέ γ' οὐ διὰ τοῦτον πέρδεται;*

Semel tantum alibi eadem lex violata est sed in loco interpolato in Avibus vs. 180.

πόλος; τίνα τρόπον; B. *ὥσπερ εἴποι τις τόπος.*
[ὅτι δὲ πολεῖται τοῦτο καὶ διέρχεται
ἅπαντα διὰ τοῦτό γε καλεῖται νῦν πόλος].

ubi nondum me poenitet correxisse *ὥσπερ εἰ λέγοις τόπος* et expunxisse caetera. Scioli annotatiuncula in numeros coacta est ineptos et vitiosos: quum in optimis libris sit *διὰ τοῦτο καλεῖται* nescio quis *γε* inseruit et haec nunc pro Aristophaneis leguntur, *ὦ Μοῦσαι φίλαι.* Quid vetat obiter sanare Aristophanis versum omnium, qui quidem ipsius sunt, longe *κα-*

κομετρώτατον in Vespis 1252.

παῖ, παῖ, τὸ δεῖπνον, Χρυσέ, συσκεύαζε νῷν,
ἵνα καὶ μεθυσθῶμεν διὰ χρόνου. B. μηδαμῶς.

ecquis istum senarium esse putat et Aristophanis senarium? Feliciter evenit, ut sententiae turpe vitium insit, quod deprehensum et facile sanatum numeros revocabit summo poëta dignos. Qui animo hilari et festivo convivium ineunt, iis lepidum et iucundum videri potest non τὸ μεθυσθῆναι, sed τὸ μεθύειν, illud enim efficit τὸ πίνειν πρὸς βίαν (quod tam odiosum est, ut Comico recte videtur, atque τὸ διψῆν βίᾳ), hoc τὸ πρὸς ἡδονὴν πίνειν. Quin igitur reponimus:

ἵνα καὶ μεθύωμεν διὰ χρόνου. B. μή, μηδαμῶς.

manifestum est, cur μή exciderit, quod eodem modo perierat in Pace vs. 581.

μηδαμῶς, ὦ δέσποθ' Ἑρμῆ, μηδαμῶς, μή, μηδαμῶς.

itaque quum versui syllaba deesset, supervenit corrector, qui μεθυσθῶμεν substituit et nobis istum bellissimum senarium procudit. In tribrachy eadem propemodum est ratio atque in dactylo apud Tragicos: Comici id tantum cavent ne media ictum habens incidat in ultimam syllabam vocabuli hyperdisyllabi: itaque manifesta est metri labes apud Aristophanem in Nubibus vs. 884.

ὃς τἄδικα λέγων ἀνατρέπει τὸν κρείττονα,

quo novo indicio insulsum emblema expellendum esse apparebit: at non est vitiosius δικα λε sic divisum, quam in Euripidis Electra vs. 324.

οὐπώποτε χοὰς οὐδὲ κλῶνα μυρσίνης,

ubi metrum plane perdidit qui librorum scripturam οὐπώποτ' οὐ χοὰς sic correxit scilicet, quem tamen Dindorfius secutus est. Itaque, ut ad Euripidis Helenam redeamus, non sunt saniores numeri in Reisigii coniectura:

ἐλθόντες ἐς ξύμβολ', ἃ φανερὰ μόνοις ἂν ἦν,

quam in isto:

ἅπαντα διὰ τοῦτό γε καλεῖται νῦν πόλος.

Quid verum sit latet neque umquam, credo, reperietur deletis omnibus antiquae scripturae vestigiis indiciisque, ut passim in aliis eodem modo ἀνιάτως ἔχουσιν. Quis, quaeso, umquam emendabit vs. 125.

αἰαῖ, κακὸν τόδ' εἶπας οἷς κακὸν λέγεις.

aut 281.

ἀδίκως μὲν ἀλλὰ τἄδικον τόδ' ἔς' ἐμόν.

aut 302.

σμικρὸν δ' ὁ καιρὸς κάρτ' ἀπαλλάξαι βίον.

aut 560.

ὦ θεοί! θεὸς γὰρ καὶ τὸ γιγνώσκειν φίλους.

in quae optime convenit quod Bacchus (in Ranis vs. 1169.) iecit in Euripidem:

εὖ νὴ τὸν Ἑρμῆν, ὅ τι λέγεις δ' οὐ μανθάνω,

sed probabile est parum aut nihil horum antiquae scripturae vestigia ulla servare, quemadmodum in vs. 467.

ποῦ δῆτ' ἂν εἴη; πότερον ἐκτὸς ἢ 'ν δόμοις;

ΓΡΑ. οὐκ ἔνδον. Ἕλλησιν δὲ πολεμιώτατος.

facile intelligitur quam inepte dicatur ποῦ δῆτ' ἂν εἴη; quod ab eo dici potest qui diu aliquem frustra quaesiverit, a Menelao non potest, qui nunc primum de Protei filio inaudivit rogatque πότερον ἐκτὸς ἢ 'ν δόμοις; sed quis, quaeso, umquam absque Aristophanis indicio in Thesmophor. 881. potuisset restituere:

οὗτος δὲ πότερον ἔνδον ἔς' ἢ 'ξώπιος;

ΓΡΑ. οὐκ ἔνδον.

quare optimum factu est in locis omnibus huiuscemodi tenere id quod ipsa Helena monet vs. 811.

τὸ τολμᾶν ἀδύνατ' ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Transeo nunc ad caeteras Euripidis et aliorum fabulas, unde unum et alterum locum, male habitum expromam, quem si potero emendatiorem reddam. Ostendi supra novis quibusdam exemplis quam inepte γε in Comoediam irrepat: in Tragoedia quoque ridiculos errores eodem modo natos et nondum abstersos nunc ostendam. Incipiam a Trachiniis Sophoclis, ubi Hercules Deianirae his verbis minatur exitium vs. 1107 sqq.

ἀλλ' εὖ γέ τοι τάδ' ἴςε, κἂν τὸ μηδὲν ὦ,
κἂν μηδὲν ἕρπω, τήν γε δράσασαν τάδε
χειρώσομαι κἀκ τῶνδε. προσμόλοι μόνον.
ἵν' ἐκδιδαχθῇ πᾶσιν ἀγγέλλειν ὅτι
καὶ ζῶν κακούς γε καὶ θανὼν ἐτισάμην.

in his γε bis recte et ordine positum vides, sed absurdum prorsus est in ultimo senario:

καὶ ζῶν κακούς γε καὶ θανὼν ἐπιστάμην.

tu corrige *καὶ ζῶν κακούργους καὶ θανών.* Nomen *κακοῦργος* et alibi usurpavit Sophocles, et Euripides in Oreste 772. *κακούργους* et *χρηστούς* inter se opponens; inspice et Eurip. Electr. 953. Non multo melius in Sophoclis Electra 1505 sq. scribitur:

χρῆν δ' εὐθὺς εἶναι τήνδε τοῖς πᾶσιν δίκην
ὅςις πέρα πράσσειν γε τῶν νόμων θέλει.

ubi correxerim *πράσσειν τι.* In Andromache vs. 238.

ΑΝΔΡ. *νέα πέφυκας καὶ λέγεις αἰσχρῶν πέρι.*
ΕΡΜ. *σὺ δ' οὐ λέγεις γε, δρᾷς δέ μ' εἰς ὅσον δύνῃ.*

scribendum videtur:

σὺ δ' οὐ λέγεις μὲν, δρᾷς δέ γ' εἰς ὅσον δύνᾳ.

In eadem fabula vs. 585.

οὔκουν ἐκείνου τἀμὰ τἀκείνου τ' ἐμά;
ΠΗΛ. *ναί.*
δρᾶν εὖ, κακῶς δ' οὔ, μηδ' ἀποκτείνειν βίᾳ.

ut haec more Graeco dicantur *ναί* expungendum est a magistello adscriptum et emendandum *δρᾶν γ' εὖ κτέ.* quemadmodum in Helena 1637. Theoclymeno dicenti: *σὺ σὲ τἀμὰ χρὴ δικάζειν,* respondet Chorus *ἤν γε βελτίω λέγω,* ubi Graeculus dixisset: *ναί. ἢν βελτίω λέγω.* Saepe γε in huiusmodi responsione apud Euripidem legitur, vid. Alcest. 49. ubi mihi optimus codex Vaticanus obtulit *κτείνειν γ', ὃν ἂν χρῇ* pro *κτείνειν ὃν ἄν,* Iphig. Aulid. 404. Andromach. 242. ubi Graeculi iterum *ναί* inseruerunt. Rectissime Elmsl. in Heraclidis 264. coniecit:

βλάπτων γ' ἐκείνους μηδέν.

In Medea vs. 1369.

σμικρὸν γυναικὶ πῆμα τοῦτ' εἶναι δοκεῖς;
ΙΑΣ. *ἥτις γε σώφρων.*

et alibi saepius. In Iphigenia Aulid. vs. 1572.

δέξαι τὸ θῦμα τόδ', ὅ γέ σοι δωρούμεθα,

olim sic scriptum fuisse videtur:

δέξαι τὸ θῦμα τοῦθ', ὅ σοι δωρούμεθα,

nam qui olim haec supplevit non inelegantis ingenii homo et

in Euripide multum versatus non ipse commisit pleraque vitia, quibus nunc illa supplementa inquinantur. Obiter corrige vs. 1556.

καὶ τοῦπ' ἐμ' εὐτυχοῖτε, καὶ νικηφόρου
δώρου τύχοιτε, πατρίδα δ' ἐξίκοισθε γῆν.

ubi *νικηφόρου δορὸς τύχοιτε* verius videtur, et vs. 1580.

ἐμοὶ δέ τ' ἄλγος οὐ μικρὸν εἰσῄει φρενί,

tam flagitiose corruptus est scribarum vitio, quum olim hanc formam haberet:

ἐμοὶ δ' ἐσῄειν ἄλγος οὐ σμικρὸν φρενί,

mirantes scioli quid esset *ἐσῄειν ἄλγος ἐμοί* turbare coeperunt, veterem usum quo *ᾔδειν* ante vocalem in tertia persona dicebatur, et *ᾔδη* in prima iuxta cum ignarissimis ignorantes. In Bekkeri Anecd. p. 422, 4. recte Grammaticus docet: *ἀπέρρωγεν οὐκ ἀπέρρηκται. καὶ ἀπερρώγει καὶ σὺν τῷ ν ἀπερρώγειν τὸ τρίτον πρόσωπον*, et ex poëta adscribit finem senarii *κᾆτ' ἀπερρώγειν ὁ πούς*, recte, inquam, docet, quisquis est, sed miramur talia Graecis opus fuisse doceri. Pro *ἔρρωγα* dicere *ἔρρηγμαι* sequiorum est, qui similiter errabant omnes in similibus et *κατέαγμαι* dicebant pro *κατέαγα* et *ἀπέσβεσμαι* pro *ἀπέσβηκα*, quemadmodum *ἐδυσάμην* dicebant pro *ἔδυν*. Nemo mirabitur formas, quales sunt *ᾔδη*, *ἐκεχήνη*, *ἀπωλώλη*, *ἠκηκόη* similesque omnes a Graeculis depravari, si legerit in Bekk. Anecd. p. 420, 12. *ἀπειρήκει: ἀπειρήκειν καὶ ἀπηγορεύκειν. ἔςι γὰρ ἀπρόσωπα.* ô lepidum caput, qui ita dedit pro *ἀπειρήκη: ἀπειρήκειν καὶ ἀπηγορεύκειν. ἔςι γὰρ ά (πρώτου) προσώπου* [3]. Photius ex antiquis in Platonem scholiis haec descripsit: *Ἤιδη: ἀντὶ τοῦ ᾔδειν. Εὐθύδημος. καὶ τῶν δὴ περὶ ψυχῆς· ἀλλὰ σχεδὸν μέν τι ᾔδη ὁ Κρίτων.* In Platonis Euthydemo p. 271. C. nunc recte scribitur: *ὥς' ἔγωγε οὐκ ᾔδη πρὸ τοῦ* et 302. A. *κἀγώ, ᾔδη γὰρ ὅτι κτἑ.* In Phaedone p. 63. E. editur etiamnunc *ἀλλὰ σχεδὸν μέν τι ᾔδειν, ἔφη ὁ Κρίτων.* Scribendum esse *ᾔδη* et ratio persuadet et perantiqui Gramma-

---

3) Quam immanes errores ex notis numerorum male lectis nascantur in priore parte ostendimus. Adde illis ex Hesychio *ἄδαμνος* pro *πρωτόδαμνος*, *αβεςιάριος* pro *πρωτοβεςιάριος* cet. vid. Alberti Tom. II. p. 1059. n. 5.

tici testimonium. Editores non audiunt, qui annotant: »Photius exhibet formam Atticam ᾔδη. *sed Codices omnes* ᾔδειν." Quasi vero aliquid in talibus esset in Codd. praesidii, qui ne sibimet ipsi quidem constant sed saepe ᾔδειν, saepiuscule ᾔδη servant et exarati sunt multis saeculis, postquam vetusta Scholia in Platonem scripta sunt, quae apud Photium servantur. Praeterea casu factum est, ut ipsius Panaetii testimonio constet olim in Platonis Codicibus has formas ita scriptas fuisse. Heraclides apud Eustath. ad Odyss. Φ. p. 813, 34. = 1946, 23. (indice Valckenaerio ad Hom. Iliad. librum XXII. p. 56.) ita scribit: Ἀττικοὶ τοὺς τοιούτους ὑπερσυντελικοὺς ἐν τῷ η μόνῳ περατοῦσιν ᾔδη λέγοντες καὶ ἐνενοήκη καὶ ἐπεποιήκη, καὶ οὕτω φησὶ Παναίτιος ἔχειν τὰς γραφὰς παρὰ Πλάτωνι. Spretis igitur Codd. ubique illae formae restituendae sunt τοῖς τὴν παλαιὰν Ἀτθίδα ζηλοῦσιν. Primus omnium hoc fieri iussit R. Dawesius in Miscell. Crit. p. 232, cuius auctoritatem merito omnes sequuntur. Iunioribus suaserim ut Dawesianis addant Piersoni annotationem ad Moeridem p. 173. et Valckenaerii ad Hippolytum vs. 405. et quae undique collegit Kiddius ad Dawesii locum. Quamquam autem de ea re liquido constat tamen video Editores et Criticos neque ea scientia uti, quoties opus est, et in alios quosdam errores se implicare, quorum is gravissimus est, ut serio credant pro ᾔδη dici posse et ᾔδην et pro ᾔδει (ᾔδειν ante vocalem) ᾔδη quoque recte dici. Vitiosissima haec sunt et prorsus barbara. Habet ἡ παλαιὰ Ἀτθὶς has formas *solas* ᾔδη, ξυνῄδη, ἐξῄδη, κατῄδη, et ἐκεχήνη, ἀπωλώλη, ἠκηκόη, ἐγρηγόρη, ἐπεπόνθη, ἐρρώγη, ἐλελήθη, ὠφελήκη et sic quidquid apud paulo sequiores exit in -ειν apud veteres in -η exibat, constanti omnium usu, sed eas formas eadem constantia scribae et scioli ad suam loquendi consuetudinem refingunt, quamobrem nihil Codicibus credi potest aut debet, quum sit manifesta ubique interpolatio. In Platone antiquam formam nonnumquam vetustissimi libri servant intactam, at iidem eandem saepissime cum caeteris omnibus obscurant. In Platone Stallbaumius subinde genuina reponit, ut in Symposio 198. C. ἐπεπόνθη, et in Apologia 22. D. ἐμαυτῷ γὰρ ξυνῄδη et mox ᾔδη et aliis locis: at idem in Symposio p. 123. E. reliquit: εἰ μὴ ξυνῄδειν Σωκράτει

pro ξυνῄδη et in Phaedone 63. E. servatam a Photio sinceram scripturam σχεδὸν μέν τι ᾔδη pro ᾔδειν recipere non est ausus, quam invitis quoque libris et ipso Photio receptam oportuit. Addam alium Platonis locum ut obiter mendum eximam: in Apologia 31. D. legitur εἰ ἐγὼ [πάλαι] ἐπεχείρησα πράττειν τὰ πολιτικὰ πάλαι ἂν ἀπωλώλη καὶ ὑμᾶς ὠφελήκη οὐδέν, ubi egregius liber Bodleianus a prima manu servat Platonis manum, sed inepte aliquis prius πάλαι de suo adiecit. Librarii autem tanta pertinacia -ειν in his pro -η substituunt, ut in Avibus Aristoph. 511. οὐκ ᾔδη 'γώ non desint, qui οὐκ ᾔδειν 'γώ rescripserint. In Aristophane libri omnes optimi pessimi interpolati sunt, quod leve malum est, si quis rationem et veterum Criticorum auctoritatem audebit futilibus scribis anteponere, nunc video Bergkium Ravennati libro plus quam illis credere, quum ediderit in Equitibus 821 et 1044. ἐλελήθεις, in Vespis 800. ἠκηκόειν. Similiter in Pace 616. et in Ecclesiaz. 32. ἐγρηγόρειν, ibid. 650. ἐπεπόνθειν. Idem tamen nescio quomodo in Acharnensibus 10. dedit ὅτε δὴ 'κεχήνη, quamquam Ravennas non hoc sed κεχήνει obtulit, et in Avibus 511. οὐκ ᾔδη 'γώ errare non potuit. Formae barbarae ᾔδην, ἐνενοήκην, ἐπεποιήκην, Grammaticorum socordia natae sunt, quorum obscura mentio est apud Heraclidem Eustathii ad Odyss. Ψ. p. 813, 27. πολλοὶ δὲ καὶ σὺν τῷ ν προφέρουσι τὴν εἰρημένην γραφὴν τῶν ὑπερσυντελικῶν ᾔδην λέγοντες καὶ ἐνενοήκην καὶ ἐπεποιήκην. Erant hi vetusti scripturae errores, quibus id genus Critici facile decipiebantur: nullus error eiusmodi superest in libris, neque usquam ista barbaries conspicitur praeterquam apud Grammaticos longe sequiores et illos Criticos qui istorum opinionibus aliquid putant esse tribuendum. Secunda persona apud veteres constanter exibat in -ης, nisi quod ᾔδησθα olim omnes dicebant non ᾔδης, quemadmodum οἶσθα non οἶδας, et ἦσθα non ἦς, et ᾔεισθα non ᾔεις. Scribis aliter visum, quibus -εις pro -ης solemne erat scribere, quoniam sic dicere solebant, et ᾔδεις (subinde ᾔδης) pro ᾔδησθα. Vidimus Ravennatem librum in Equitibus 821 et 1044. exhibere ἐλελήθεις, quae forma iis tantum usitata est, qui ᾔδειν ἐγώ dicebant, non antiquioribus. Saepissime ᾔδεις et ᾔδεισθα vitio irrepserunt, at nullo negotio ubique ᾔδησθα emendari

potest, ut iam nonnusquam est emendatum ab aliis. Quantillum enim est in Sophoclis Trachiniis 988. ἄρ' ἐξῄδης ὅσον ἦν κέρδος reponere ἐξῄδησθ' ὅσον, et in Nubibus 529. pro οὐκ ᾔδεις οὐδ' ἐνόμιζες emendare ᾔδησθ' οὐδ' ἐνόμιζες et in Thesmoph. 554. pro ὅσα γὰρ ᾔδεις ἐξέχεας ἅπαντα rescribere ᾔδησθ' ἐξέχεας, si constabit ex analogia et Criticorum testimoniis et optimorum librorum fide veteres non alia forma usos esse. Facilius etiam ᾔδεισθα ubique corrigetur in ᾔδησθα, quae forma libris addicentibus et apud Homerum legitur Odyss. T. 93.

πάντα γὰρ εὖ ᾔδησθ', ἐπεὶ ἐξ ἐμοῦ ἔκλυες αὐτή.

et in Euripidis Electra 926.

ᾔδησθα γὰρ δῆτ' ἀνόσιον γήμας πόσιν.

et apud Platonem de Rep. I. 337. A. εὖ οὖν ᾔδησθα, et Menone 80. D. σὺ μέντοι πρότερον ᾔδησθα, et post pauca ὃ σὺ οὐκ ᾔδησθα, et in Euthyphrone 15. D. εἰ γὰρ μὴ ᾔδησθα, et in Euthydemo 277. E. οὐκ ᾔδησθα, ubi in multis libris ᾔδεισθα correctum est scilicet. Non est igitur dubitandum, quin in Ecclesiaz. 551. scribendum sit οὐκ ᾔδησθά με | φράσαντά σοι χθές; et in Euripidis Cyclope 108.

πῶς; πορθμὸν οὐκ ᾔδησθα πατρῴας χθονός;

Qui solus videtur pertinaciter repugnare locus Sophoclis in Antigone 446.

σὺ δ' εἰπέ μοι μὴ μῆκος ἀλλὰ σύντομα,
ᾔδης τὰ κηρυχθέντα μὴ πράσσειν τάδε;
ANT. ᾔδη. τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανῆ γὰρ ἦν.

nullo negotio Atticam scripturam recipiet ᾔδησθα κηρυχθέντα id est ὅτι ἐκηρύχθη; ubi κηρυχθέντα positum est ut δεδογμένα pro δεδογμένον in eadem fabula 576.

δεδογμέν', ὡς ἔοικε, τήνδε κατθανεῖν.

In tertiis personis peccatur potissimum in iis formis, quae ante vocalem positae exeunt in -ειν, quas Graeculi mirantes diversis modis corrumpere solent, ut pleraeque vix evaserint nefarias indoctorum manus. In Vespis 635. elapsum est ᾔδειν in verbis:

καλῶς γὰρ ᾔδειν, ὡς ἐγὼ ταύτῃ κράτιστός εἰμι,

quia opinati sunt inepti ᾔδειν primae personae esse formam optime sibi notam. Eodem felici errore vs. 558. pepercerunt formae eidem in verbis:

ὃς ἔμ' οὐδ' ἂν ζῶντ' ᾔδειν εἰ μὴ διὰ τὴν προτέραν ἀπόφυξιν.

ubi *ὡς* pro *ὅς* scripserunt, ut *ᾔδειν* posset primae personae esse videri, de sententia non magis quam de metro solliciti, neque magis adverterunt animum in Pace 1182.

τῷ δὲ σιτί' οὐκ ἐώνητ', οὐ γὰρ ᾔδειν ἐξιών.

At non poterant sic errare in Pluto 696.

ὁ δὲ θεὸς ὑμῖν οὐ προσῄειν; — οὐδέπω.

itaque nescio quis olim emendavit scilicet *προσῄει γ'*, estque haec egregia correctio in Ravennate Codice. In Nubibus 1350. quum dedisset poëta:

ὡς οὗτος, εἰ μή τῳ 'πεποίθειν, οὐκ ἂν ἦν
οὕτως ἀκόλαστος.

certatim scioli rescripsere *πέποιθεν* aut *πέποιθ'*: Dawesius verum vidit *'πεποίθειν* emendans, quem omnes secuti sunt postquam ex Ravennate prodiit *πεποίθει* non sine gravi vitio scriptum, quod unde natum sit perspicuum est. Nullo enim modo concoquere poterant *οὗτος* — *'πεποίθειν*. In Avibus 1298. quum scripsisset Aristophanes:

ὄρτυξ ἐκαλεῖτο, καὶ γὰρ ᾔκειν ὄρτυγι.

infelix *ᾔκειν* mirifice depravarunt homunciones, qui *ᾔκεν*, *ἤκεν* et *ἦκεν* suo Marte dederunt et multos secum in errorem traxerunt, quasi vero *εἴκω* pro *ἔοικα* dici potuisset et sic *ᾔκεν* pro Ionica forma *ἐῴκει*. Attici quemadmodum constanter dicebant *εἴξασιν*, *εἰκέναι*, *εἰκώς* (quas formas et ipsas magistelli corrumpunt in *ἐοίκασιν* Ionicum et barbarum *εἴκασιν*, et Ionica *ἐοικέναι* et *ἐοικώς*) sic *ᾔκη* dicebant, ut *ᾔδη*, *ἴσασιν*, *εἰδέναι* et *εἰδώς*. Itaque rem acu tetigit Dawesius in Miscell. Crit. p. 301. emendans *καὶ γὰρ ᾔκειν ὄρτυγι*, quam certam correctionem Dindorfius sprevit, recepit nunc Bergkius. Eiusdemmodi emendatione locum in Thesmophor. 504, ubi in omnibus libris est:

ὁ δ' ἀνὴρ περιήρχετ' ὠκυτόκι' ὠνούμενος,

restituimus in priore parte quum demonstraremus *ᾖα* non *ἠρχόμην* Atticos omnes dixisse. Itaque quum esset vetus lectio:

ὁ δ' ἀνὴρ περιῄειν ὠκυτόκι' ὠνούμενος,

supervenit qui semibarbarum *περιήρχετο* adscriberet, deinde, uti fit, interpretatio veterem scripturam expulit. Adeo pertinaces sunt in talibus refingendis scioli ut in verbis docti

Grammatici, quae supra afferebamus e Bekkeri Anecd. p. 422, 4: *ἀπερρώγει καὶ σὺν τῷ ν ἀπερρώγειν τὸ τρίτον πρόσωπον·*

κἆτ' ἀπερρώγειν ὁ πούς,

emendata haec et vera lectio non scribis debeatur, (qui stolide *ἀπερρώγη καὶ σὺν τῷ ν ἀπερρώγην* et *ἀπερρώγην ὁ πούς* dederunt), sed Valckenaerio ad Hippolyt. vs. 1338. et alibi quoque, ut ostendimus, illa ipsa forma vetus, quam doctus Grammaticus vindicabat, tamen a scribis nil cogitantibus continuo in vulgarem depravatur. In Platonis Critia pag. 114. D. *πολλὰ μὲν γὰρ διὰ τὴν ἀρχὴν αὐτοῖς προσῄει ἔξωθεν, πλεῖστα δὲ ἡ νῆσος αὐτὴ παρείχετο*, eximiae bonitatis codex Parisinus A. servavit solus *προσῄειν*, quod non receperunt Editores, qui tamen paullo ante p. 112. B. *τὸ μάχιμον γένος περὶ τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερὸν κατῳκήκει οἷον μιᾶς οἰκίας κῆπον ἑνὶ περιβόλῳ προσπεριβεβλημένοι*, ex eodem libro *κατῳκήκειν* oblatum probaverant. Sed quid isto magistro facias, qui quum formas Atticas in *-ειν* exeuntes vidisset scribere potuit: *χρῶνται γὰρ οἱ Ἀττικοὶ τοῖς πρώτοις προσώποις ἀντὶ τῶν τρίτων*, quae Gregorii Corinthii verba sunt, perinepti hominis, p. 121. Bast. Novo errore forma in *-ειν* periit in Nubibus 380. ubi in Ravennate est:

τουτί μ' ἐλελήθει, | ὁ Ζεὺς οὐκ ὤν,

at Bergkius *ἐλελήθη* probatum recepit, ratus, ut opinor, tertiae personae hanc formam esse. Vetus hic error est, quem multi errarunt. Piersonus ad Moerid. p. 173. »*ἐπεπόνθη contractum ex ἐπεπόνθεε recentioris est Atticismi*," quem et analogia et usus refellunt. Contrahitur *εε* in *η* apud quosdam Dorici generis, cuiusmodi est *καλῆτε* pro *καλεῖτε* felici emendatione Aristophani redditum ab Hirschigio in Lysistrata 1105.

ναὶ τὼ σιώ, καλῆτε τὰν Λυσιστράταν.

pro absurda librorum scriptura *κἂν λῆτε τὸν Λυσίστρατον*, neque *ὕμνη* in eadem fabula 1320. in *ὕμνει* mutatum oportuit; sed quis credat apud Atticos *ἐπεπόνθεε* potuisse in *ἐπεπόνθη* contrahi? Habet ea opinio auctores Grammaticos veteres, quibus loci quidam Homerici imposuerunt, id quod optime intelligi poterit ex Etymologico Magno p. 419, 15. Homerica sunt *ᾔδεα*, *ἐτεθήπεα*, *πεποίθεα*, *ἠνώγεα*, unde Attica contracta esse palam

est, ut ἔα Homericum in ᾖ. Apud Homerum eodem modo, quo apud Atticos, tertia persona in -ειν exibat ante vocalem, quamquam eam scripturam iam olim passim interpolatam fuisse luculenter ex antiquis in Homerum Scholiis apparet. Exstat nunc vetus lectio integra Iliad. E. 661. Τληπόλεμος — βεβλήκειν, αἰχμὴ δέ κτἑ. et Ξ. 412. βεβλήκειν, ὑπὲρ ἄντυγος, et H. 394. καὶ δὲ τόδ' ἠνώγειν εἰπεῖν ἔπος, et Odyss. P. 359. εὖθ' ὁ δεδειπνήκειν, ὁ δ' ἐπαύετο, et X. 275. ἄλλος μὲν — βεβλήκειν, ἄλλος δέ κτἑ. et Iliad. Z. 170. δεῖξαι δ' ἠνώγειν ᾧ πενθερῷ, et Odyss. E. 112. τὸν νῦν σ' ἠνώγειν ἀποπεμπέμεν, et Iliad. Ψ. εἱςήκειν, αὐτοῦ γάρ κτἑ. sed multum abest, ut eae scripturae sine magno periculo ad nos permanaverint, ut codicum lectiones excutientibus apparebit. Ad Iliad. Z. 170. annotatur e Didymo: οὕτως σὺν τῷ ν ἠνώγειν Ἀρίςαρχος. ἠνώγεεν γάρ, et ad Odyss. E. 112. ἠνώγειν ἀντὶ τοῦ ἠνώγεεν, ὡς τὸ· ἤσκειν εἴρια καλά (Iliad. Γ. 388.). Vides ἠνώγει fuisse in caeteris libris, et ex Aristarchi editione meliorem lectionem ἠνώγειν afferri. In Iliad. Θ. 269. quum olim legeretur:

ἐπεί ἄρ τιν' ὀϊςεύσας ἐν ὁμίλῳ
βεβλήκει, ὁ μὲν αὖθι πεσὼν ἀπὸ θυμὸν ὄλεσκεν.

Aristarchi lectio e scholiis Venetis allata est Ἀρίςαρχος· βεβλήκοι, quam Bekkerus inconsulto recepit. Recipienda erat emendata lectio βεβλήκειν. Frequens est apud Homerum ᾔδεα, sat saepe ᾔδεεν occurrit, ut Iliad. B. 832. ὃς περὶ πάντων | ᾔδεε μαντοσύνας, et Σ. 404, οὐδέ τις ἄλλος | ᾔδεεν, et Odyss. Ψ. 29. πάλαι ᾔδεεν ἔνδον ἐόντα, quae quomodo potuerint in ᾔδει et ᾔδειν contrahi manifestum est, sed quomodo ᾔδη ex ᾔδεε nasci potuerit nemo umquam sanus docebit. Quid? quum sexcenties in illis carminibus occurrant δεδήει, ἀρήρει, ἐώργει, ἐῴκει, ἐώλπει, ὀρώρει, τετρήχει, ἠνώγει, ὀπώπει, ὀλώλει, τετρίγει, βεβρίθει, γεγήθει, βεβήκει, βεβλήκει, ἐβεβρύχει, ἐμεμύκει, ἐκεκεύθει, ἐμεμύκει, ἐπεπήγει, ἐπεπόνθει, alia, credemus eundem poëtam ex ᾔδεε formasse ᾔδη quum ᾔδει et posset et deberet, et in eodem versu coniunxisse Iliad. N. 355. πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ᾔδη. Ne ipsi quidem Aristarcho hoc esset credendum, sed multum abest, ut ea scriptura summi Critici auctoritate fulciatur multoque magis, ut sit Ἀριςάρχειον ἁμάρτημα, ut contendit levis magister in Etymol. Magno p. 419,

25. Nondum sero est, ut ea omnia vitia ex Homero eluantur et scribatur Iliad. A. 70. ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, et Z. 351. ὃς ᾔδει νέμεσιν, et passim ᾔδει in extremo versu. Deinde ut saepe ᾔδε' occurrit pro ᾔδεα, veluti Odyss. Δ. 745. ᾔδε' ἐγὼ τάδε πάντα et N. 340. ἐγὼ ἐνὶ θυμῷ | ᾔδε' ὃ νοςήσεις, et Iliad. Θ. 366. εἰ γὰρ ἐγὼ τάδε ᾔδε' ἐνὶ φρεσί, sic ᾔδε' olim pro ᾔδεε scriptum fuisse videtur his locis: Iliad. B. 38. νήπιος οὐδὲ τὰ ᾔδε' ἅ κτἑ. et Λ. 741. ἣ τόσα φάρμακα ᾔδε', ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών, et Υ. 466. οὐδὲ τὸ ᾔδε' ὃ οὐ πείσεσθαι ἔμελλεν, et alibi, quo facto tertia persona ᾔδη ex rerum natura sublata erit, quum non magis Homerica ea forma erit quam recentioris Atticismi. Et facillime quidem refutabimus corruptum testem in Sophoclis fragmento apud Clem. Alex. Strom. II. p. 494.

ὃς οὔτε τοὐπιεικὲς οὔτε τὴν χάριν
ᾔδη, μόνην δ' ἔςεργε τὴν ἁπλῶς δίκην.

sed acrius obnititur πύκτης ὅπως εἰς χεῖρας Sophocles in Oedipo Tyranno 1524 sqq. his versibus:

ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ᾔδη καὶ κράτιςος ἦν ἀνήρ,
ὅςις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων
εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθεν,

sed nihil facilius est et ipsi Sophocli utilius quam hanc difficultatem removere. Nempe in his Graeculi plane contrarium errorem erraruut atque in ᾔδειν ostendimus, cui pepercerunt quia primae personae esse opinabantur, quum recte cogitantibus tertiae esse appareat: nunc servarunt ᾔδη tertiae personae esse rati quum primae sit. Diligenter locum inspicientibus perspicuum erit ipsius Oedipodis haec verba esse, quae non uno modo vexata nunc praepostere Chori esse putantur. Quid faciendum sit verbis sensu vacuis ὅςις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων nescio: nihil enim significant, et quod obscure significare videntur ab hoc loco alienissimum est: non inest in his unum vocabulum quod sententiae aptum sit et cum caeteris ullo modo coniungi potuerit. Ut in Babrii loco κακὴν δὲ μελέτην ἐπ' ἐμὲ τῆς ὁδοῦ τρίβει, et in Aeschyli πλέον καίουσα τῶν εἰρημένων et aliis locis, veterem lacunam τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν expletam esse suspicor: quae autem verba interierunt, ea salva sententia eximi et abesse poterant, namque nihil de-

siderabis in hac scriptura:

ὦ πάτρας Θήβης ἔνοικοι, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε,
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ᾔδη καὶ κράτιςος ἦν ἀνήρ
εἰς ὅσον κλύδωνα δεινῆς συμφορᾶς ἐλήλυθα.

Optime ὅδε primae personae convenit, ut in Euripidis Oreste 374. ὅδ' εἰμ' Ὀρέςης et 1664.

Φοῖβός σ' ὁ Λητοῦς παῖς ὅδ' ἐγγὺς ὢν καλῶ.

et in Sophoclis Oed. Tyr. 40.

ἱκετεύομέν σε πάντες οἵδε πρόστροποι,

et Herodotus I. 115. ὅδε τοι πάρειμι, et quod supra Euripidi reddidimus:

Θεοκλύμενος παῖς ὅδε προσεννέπω, πάτερ.

Frequens imprimis est ὅδ' ἐγώ, ἐγὼ οὑτοσί, et ἡμεῖς οἵδε, ἡμεῖς οὑτοιΐ. Hinc turpi mendo liberare poteris Aristophanem, quod commaculat locum in Lysistrata vs. 1111.

ἐπὶ τί πάρεςε δεῦρο; — περὶ διαλλαγᾶν
πρέσβεις. — καλῶς δὴ λέγετε· χἠμεῖς τουτογί.

quis non statim admonitus dabit mihi verum esse χἠμεῖς γ' οὑτοιΐ· Vides quam facile ΓΟΥΤΟΙΙ potuerit in τουτογί abire. Ut ad Sophoclem redeam verum esse ᾔδη — ἐλήλυθα confirmat planissime vetus Criticus, qui extremos versus fabulae in Scholiis ad h. l. sic reprehendit: annotat ad vs. 1523. αὐτάρκως ἔχει τὸ δρᾶμα, τὰ γὰρ ἑξῆς ἀνοίκεια γνωμολογοῦντος Οἰδίποδος. Rectene an secus ita iudicet nunc quidem in medio relinquo: hoc utique certum est eum ob oculos habuisse ᾔδη et ἐλήλυθα, quae etiam sine hoc indicio poterant aut intelligi aut revocari. Caeterum ᾔδη pro ᾔδει in eo loco iam olim nonnullis displicuit. In Codice Mediceo enim duplex lectio fertur: ἡιδη a prima manu scriptum est, sed ει suprascriptum.

Est operae pretium iterum cum his conferre locum in Euripidis Phoenissis vs. 1757.

ὦ πάτρας κλεινῆς πολῖται, λεύσσετ', Οἰδίπους ὅδε
ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ἔγνω καὶ μέγιςος ἦν ἀνήρ,
ὃς μόνος Σφιγγὸς κατέσχον τῆς μιαιφόνου κράτη,
νῦν ἄτιμος αὐτὸς οἰκτρὸς ἐξελαύνομαι χθονός.

ubi Porsoni iudicium cum Hermanno et Geelio sequor statuentis e Sophocle assutum esse versum:

ὃς τὰ κλείν' αἰνίγματ' ἔγνων καὶ μέγιςος ἦν ἀνήρ,

namque sic ἔγνων (non ἔγνω) a vetere interpolatore scriptum esse. Est autem ἔγνω suppositum eodem errore, quem supra in Euripide, Thucydide, Herodoto aperuimus, ut hoc quoque indicio scriptura ᾔδη et ἐλήλυθα apud Sophoclem confirmetur.

Satis nunc demonstrasse videor Atticis ubique esse reddenda ᾔδη, ᾔδησθα et ᾔδει(ν), quae ubique commode restitui posse palam est. Et in Tragicis quidem pleraque dudum reposita sunt, nisi quod in Troadibus 650. scribi video: ᾔδειν δ' ἁμὲ χρὴ νικᾶν πόσιν pro ᾔδη. Magna seges relicta est in Platone, Xenophonte, Demosthene caeterisque Oratoribus. Scribarum natio certo errore grassatur in formis antiquis in -ειν exeuntibus, ut iam apud Homerum indicavimus: nihil est quod indoctorum temeritatem coerceat: in Euripidis Ione 1187. libri exhibent:

κοὐδεὶς τάδ' ᾔδει. ἐν χεροῖν ἔχοντι δέ.

cui Piersonus ad Moerid. p. 174. primus suum reddidit ᾔδειν. Quid in Platone deliquisse putes, qui in senario immanem hunc hiatum ferre vel potius invehere potuerunt? Reponamus igitur in Platonis Lyside p. 206. E. εἱστήκειν ἐν pro εἱστήκει, et in Symposio 175. A. ἄρτι εἰσῄειν ἀλλά pro εἰσῄει, et in Phaedro 228. B. εἰς περίπατον ᾔειν ὡς μέν κτἑ. pro ᾔει, et similiter aliis locis. Xenophontem quoque iisdem formis usum esse indiciis quibusdam colligi potest, quamquam Xenophontis codicibus neque optimis utimur neque pervetustis: vide Bastium ad Gregor. Corinth. p. 123. De Isocrate subdubito propter locum in Panathenaico § 127. ubi in omnibus libris est: εἰς τοῦτον ἀποθέσθαι τὸν καιρὸν οὐδὲ προϊδεῖν ἐσόμενον, in Urbinate egregie: τὸν καιρὸν, ὃν οὐδὲ προῄδειν ἐσόμενον. Apparet προῄδη ἐσόμενον ab Isocrate scribi non potuisse διὰ τὴν σύγκρουσιν τῶν φωνηέντων. In Aeschinis Timarchea § 64. in aliis est παρῄει ἐπὶ τὸ βῆμα, in aliis παρῆν, quae coalescent optime in παρῄειν ἐπὶ τὸ βῆμα. Obiter ᾔδειν exime Plutarcho in Agesilao cap. VIII. ubi Lysandro dicenti: ᾔδεις ἄρα σαφῶς, Ἀγησίλαε, φίλους ἐλαττοῦν, respondisse narratur Agesilaus: ᾔδειν, ἔφη, τοὺς ἐμοῦ μεῖζον δύνασθαι βουλομένους, ubi corrigendum est: — ἐλαττοῦν. Νὴ Δί', ἔφη, τούς γ' ἐμοῦ μεῖζον δύνασθαι βουλομένους. De caeteris nunc dicere nihil attinet et finem iam fa-

ciam in emendando loco Demosthenis, unde huiusmodi forma expulsa est. Legitur in prima Philippica p. 41, 22. *ἀλλ' εἶδεν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτο καλῶς ἐκεῖνος κτέ.*, ubi alii libri *οἶδεν* praeferunt, sed necessarium est *ᾔδειν*, namque hoc dicit Orator: Philippus olim magnitudine opum vestrarum non est absterritus, quominus vobiscum bellum susciperet: namque hoc probe *sciebat* etc. *εὖ* et *καλῶς εἰδέναι* tam bene dicuntur atque *εὖ*, *καλῶς ἰδεῖν* vitiosa sunt.

Redeo nunc ad Tragicorum locos, ubi *γε* absurde legitur. In Cyclope vs. 106. Ulyssem Silenus rogat:

πόθεν Σικελίαν τήνδε ναυστολῶν πάρει;

cui ille:

ἐξ Ἰλίου γε κἀπὸ Τρωϊκῶν πόνων.

imo vero *ἐξ Ἰλίου 'γώ.* In Heraclidis 856.

σὸν δὴ λέγουσι παῖδά γ' οἱ σοφώτατοι | Ἥβην τε.

quam ridiculum sit *γε* vides. Transposuerim: *σὸν παῖδα δὴ λέγουσιν οἱ σοφώτατοι.* In eadem fabula vs. 999. quis ferre possit:

καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὤν
ἀκούσεται τά γ' ἐσθλὰ χρηστὸς ὢν ἀνήρ.

non potuit enim loco magis alieno *γε* interponi, deinde *τά* in *τὰ ἐσθλά* supervacuum est: *ἐσθλὰ ἀκούειν* est *εὖ ἀκούειν*, *εὐλογεῖσθαι.* Quamobrem emendandum esse arbitror: *καὶ γὰρ ἐχθρὸς ὢν | ὅμως ἀκούσετ' ἐσθλὰ χρηστὸς ὢν ἀνήρ.* ubi *ἀκούσεται ἐσθλά*, *ἀκούσεται τὰ ἐσθλά*, *ἀκούσεται τά γ' ἐσθλά* scribi coeptum est, *ὅμως* metro nocens est resectum. In Rheso 622.

Διόμηδες, ἢ σὺ κτεῖνε Θρήκιον λεών,
ἢ 'μοὶ πάρες γε, σοὶ δὲ χρὴ πώλων μέλειν.

non minus otiosum et vitiosum est *γε*. Correxerim: *ἢ 'μοὶ παράσχες, σοὶ δὲ χρή.* Solet *παράσχες* in *πάρασχε* a Graeculis depravari, vid. Intt. ad Eurip. Hecubam 842, deinde *πάρασχε* nova labe corruptum est.

Percurram nunc Euripidis Heraclidas, in qua fabula nonnullos librariorum errores paucis indicabo. In vs. 7. *ἐξὸν κατ' Ἄργος ἡσύχως ναίειν*, receptum dudum oportuit, quod primus Blomfield commendavit *ἡσύχῳ*, quum Elmsley *ἥσυχον* maluisset. Simillimum vitium in eadem fabula olim commissum est vs. 550. *εἰ βούλεσθέ μοι | χρῆσθαι προθύμως* recte correctum

προθύμῳ. Veteres ἄσμενος, ἑκὼν, ἀσπάσιος, ἄκριτος, ἔμπεδος, multaque alia ponebant, quibus scribae adverbia perperam substituere solent. Defungar nunc uno exemplo Aeschyli in Agamemnone 854.

νίκη δ', ἐπείπερ ἕσπετ', ἐμπέδως μένοι,

ubi genuinum est ἔμπεδος.

In vs. 67. homo impudens et protervus non videtur dixisse ἄπαιρ', ἐγὼ δὲ τούσδε — ἄξω sed ἄπερρ', ut in tali re dici solet. Erroris origo manifesta est. Etiam durius est quod legitur vs. 285. φθείρου, et aliis locis.

Quod Elmsleius vs. 198. emendavit: καὶ λόγους κραινοῦσι σούς pro κρίνουσι et aliis exemplis demonstravit κραίνειν obsoletum vocabulum a Graeculis in κρίνειν depravari solere certam medicinam afferet Moscho, qui in Raptu Europae vs. 27. creditur dixisse:

ἀλλά μοι εἰς ἀγαθὸν μάκαρες κρίνειαν ὄνειρον.

quum ipse, ut opinor, κρήνειαν dixisset. Idem error commissus est ἐν τῷ ὅρκῳ τῶν Ἀθήνησιν ἐφήβων apud Stob. Floril. XLIII. 48. et Pollucem VIII. 105. καὶ εὐηκοήσω (συνήσω Pollux) τῶν ἀεὶ κρινόντων, imo vero κραινόντων, id est ἀρχόντων, repetito prisco dicendi usu, quem referre volebat is qui hanc iurisiurandi formulam de suo finxit.

Male in vs. 283. novissimi Editores deserunt Brunckium et Elmsleium emendate scribentes:

μάτην γὰρ ἥβην ὧδέ γ' ἂν κεκτήμεθα
πολλὴν ἐν Ἄργει μή σε τιμωρούμενοι.

et κεκτῴμεθα revocant vitiosam formam Grammaticorum et sciolorum errore natam et propagatam. Quinque omnino sunt verba Graeca, quibus est in perfecto passivo forma optativi: μεμνήμην, μεμνῇο, μεμνῇτο; κεκλήμην, κεκλῇο, κεκλῇτο; κεκτήμην, κεκτῇο, κεκτῇτο; βεβλήμην, βεβλῇο, βεβλῇτο; et καθήμην, καθῇο, καθῇτο. Praeter has formas nulla mihi alia eiusdemmodi lecta est usquam neque exstare arbitror. Certant in his formis depravandis correctores et scioli, qui pro -ήμην, -ῇο, -ῇτο temere -οίμην, -οῖο, (-οιο); et -οιτο rescribunt et nonnumquam -ῴμην, -ῷο et -ῷτο. Quam vetus sit is Magistrorum et librorum error demonstrat Didymi annotatio in Scholiis Venetis apposita Homeri verbis Iliad. Ψ. 361.

ὡς μεμνέῳτο δρόμους καὶ ἀληθείην ἀποείποι,

qui affert ex Aristophanis Pluto vs. 992. emendate scriptum:

ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον φορῶν μεμνῇτό μου.

sed vitiosam scripturam ex Cyropaedia I. 6. 3. ἀλλ' ὅτε τὰ ἄριστα πράττοι τότε μάλιστα τὸν θεὸν μεμνῷτο, ubi lege ὅτ' ἄριστα et τῶν θεῶν. Ipse Didymus deceptus, ut saepius, a suo Codice μεμνῷτο sanum esse putavit, quum certa analogia, quam Atticorum usus plane confirmat, μεμνῇτο doceat a Xenophonte esse scriptum. Id ipsum exstat hodieque in libris quibusdam, ut contra μεμνῷτο et μέμνοιτο in Pluto multi libri exhibent, quemadmodum omnes turpiter errant in Anabasi I. 7. 5. servantes οὐδ' εἰ μέμνοιό τε καὶ βούλοιο. Critici μεμνῷο reposuerunt, quum μεμνῇο deberent. In Sophoclis Philocteta vs. 119. in Laurentiano Codice omnium archetypo vidi a prima manu scriptum fuisse:

σοφός τ' ἂν αὑτὸς κἀγαθὸς κέκλησ' ἅμα.

quum corrector reposuit κεκλῇσ' ἅμα et annotavit: ἀντὶ τοῦ κεκλημένος εἴης. Antiquissima librorum vitia in talibus optime verae scripturae certa indicia servant. In Sophoclis fragmentis affertur ἐκ τῶν Φθιωτίδων:

ἡ πατροκτόνος δίκη | κέκλητ' ἂν αὐτῷ.

e Bekkeri Anecd. p. 128, 4. ad demonstrandum ὅτι τὸ ἂν συντάσσεται παρακειμένοις καὶ ὑπερσυντελικοῖς, sed neque Bekkerus neque fragmentorum editores animadverterunt ex praecedentibus εὐκτικοῖς esse repetendum et dedisse Sophoclem κεκλῇτ' ἂν αὐτῷ. In antiquissimis Codicibus omnibus sexcenties I aut temere additur aut negligenter omittitur, ut nullus liber tanta fide sit ut certo sciri possit in ΜΕΜΝΗΣΘΕ, ΚΕΚΛΗΤΟ, ΚΑΘΗΤΟ similibusque utrum μέμνησθε an μεμνῇσθε, κέκλητο an κεκλῇτο, καθῆτο an καθῇτο sit verius. In talibus igitur saepiuscule vetusta forma tuto delitescit, donec acutior aliquis simul optativum requiri intelligat et continuo scriptoris manum eliciat: quod factum est in Andocide Orat. I. § 142. in verbis εἰκότως δ' ἂν αὐτῶν μεμνῆσθαι, ubi ΜΕΜΝΗΣΘΑΙ duplici tralaticio errore fideliter servavit Oratoris manum μεμνῇσθε, et in eodem iterum Orat. II. § 24. οὐδὲν οὖν ἔτι ὑπολείπεται ὅτῳ ἂν μοι δικαίως διαβεβλῆσθαι, imo vero διαβεβλῇσθε, ut Dobraeus et Bekkerus emendarunt.

Eadem plane ratio est emendandi loci in oratione prima κατ' Ἀριϛογείτονος pag. 776 7. ὥσπερ ἂν εἰ καθῆσθε ἐράνου πληρωταί, ubi caeteri libri ἐκάθησθε exhibent, Parisinus S a prima manu sine accentu καθησθε, in quo latet optativus καθῆσθε. Qui hanc vehementem orationem ab aliquo rhetore Alexandrino compositam esse putant demonstrant quam parum idonei sint in huiusmodi rebus iudices. Demosthenem eius auctorem non esse apertum est, a cuius ingenio genus hoc dicendi prorsus abhorret; ab eius populari et aequali scriptam et ad reum peragendum scriptam et in iudicio habitam esse quo saepius eam relego eo fit mihi semper certius nec premo suspicionem Hyperideae facundiae esse hoc monumentum aliquanto etiam luculentius quam est oratio ὑπὲρ Εὐξενίππου. Sed redeo ad propositum.

Quemadmodum, ut supra ostendimus, διαβεβλῆσθε apud Andocidem evasit, eodem modo in Aristophanis Lysistrata vs. 149. servatum est:

εἰ γὰρ καθήμεθ' ἔνδον ἐντετριμμέναι,

in καθήμεθ' ἔνδον per multa saecula a correctoribus tutum, qui suo more grassati sunt in Ranis 919. ἵν' ὁ θεατὴς προσδοκῶν καθοῖτο, ubi Dobraeus (ad Plut. 992.) recte reposuit καθῆτο. In eadem fabula vs. 1045 sqq. ita legitur:

μὰ Δί', οὐδὲ γὰρ ἦν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι. B. μηδέ γ' ἐπείη.
ἀλλ' ἐπὶ σοί τοι καὶ τοῖς σοῖσιν πολλὴ πολλοῦ 'πικαθοῖτο,
ὥϛε γε καὐτόν σε κατ' οὖν ἔβαλεν.

ubi quod Dobraeus reponi iussit 'πικαθῆτο, non animadvertit sententiae loci adversari. Non enim imprecatio haec est sed acerba nequitiae exprobratio. Equidem locum et alio nomine vitiosum sic constituerim, ut ab initio legatur:

μὰ Δί', οὐ γὰρ ἐπῆν τῆς Ἀφροδίτης οὐδέν σοι.

nam sic demum recte respondetur: μηδέ γ' ἐπείη, et est verbum ἐπεῖναι in talibus proprium: ἔπεϛι χάρις, ἄνθος, τιμή, aut contra αἰσχύνη, δέος, φόβος, κέρδος et similia. Deinde cum Bergkio legendum πολλὴ πολλοῦ 'πικαθῆτο vel 'πικαθῆϛο, tum transposuerim ἀλλ' ἐπί τοι σοὶ καὶ τοῖς σοῖσιν, namque haec est legitima particulae sedes. Sed eodem modo καθοίμην expellendum est ex Cyropaedia V. I. 8. ἴσως δ' ἂν καθοίμην ἐκείνην θεώμενος, cui redde suum καθήμην. Aliud exemplum est in Lysistrata vs. 253:

ἄλλως γὰρ ἂν
ἄμαχοι γυναῖκες καὶ μιαραὶ κεκλήμεθ' ἄν.

ubi Brunckius optime optativum revocavit κεκλήμεθ' ἄν. Felicissimo acumine Dawesius in Miscell. Crit. pag. 338 ab interitu servavit optativum ἐμπλήμην, ἐμπλῇο, ἐμπλῇτο, quem scribae funditus sustulerant, quia ἐνεπλήμην quid esset plane nesciebant, quam Atticis propriam formam olim reperi in Lysia sub monstrosa corruptela latentem XXVIII. 6. ἐπειδὴ τάχιστα ἐνεπέπληντο καὶ τῶν ὑμετέρων ἀπέλαυσαν, ἀλλοτρίους τῆς πόλεως ἑαυτοὺς ἡγήσαντο, ubi ἐνέπληντο verum esse satis apparet, sed nondum sic emendatio loci perfecta est. Quid requiram sic patefaciam ut Dionysii Halicarnassensis locum prius emendem, ad quod exemplum multi multorum loci et in his Lysiae locus certa et evidenti correctione sanari poterunt. Legitur enim in Dionysii A. R. III. 35. ἀποκτείναντες δὲ τὸν βασιλέα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ὅσοις ἔτυχεν εἶναι, πῦρ εἰς τὴν οἰκίαν ἐμβαλεῖν κατὰ πολλοὺς τόπους. Verae lectionis certa vestigia servavit, ut solet, Codex Urbinas: ἔτυχεν ἐνεῖναι πῦρ εἰς τὴν οἰκίαν. Quid notius est quam πῦρ ἐνιέναι pro *ignem iniicere*, quod omnes dixerunt et Homerus ante omnes, et iterum Dionysius III. 56 πῦρ ἐνεῖναι ταῖς ὕλαις ἐκέλευσεν. Itaque certum est scribi oportere: καὶ τῶν ἄλλων ὅσους ἔτυχον, ἐνεῖναι πῦρ εἰς τὴν οἰκίαν, quo facto vel caecus videat ἐμβαλεῖν a temerario correctore adiectum esse de suo, qui eadem opera ὅσοις ἔτυχεν emendavit scilicet. Simillimum vitium inquinat locum Demosthenis p. 178. οἱ μὲν ἐπαινοῦντες τοὺς προγόνους ὑμῶν λόγον εἰπεῖν μοι δοκοῦσι προαιρεῖσθαι κεχαρισμένον οὐ μὴν συμφέροντά γ' ἐκείνοις οὓς ἐγκωμιάζουσι ποιεῖν. Agnoscam Demosthenis compositionem quum rescriptum erit: κεχαρισμένον μέν, οὐ μὴν συμφέροντά γ' ἐκείνοις οὓς ἐγκωμιάζουσιν expuncto ποιεῖν. Postquam μέν excidit post κεχαρισμένον (quod scribitur κεχαρισμέν cum gravi ον significante) corrector ποιεῖν addidit. Interpolatio eiusdem generis funditus perdidit sententiam alterius loci apud Demosthenem in eadem oratione p. 185: οἱ κεκτημένοι (τὰ χρήματα) τοιοῦτον ἔχουσι νοῦν, ὥστε εἰ πάντες οἱ ἐνταυθὶ λέγοντες φοβοῖεν, ὡς ἥξει βασιλεὺς — οὐ μόνον οὐκ ἂν εἰσενέγκαιεν ἀλλ' οὐδ' ἂν δείξειαν οὐδ' ἂν ὁμολογήσειαν κεκτῆσθαι. Repone pro absurdo δείξειαν veram scripturam

δόξειαν (et quis nescit quam saepe δεῖξαι et δόξαι male confunduntur?) et statim ultro excident interpolata verba οὐδ' ἂν ὁμολογήσειαν. Quid sit οὐδ' ἂν δόξειαν κεκτῆσθαι et locupletes cives illis temporibus celare opes et *dissimulare* solitos nemo ignorat. Queritur Isocrates in Areopagitica § 33 praeteriisse illa tempora ὅτ' οὐδεὶς ἀπεκρύπτετο τὴν οὐσίαν, et dudum antea pecuniosus homo in Aristophanis Ranis ῥακίοις περιιλλόμενος κλάει καί φησι πένεσθαι. Luculentissimum autem est de ea re testimonium Isocratis περὶ Ἀντιδόσεως § 159. ubi et haec verba leguntur, quae cum Demosthenicis comparanda sunt: πολὺ γὰρ δεινότερον καθέστηκε τὸ δοκεῖν εὐπορεῖν ἢ τὸ φανερῶς ἀδικεῖν.

Quia nihil esse scio utilius quam huiusmodi errores ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensos vidisse quam plurimos et sic latentem adhuc fraudem librorum et certis vestigiis indagare discimus et evidenti correctione sanare, non gravabor pauca etiam de genere hoc adiicere. In Dion. Halic. A. R. VIII. 12. edebatur: οἱ στρατηγοὶ ἐξῄεσαν διὰ ταχέων πρὶν ἕκαστα γενέσθαι Ῥωμαίοις τὰ βουλεύματα δῆλα, reperta est in Urbinate vera lectio: πρὶν ἔκπυστα γενέσθαι Ῥωμαίοις τὰ βουλεύματα. Tenemus sciolum, qui quum ἕκαστα vitiose pro ἔκπυστα esset scriptum δῆλα de suo addidit. Similia multa e Dionysio colligi possunt, si quis Silburgianam editionem ad Codicis Urbinatis lectiones exigere volet. Similia et in ipso Dionysio et in aliis passim nobis ipsis emendanda supersunt, in quibus postquam vitii sedem odoratus fueris et veram scripturam assecutus inepta homuncionum emblemata ultro excidunt. Cuius rei non aliud umquam reperi luculentius exemplum quam in Euripidis fragmento apud Plutarchum *de aud. poët.* p. 20 D. ubi poëtae manum latentem in hac scriptura vetustissimi libri Marciani: τί δῆτα οὖσιν δεῖ σε κατθανούμενον; hanc olim esse demonstravi:

τί δῆτα θύειν δεῖ σε κατθανούμενον;

quibus Palamedes respondet:

ἄμεινον. οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεούς.

ubi postquam ΘΥΕΙΝ in ΟΥCΙΝ depravatum est alii κάμνειν temere addiderunt, alii κατθανεῖν substituerunt, alii alia turbarunt. Iuvat ad hanc lucem primum restituere Philippi regis dictum apud Stob. Floril. XLVIII. 21. Φίλιππος ἔλεγε δεῖν τὸν

βασιλέα μνημονεύειν ὅτι ἄνθρωπος ὢν ἐξουσίαν εἴληφεν ἰσόθεον, ἵνα προαιρῆται καλὰ μὲν καὶ θεῖα, φωνῇ δὲ ἀνθρωπίνῃ χρῆται. Quis ultima potest sine risu relegere? Quid multa? corrige: *φρονῇ δὲ ἀνθρώπινα.* Innumeris in locis *φ* pro *φρ* scribi solet, quoniam haec in libris oculis distingui non possunt nisi hoc agas et quae legas intelligas; hinc *φονῇ* et *φωνῇ* natum est: deinde homo lepidus dedit quod vides. In suavissimo libello, qui Γυναικῶν ἀρεταί inscriptus inter Plutarcheos circumfertur p. 253 D. legitur: *ἐβόα δεινὰ ποιεῖν αὐτοὺς εἰ δῆμος ἀξιοῦντες εἶναι ταῦτα τολμῶσι καὶ ἀσελγαίνουσι τοῖς τυράννοις ὅμοια*, emenda *ταὐτὰ τολμῶσι*, tum senties *ὅμοια* sciolo deberi. Sed quid Plutarchum moror et sequiores: apud Demosth. p. 118. scribitur *υἱὸς ἐν οὐσίᾳ πολλῇ γεγονὼς γνήσιος*, si vis Demosthenem ipsum audire rescribe *ἐπ' οὐσίᾳ πολλῇ* et *γνήσιος* expunge. Iterum irrepsit *γνησίους* apud Demosthenem p. 1390. *τούτους δὲ [γνησίους] γόνῳ τῆς πατρίδος πολίτας εἶναι.* Apud eundem p. 124. legimus: *πολλάκις γὰρ ἔμοιγ' ἐπελήλυθε καὶ τοῦτο φοβεῖσθαι, μήτι δαιμόνιον τὰ πράγματ' ἐλαύνῃ*, mala manus addidit *φοβεῖσθαι* et sic *ἐλαύνῃ* natum est. Dixerat Orator, ut opinor: *πολλάκις ἔμοιγ' ἐπελήλυθε καὶ τοῦτο· μήτι δαιμόνιον τὰ πράγματ' ἐλαύνει*; et pag. 138. *τὴν δὲ τῶν δούλων ἀπεύχεσθαι δήπου μὴ γενέσθαι δεῖ*, non est Demosthenis compositio tam dura et aspera, sed *ἀπεύχεσθε δήπου μὴ γενέσθαι* expuncto *δεῖ*. et pag. 329. *ἐν τίσιν οὖν σὺ νεανίας καὶ πηνίκα λαμπρός*; legendum arbitror *ἐν τίσιν οὖν σὺ νεανικὸς καὶ πηνίκα*; deleto *λαμπρός*. et pag. 489. *ἃ τῇ παρ' ἐκείνοις πολιτείᾳ συμφέρει ταῦτ' ἐπαινεῖν ἀνάγκη καὶ ποιεῖν*, qui totum locum diligenter perpenderit et quid potissimum agat Orator probe perspexerit fortasse mecum reponet *ταῦτ' ἀνάγκη καὶ ἐπαινεῖν*, ut hodieque multi in simili re quae vehementer improbant tamen coacti *ἐπαινοῦσιν, οὐ μὴν ποιοῦσί γε.* Similiter p. 597. *ἀλλ' ἃ πάντες ἑοράκατε ἴσθ' ὅτι πρῴην Εὐβοεῦσιν ἐβοηθήσατε* repone *ἀλλὰ πάντες* et *ἑοράκατε* excidet, quo facto locus sanus erit: obiter pag. 606. pro *κἂν μὲν ἐναντία λέγειν φῇ* expunctis duabus litterulis male repetitis emicabit vera lectio *κἂν μὲν ἀντιλέγειν φῇ.* et pag. 1046. *τοὺς δὲ νομίζοντας ἀπολλύειν ὅταν εἰς τὸ κοινόν τι δαπανήσωσιν* emenda *ὅ τι ἂν* et *τι* alieno loco positum delebitur. Foede corruptus locus est pag. 1145. *πρὸς δὲ τούτοις οὐδ' ἐν τῷ Πειραιεῖ ὄντα*

ἄφθονα ὀθόνια καὶ στυππεῖα καὶ σχοινία οἷς κατασκευάζεται τριήρης ὥστε πρίασθαι, resecta ludimagistri annotatione haec sola genuina esse arbitror: πρὸς δὲ τούτοις οὐδ' ἐν τῷ Πειραιεῖ ἦν ἀφθονία ὥστε πρίασθαι. Multiplici corruptela laborat locus p. 1581. οὐκοῦν δεινὸν πρὸς μὲν τοὺς ἀστυγείτονας οὕτω καλῶς καὶ ἀκριβῶς διορίσασθαι περὶ ἑκάστου, τὴν δὲ περιφανῶς πεπορνευμένην οὕτως αἰσχρῶς καὶ ὀλιγώρως ἐάσετε — ἀτιμώρητον. Arena sine calce: sed in manifesto vitio tenue indicium veram lectionem aperiet. Eximius Codex S. Parisinus servat διωρίσασθαι, in quo latet διωρίσθαι (ut passim - σθαι et - σασθαι permiscentur). Hinc emergit lectio proba et sincera haec: οὔκουν (non οὐκοῦν) δεινὸν πρὸς μὲν τοὺς ἀστυγείτονας οὕτω καλῶς καὶ ἀκριβῶς διωρίσθαι, τὴν δὲ - ἀτιμώρητον εἶναι deleto ἐάσετε, quod nunc nullo modo poterit retineri. Simili medicina utendum in Aeschinis oratione de F. L. § 12. ἐδεῖτο ὑμῶν πρεσβευτὴν ἑαυτῷ πρὸς Φίλιππον ἑλέσθαι ἵν' εἴ πως δύναιτο ἀπολάβοι τὰ λύτρα, quicumque meminit quomodo Athenienses utantur voculis εἴπως videbit ἵν' esse delendum scribendumque εἴπως δύναιτο ἀπολαβεῖν. et in Ctesiphontea § 146. πλείω γὰρ ὑμᾶς ἀγαθὰ ὑφ' ἑαυτοῦ ἔφη ἀπὸ τοῦ βήματος πεπονθέναι ἢ ὑπὸ τῶν στρατηγῶν ἐκ τοῦ στρατηγείου, ineptissime hoc dictum est: opponuntur enim inter se manifesto ἀπὸ τοῦ βήματος et ἐκ τοῦ στρατηγείου, quasi vero οἱ στρατηγοὶ ἐν τῷ στρατηγείῳ τὴν πόλιν ὠφελεῖν possent, quemadmodum Orator ἐπὶ τοῦ βήματος. Aeschines inimicum suum induxerat odiose admodum et invidiose ita dicentem: πλείω ὑμᾶς ἀγαθὰ ὑφ' ἑαυτοῦ ἀπὸ τοῦ βήματος πεπονθέναι ἢ ὑπὸ πάντων τῶν ἐκ τοῦ στρατηγείου, quod animose dictum est pro ὑπὸ πάντων τῶν στρατηγησάντων, et sic demum recte videbitur Demosthenes διαδικασίαν γράψαι τῷ βήματι πρὸς τὸ στρατηγεῖον, quod paulo ante dicitur. Non est Graeco more composita oratio ibid. § 224. καὶ παρὰ τῷ αὐτῷ ἐν 'Ωρεῷ κατήγου καὶ ἀπὸ τῆς αὐτῆς τραπέζης ἔφαγες καὶ ἔπιες καὶ ἔσπεισας καὶ τὴν δεξιὰν ἐνέβαλες ἄνδρα φίλον καὶ ξένον ποιούμενος καὶ τοῦτον ἀπέκτεινας. Attico scriptore digna haec est compositio: καὶ παρ' ᾧ ἐν 'Ωρεῷ κατηγάγου (non κατήγου) — ποιούμενος, τοῦτον ἀπέκτεινας. Simillima vitii origo est in Cyropaed. VII. v. 40. Ἄρα, ἔφη, ὦ ἄνδρες, νῦν μὲν καιρὸς διαλυθῆναι; αὔριον δὲ πρωῒ ἔλθετε. Quam inepta sit vulgata lectio optime apparebit si veram apposuero: Ὥρα,

ἔφη, ὦ ἄνδρες, νῦν μὲν διαλυθῆναι. ubi ὥρα in ἄρα depravatum est corrector καιρός addidit. In Anabasi V. vii. 5. egregiam Xenophontis orationem idem genus mendi inquinat: ἀκούσατε οὖν μου, πρὸς θεῶν, inquit, καὶ ἐὰν μὲν ἐγὼ φαίνωμαι ἀδικεῖν οὐ χρή με ἐνθένδε ἀπελθεῖν πρὶν ἂν δῶ δίκην· ἐὰν δὲ ὑμῖν φαίνωνται ἀδικεῖν οἱ ἐμὲ διαβάλλοντες οὕτως αὐτοῖς χρῆσθε ὥσπερ ἄξιον. Vel pueri sciunt quid intersit inter φαίνομαι ἀδικεῖν et φαίνομαι ἀδικῶν. quid autem proderit innocentia si poenas dare oportebit ὃς ἂν φαίνηται ἀδικεῖν; unusquisque videt genuinum esse ἐὰν μὲν ἐγὼ φαίνωμαι ἀδικῶν, ut sexcenties in ea re dici solet, et opponi ἐὰν δὲ οἱ ἐμὲ διαβάλλοντες, abiecto emblemate ὑμῖν φαίνωνται ἀδικεῖν, quod etiam si bene Graeca oratio fuisset tam insulsum et frigidum est ut servari non possit. Eodem modo interpolatus locus est VII. iv. 26. προπίνω σοι, ὦ Σεύθη, καὶ τὸν ἵππον τοῦτον δωροῦμαι. Athenienses enim in tali re solebant dicere: προπίνω σοι τὸν ἵππον τουτονί, et Xenophontem suspicor non aliter scripsisse quam populares omnes solebant. Misere corruptus est eodem interpolationis genere locus Xenophontis in Hellenicis VI. v. 48. ὁπότε δὲ καὶ ἡμεῖς ἀγαλλόμεθα οἱ συναγορεύοντες βοηθῆσαι ἀνδράσιν ἀγαθοῖς ἧπου ὑμῖν γε τοῖς ἔργῳ δυναμένοις βοηθῆσαι γενναῖα ἂν ταῦτα φανείη. Restitues sententiam et Graecitatis usum sic scribendo: ἀγαλλόμεθα συναγορεύοντες ἀνδράσιν ἀγαθοῖς expunctis οἱ et βοηθῆσαι. Solet enim verbum ἀγάλλομαι cum participio coniungi, quemadmodum αἰσχύνομαι, quod est ei e regione oppositum, ut in Agesilao V. 3. πονῶν ἠγάλλετο et in Hierone VIII. 5. διαλεγόμενοι ἀγαλλόμεθα τοῖς προτετιμημένοις, et aliis locis: opposuit inter se Xenophon συναγορεύειν et ἔργῳ βοηθῆσαι et ita optime loci sententia constat. Duos e Platone locos subiiciam. In Phaedone legitur p. 85 B. ἀλλὰ τούτου γε ἕνεκα λέγειν τε χρὴ καὶ ἐρωτᾶν ὅ τι ἂν βούλησθε, ἕως ἂν οἱ Ἀθηναίων ἐῶσιν ἄνδρες ἕνδεκα. Quicumque linguae Graecae et Atticae interiorem notitiam longo usu sibi comparavit dabit mihi vitiosam et absurdam hanc esse orationem οἱ Ἀθηναίων ἄνδρες ἕνδεκα: neque enim Ἀθηναίων ἄνδρες sanum esse potest neque οἱ ἄνδρες ἕνδεκα. Quam ridiculum esset dicere οἱ Ἀθηναίων ἄνδρες τριάκοντα! Solemne est omnibus dicere οἱ τριάκοντα et οἱ ἕνδεκα. Itaque quum in vetustis libris esset ΕΩΣΑΝΟΙΙΑ̅ΕΩΣΙΝ, id est:

ἕως ἂν οἱ ἕνδεκα ἐῶσιν, notae numerorum turbas dederunt, ut saepe, et interpolando ineptam lectionem vulgatam homunciones invexerunt. Magis perspicua unicuique fraus est in libris de Legibus IX. p. 854 D. μαστιγωθεὶς ὁπόσας ἂν δόξῃ τοῖς δικασταῖς ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας ἐκβληθήτω. τάχα γὰρ ἂν δοὺς ταύτην τὴν δίκην γένοιτ' ἂν βελτίων σωφρονισθείς. tralaticium mendum in ultimo vocabulo commissum frigidum additamentum et peperit et tutum praestitit. Frequenter vidi inter se permutari ἐρασθείη et ἐρασθείς, ἐπιβουλευθείη et ἐπιβουλευθείς, ἐπιφανεὶς et ἐπιφανείη et similia, cuius rei alias exempla expromam in locis nondum emendatis. Scribe autem σωφρονισθείη et languidum emblema βελτίων ἂν γένοιτο in marginem statim exulatum abibit. Thucydidis unum locum afferam IV. 135. προσελθὼν γὰρ νυκτὸς καὶ κλίμακα προσθεὶς μέχρι μὲν τούτου ἔλαθε· τοῦ γὰρ κώδωνος παρενεχθέντος οὕτως ἐς τὸ διάκενον πρὶν ἐπανελθεῖν τὸν παραδιδόντα αὐτὸν ἡ πρόσθεσις ἐγένετο. Latet in verbis παρενεχθέντοσ οὕτωσ vera scriptura παρενεχθέντοσ ἐν τοσούτωι, *interea*, quod ubi restitueris dilabentur verba insiticia πρὶν ἐπανελθεῖν τὸν παραδιδόντα αὐτόν, in quibus rei ratio pro παραδιδόντα requirit aoristum παραδόντα. Praeterea μέχρι μὲν τούτου ἔλαθε satis frequenti errore scriptum esse videtur pro μέχρι μέν του ἔλαθε. Non teneo me quin his addam locum Xenophontis nuperrime simillimo mendo liberatum in Hellenicis III. iii. 1. Edebatur: ἐπεὶ δέ, ὡς εἰώθεσαν, αἱ ἡμέραι παρῆλθον καὶ ἔδει βασιλέα καθίστασθαι, ubi optimi libri παρῆλθον omittunt. Palmaria emendatione revocavit Dindorfius ἐπεὶ δὲ ὁσιώθησαν αἱ ἡμέραι, ex Photii annotatione: Ὁσιωθῆναι ἡμέρας λέγουσιν ἐπὶ θανάτῳ τινός. Quod Dindorfius docet αἱ ἡμέραι de certo dierum numero dici verum est sed in re omnibus nota: itaque suspicor ΑΙΙΗΜΕΡΑΙ olim in libris fuisse αἱ δέκα ἡμέραι, ut apud Herodotum, quem Dindorfius affert VI. 58. ἀγορὴ δέκα ἡμερέων οὐκ ἵσταταί σφι, de eadem re scribentem. Facilius etiam mihi dabitur in Xenophontis Ἱππαρχικῷ II. 2. pro ὑπὸ τῆς πόλεως ὑπάρχουσι διῃρημέναι φυλαί corrigendum esse διῃρημέναι ί (δέκα) φυλαί. Nunc ad Lysiam revertar postquam ex ipso Dionysio ultimum huius fraudis exemplum attulero, quod exstat in A. R. IX. 7. πλησίον τοῦ χάρακος ἱστάμενοι γυναῖκάς τ' ἀπεκάλουν ἅπαντας καὶ τοὺς ἡγε-

μόνας αὐτῶν τοῖς δειλοτάτοις τῶν ζῴων ἐοικέναι λέγοντες ἐκάκιζον, quoniam qui sic hostem lacessunt σκώπτειν potius videntur quam λοιδορεῖν, suspicor pro ἐκάκιζον Dionysium scripsisse εἴκαζον, quod in tali re proprium et exquisitum verbum est, quo multi veteres saepe sic utuntur, imprimis Comici et Plato et Xenophon. Recepto autem εἴκαζον continuo ἐοικέναι λέγοντες insiticia esse apparet et verum esse τοῖς δειλοτάτοις τῶν ζῴων εἴκαζον. Itaque in Lysiae loco eadem ratione turbatum esse suspicor et haec mihi sana lectio esse videtur: ἐπειδὴ τάχιστα ἐνέπληντο τῶν ὑμετέρων, ἀλλοτρίους τῆς πόλεως ἑαυτοὺς ἡγήσαντο: caetera quomodo irrepserint et verbum ἀπολαύειν huic criminationi non convenire facile intelligitur. Ergo quum ἐνεπλήμην prorsus obsolevisset et solum ἐμπλησθῆναι superesset, factum est ut vetus forma obscuraretur et periret. Hinc in Lysistrata vs. 235. in omnibus Codd. legitur:

εἰ δὲ παραβαίην ὕδατος ἐμπλησθῇ κύλιξ.

pro ἐμπλῇθ' ἡ κύλιξ a Dawesio acutissime repertum, qua emendatione nihil esse potest evidentius. Antiquam scripturam ΕΜΠΛΗΙΘΗΚΥΛΙΞ homunciones non capiunt et ἐμπλησθῇ substituunt. Articulum necessarium esse in ἡ κύλιξ et pro coniunctivo optativum requiri neque intelligunt neque curant. Quod idem Dawesius in Acharnensibus 236. reperit ἐμπλήμην confirmavit Ravennas, in quo diserte ἐμπλήιμην scriptum est. Vulgatam scripturam ἐμπλείμην veteres magistri ut possunt defendunt comparantes Homericum Iliad. N. 288.

εἴπερ γάρ κε βλεῖο πονεύμενος ἠὲ τυπείης.

ad quem locum nil mali suspicantes Magistri annotant: ἔστι δὲ ἀκόλουθον μετοχῇ τῇ βλέμενος. — ὡς οὖν θέμενος θεῖο οὕτω βλέμενος βλεῖο. Hoc vero est κλώθειν ἀσύγκλωστα et βλέμενος ne est quidem Graecum vocabulum. Ut ἐνεπλήμην, ἔμπλησο, ἐμπλήμην, ἐμπλῆσθαι et ἐμπλήμενος Attica sunt, sic Homerica ἐβλήμην, ἐβλῆτο, βλῆτο, βλῆσθαι et βλήμενος, ut in βλήμενος ἰῷ, βλήμενος ἠὲ τυπείς et passim. Itaque optativi iusta forma est βλήμην, βλῇο, βλῇτο et reddendum Poëtae: εἴπερ γάρ κε βλῇο, quod dudum Brunckius ad Lysistratam 253. praecepit, ὡς γὰρ ἐμπλήμενος ἐμπλῇο, οὕτω καὶ βλήμενος βλῇο, ut opinor. Cum Homerica forma βλῇο comparanda est forma optativi ex aoristo ἐφθίμην propagata φθίμην (e φθιίμην

contractum) φθῖο, φθῖτο, cuius duo certa exempla in Odyssea aetatem tulerunt: κ. 50.

κατὰ θυμὸν ἀμύμονα μερμήριξα
ἠὲ πεσὼν ἐκ νηὸς ἀποφθίμην ἐνὶ πόντῳ
ἢ ἀκέων τλαίην καὶ ἔτι ζωοῖσι μετείην.

alterum est λ. 330.

πάσας δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω
πρὶν γάρ κεν καὶ νὺξ φθῖτ' ἄμβροτος.

quod eodem modo dictum est atque ἐπιλίποι μ' ἂν ἡ ἡμέρα et similia, quod significabat magister, qui olim ad φθῖτο adscripsit: ἐπιλίποι. Qui olim φθεῖτ' scribebant sequebantur veterem usum, quo νείκη, τειμή, κρείνω sim. pro ι longo scribebatur et sic φθείσεσθαι pro φθίσεσθαι et alia ἀρχαϊκῶς sine errore exarantur, sed vitiosum est φθεῖσθαι pro φθίσθαι, in quo ι breve est ut in φθίμενος. Forma μεμνήμην, quae intacta iam apud Homerum servata est Iliad. Ω. 745.

οὐδέ τί μοι εἶπας πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν αἰεί
μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

Semel et iterum in Platonis egregiis Codicibus prope sine labe evasit, ut in Republ. VII. 518 A. εἰ νοῦν γε ἔχοι τις μεμνῇτ' ἄν, ubi quod in optimis libris est μέμνητ' ἂν manu ducit ad necessarium optativum μεμνῇτ' ἄν: quod in caeteris circumferri videbis μέμνοιτ' ἂν et μεμνοῖτ' ἂν nil nisi indoctam correctorum temeritatem arguit. Saepius κεκτῇτο inviolatum ad nos pervenit in libris de Legibus: pag. 731 C. οὐδεὶς οὐδὲν ἑκὼν κεκτῇτο ἄν ποτε (ubi scribe κεκτῇτ' ἄν, namque necessaria est in talibus elisio, ut in εἴποιμ' ἄν, θαυμάσαιμ' ἄν, sim.): 742 B. ἃ καὶ κακός τις κεκτῇτ' ἄν, 776 B. ποῖα ἄν τις κεκτημένος ἐμμελεστάτην οὐσίαν κεκτῇτο et 931 D. πάντων κυριώτατα ἂν κεκτῇτο, ex quibus locis unusquisque statim corrigat locum in Legibus XII. pag. 957 C. ἢ μάτην τοὔνομα νῷ προσῆκον κέκτητ' ἂν ὁ θεῖος ἡμῖν καὶ θαυμαστὸς νόμος: vetus enim vitium κέκτητ' ἄν, quod et Stobaeus agnoscit Floril. XLVI. 104, cedat aliquando verae scripturae κεκτῇτ' ἄν. Eodem exemplo emendari oportet Xenophontis locum in Agesilao IX. 7. εἰ φίλην τὴν πόλιν ἔχοι πλείστους δὲ φίλους κέκτηται, ubi non est κεκτῷτο retinendum, quam barbaram formam Schneiderus invexit, sed emendandum κεκτῇτο, ut in Heraclidis κεκτήμεθα pro κεκτά-

μεθα. Inutili coniectura Elmsleius in Iphigenia Aulid. 404. pro

αἶ αἶ, φίλους ἄρ' οὐχὶ κεκτήμην τάλας,

substituebat φίλους ἂν οὐχὶ κεκτήμην. Vulgata sanissima est οὐκ ἐκεκτήμην ἄρα φίλους, οὐκ εἶχον ἄρα φίλους et similia passim, quae ab eo dicuntur quem spes et opinio fefellerat quique se deceptum et frustratum esse nunc demum intelligit et moestus errorem agnoscit suum, ut in Hercule Furente 341.

σὺ δ' ἦσθ' ἄρ' ἥσσων ἢ 'δόκεις εἶναι φίλος.

ubi obiter corrige ἧσσον ἢ 'δόκεις εἶναι φίλος, dicitur enim ἧσσον φίλος ut μᾶλλον φίλος in Helena 92. τίν' ἂν ἔχοις μᾶλλον φίλον; et alibi. Plane gemellus locus est in Oreste 709.

ἄφιλος ἦσθ' ἄρ', ὦ πάτερ, πράσσων κακῶς.

Passim ἄρα imperfecto aut plusquamperfecto subiectum (rarius enim ἄρα praecedit verbum) dolorem animi significat, quale est quod Brutum moriturum usurpasse narrant versus Euripideos:

ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε
ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.

Non debebat ergo Elmsleius sollicitare verba φίλους ἄρ' οὐχὶ κεκτήμην τάλας, sed idem optime perspexit errorem in Sophoclis Oedipo Tyranno commissum et ab aliis et ab Eustathio, nullius iudicii homine, ad Hom. Iliad. Ψ. 361, qui pro exemplo optativi μεμνῴμεθα affert hunc ipsum Sophoclis senarium:

ἀρχῆς δὲ τῆς σῆς μηκέτι μεμνῴμεθα,

vidit enim Elmsleius ι adventicium esse et coniunctivum μεμνώμεθα a poëta esse scriptum, de qua forma nulla fuit umquam dubitatio.

Mendum est in Heraclidis vs. 145.

πολλῶν δὲ κἄλλων ἑστίας ἀφιγμένων
ἐν τοῖσιν αὐτοῖς τοῖσίδ' ἕσταμεν λόγοις,
κοὐδεὶς ἐτόλμησ' ἴδια προσθέσθαι κακά.

palam est enim medium senarium significare τὰ αὐτὰ ταῦτα λέγομεν, sed quoniam sententia loci εἴπομεν, non λέγομεν aut ἐλέγομεν, postulat, sequitur ἔστημεν pro ἕσταμεν esse emendandum. Quod post pauca sequitur vs. 150.

οὐ γὰρ φρενήρη γ' ὄντα σ' ἐλπίζουσί που
μόνον τοσαύτης ἧς ἐπῆλθον Ἑλλάδος
τὰς τῶνδ' ἀβούλους συμφορὰς κατοικτιεῖν,

duplex vitium concepisse mihi videtur, quorum alterum in ἐλπίζουσι latere arbitror: namque non dixisse haec de Heraclidis fetialem et alia indicia patefaciunt et τῶνδε, pro quo ἑαυτῶν fuisset dicendum. Verum ex sua ipsius persona insolenter homo petulans haec iacit:

οὐ γὰρ φρενήρη γ' ὄντα σ' ἐλπίζω τί που
μόνον τοσαύτης ἧς ἐπῆλθον Ἑλλάδος
τὰς τῶνδ' ἀβούλους συμφορὰς κατοικτιεῖν,

ut ἐπῆλθον de se ipse dicat, qui tantam partem Graeciae obierit Heraclidas undique exposcens et expellens. Οὔ τί που quod saepissime irridentis est et cavillantis protervi hominis personae perquam accommodatum est. *Non enim*, inquit, *tam dementem te esse* opinor, *ut horum causam suscipias.* Alterum vitium est in ἀβούλους συμφορὰς κατοικτιεῖν, quae verba Elmsleius sic interpretatur, ut mirer quomodo sibi ipse satisfacere potuerit vir Graece peritissimus et vocabulorum potestatem ex interiore Graecitatis notitia et optimorum scriptorum usu elicere solitus. »Συμφορὰς ἀμηχάνους", inquit, »*eodem sensu dixit poëta* Med. 552. "Ἄπορα πράγματα *dicunt Comici.*" Quae quomodo cum ἀβούλοις συμφοραῖς bene componantur neminem videre arbitror. Suspicor autem reponendum esse vocabulum, quod apud Hesychium et in Bekkeri Anecdotis p. 322, 5. e Tragica λέξει descriptum exstat: Ἀβούλως: ἀφρόνως, ἀμαθῶς, et est in Rheso 761.

ἡμεῖς δ' ἀβούλως κἀκλεῶς ὀλώλαμεν.

Opponuntur igitur inter se φρενήρη γ' ὄντα et ἀβούλως κατοικτιεῖν, ut in Euripidis versiculo apud Plutarchum Moral. p. 812 E.

τέκτων γὰρ ὢν ἔπραττες οὐ ξυλουργικά.

et in Sophoclis Electra 1481.

καὶ μάντις ὢν ἄριστος ἐσφάλλου πάλαι.

et saepe in re simili.

Excidit necessaria pars sententiae vs. 193 sqq.

οὐ γάρ τι Τραχίς ἐστιν οὐδ' Ἀχαϊκὸν
πόλισμ', ὅθεν σὺ τούσδε, τῇ δίκῃ μὲν οὔ,
τὸ δ' Ἄργος ὀγκῶν, οἷάπερ καὶ νῦν λέγεις,
ἤλαυνες ἱκέτας βωμίους καθημένους.

ubi sic constabit sententia si legeris:

οὐ γάρ τι Τραχὶς οὐδ' Ἀχαϊκὸν τάδε
πόλισμ', ὅθεν σύ κτέ.

quod dictum est ut in Andromache 168. οὐ γάρ ἐσθ' Ἕκτωρ τάδε, et bis in Cyclope vs. 63.

οὐ τάδε Βρόμιος, οὐ τάδε χοροί,
Βάκχαι τε θυρσοφόροι.

et vs. 203.

τί βακχιάζετ'; οὐχὶ Διόνυσος τάδε,
οὐ κρόταλα χαλκοῦ τυμπάνων τ' ἀράγματα.

et flebiliter ut in Troadibus 100: οὐκέτι Τροία τάδε. Saepenumero et Comici sic loquuntur: Aristophanes in Ecclesiaz. 943:

οὐ γὰρ τἀπὶ Χαριξένης τάδ' ἐςιν.

et Teleclides apud Suidam v. τάδ' οὐ παρὰ Κενταύροισιν, et Eriphus apud Athen. 137 D.

τάδ' οὐ Κόρινθος οὐδὲ Λαΐς, ὦ Σύρε,
οὐδ' εὐτραπέζων Θετταλῶν ξένων τροφαί.

Saepe sic olim ferociter et minaciter loquebantur, ut apud Thucydidem VI. 77. Hermocrates: βουλόμεθα δεῖξαι αὐτοῖς ὅτι οὐκ Ἴωνες τάδε εἰσὶν οὐδὲ Ἑλλησπόντιοι καὶ νησιῶται, οἳ δεσπότην ἢ Μῆδον ἢ ἕνα γέ τινα ἀεὶ μεταβάλλοντες δουλοῦνται, ἀλλὰ Δωριῆς ἐλεύθεροι ἀπ' αὐτονόμου τῆς Πελοποννήσου τὴν Σικελίαν οἰκοῦντες. Eadem igitur ferocia Athenarum robur extollens Iolaus ita dixit:

οὐ γάρ τι Τραχὶς οὐδ' Ἀχαϊκὸν τάδε
πόλισμα.

ubi postquam τάδε excidit senarium qualicumque modo expleverunt.

In versu 250 sqq.

σὺ δ' Ἄργος ἐλθὼν ταῦτά τ' Εὐρυσθεῖ φράσον,
πρὸς τοῖσδέ τ', εἴ τι τοῖσίδ' ἐγκαλεῖ ξένοις,
δίκης κυρήσει.

emendandum est κυρήσειν, namque haec palam est Demophontem dicere: ταῦτά τε Εὐρυσθεῖ φράσον καὶ ὅτι δίκης κυρήσει, καὶ ὅτι τεύξεται τῶν δικαίων, suntque haec ita per copulas τε — τε composita, ut utraque pars dicti e verbo φράσον sit suspensa: itaque non aliter ea sententia in verbis poëtae poterit inesse, nisi quum κυρήσειν restitutum erit. Haud absimile vitium a scribis commissum et a Criticis correctum est vs. 494.

κἀμοὶ λέγει μὲν οὐ σαφῶς, λέγει δέ πως,
ἡμᾶς μὲν ἄλλην γαῖαν εὑρίσκειν τινά,
αὐτὸς δὲ σῶσαι τήνδε βούλεται χθόνα,

ubi *βούλεσθαι* certa emendatione restituit primus Reiskius, deinde alii, sed nemo eam recepit, quasi vulgata lectio ullo pacto servari aut excusari posset. Haec quoque per voculas *μέν* et *δέ* sic composita sunt, ut *λέγει* — *βούλεσθαι αὐτός* non minus sint inter se coniungenda quam *λέγει ἡμᾶς εὑρίσκειν*, sed non capiebant homunciones, quid esset *ἡμᾶς μὲν εὑρίσκειν*, *αὐτὸς δὲ βούλεσθαι*, quoniam ipsi in talibus contra antiquae Graecitatis certam legem *αὐτὸν δὲ βούλεσθαι* negligenter dicebant, deinde inscite veterem usum depravabant, cuius rei complura exempla in priore parte expromsimus. Peridoneum exemplum video afferre Dobraeum ad h. l. ex Demosthenis Midiana p. 580, 9. *νομίζεις ἡμᾶς μὲν ἀνέξεσθαί σου, αὐτὸς δὲ τυπτήσειν;* Alia quaedam Dindorfius apposuit Xenophontis Hellen. II. ι. 26. *αὐτοὶ γὰρ νῦν στρατηγεῖν, οὐκ ἐκεῖνον*, ubi maior pars librorum *αὐτοὺς γάρ* exhibet. Idem in simili re Demostheni reddidimus ipsi p. 1080. *αὐτὸς κρίνεσθαι καὶ ἐμὲ λέγειν ἐν ὑμῖν*, ubi *αὐτὸν κρίνεσθαι*, quod in omnibus libris est, quibus debeatur manifestum est. Nempe iisdem, qui Herodoti locum I. 56. sic interpolarunt: *ἐλπίζων ἡμίονον οὐδαμὰ ἀντ' ἀνδρὸς βασιλεύσειν Μήδων. οὐδ' ὦν αὐτὸς οὐδὲ οἱ ἐξ αὐτοῦ παύσεσθαί κοτε τῆς ἀρχῆς* pro *οὐδὲ τοὺς ἐξ αὐτοῦ*: non vidi facile alias tam immane in hoc genere vitium. In plerisque in contrariam partem video peccari et accusativum nominativo substitui, ut apud Plutarchum in Crasso XXIII: *ὀλίγοι ἀπήγγειλαν ἀπολωλέναι τοὺς ἄλλους ὑπὸ τῶν πολεμίων, αὐτοὺς δὲ μόλις ἐκφυγεῖν*, non est Plutarchus tam negligens et Graecitatis ignarus, ut non scripserit *αὐτοὶ δέ*. Grassati sunt pariter in hoc genere in omnibus scriptoribus, optimis, pessimis. Apud Demosthenem de F. L. p. 384, 24. in omnibus Codicibus est: *ὅλην τε τὴν πόλιν οὕτω καὶ σφᾶς ὡμολόγουν ὑπάρξειν αὐτῷ*, unus tantum sed longe optimus *καὶ σφεῖς* servavit. Ne in Diogene Laërtio quidem erat ferendum II. 34. *ἔλεγε δὲ (Σωκράτης) τοὺς μὲν ἄλλους ἀνθρώπους ζῆν ἵν' ἐσθίοιεν, αὐτὸν δὲ ἐσθίειν ἵνα ζώῃ*, pro *αὐτὸς δέ* et *ἵνα ζῴη*[1]. Idem vitium in eo-

---

[1]) Solet scribarum natio *ζῴης* et *ζῴη* sic depravare in *ζώῃς* et *ζώῃ* et

dem dicto commissum in libris omnibus vide apud Musonium Stobaei Floril. XVIII. 38. fin. Absolvam hanc disputationem emendando locum Demosthenis et Herodoti, qui eodem modo corrupti medicina sanabuntur eadem. Legitur apud Demosthenem pag. 115. *ὑμᾶς δὲ, ἐὰν μὲν ἀμύνησθε σωφρονήσειν φημὶ, ἐὰν δὲ ἐάσητε, οὐδὲ τοῦθ' ὅταν βούλησθε δυνήσεσθε πράττειν.* Hic quoque locus ita formatus compositusque est ut verbum *φημί* duplicem infinitivum ex se suspensum requirat *σωφρονήσειν* et *δυνήσεσθαι*, et sic vulgatam lectionem *δυνήσεσθε* emendandam esse censeo. Herodoti locus paulo gravius corruptus legitur IV. 148. *τῶν Λακεδαιμονίων βουλευομένων* (melius in aliis libris legitur *βουλομένων*) *σφέας ἀπολλύναι παραιτέεται ὁ Θήρας ὅκως μήτε φόνος γένηται αὐτός τε ὑπεδέκετο σφέας ἐξάξειν ἐκ τῆς χώρης.* Satis apparet quomodo *ὅκως μήτε — τε* sic composita legendum esse suadeant vel iubeant potius: nempe sic *ὅκως μήτε φόνος γενήσεται, αὐτός τέ σφεας ἐξάξει ἐκ τῆς χώρης.* Postquam *ἐξάξει* negligentia in *ἐξάξειν* abiit nescio quis *ὑπεδέκετο* inseruit et perdidit omnia, ut vides. Manifestam in his omnibus interpolationem tenemus. In priore Euripidis loco Dobraeum dudum *κυρήσειν* praecepisse nunc video: sed non audiunt Editores, *οἷς οὐδὲ τρὶς λέγοντες ἐξικνούμεθα.*

Quem errorem compositionis in infinitivis commissum esse demonstravimus, ubi nominativos cum accusativis coniunctos Graeculi non concoquentes priscas lectiones contemerant, eundem ostendam in participiis quoque erratum esse et bene merebor de Aeschine, cuius locum in Timarchea § 141. temerarii homunciones pessime interpolarunt. In codd. omnibus et Editionibus sic scriptum est: *ἐπειδὴ δὲ Ἀχιλλέως καὶ Πατρόκλου μέμνησθε καὶ Ὁμήρου καὶ ἑτέρων ποιητῶν, ὡς τῶν μὲν δικαστῶν ἀνηκόων παιδείας ὄντων, ὑμεῖς δὲ εὐσχήμονές τινες προσποιεῖσθε εἶναι καὶ περιφρονοῦντες ἱστορίᾳ τὸν δῆμον - λέξομέν τι καὶ ἡμεῖς*

---

nonnumquam in *ζώοις* et *ζώοι*, quasi Homericum *ζώω* in usu remansisset. In Alcestide 713. Codices exhibent:

καὶ μὴν Διός γε μείζον' ἂν ζώοις χρόνον,

ubi olim receptum oportuit quod quivis statim videat reponendum et primus Schaeferus commendavit:

καὶ μὴν Διός γε μείζονα ζώης χρόνον.

περὶ τούτων. In his confidenter pronuntio ludimagistro deberi duo vocabula προσποιεῖσθε εἶναι, quibus expunctis demum recte procedet oratio et sententia loci constabit. Ea res mihi tam certa et evidens esse videtur, ut neminem eorum, qui bene Graece sciant, mihi oblocuturum esse confidam. Ὡς vel ὥσπερ in talibus aut nominativum assumit aut genitivum aut accusativum et certa lege constitutum est quo casu sit in quoque loco utendum: itaque in talibus nominativus et cum accusativo optime per copulam coniungitur et cum genitivo et contra, ut in Isocratis Antidosi § 89. ὥσπερ ἀντιλέγοντός τινος ἢ τοῦτο δέον αὐτὸν ἀποφαίνειν et in § 69. οὐχ ὡς ἄριστα τῶν λοιπῶν γεγραμμένον ἀλλ' ὡς ἐκ τούτου μάλιστα φανερὸς γενησόμενος κτἑ. Thucyd. IV. 5. οἱ δὲ ἐν ὀλιγωρίᾳ ἐποιοῦντο ὡς ἢ οὐχ ὑπομενοῦντας σφᾶς ἢ ῥαδίως ληψόμενοι βίᾳ. cf. Thucyd. VI. 24. Xenoph. Memor. I. 6. 5, II. 2. 15, II. 7. 8, quibus adde Euripidem in Hippolyto vs. 991:

πρῶτα δ' ἄρξομαι λέγειν
ὅθεν μ' ὑπῆλθες πρῶτον ὡς διαφθερῶν
κοὐκ ἀντιλέξονθ'.

et Demosthenem pag. 182. ὅσα δ' ἐβουλήθητε μὲν μετὰ ταῦτα δ' ἀπεβλέψατε πρὸς ἀλλήλους ὡς αὐτὸς μὲν ἕκαστος οὐ ποιήσων τὸν δὲ πλησίον πράξοντα οὐδὲν πώποτε ὑμῖν ἐγένετο. Sic quum Graece dicendum sit μέμνησθε Ὁμήρου ὡς τῶν δικαστῶν ἀνηκόων παιδείας ὄντων et item μέμνησθε Ὁμήρου ὡς εὐσχήμονές τινες καὶ περιφρονοῦντες ἱστορίᾳ τὸν δῆμον, utrumque hoc per copulas μέν et δέ ita connectitur ut dicatur: ὡς τῶν μὲν δικαστῶν ἀνηκόων παιδείας ὄντων, ὑμεῖς δὲ εὐσχήμονές τινες καὶ περιφρονοῦντες ἱστορίᾳ τὸν δῆμον, et manifestum est προσποιεῖσθε εἶναι inepte esse adscriptum ab eo, qui rationem loci quamquam apertissimam non perspexit. Scatent Codices Aeschinis mendis et (mirum dictu) antiquissimus omnium F. Coislinianus 249, quem Parisiis nuper totum excussi, quoniam est »*Demosthenis Parisino S aetate par nisi superior, saeculo decimo scriptus in membranis*" (Dindorf. in praefat. Scholior. in Aeschin. p. I.), nequissimus est et omnium deterrimus. Obiter absterge putidum emblema ex Timarch. § 64. εὖ ἐβουλεύσατο [ἡσυχίαν ἔσχε] καὶ ἠγάπησεν εἰ [τι] μὴ προσλάβοι καινὸν κακόν.

In vs. 285 sq.

ἐνθένδε δ' οὐκ ἔμελλες αἰσχύνας ἐμέ
ἄξειν βίᾳ τούσδε.

a poëta scriptum esse suspicor: ἐνθένδ' ἄρ' οὐκ ἔμελλες — ἄξειν τούσδε, namque ita loquitur more Attico, qui ex certamine aut contentione multo labore tandem discessit superior, aut se expedivit, ut in Ranis 268.

ἔμελλον ἄρα παύσειν ποθ' ὑμᾶς τοῦ κοάξ.

et in Nubibus 1302.

Φεύγεις. ἔμελλόν σ' ἆρα κινήσειν ἐγώ.

ubi transpone ἔμελλον ἄρα σε, et in Vespis 460.

ἆρ' ἐμέλλομέν ποθ' ὑμᾶς ἀποσοβήσειν τῷ χρόνῳ;

Flagitiose corruptus est in Acharnensibus vs. 346.

ἐμέλλετ' ἆρ' ἅπαντες ἀνασείειν βοῆς,

ubi potest olim scriptum fuisse:

ἐμέλλετ' ἄρα πάντες ποτ' ἀνήσειν τῆς βοῆς,

aut simile quid: sed quod nunc circumfertur plane sensu vacuum et absurdum est.

Certum teneo vitium certa medicina sanandum in vs. 344 sqq.

ἀλλ' ἴθ' εἰς δόμους, γέρον.
ΙΟΛ. οὐκ ἂν λίποιμι βωμόν. ἑζώμεσθα δή
ἱκέται μένοντες ἐνθάδ' εὖ πρᾶξαι πόλιν.

miseret me eorum, qui ἑζόμεσθα, ἑζώμεσθα, ἑξόμεσθα interpretari nituntur neque proficiunt quidquam. Quis numquam audivit iocosum Graecorum proverbium:

ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων,

in quo quomodo luserit Athenodorus Stoicorum lepidissimus suaviter narrat Strabo XIV. p. 674. Quis igitur non videt verum esse:

εὐξόμεσθα δή
ἱκέται μένοντες ἐνθάδ' εὖ πρᾶξαι πόλιν.

Dum viri pugnant senes et pueri supplices sedentes in aris Deos oraturi sunt ut Demophon et Athenienses rem bene gerant. Ecquid esse potest simplicius et rei convenientius? Palam est qui factum sit, ut εὐξόμεσθα, ἑξόμεσθα et ἑζόμεσθα confunderentur. Nullum est scripturae genus in quo non ζ et ξ ineptissimum in modum permisceantur. Nascuntur sic monstra et portenta lectionum, sed nihil ea res scribarum nationem movet, qui in Hesychio dederunt ἵξάνει pro ἵζάνει et κα-

τερέξατο pro κατ' ἄρ' ἕζετο et αὔξοντα II. pag. 505. pro λύζοντα, multaque similia passim, ut in hac ipsa Euripidis fabula, in qua versamur vs. 493.

οὔτε γὰρ τέκνα Σφάζειν ὅδ' αὐτοῦ φησιν,

reponendum esse σφάξειν multi viderunt, editores non audiunt. Hinc etiam ἑπτά et ἑξήκοντα locum inter se mutant (ζ' et ξ'), ut apud Dion. Halic. III. 32. ἑπτὰ καὶ ἑκατόν pro ἑξήκοντα καὶ ἑκατόν, et alii multi errores suscipiuntur, ex quibus unum etiam adiiciam ad Aristophanem meum pervetere mendo liberandum in Acharnensibus 752 sqq., ubi roganti τί δ' ἄλλο πράττεθ' οἱ Μεγαρῆς νῦν; respondet Megarensis:

ὅκα μὲν ἐγὼν τηνῶθεν ἐμπορευόμαν
ἄνδρες πρόβουλοι τοῦτ' ἔπραττον τῇ πόλει,
ὅπως τάχιςα καὶ κάκις' ἀπολοίμεθα.

cui ille subsannans:

αὐτίκ' ἄρ' ἀπαλλάξεσθε πραγμάτων,

in his si quis recte cogitat displicebit ἀπαλλάξεσθε: requiritur enim ἐπειδὰν ἅπαξ ἀπόλησθε πραγμάτων ἀπηλλαγμένοι ἔσεσθε, non ἀπαλλαγήσεσθε sive ἀπαλλάξεσθε. Hoc ipsum restitues mutata una vocali legendo ἀπηλλάξεσθε. Dubitabatur olim essentne huiusmodi formae in usu in verbis a vocali incipientibus, sed dudum hunc scrupulum certa exempla exemerunt. In Platonis Protagora p. 338 C. ex optimis libris vera scriptura haec tandem prodiit: εἴτε γὰρ χείρων ἡμῶν ἔςαι ὁ αἱρεθεὶς εἴτε ὅμοιος· ἐκ περιττοῦ ἡρήσεται, absurde legebatur antea εἰρήσεται, et quod olim Stephanus reponebat αἱρεθήσεται tam vitiosum est atque nunc est ἀπαλλάξεσθε apud Comicum. Requirebatur ἡρημένος ἔςαι et id ipsum ἀττικιςὶ dictum est ἡρήσεται. Demosthenes de F. L. p. 432, 17. de Timarcho loquens ita dicit: ἀλλ' ὁ μὲν ταλαίπωρος ἠτίμωται, τούτῳ δ' ἀθῴῳ δώσετ' εἶναι; sic omnes praeter unum eximium S Parisinum, qui solus necessarium perfecti futurum nobis servavit ἠτιμώσεται, quod si quis sollerti coniectura excogitasset ecquem ei facile crediturum fuisse putes? In Xenophontis Hellenicis V. I. 14. legitur: ἡ γε μὴν θύρα ἡ ἐμὴ ἀνέῳκτο μὲν δήπου καὶ πρόσθεν εἰσιέναι τῷ δεομένῳ τι ἐμοῦ, ἀνεῴξεται δὲ καὶ νῦν, ubi multi libri pro necessario ἀνεῴξεται, *patebit*, exhibent ἀνέῳκται. Deprehenduntur scribae, ut vides, in interpolatione manifesta. Praeterea pro

εἰσιέναι, quod prorsus alienum est, non video quid aliud reponi possit quam καὶ πρόσθεν ἀεὶ τῷ δεομένῳ τι ἐμοῦ. At, dixerit aliquis, unde sciri et demonstrari potest formam ἀπηλλάξομαι, quam tu his quartam adiicis, Graecis fuisse in usu? Facillimum est ei respondere, nempe ex Hesychio, apud quem legitur nunc Ἀπηλλάζεις: ἀπηλλαγμένος ἔσῃ (inter Ἀπῆκτο et Ἀπηλγηκότες) sed legendum esse Ἀπηλλάξει ne Carneades quidem aut Pyrrho dubitaverit. Attica terminatio -ει solet in -εις depravari, ut saepius ostendimus et statim novis exemplis ostendam, et res est tam evidens ut verbum non amplius addi sit opus. Itaque addam potius alium Aristophanis locum, prorsus eadem medicina turpi et flagitioso errore liberandum, quo non credo foedius in genere hoc commissum esse. Est in Lysistrata locus vs. 380.

σχήσω σ' ἐγὼ τῆς νῦν βοῆς: ἀλλ' οὐκέθ' ἡλιάξεις.

cur, quaeso, Datidem ridemus et Datidis χαίρομαι quum talia ipsi aequis animis concoquimus? Quid? ἡλιάζομαι Atticum esse scimus omnes, non ἡλιάζω, tam bene atque χαίρω dici non χαίρομαι, et futurum ἡλιάσομαι habere, ut in Vespis 772. ἡλιάσει πρὸς ἥλιον, et aoristum ἡλιάσασθαι, ut in Equitibus 797.

ὡς τοῦτον δεῖ ποτ' ἐν Ἀρκαδίᾳ πεντώβολον ἡλιάσασθαι.

et credemus Aristophanem semel ἡλιάζω dixisse et futuro *Dorico* usum, si Musis placet, ἡλιάξω, (ἡλιαξῶ igitur debuerant scribere)? Sed quis audivit umquam mulierculam Atticam pro futuro Attico, quo solebat, Dorico esse usam, idque non iocantem aut παρῳδοῦσαν, sed in iurgio ira concitatam? Apage ineptias. Praeterea sententia ipsa non minus laborat atque forma vocabuli vitiosa est. Sed quid cesso veram lectionem patefacere? Quemadmodum igitur in Vespis dixerat vs. 164.

διατρώξομαι τοίνυν ὀδὰξ τὸ δίκτυον.
B. ἀλλ' οὐκ ἔχεις ὀδόντας.

sic in nostro loco perspicuum est dixisse:

σχήσω σ' ἐγὼ τῆς νῦν βοῆς. B. ἀλλ' οὐκέθ' ἡλιάζει,

nihil nocere poteris mihi, inquit, et minas iacis inanes, namque (propter aetatem) *non iudicas amplius.* Etiam hoc tam apertum est ut indicasse sit satis. Obiter in Equitum loco pro πεντώβολον ἡλιάσασθαι revoca optimam Kusteri correctionem, quam Bergkius expulit, πεντωβόλου ἡλιάσασθαι, ut apud Phry-

nichum Comicum est in Schol. Aristoph. ad Vesp. 300.

τριώβολον, — ὅσουπερ ἡλιάζομαι.

Perfecti futurum *ἀπηλλάξομαι* duobus locis apud Demosthenem restituendum esse censeo, ubi nunc in eius locum *ἀπαλλάξομαι* irrepsit. Alter est in Leptinea p. 465. *τίνα οὖν ῥᾳςώνην τοῖς πολλοῖς ὁ σὸς ποιεῖ νόμος, εἰ μιᾶς ἢ δυοῖν φυλαῖν ἕνα χορηγὸν καθίςησιν, ὃς — τοῦθ' ἅπαξ ποιήσας ἀπαλλάξεται*; sentisne requiri *ἀπηλλαγμένος ἔςαι* id est *ἀπηλλάξεται?* Alter in Timocratea p. 727. *τίς γὰρ οὐ πορίεῖται φαύλους ἀνθρώπους, οὓς ὅταν ὑμεῖς ἀποχειροτονήσητε ἀπαλλάξεται*, sed non *ἀπαλλάξεται*, id est *ἄπεισιν*, *abibit*, sententia postulat, sed *liberatus erit* id est *ἀπηλλάξεται.* Eadem medicina in Platonis Rep. utendum V. p. 465 D. *πάντων τε δὴ τούτων ἀπαλλάξονται* (*οἱ φύλακες*): non enim *liberabuntur* his molestiis, quas numquam senserunt, sed *vacabunt*, *ἀπηλλάξονται.* Itaque *ἀπηλλάξομαι* optime Graecum esse apparet et tribus formis dudum notis *ἠρήσομαι*, *ἠτιμώσομαι* et *ἀνεῴξομαι* addendum[2], quarum tertiam Dindorfius vindicavit, duas priores Buttmannus, qui de his formis disserens *τετράψομαι* ita commemoravit ut nescire se dicat utrum ea forma alicubi exstet necne. Semel tantum mihi lecta est, nempe apud Hesychium *Τετράψομαι: εἰς ἐκεῖνο τραπήσομαι*, qui *τρέψομαι* debuerat dicere, sed Graeculi pro *ἐτραπόμην* et *τρέψομαι* vitiose solebant *ἐτράπην* et *τραπήσομαι* dicere. Qui eo sensu *τετράψομαι* posuit Lyricus poëta aut Tragicus fuit, quibus solemne est *κεκλήσομαι* dicere et *βεβλήσομαι*, *τεθάψομαι*, *τετάξομαι*, *λελέξομαι*, *πεπαύσομαι*, *ἡ θύρα κεκλήσεται* et similia pro *κληθήσομαι* etc. Caeteris omnibus *κεκλήσομαι* est *κεκλημένος ἔσομαι* etc. ut in Equitibus noto loco vs. 1370.

---

[2]) Quintum exemplum latere videtur apud Suidam v. *Ὤρυσσον καὶ ὁ μετ' ὀλίγον μέλλων ὀρύξομαι*, ubi *ὀρωρύξομαι* legendum, quae forma ubi delitescat nondum mihi contigit reperire.

Verissime Porsonus formam *ἐςερήσομαι* Euripidi reddidit in Iphig. Aulid. 1202.

νῦν δ' ἐγὼ μὲν ἡ τὸ σὸν
σώζουσα λέκτρον παιδὸς ὑςερήσομαι.

barbarum est *ὑςερήσομαι*: quod sententia requirit *ἐςερημένη ἔσομαι* Attice dicebatur *ἐςερήσομαι.*

οὐδεὶς κατὰ σπουδὰς μετεγγραφήσεται,
ἀλλ' ὥσπερ ἦν τὸ πρῶτον ἐγγεγράψεται.

et in Nubibus 1436.

μάτην ἐμοὶ κεκλαύσεται, σὺ δ' ἐγχανὼν τεθνήξεις.

id est κεκλαυμένον ἔσαι et passim. Trita sunt omnium usu εἰρήσομαι, πεπράσομαι, ἐμπεπρήσομαι, πεπράξομαι, μεμνήσομαι, κεκτήσομαι, τετμήσομαι, aliaque, quae omnia ex perfecti forma producuntur ut *feci*, *fecero*, sic λέλυμαι, λελύσομαι. Notandum est δέδεμαι, δεδήσομαι. Quum haec omnia olim in desuetudinem abiissent saepius factum esse vidi, ut pro futuro perfecti resecta una syllaba ipsum perfectum inepte substitueretur. Ut apud Demosthenem p. 178, 21. libri tantum non omnes servant εἰ δὲ παρελθὼν εἷς ὁςισοῦν δύναιτο διδάξαι τίς παρασκευὴ χρήσιμος ἔσαι τῇ πόλει πᾶς ὁ παρὼν φόβος λέλυται, quamquam λέλυται vitiosum esse palam est, (acutior aliquis in Codice Monacensi correxit λυθήσεται, verum solus servat optimus Parisinus S λελύσεται), sic alibi saepe λελύσεται et λελύσονται, ut alibi demonstravimus, in λέλυται et λέλυνται, aut λύσονται depravata sunt. Novum huius rei exemplum, quamquam ex pessimae notae scriptore, tamen quia admodum luculentum est, expromam. Legitur apud Flavium Iosephum de B. I. IV. 10. μόνον ὀφθῶμεν αὐτοῖς καὶ καταλέλυνται, sentisne καταλελύσονται emendandum esse, quod dictum est ut φράζε καὶ πεπράξεται?

Quid interesset inter λελύσομαι et λυθήσομαι plane nesciisse Dionysium Halic. et eruditos adeo omnes luculenter colligi potest ex eius verbis in libro περὶ συνθέσεως ὀνομάτων cap. VI. p. 43 R. ubi docet λελύσεται pro λυθήσεται dici posse ut venustior fiat oratio et ad aures gratior accedat: ὁ χωροφιλῆσαι λέγων τὸ φιλοχωρῆσαι, inquit, καὶ λελύσεται λέγων τὸ λυθήσεται μετασκευάζει τὰς λέξεις ἵν' αὐτῷ γένοιντο ἁρμοσθεῖσαι καλλίους. Qui in χωροφιλεῖν respexit locum Antiphontis a Schaefero indicatum orat. V. § 78. et in λελύσεται Demosthenis locum, de quo diximus. Saepe vidi apud multos μεμνῆσθαι pro μεμνήσεσθαι perperam positum et πεπρᾶσθαι pro πεπράσεσθαι quod qui semel in luculentis quibusdam et certis exemplis bene perspexerit, confidenter in caeteris erroribus eiusdemmodi quod sana ratio poscit revocabit et ubicumque fu-

turum perfecti apparebit esse necessarium perfecti formam una syllaba augebit, ut in Hellenicis VI. ii. 15. ἐκήρυξεν ὁ Μνάσιππος πεπρᾶσθαι ὅςις αὐτομολοίη: qui poenam minatur futuro uti solet, ut opinor, itaque πεπράσεσθαι verum est, quod in re prorsus simili recte servatum est in Anabasi VII. i. 36. ἐκήρυξεν ὅτι πεπράσεται. In Aeschinis Ctesiphontea § 255. οὐχ ὑφ' ὑμῖν αὐτοῖς ἕξετε τοὺς πολιτευομένους; οὐ ταπεινώσαντες ἀποπέμψετε τοὺς νῦν ἐπηρμένους; οὐ μέμνησθε ὅτι οὐδείς κτέ. quis punctum temporis dubitabit Oratori reddere suum οὐ μεμνήσεσθε ὅτι, et Xenophonti in Anab. VII. vi. 38. καὶ πατέρα ἐμὲ ἐκαλεῖτε καὶ ἀεὶ ὡς εὐεργέτου μεμνῆσθαι ὑπισχνεῖσθε pro μεμνῆσθαι, ut apud Homerum:

αὐτὰρ ἐγὼ καὶ κεῖθι φίλου μεμνήσομ' ἑταίρου.

et passim in simili malo uti medicina eadem? In Plutarchi vita Syllae cap. XXVII. (ὁ Σύλλας) φησὶν οἰκέτην ἐντυχεῖν αὐτῷ λέγοντα παρὰ τῆς Ἐνυοῦς κράτος πολέμου ἀπαγγέλλειν· εἰ δὲ μὴ σπεύσειεν ἐμπεπρῆσθαι τὸ Καπιτώλιον, quis non statim intelligat ἐμπεπρήσεσθαι esse necessarium? quam certam Reiskii emendationem tamen Sintenis sprevit. Aegrius etiam ferendum est quod Platonis nitidissima scripta huiusmodi naevis ex eruditorum perversa opinione inquinantur. In Phaedro pag. 230 E. pertinaciter servant ἐγὼ μέν μοι δοκῶ κατακεῖσθαι, quamquam nihil potest esse certius quam κατακείσεσθαι, etiamsi omnes Codices contra tenderent, emendari oportere, ut Heindorfius dudum et sensit et demonstravit more suo paucis sed luculentis exemplis ἐπεὶ οὐ πολύμυθος οὐδ' ἀφαμαρτοεπής, sed eximio viro temere obloqui solent illi, qui ne suspicantur quidem, quanta Graecitatis interioris intelligentia in viro tam acuto quam modesto insit. Δοκῶ μοι suapte natura futurum postulat ubi quis quid *paret facere*, quid iamiam facturus sit dicit, quemadmodum δοκεῖ μοι praesens tempus vel aoristum adsciscit, si quis quid censet esse faciendum. Optime Heindorfius in Euthydemo p. 288 C. ἐγὼ οὖν μοι δοκῶ πάλιν ὑφηγήσεσθαι reposuit pro ὑφηγήσασθαι, nam propemodum idem est καὶ ταῦτα μὲν ἀφήσειν μοι δοκῶ et καὶ ταῦτα μὲν ἀφήσω, et Socratem dicere oportere ἐγὼ οὖν πάλιν ὑφηγήσομαι sequentia declarant ὅθεν γὰρ ἀπέλιπον τὸ ἑξῆς τούτοις πειράσομαι διελθεῖν. Locutio δοκῶ μοι cum futuro omnium scriptorum usu trita est

et veterum et sequiorum, et ne in his quidem librarii nisi raro turbant, ut nubes exemplorum possit undique colligi, sed melius Luciani aut Iuliani locis, quibus Heindorfius utitur, dedignabimur uti, quum in optimo quoque veterum affatim sit exemplorum. Ut in caeteris fere omnibus sic in hac quoque dictione futuro Graeci substituunt aoristum cum particula ἄν, quod Aristophanis causa admoneo, ne quis dubitet in Avibus 671.

ἐγὼ μὲν αὐτὴν καὶ φιλῆσαί μοι δοκῶ,

amplecti quod multi commendarunt κἂν φιλῆσαι, sed prorsus alio remedio tollendum est vitium quod insidet loco Vesparum 177.

ἀλλ' εἰσιὼν μοι τὸν ὄνον ἐξάγειν δοκῶ,

ubi non ἐξάξειν corrigendum est cum Elmsleio, sed deprehensa interpolatione eius, qui quum in vetusto libro nil nisi ΕΞΑΓΕΝΔΟ * * * reperisset vocabula bene Graeca dedit ἐξάγειν δοκῶ, quum poëta dedisset:

ἀλλ' εἰσιὼν μοι τὸν ὄνον ἔξαγ' ἔνδοθεν
ὅπως ἂν ὁ γέρων μηδὲ παρακύψῃ πάλιν,

quae Bdelycleonis verba sunt ad Xanthiam, qui sine mora bestiam educit foras, quo facto pergit dicere Bdelycleon:

κάνθων, τί κλάεις; ὅτι πεπράσει τήμερον;

Verum haec nunc quidem ἐάσειν μοι δοκῶ, ut subveniam venustissimo loco Aristophanis in Nubibus 1276, ubi perfecti futurum in perfectum mutatum mirificas turbas dedit et omnem loci leporem obscuravit. Editur e Ravennatis libri auctoritate:

τὸν ἐγκέφαλον ὥσπερ σεσεῖσθαί μοι δοκεῖς.
B. σὺ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλῆσθαί μοι δοκεῖς
εἰ μὴ 'ποδώσεις τἀργύριον.

Haeccine ut ab Aristophane scripta esse putemus tam insipide repetito δοκεῖς et omissa vocula γε, quam sententia requirit, et perfectum pro futuro. Non est tanta Ravennatis auctoritas mendis et erroribus obsiti, ut non a Scholiasta et Suida et parte librorum ambabus manibus accipiamus:

σὺ δὲ νὴ τὸν Ἑρμῆν προσκεκλήσεσθαί γ' ἐμοί.

primum προσκεκλήσεσθαι vulgari errore in προσκεκλῆσθαι depravatum est, deinde Graeculi vulgatam se dignam excogitarunt. Semel et iterum vidi futurum in futuri perfecti formam de-

pravatum: cuius rei exemplum est in Avibus 1505.

οἴμωζε μεγάλ᾽: οὕτω μὲν ἐκκεκαλύψομαι.

ubi facile mihi dabitur *ἐκκαλύψομαι* esse restituendum.

Redeo ad Heraclidas, quae fabula in quam depravatis Codicibus ad nos pervenerit documento est vs. 490. ubi *κελεύειν μητρός* legitur pro *Κόρῃ Δημητρός*, quae eximia est Piersoni emendatio, qua nemo tamen utitur, quia nemo perspicit quomodo illa scriptura ex hac nasci potuerit. Ridiculum est sane ΚΟΡΗΙΔΗΜΗΤΡΟΣ et ΚΕΛΕΥΕΙΝΜΗΤΡΟΣ inter se comparare et ductus litterarum aliquam inter se affinitatem habere incredulis narrare. In antiquo libro supererat Κ * * * * ΜΗΤΡΟΣ: repertus est corrector, qui vocabulum bene Graecum *κελεύειν* de suo suppleret, isque homo ad hunc diem omnes ludificatur, qui optime monentem Piersonum non audiunt.

Demophon quum dixisset se civium suorum invidiam reformidare vs. 422. haec addit:

οὐ γὰρ τυραννίδ᾽ ὥστε βαρβάρων ἔχω.
ἀλλ᾽ ἢν δίκαια δρῶ δίκαια πείσομαι,

sed in his librariorum vitio ineptit et nihil dicit, quod unusquisque statim intelliget qui quid sit *δίκαια πείσομαι* probe perspexerit. Quid est enim aliud quam *iure* sive *merito plectar*, quo sensu columba apud Phaedrum I. 31. *merito plectimur* dixit iustas se poenas luere confitens. Urbana ironia Socrates in Platonis Apolog. p. 42. *δίκαια πεπονθὼς ἐγὼ ἔσομαι ὑφ᾽ ὑμῶν*, sed imprimis egregie huc facit Theophrasti locus, qui in Charact. cap. XXVI. imperii popularis osorem describens inducit hominem ita dicentem: *τὸν Θησέα πρῶτον τῶν κακῶν τῇ πόλει γεγονέναι αἴτιον. τοῦτον γὰρ ἐκ δώδεκα πόλεων καταγαγόντα τὸν δῆμον λῦσαι τὴν βασιλείαν. καὶ δίκαια παθεῖν· πρῶτον γὰρ αὐτὸν ἀπολέσθαι ὑπ᾽ αὐτῶν*, quae verba optime quid Demophon reformidet ostendunt et simul patefaciunt quam absurda sit loci Euripidei scriptura. Non enim *οἱ δίκαια δρῶντες* sed *οἱ ἀδικοῦντες* dici possunt *δίκαια πάσχειν*, ita ut sententia plane contrarium postulet quam quod nunc dicatur, nempe:

ἀλλ᾽ ἤνπερ ἄδικα δρῶ δίκαια πείσομαι.

quod et vere dictum est et more Euripideo argute.

Non leviter est mihi de mendo suspectum quod legitur in Heraclidis vs. 536.

ἀδελφῶν ἢ πάρος θέλει θανεῖν.

quoniam *πάρος* constanti poëtarum usu olim semper *χρονικῶς* poni solet ut sit *πρότερον*, ut apud Homerum, deinde in Tragoedia *τοπικῶς* quoque, ut sit *ἔμπροσθεν*, et neque hoc neque illud rei convenit. Facile esset e vs. 545. *θνησκέτω γένους ὕπερ* et similibus locis rescribere *ἀδελφῶν ἢ θέλει θανεῖν ὕπερ*, sed scrupulum iniicit usus Euripideus verbi *προθνήσκειν*, quod saepe posuit pro *ὑπερθνήσκειν*, ut in hac ipsa re vs. 590. *προὔθανον γένους*, quod planissime est *ἔθανον γένους ὕπερ*. Potest igitur Euripides suum *προθανεῖν* in *πάρος θανεῖν* eodem sensu convertisse, ut quod in ea re nobis displicet non librariis sed Poëtae sit imputandum et nihil adeo movendum.

In vs. 542. *πέφυκας Ἡρακλῆος* manifesto mendosa est forma *Ἡρακλῆος* pro *Ἡρακλέους* sed facillimum est mendum transpositione tollere, ut scribatur:

Ἡρακλέους πέφυκας οὐδ' αἰσχύνομαι.

In vs. 612. *τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ᾤκισε* sanum non est *ᾤκισε* pro *ἔθηκεν*, *ἐποίησε* positum. Reponendum verbum est quo Aeschylus saepe usus est, nonnumquam Euripides *ἔκτισε*, quod satis tuebitur locus in Supplicibus Euripideis vs. 621. *ποτανὰν εἴ μέ τις θεῶν κτίσαι*, quod significat *εἴθε μέ τις θεῶν ὑπόπτερον θείη* vel *ποιήσειεν*, et in eadem fabula vs. 787.

ἄγαμόν μ' ἔτι δεῦρ' ἀεὶ | χρόνος παλαιὸς πατήρ
ὤφελ' ἁμερᾶν κτίσαι. | τί γάρ μ' ἔδει παίδων;

id est *ἄγαμον θεῖναι* sive *ποιῆσαι*.

Versus 633:

τί χρῆμα κεῖσαι καὶ κατηφὲς ὄμμ' ἔχεις;

ipse integerrimus est et utiliter adhiberi potest ad alium emendandum in Medea 1012.

τί δὴ κατηφεῖς ὄμμα καὶ δακρυρροεῖς;

ubi corrigendum esse puto *κατηφὲς ὄμμα*, namque verbum *κατηφεῖν*, quo sequiores Graeculi plurimum delectantur, a Tragicorum usu plane abhorrere videtur.

Turpissimus barbarismus inquinat vs. 652.

εἰ δὲ τῶνδε προσθίξεις χερί
δυοῖν γερόντοιν οὐ καλῶς ἀγωνιεῖ.

θίξω enim et *προσθίξω* non minus sunt barbara quam *λήξω* pro *λήξομαι*, *λήψω* pro *λήψομαι*, *τεύξω* pro *τεύξομαι*, aut *πλεύσω*,

φεύξω et similia omnia, in quibus Graeci sola forma in -ομαι utebantur. Quidquid verborum veterum est in -ν-άνω productorum μανθάνω, φυγγάνω, λαμβάνω, τυγχάνω, λαγχάνω, Tragicorum κιγχάνω pro Homerico κιχάνω etc., habent formam futuri medii: itaque θιγγάνω quoque habet θίξομαι, ἔθιγον, ut in Hippolyto vs. 1086.

κλάων τις αὐτῶν ἆρ' ἐμοῦ γε θίξεται.

Forma λιμπάνω non est admodum vetus pro λείπω, hinc habet λείψω. In his omnibus veteres omnes sunt ἄπτωτοι, quemadmodum in caeteris, quibus loquendi usus hanc futuri formam tribuit ut ἀκούσομαι, γελάσομαι, ὄψομαι, alia quam plurima. Sequiores omnes in ea re titubare et errare solent et omnino in verbis, quorum futuris medii veteres utuntur *solis* ut γελάσομαι, ᾄσομαι, ἀκούσομαι, βοήσομαι, πηδήσομαι, et quorum futuris saepe utuntur huius formae διώξομαι, ἐπαινέσομαι, ἐγκωμιάσομαι, χωρήσομαι: apud Graeculos perinde omnes illae formae in desuetudinem abierunt, unde veterum scripta eadem labe infici coepta sunt, quale est συμπνευσόντων ἂν apud Demosthenem; quasi vero quisquam veterum πνεύσω et συμπνεύσω pro πνεύσομαι, συμπνεύσομαι potuerit dixisse. Non tamen heri aut nudius tertius barbarum istud συμπνευσόντων in Demosthenis libros irrepsisse docebit Dionysius Hal. Tom. VI. p. 743. Reisk., ubi idem mendum conspicitur. Ostendam alias quam vitiosis Oratorum Codicibus Rhetor iste fuerit usus. Nunc dabo primum exempla quaedam huius παρεφθορυίας λέξεως ex poëtis et poëtastris sequioribus. Meleager potuit dicere in Epigramm. LII. 4. τάχα που σαρδάνιον γελάσεις. Mnasalcas Epigr. X. 1.

οὐκέτι δὴ πτερύγεσσι λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις.

Antipater Thessalon. VI. 1.

τρὶς δέκα με πνεύσειν καὶ δὶς τρία μάντιες ἄστρων | φασίν.

Lollius Bassus I. 1.

οὐ μέλλω ῥεύσειν χρυσός ποτε, βοῦς δὲ γένοιτο | ἄλλος.

Lucilius LXXXIV. 7.

πλὴν κἀμοῦ μνήσθητι νόμου χάριν, ἢ μέγα κράξω.

Strato Sardianus XLIII. 2.

δέξομ' ἐγὼ μελάθροις, οὐ μὰ τὸν -οὐκ ὀμόσω.

et LIII. 7. παίξεις ἴσα, κοινὰ λαλήσεις. Agathias III. 2. οἰμώξεις χρυσομανῆ σπατάλην. Similes sordes passim apud alios le-

genti et antiquae Graecitatis memori nauseam et fastidium pariunt, ut apud Theocritum XXIII. 35.

ἀνίκα τὰν κραδίαν ὀπτεύμενος ἁλμυρὰ κλαυσεῖς.

Omnes promiscue coeperunt dicere ᾄσω et poëtae scilicet ἀείσω, ἀκούσω, γελάσω, βοήσω similiaque permulta, quae Veteres risissent. Ecquid potest esse foedius quam πνεύσειν, quod modo audivimus, vel ῥεύσειν vel κράξειν pro κεκράξεσθαι vel pro οἰμώξομαι denique οἰμώξω?

Non magnopere hoc Graeculi curabant, et errores, qui ab omnibus pariter committebantur, neque argui poterant neque corrigi. Quis erat tum qui non indubitanter diceret ᾄσω aut in carmine ἀείσω, et quis sciebat aut admonebat Veteres omnes summa constantia ᾄσομαι dixisse, et ἀείσομαι in dialecto Ionica aut in Atheniensium carminibus melicis, ut in Euripideo: σὲ δ' ἀείσομαι, ὦ Κλεινίου παῖ. Theocritus non dubitavit scribere I. 145.

χαίρετ', ἐγὼ δ' ὔμμιν καὶ ἐς ὕςερον κάλλιον ᾀσῶ.

et VII. 72. ὁ δὲ Τίτυρος ἐγγύθεν ᾀσεῖ, et XXII. 135.

καὶ σὺ μὲν ὕμνησαί μοι, ἄναξ. σὲ δὲ, Κάςορ, ἀείσω.

non ita veteres Syracusani poëtae dixerant, non Sophron, non Philoxenus, non alius quisquam, sed sic passim alii *docti* poëtae aut versuum pangendorum laboriosi artifices, qui se linguam Homericam credebant imitari et referre. Hinc ᾄσειν invectum est in veterum scripta. Male irrepsit ἀείσω in Theognidea (id est in antiquam syllogen ex poëtis Elegiacis, Mimnerno, Solone, Eueno, Theognide, aliis a nescio quo conflatam) vs. 4:

ἀλλ' αἰεὶ πρῶτον σὲ καὶ ὕςατον ἔν τε μέσοισιν
ἀείσω. σὺ δέ μοι κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδου.

recte ᾄσονται legitur vs. 243 et ἀείσομαι vs. 943. Pro ἀείσω aut ὑμνήσω aut simile quid restitui poterit: in Platonem adeo forma barbara insinuavit sese legiturque in Legibus p. 666 D. ποίαν δὲ ᾄσουσιν οἱ ἄνδρες φωνήν; Est autem ᾄσουσιν in Platone non minus barbarum atque ἠλιάξεις in Aristophane et in Euripide προσθίξεις. Certa correctio ad manum est: emenda ἥσουσιν: ἱέναι φωνήν, non ᾄδειν φωνήν, est quod sententia et loquendi usus requirunt. Plutarchus in Themistocle cap. VII. καταβοήσειν scripsit, quum Graece καταβοήσεσθαι esset dicen-

dum et peius etiam in Cicerone cap. XXIII. ὀμόσων pro ὀμούμενος, estque illa ipsa vitiosa forma ei reddenda in Mario cap. XXIX. τοῦ γὰρ Μετέλλου φήσαντος μὴ ὀμόσειν pro ὀμόσαι, ubi veteres dixissent οὐ φήσαντος ὀμεῖσθαι. Idem vitium in Stratone modo vidimus: οὐ μὰ τόν - οὐκ ὀμόσω, et apud Dionem Chrysostomum est Orat. LVI. p. 568. καὶ ὅρκον ὑποδέχεται ὀμόσειν περὶ τῆς Βρισηΐδος, qui tamen Homerica sequitur, ubi est: ἐπὶ δὲ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι. Videlicet illi sero nati ex ὤμοσα fallacem analogiam secuti eliciebant ὀμόσω, saepe in aliis ita peccare soliti, νίπτειν dicentes pro νίζειν propter formas νίψω, ἔνιψα,

ὁποῖα θεοῖς ἐδόκει τοιαῦτα νένιμμαι,

et similia. Plutarchus in Antonio cap. XXVI. dixit ἐκπεπετασμένων pro ἐκπεπταμένων in errorem inductus formis ἐξεπέτασα et ἐξεπετάσθην. Et huic quidem errori color aliquis quaeri potest et aliqua excusatio afferri ex antiquo usu Ionum, ut in vetere oraculo apud Herod. I. 62.

ἔρριπται δ' ὁ βόλος, τὸ δὲ δίκτυον ἐκπεπέτασται,

sed nihil veniae alius error in eodem verbo commissus habet, quum πετάζειν dicunt pro πεταννύναι, quod Hesychius in v. elicuit ex πετάσειεν, et quod simillimum est Κατασκεδάζειν a Photio in v. fictum e verbo Xenophonteo συγκατεσκεδάσατο (Anabas. VII. III. 32.) pro κατασκεδαννύναι. Eadem est Hesychii negligentia in v. Σκεδάζει: σκορπίζει, — ἐγχέει, ubi corrige sodes συγχεῖ, quamquam (quod Hesychii pace dictum sit) Σκεδάννυμι numquam potuit συγχέω significare.

Eiusdem farinae est quod Iuliano excidit pag. 126 B. ἀνδρὸς ἰδιώτου πλάζειν μὲν οὐδὲν οὐδὲ τεχνάζειν εἰδότος, qui ex ἔπλασα, πέπλασμαι, ἐπλάσθην repetiit πλάζειν, quum πλάττειν deberet. In similem errorem Plutarchus est implicitus quum scriberet in C. Graccho cap. II. ἀμφιέζειν pro ἀμφιεννύναι deceptus formis ἠμφίεσα et ἠμφίεσμαι. Eodem errore scripsit in Moral. p. 340 E. μεταμφιέζουσιν, et pag. 406 E. ἀπημφίαζε pro ἀπέδυεν. Attulimus potissimum hanc παρεφθορυῖαν λέξιν, ut ostenderemus quam facile istae sordes ex vitae usu et quotidiano omnium sermone insinuaverint sese in Veterum scripta et quam nihil adeo sit tribuendum Codicibus, quos illo modo omnes vitiatos esse satis constet. In optimo Demosthenis Co-

dice ut in deterrimo quoque scriptum est barbare *συμπνευσόντων ἄν*, quoniam scioli in talibus futurum aoristo substituere consueverant *ἐρωτήσων ἄν corrigentes* scilicet pro *ἐρωτήσας* et sim. Itaque *συμπνευσάντων* in *συμπνευσόντων* mutant, nil mali suspicantes, namque ita loquebantur ipsi, ut Antipatrum audivimus modo dicentem: *τρὶς δέκα με πνεύσειν καὶ δὶς τρία μάντιες ἄςρων | φασίν.* Dicebant igitur Graeculi *ᾄσω*, at Graeci *ᾄσομαι*, cui formae apud poëtas quidem in prima et tertia persona nihil est periculi: *ᾄσομαι* et *ᾄσεται* metro tuta sunt, non item *ᾄσει*, quod proclivi errore in *ᾄσεις* depravari solet, quemadmodum passim Atticum -*ει* secundae personae corrumpitur in -*εις*, aut *ῃς* aut -*ῃ*. In Aristophanis Pace 1297. in omnibus libris constanter legitur:

οὐ πράγματ' ᾄσεισ σώφρονοσ γὰρ εἶ πατρόσ.

ubi tandem Dawesius *ᾄσει* correxit, quem omnes iure sequuntur, etiam Bergkius, qui nescio quomodo alias ubique formas manifesto vitiosas in -*εις* revocavit ob futilem, ut opinor, auctoritatem libri Ravennatis, unde recepit *ῥοφήσεις* Acharn. 278. et Pac. 716, et in Equitibus 360. *ἐκροφήσεις*. Praeterea in Equitt. 294. pessime *γρύξεις* edidit, ubi Rav. *γρύζεις* dederat, et 167. *λαικάσεις*, et 969. *διώξεις* et iterum in Thesmophor. 1224, quae omnia non minus vitiosa sunt quam *ἡλιάξεις*, *προσθίξεις*, *ᾄσεις* et sim. Sine labe evasit *ῥοφήσομαι* in Vespis 814.

αὐτοῦ μένων γὰρ τὴν φακῆν ῥοφήσομαι.

idque annotavit Atticista nescio quis, cuius multas verissimas observationes de dicendi usu Atticorum Photius in Lexici sui farraginem recepit: *Ῥοφήσομαι: ἀντὶ τοῦ ῥοφήσω λέγουσι* (nempe *οἱ Ἀττικοί.*) Idem alibi *Κλεψούμενος λέγουσι τὸ ὑφαιρησόμενος*, ubi *κλεψόμενος* emendandum. Dicebant enim Athenienses *κλέψομαι* non *κλέψω*, ut *ἁρπάσομαι*, *διαρπάσομαι*, *ἀναρπάσομαι*, non *ἁρπάσω* etc. Similia annotavit Moeris in *ᾄσεται*, *βοήσεται*, *βαδιοῦμαι*, *θηράσεται*, *ὀμοῦμαι*, sed fallitur in *ἄξεται* - *ἄξει* et *πράξεται* - *πράξει*. *Γρύζειν* habere *γρύξομαι* et analogia docet et poëtarum usus confirmat. Quemadmodum enim *οἰμώξομαι* dicebant et *κεκράξομαι* et *κεκλάγξομαι* et *βοήσομαι* et *λακήσομαι* et *ὀτοτύξεσθαι μακρὰ* in Lysistrata, et *ὀλολύξεται πᾶν δῶμα* in Euripidis Electra 691, sic *γρύξομαι* solum erat

in usu, quod est apud Alcaeum Athen. pag. 396 C.

εἴ τι γρύξομαι

ὧν σοι λέγω πλέον τι γαλαθηνοῦ μυός.

itaque invito Ravennate et omnibus Comico in Equitt. 294. reddemus:

διαφορήσω σ', εἴ τι γρύξει.

Hinc obiter corrige monstrosum Hesychii errorem: Ἐρύξει: κράξει, imo vero Γρύξει: κράξεις. namque sic isti loquebantur κράξω et ἔκραξα dicentes pro κεκράξομαι et ἔκραγον. Idem plane error in Isaeo commissus orat. VIII. § 27. οὐκ ἐτόλμησεν ἐρύξαι τὸ παράπαν, cui Stephanus suum γρύξαι reddidit optime, nisi quod γρῦξαι scriptum oportuit.

Λαικάσομαι et λαικάσει, quod Bergkius Aristophani male eripuit, in duobus antiquissimis mendis per multa saecula tuto delituerunt, unde salva prodierunt postquam Critices lux affulsit. Scribebatur apud Cephisodorum Athen. 689. F.

ἐγὼ πρίωμαι λαικασ ομαρραβακκαριν,

unde Critici elicuerunt λαικάσομἆρα βάκκαριν: eodem felici acumine apud Stratonem Athen. p. 383 A.

πηγὸς πάρεςι; Β. πηγός; οὐχὶ λεκασ ει,

Coraës eruit verum οὐχὶ λαικάσει; idque ipsum λαικάσει in archetypo Codice Marciano diserte scriptum vidi. Itaque Aristophanes recipiat servetque suum:

δήσεις, φυλάξεις, ἐν πρυτανείῳ λαικάσει.

Omnino Codex Ravennas, quamquam caeteris omnibus longe est emendatior et integrior et in Aristophanis scriptura constituenda unus omnium plurimum habet auctoritatis et fidei, tamen innumeris mendis et erroribus totum esse obsitum et scatere lectionibus absurdissimis et vitiosissimis non satis docti homines recordari videntur, quum Criticorum emendationibus praestantissimi libri auctoritatem opponunt. Non dubito affirmare et Ravennatem Codicem et Venetum Marcianum, quem ipse olim cum pulvisculo excussi, in deterrimis corruptissimisque libris scriptis, unde Antiquitatis monumenta in lucem revocata sint, esse habendos, sed quia caeteri omnes, quidquid ubique est codicum MSS. Aristophanis, multis partibus sint etiam vitiosiores interpolationibus, quas malesani correctores omnibus Criticae artis subsidiis destituti plurimas temere et

impudenter invexerunt, propterea ut in proverbio est, quod nostratibus est cum Graecis commune (vid. Schol. ad Iliad. Ω. 192.), ἐν τυφλῶν πόλει γλαμυρὸς βασιλεύει et habentur pro optimis, quia caeteri omnes sunt etiam multo peiores nequioresque. In prima parte Equitum metrum lectionibus Ravennatis pessime iugulatur vs. 29 (sequor editionem Bekkeri), 96, 130, 159, 194, 230, 239, 254, 261, 270, 283, 305, 339, 374, 386, 404, 409, 421, 431. et eadem est mendorum copia per totam fabulam et reliquas omnes. Leguntur in eadem fabula teste libro Ravennate vocabula male Graeca, soloeca, barbara vs. 68, 72, 133, 137, 235, 287, 421, 485. et sic deinceps, ex quibus unum exscribam vs. 287. pro forma Attica κατακεκράξομαι exhibet κατακράξομαι barbare, nam faex Graecorum dicebat κράξω, et trochaicum dimetrum hunc apponit:

κατακράξομαί σε κράζων.

et tertio post versu:

κυνοκοπήσω σου τὸν νότον.

pro τὸ νῶτον, deinde post quatuor versus apponit:

διαφορήσω σ' εἴ τι γρύζεις.
κοπροφορήσω σ' εἰ λαλήσεις.

et huic credemus γρύξεις esse veram scripturam? Denique in eadem fabulae particula lectiones habet plane absurdas et ridiculas vs. 147, 257, 263, 267, 289, 300, 321, 341, 365, 393, 435, 452. et in caeteris passim, κοὐχ ἅπαντας ἐκφέρω. Quum eadem ubique sit Codicis reliquis omnibus melioris in caeteris quoque fabulis ratio, non est satis cauti et circumspecti Critici eius auctoritatem correctionibus ex interiore observatione consuetudinis Atticae petitis opponere velle. Itaque nihil nos ista futilis auctoritas absterrebit, quominus διώξεις quoque a Bergkio receptum de novo expellamus: namque διώξομαι Athenienses dixisse certo indicio est locus in Equitibus 368, qui non poterat facile depravari:

διώξομαί σε δειλίας,

sed διώξει labem concepit in eadem fabula vs. 969.

χρυσοῦ διώξεις Σμικύθην καὶ μητέρα.

scriptura codicum διώξεισ σμικύθην manifesto nata est ut ᾄσεισ σώφρονοσ. Etiam leniore medicina sanari potest locus in Thesmophor. 1224.

τῇδὶ διώξεις. τοὔμπαλιν τρέχεις σύ γε.

ubi ne literula quidem mutata lege:

τῇδὶ διώξει. 'ς τοὔμπαλιν τρέχεις σύ γε.

Futurum σκώψει interiit in Nubibus 296:

οὐ μὴ σκώψῃς μηδὲ ποιήσῃς ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι,

nam nihil verius est quam quod Dawesio auctore repositum est οὐ μὴ σκώψει μηδὲ ποιήσεις, nisi quod olim σκώψεις corrigebant, sed σκώπτειν habere σκώψομαι et aliunde constat et ex Acharnensibus 854:

οὐδ' αὖθις αὖ σε σκώψεται Παύσων ὁ παμπόνηρος.

Eodem modo futurum οὐρήσομαι intercidit in Vespis 394. ubi editur:

κοὐ μήποτέ σου παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω μηδ' ἀποπάρδω,

sed emendandum est οὐρήσομαι οὐδ' ἀποπάρδω, quoniam et οὐδέ requiritur pro μηδέ et οὐρεῖν futurum οὐρήσομαι habet non οὐρήσω, ut in Pace 1265.

τὰ παιδί' ἤδη 'ξέρχεται | οὐρησόμενα.

Οὐ μή - οὐδέ negantis est et οὐ μή - μηδέ vetantis et prohibentis[3], in qua re longa observatione compertum habeo οὐ μή apud antiquos Atticos aut futurum adsciscere aut coniunctivi aoristum *secundum* (non *primum*) activae formae, et saepe componi futurum cum aoristo *secundo*: apud paulo minus antiquos Xenophontem, Platonem, Isocratem caeterosque eorum aequales videtur οὐ μή etiam cum coniunctivo aoristi *primi* bene componi. Itaque Xenophon dixisse potest οὐ μὴ μείνητε, Aristophanes non potest sed οὐ μὴ μενεῖτε ei est dicendum. Ex hac ratione οὐ μὴ οὐρήσομαι οὐδ' ἀποπάρδω dictum est κατὰ τὴν ἀρχαίαν 'Ατθίδα eodem modo atque in Sophoclis Electra 42:

οὐ γάρ σε μὴ γήρᾳ τε καὶ χρόνῳ μακρῷ
γνῶσ' οὐδ' ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον.

et in Oedipo Coloneo 450:

ἀλλ' οὔτι μὴ λάχωσι τοῦδε συμμάχου
οὐδέ σφιν ἀρχῆς τῆσδε Καδμείας ποτέ
ὄνησις ἥξει.

---

[3]) Apud Isaeum VIII. 34. οὐ μὴ εἰσίῃς τὴν οἰκίαν verum vidit Dobraeus: οὐ μὴ εἴσει εἰς τὴν οἰκίαν.

nam sic scribendum pro οὔτε σφιν.

Prorsus absonum et inauditum est in Attico quidem sermone futurum τέξειν, quod vitio irrepsit in Thesmophor. 509.

ἄπελθ', ἄπελθ', ἤδη γάρ, ὦνερ, μοι δοκῶ
τέξειν.

Sibylla ita loquebatur et Pythius Apollo in oraculis et Dii immortales et heroës, mulierculae Atticae τέξομαι solebant dicere. Rectissime igitur Hirschigius τίκτειν emendavit, quod et Graecum est et rei, quae agitur, unice convenit. Non *parituram* sese sed *parere* clamat, ut virum sine mora extrudat foras [4]. Duobus aliis locis apud Aristophanem futuri forma Attica in -ει depravata in -εις est: in Pace 176:

κεἰ μὴ φυλάξεις χορτάσω τὸν κάνθαρον.

non erat istic *custodiendi* sed *cavendi* locus, itaque emenda φυλάξει. Alter locus est in Avibus 1568.

οὐ μεταβαλεῖς θοἰμάτιον ὧδ' ἐπὶ δεξιάν;

quis non videt requiri μεταβάλλεσθαι, itaque μεταβαλεῖ rescribendum et praeterea ἐπὶ δεξιά. Similia menda et errores facile unusquisque in quovis scriptore Graeco commissos colligere poterit, si volet farraginem discrepantium scripturarum sedulo excutere aut in legendo esse suspicax ne quid sibi fraudis a scribarum natione struatur. Ex Euripide pauca indicia cognosce: θαυμάζω habet θαυμάσομαι, quod cum Graeculi nescirent in Alcestide 157.

ἃ δ' ἐν δόμοις ἔδρασε θαυμάσει κλύων,

in aliis libris θαυμάσεις legitur, in aliis θαυμάσῃς. In eadem fabula vs. 635. τόνδ' ἀποιμώξει νεκρόν, quamquam frequentissimus usus est apud Atticos futuri οἰμώξεσθαι si quis cui malum minatur in ira aut iurgio (Xenophon de Theramene Hell. II.

---

4) Δοκῶ μοι ubi significat *videor mihi*, id est *puto me*, assumere et praesens et praeteritum tempus ex ipsa rei natura sequitur: cum futuro coniunctum significat quod supra diximus, de quo usu recte monet Schneider. ad Xen. Memor. II. 7. 11. ubi δοκῶ μοι dicit esse *consilium*, *propositum*, *decretum mihi est*, verissime si attenderis semper poni de ea re, quam quis statim facere paret, quam quis sine mora facturus sit. Socrates in Phaedro ubi dixit δοκῶ μοι κατακείσεσθαι continuo humi decumbit, et sic qui dicit ταῦτα μὲν οὖν μοι δοκῶ ὑπερβήσεσθαι Aeschines in Ctesiph. § 53. statim ad aliud argumentum transit. In Memorabilibus l. l. certum est legi debere νῦν δέ μοι δοκῶ ὑπομενεῖν αὐτὸ ποιῆσαι, non ὑπομένειν.

III. 24. ὡς εἶπεν ὁ Σάτυρος ὅτι οἰμώξοιτο εἰ μὴ σιωπήσειεν, ἐπήρετο· Ἂν δὲ σιωπῶ, οὐκ ἄρ', ἔφη, οἰμώξομαι; et passim in comoedia) tamen non desunt libri in quibus ἀποιμώξεις scriptum est. In Ione vs. 1505. eodem errore legitur:

σὺ τῶν ἀτέκνων δῆτ' ἀναρπάσεις δόμους.

pro ἀναρπάσει, quoniam Athenienses ἀναρπάσομαι solent dicere. Eadem de causa, quia Athenienses βλέψομαι dicebant, non βλέψω, corrige locum in oratione κατ' Ἀριστογείτονος, quam ab Hyperide scriptam esse suspicor, p. 799. τίσιν ὀφθαλμοῖς πρὸς ἕκαστον τούτων ἀντιβλέψετε; imo vero ἀντιβλέψεσθε. Similia plura apud Tragicos nunc quidem omittam, sed plane eiusdemmodi vitium sponte me ad Heraclidas reducet. In Ranis vs. 525. liber Ravennas hanc servat scripturam:

ἐπίσχες οὗτος. οὔτις που σπουδὴν ποεῖς.
ὁτιή σε παίζων ἡρακλέ' ἐσκεύασα.

ut solet, mendis obsitus est et verae lectiones sunt οὔ τί που σπουδὴν ποιεῖ et Ἡρακλέα 'νεσκεύασα. Scribendum autem esse σπουδὴν ποιεῖ non ποιεῖς et hic quoque Ravennatis auctoritatem nihili esse faciendam certis argumentis vinci potest. Primum vindex est verae lectionis Grammaticus antiquus apud Photium v. Σπουδὴν ποιεῖσθαι: τὸ ὀργίζεσθαι. οὕτως Ἀριστοφάνης ἐν Βατράχοις. Recte servavit genuinam scripturam, quisquis est, sed vide quam bonus interpres sit, qui serio doceat σπουδὴν ποιεῖσθαι significare ὀργίζεσθαι, quod tam falsum est quam absurdum. Haud raro videbis veteres Grammaticos sic antiquam linguam et certos antiquorum locos interpretari ut quidquid in buccam venerit magna confidentia affirment. Σπουδὴν ποιοῦμαι significat σπουδάζω, et est id ipsum certissimo argumento ποιεῖσθαι non ποιεῖν dici oportere. Nempe est ea frequentissima in Graeco sermone periphrasis, quam verba pleraque admittunt, ut v. c. pro λέγειν dicatur ποιεῖσθαι λόγους, pro κατηγορεῖν κατηγορίαν ποιεῖσθαι, et eodem modo ἀπολογίαν, μήνυσιν, κρίσιν, ἀκρόασιν, κολακείαν, ἔπαινον, βλασφημίαν, ἀμφισβήτησιν et sexcenta alia ποιεῖσθαι pro κατηγορεῖν, ἀπολογεῖσθαι, μηνύειν, κρίνειν, ἀκροᾶσθαι, κολακεύειν, ἐπαινεῖν, βλασφημεῖν, ἀμφισβητεῖν etc. Eodem modo dicitur ποιεῖσθαι ὁδόν pro ἰέναι, namque ὁδός verbo ἰέναι sic respondet, ut πληγή verbo τύπτειν, diciturque ὁδὸν ἰέναι, ut νόσον νοσεῖν, φεύγειν φυγήν: ita-

que ἔξοδον ποιεῖσθαι est idem atque ἐξιέναι, πρόσοδον ποιεῖσθαι est προσιέναι, ut apud Isocratem Areopag. § 1: πολλοὺς ὑμῶν οἶμαι θαυμάζειν ἥντινά ποτε γνώμην ἔχων περὶ σωτηρίας τὴν πρόσοδον ἐποιησάμην, sic πάροδον ποιεῖσθαι, et τὴν ἄφοδον, σύνοδον, ἐπάνοδον, ἔφοδον ποιεῖσθαι dicebant omnes, quemadmodum τύπτεσθαι πληγάς dici ostendimus alibi multis exemplis, quibus unum adiice ex Dionysio Halic. III. 19. τῷ πρὸς αὐτὸν ἀντιτεταγμένῳ συμπλέκεται παίων τε καὶ παιόμενος ἄλλαις ἐπ' ἄλλαις πληγαῖς, viden ἄλλας ἐπ' ἄλλαις πληγάς verum esse? Ne quis credat eundem rhetorem, quamquam admodum vitiose scribit, dixisse ἔλευσιν ποιοῦμαι pro ἔρχομαι in A. R. III. 59. ἐποιήσαντο τὴν ἐπὶ Ῥωμαίους ἔλευσιν, sed emendet ἔλασιν, ut alibi passive dixit γίγνεται ἡ ἔλασις. Mendose legitur in Xenophontis Memorabilibus III. 7. 3. ἐν ταῖς συνουσίαις, αἷς σύνει τοῖς τὰ τῆς πόλεως πράττουσι, quia Graecum est συνεῖναι συνουσίαν non συνουσίᾳ, intelligitur ἃς σύνει esse rescribendum. Quemadmodum igitur (ut illuc redeam) pro ἰέναι dicitur ποιεῖσθαι ὁδόν, sic pro πλεῖν dicebant ποιεῖσθαι πλοῦν, pro κατατρέχειν ποιεῖσθαι καταδρομήν, et pro στρατεύομαι, μάχομαι, ναυμαχῶ, τρέπομαι, καταστρέφομαι dicebatur ποιοῦμαι στρατείαν, μάχην, ναυμαχίαν, τροπήν, καταστροφήν. Eodem modo pro ζητῶ, σκήπτομαι, ἄρχομαι, καταλλάττομαι, διατρίβω, ἐπιδείκνυμι, πωλῶ usitatum erat dicere ποιοῦμαι ζήτησιν, σκῆψιν, ἀρχήν, καταλλαγάς, διατριβήν, ἐπίδειξιν, πρᾶσιν. Itaque ὀργὴν ποιοῦμαι significat ὀργίζομαι et ποιεῖσθαι λήθην, θαῦμα, λείαν est pro ἐπιλανθάνομαι, θαυμάζω, λῄζομαι, et est permagna talium copia, quibus sic frequentissime utuntur ut nomini adiectivum accedat, πολλὴν ζήτησιν, ἀκριβῆ τὴν ζήτησιν ποιεῖσθαι, πᾶσαν σπουδὴν ποιεῖσθαι et sic passim, in quibus omnibus certo perpetuoque omnium usu ποιεῖσθαι semper ponitur, numquam ποιεῖν, idque necessario ex ipsa Graecitatis ratione et natura sequitur, siquidem διατριβὴν ποιῶ est *moram iniicio* alteri, διατριβὴν ποιοῦμαι est ipse *moror*, quemadmodum is qui foedus percutit σπονδὰς ποιεῖται, is autem per quem agitur aut Dii, qui foederis faciendi copiam et occasionem dederunt, σπονδὰς ποιοῦσιν. Itaque recte in Pace legitur vs. 211.

ὅτι ἡ πολεμεῖν ᾑρεῖσθ' ἐκείνων πολλάκις
σπονδὰς ποιούντων.

sed perperam in Acharnensibus vs. 130.

ἐμοὶ σὺ ταυτασὶ λαβὼν ὀκτὼ δραχμὰς
σπονδὰς ποίησαι πρὸς Λακεδαιμονίους μόνῳ.

ubi apparet legendum esse ποίησον, quod dudum praecepit Elmsleius ad vs. 58. verissima admonens. Non raro sic peccatum esse videbis quia facillime in multis formis ποιεῖν et ποιεῖσθαι permiscentur (ut in quavis farragine discrepantium lectionum cognosci potest) et editores quid in quoque loco poscat et requirat Graecitatis ingenium et dicendi usus non satis cogitare et curare solent. Exemplum de permultis, quae mihi in promtu sunt, proferam unum ex Aeschinis Timarchea § 169. ἐὰν δ' (ὁ Φίλιππος) ὁ αὐτὸς ἐν τοῖς πρὸς ὑμᾶς ἔργοις γένηται οἷος νῦν ἐστὶν ἐν τοῖς ἐπαγγέλμασιν ἀσφαλῆ καὶ ῥᾴδιον τὸν καθ' ἑαυτοῦ ποιήσεται ἔπαινον. Significant haec verba ἀσφαλῶς καὶ ῥᾳδίως αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπαινέσεται, quod ab Oratoris sententia prorsus abhorret et absurdum est, sed nihil aliud est ἔπαινον κατά τινος ποιεῖσθαι quam ἐπαινεῖν τινά. Exemplum est in vicinia § 157. ἔτι δὲ εἰπεῖν ἔχων πολλοὺς παύσομαι ἵνα μὴ δοκῶ τὸν ἔπαινον θεραπείᾳ τινὶ κατ' αὐτῶν ποιεῖσθαι, quod quivis statim videt significare ἵνα μὴ δοκῶ θεραπείᾳ τινὶ αὐτοὺς ἐπαινεῖν. Itaque in priore loco quum manifesta sit Oratoris sententia emenda: τὸν καθ' ἑαυτοῦ π ο ι ή σ ε ι ἔπαινον.

Ex his satis superque apparere arbitror a bono scriptore pro σπουδάζειν dici oportere σπουδὴν ποιεῖσθαι, non ποιεῖν, idque ipsum subinde occurrit, ut apud Herodotum V. 30. πᾶσαν σπουδὴν ποιεύμενος, et apud Demosthenem in Prooemiis p. 1454, 11. τῶν ἐπὶ τούτῳ σπουδὴν ποιησαμένων ὅπως ὑμᾶς ἐξαπατήσωσιν (corrige ἐξαπατήσουσιν), et Platonem in Euthydemo p. 304 E. ληρούντων καὶ περὶ οὐδενὸς ἀξίων ἀναξίαν σπουδὴν ποιουμένων, et passim alibi.

Ut quisque optime intelligit ποιεῖν σπουδήν pro ποιεῖσθαι dici non posse, ita facillime mecum emendabit veterem maximi pretii inscriptionem, in qua Chandlerus et Boeckhius gravissimos commiserunt errores multos, de quibus alio tempore dicam, nunc corrigam hunc unum. Est ψήφισμα Καλυμνίων repertum et editum a Chandlero (Inscriptt. Antiq. I. p. 20), repetitum et hic illic tentatum a Boeckhio C. I. Vol. II. p. 460, in quo ita scriptum esse creditur: ἀπέστειλεν ἄνδρας καλοὺς

καγαθοὺς οἱ παραγενόμενοι πᾶσαν σπουδὰν ἐποίησαν τούτου διαλυθέντος τοὺς πολίτας τὰ ποτ' αὐτοὺς πολιτεύεσθαι μετ' ὁμονοίας. Si quis umquam antiquum lapidem oculis acutioribus inspiciet non dubito quin pro ΕΠΟΙΗΣΑΝΤΟΥΤΟΥΔΙΑΛΥΘΕΝΤΟΣ scripturam sit reperturus hancce: ΕΠΟΙΗΣΑΝΤΟΤΟΥΔΙΑΛΥΘΕΝΤΑΣ. Scribendum est enim: οἱ παραγενόμενοι πᾶσαν σπουδὰν ἐποιήσαντο τοῦ διαλυθέντας τοὺς πολίτας τὰ ποθ' αὐτοὺς πολιτεύεσθαι μεθ' ὁμονοίας.

Non memini me videre alias manifestius vitium ex eadem hac formarum confusione natum quam apud Demosthenem p. 1161, quem locum, quia tam evidens est correctio, ὁδοῦ πάρεργον corrigere iuvat. Apud omnes sic editur: ψεύσασθαι δὲ πρὸς ὑμᾶς καὶ διομόσασθαι αὐτὸς καὶ τὸν υἱὸν καὶ τὴν γυναῖκα οὐκ ἂν ἐτόλμησα, οὐδ' ἂν εἰ εὖ ᾔδειν ὅτι αἱρήσομαι αὐτούς. Ecquis enim est qui nesciat in tali re αἱρεῖν dici oportere, et quam constanter apud omnes accusator dicatur αἱρεῖν τὴν γραφήν et αἱρεῖν τὸν φεύγοντα? Ecquis est qui αἱρεῖσθαι vel ἑλέσθαι eo sensu dici posse credat, aut omnino αἱρεῖν et αἱρεῖσθαι ullo loco sic inter se permutari, ut non vitiosa et ridicula oratio exeat? Nemo hercle: tam certa et manifesta res est. Emenda igitur: εἰ εὖ ᾔδειν ὅτι αἱρήσοιμ' αὐτούς. Quam bene αἱρήσοιμι in tali loco sit collocatum fugiet neminem et satis confirmabit vel Xenophon Hell. V. IV. 23. Σφοδρίαν γὰρ εὖ εἰδέναι ἔφασαν ὅτι ἀπολωλότα πεύσοιντο, et VI. v. 19. εὖ δὲ εἰδέναι ἔφασαν ὅτι παρέσοιντο, quibus alia similia passim occurrunt.

In contrariam partem immani soloecismo peccatum est in fragmento Tragici poëtae, unius, ut puto, de Pleiade Alexandrina, apud Stobaeum in Eclog. Phys. I. 3. 10.

οὐ γάρ τις οὐδὲ χρημάτων ὑπεργέμων
νόμον μιαίνων ἀσφαλῶς γ η ρ ά σ κ ε τ α ι,

quod nihilo melius est quam χαίρομαι. Sed quis non videt requiri futurum? itaque sine mora repone γηράσεται. Contra in praecedenti fragmento: οὐχ εὕσει Διὸς ὀφθαλμός pro ineptissimo futuro εὕσει (*assabit*) quantocyus rescribe praesens εὕδει.

Fraudem fecit Dindorfio ad Steph. Thes. locus Photii: Εὗεν: ἔβρεχεν. tu corrige: ὗ ε ν: ἔβρεχεν, ut recte legitur suo loco et apud Hesychium. Photius alibi: Ὑόμενος: βρεχόμενος, et Ὗσας: βρέξας, et Ὗων: βρέχων. Similia alii: solebant enim Graeculi

sequiores βρέχει dicere pro ὕει, et βροχή pro ὑετός, quos satis redarguit Phrynichus pag. 291, ubi vide Lobeckium.

Quicumque animadvertit quam saepe in libris futurum in praesentis formam refictum vel contra foedos barbarismos pepererit statim immane vitium tollere poterit ex Appiano de Bell. Civil. IV. 118. ubi Brutus ad milites ita dicit: καὶ μὴ ἀδοξῆτε, εἰ προσπαίζονται ὑμῖν καὶ προκαλοῦνται, οὐκ ἀμείνονες ὄντες ἀλλ' ἕτερον δέος ἰώμενοι. Sunt qui credant Appianum προσπαίζομαι pro προσπαίζω semel maluisse dicere, quod non minus ridiculum est quam χαίρομαι, γηράσκομαι cet. Quia manifestum est futurum requiri manifestum est emendari oportere: εἰ προσπαίξονται ὑμῖν καὶ προκαλοῦνται. Scilicet προκαλοῦνται futurum esse nescientes barbarismum invexerunt. Παίζω et composita habere παίξομαι apud sequiores certum est. Lucian. D. D. IV. 5. ἢν δὲ παίζειν ἐπιθυμήσω τίς συμπαίξεταί μοι; — ἔχεις κἀνταῦθα τὸν συμπαιξόμενόν σοι τουτονὶ τὸν Ἔρωτα, ubi cod. Gorlicensis συμπαίζεται pervulgato errore. Caeterum apud Appianum corrige: μὴ ἀδοξεῖτε.

Sed nondum de periphrasi per verbum ποιεῖσθαι absolvimus: restat ut de dialecto vetere Ionica et artificiali lingua Lyricorum et Tragicorum unum hoc moneamus: Iones antiquiores (quorum eloquium et dictionem Tragici aliique imitantur), quoniam τιθέναι pro ποιεῖν usurpabant propterea illa ipsa periphrasi sic utebantur ut pro ποιεῖσθαι ponerent τίθεσθαι. Itaque pro κοινωνεῖν Athenienses dicebant κοινωνίαν ποιεῖσθαι, Iones, qui pro κοινός dicebant ξυνός (et sic ξυνῇ, ξυνοῦσθαι, ξυνωνός, ξυνωνίη pro κοινῇ etc.) eodem sensu dicebant ξυνωνίην τίθεσθαι (numquam τιθέναι), ut apud Archilochum noto loco: ἀλώπηξ καἰετὸς ξυνωνίην ἔθεντο. Huius usus ingens est exemplorum copia apud poëtas quoslibet, unde satis est expromere unum, unde hanc disputationem exorsi sumus, σπουδὴν ποιεῖσθαι: quod quum Sophocles vellet dicere in Aiace vs. 13. ita dixit:

ἐννέπειν ὅτου χάριν | σπουδὴν ἔθου τήνδε.

Credi mihi nunc poterit vitium alere Xenophontis locum in Hellenicis VII. II. 20. ἴσως δὲ ἐπιφανεὶς σὺ τροπήν, ὥσπερ ἐν Πελλήνῃ, ποιήσεις, nempe si satis constat pro τρέψομαι τοὺς πολεμίους Graece dici τροπὴν τῶν πολεμίων ποιήσομαι, sequitur Xenophontem ποιήσει scripsisse non ποιήσεις.

Τροπὴν ποιεῖσθαι recte legitur apud Xenophontem et aliis locis et in Hellen. V. iv. 43. ubi scribendum: ἐγένετο ἐν ἐλπίδι τροπὴν τῶν ἀνδρῶν ποιήσεσθαι, non ut vulgatur ποιήσασθαι. In Isocratis orat. XII. 50. pro verissima scriptura ποιήσασαν ῥοπὴν inepte ex Urbinate recepit τροπήν novissimus Editor, qui quam multa vulnera Isocrati inflixerit sine ratione et iudicio Urbinatis auctoritatem sequendo alias ostendam.

Iam ad Euripidem revertor in simillima corruptela opem nostram exspectantem in Heraclidis 742:

σύμμαχος γένοιό μοι
τοιοῦτος, οἷος ἂν τροπὴν Εὐρυσθέως
θείην.

ubi θείμην reponendum esse arbitror, θείην scribis deberi, qui in talibus tam socordes sunt ut vs. 1017. fideli concordia omnes λιπὼν δ' οὐδὲν ἀχθοίην βίον dormitantes dederint pro ἀχθοίμην. Qui poterant ἀχθοίην pro ἀχθοίμην sine suspicione scribere, quid eos in ποιεῖν et ποιεῖσθαι male confundendis designavisse putes? De permultis exemplis unum et alterum cognosce: in Isocratis Euagora § 26. omnes libros turpis soloecismus obsidebat: εἰ μὴ κἀκεῖνον ἐκποδὼν ποιήσειε, quum Urbinas verum ποιήσαιτο attulit. In Lysiam idem mendum irrepserat XIII. 24. ἐδόκει οὖν ἐκποδὼν ποιῆσαι τὸν Ἀγόρατον, ubi ποιήσασθαι restitutum est, etiam melius ποιεῖσθαι restituetur. Conspirat autem Urbinas eximius liber cum caeteris in Busiride § 49. in vitiosa scriptura: οὐ ποιήσεις τοῦ λοιποῦ πονηρὰς ὑποθέσεις, nam qui argumentum sumit dicendi ποιεῖται ὑπόθεσιν, non ποιεῖ, quare ποιήσει scribendum. Saepissime ποιεῖσθαι ὑπόθεσιν apud Isocratem occurrit: quater in *Panathenaica* § 35, 96, 108 et 175, ter in *Antidosi* § 58, 69 et 276, et alibi. Vitiosum est in Anabasi V. vii. 31. ἵνα καὶ φυλακὴν ἰδίᾳ ποιήσῃ τις pro ποιήσηταί τις, nam significat ἵνα καὶ ἰδίᾳ τις φυλάξηται. Contrario errore in Hellen. VI. v. 18. legitur: καὶ οὕτως ἅμα ἔκ τε τοῦ στενοῦ ἐξῆγε καὶ ἰσχυροτέραν ἀεὶ τὴν φάλαγγα ἐποιεῖτο, namque ἰσχυρὸν ποιεῖν Graecum est et ἀσθενὲς ποιεῖν et similia omnia, ubi ποιεῖν est *reddere*, quo sensu nemo umquam veterum cum adiectivo verbum ποιεῖσθαι coniunxit. Emenda igitur ἰσχυροτέραν — ἐποίει. Similes corruptelae inter legendum sat multae occurrent, quarum nova exempla sibi

quisque colligito; equidem nunc potius Graeculorum in hoc genere incuriam et vitiosam *συνήθειαν* breviter arguere malo, non ut ipse hunc locum, qui latissime patet, exhauriam sed ut generosae iuventutis studia accendam. Quemadmodum enim Veteres in his rebus sunt *ἀπαράπτωτοι* et numquam negligentes sunt, numquam labuntur, sic sequiores omnes saepissime in iis errant et impingunt et male miscent omnia, saepe *ποιεῖν* ponentes pro *ποιεῖσθαι*, nonnumquam ubi *ποιεῖν* requiritur *ποιεῖσθαι* usurpantes, saepe priscum usum Ionicum verbi *τίθεσθαι* inepte recoquentes. Plutarchus in Arato cap. XXVI. non dubitavit scribere *ἔξοδον θέμενος* pro *ποιησάμενος* id est *ἐξελθών*, et cap. XXXVIII. *μάχην ἔθετο*, et sic saepe alibi *θέσθαι* in hac periphrasi usurpat pro *ποιήσασθαι*, ut in Antonio cap. XLV. *τροπὴν ἔθεντο* scripsit pro *ἐποιήσαντο* id est *ἐτρέψαντο*. Quam bene enim Solon apud Stob. Floril. IX. 25. vs. 46. pro *τῆς ψυχῆς οὐ φεισάμενος* vel *ἀφειδήσας τῆς ψυχῆς* dixit:

φειδωλὴν ψυχῆς οὐδεμίαν θέμενος,

et multa similia in antiquis carminibus reperiuntur, tam dedecet hoc loquendi genus Plutarchi orationem. Peius etiam *ποιεῖσθαι* subinde pro *ποιεῖν* ponit, ut in Agesilao cap. XX. *οἰκείους ἐκ διαφόρων ἐποιεῖτο*, et post pauca *ἐποιεῖτο χειροήθη*, non enim ut rectissime dicitur *ποιεῖσθαί τινα υἱὸν, γαμβρὸν, φίλον, ξένον* et civitas dicitur *πολίτην τινὰ ποιεῖσθαι*, ut in Acharnensibus 145:

ὁ δ' υἱὸς, ὃν Ἀθηναῖον ἐπεποιήμεθα,

sic ius est dicere *χειροήθη τινὰ ποιεῖσθαι ἢ πρᾶον* aut simile quid, quorum diversissima ratio est. Foedius etiam Dionysius Halic. A. R. IV. 59. quum omnes olim dicerent *ἐκποδὼν ποιεῖσθαι* maluit ipse dicere: *πρὶν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτὸν εἰσελθεῖν ἐκποδὼν ποίησον*, et sic sequiorum multos saepe audivi dicentes. Neque tamen possum in animum inducere Theocritum, quamquam saepiuscule dictione utitur admodum vitiosa, dixisse *λόγον οὐδένα ποιεῖν τινός* pro *ποιεῖσθαι*, quod nunc fecisse videtur II. 61:

ὁ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιεῖ,

sed rectissime idem III. 33. dixerat: *τὺ δέ μευ λόγον οὐδένα ποιῇ*. Itaque plane assentior Ahrensio non sine aliqua librorum auctoritate totum versum expungenti.

Sequiores praeterea, qui omnes saepe *ἀκούσω*, *ᾄσω*, *γελάσω*, *βοήσω*, similiaque multa contra constantem Veterum usum dicebant, in certis quibusdam verbis antiquam dicendi consuetudinem contrario errore corrumpebant. Veteres omnes summa constantia dixerant *τεθνήξω*, at isti *τεθνήξομαι* dicebant: Veteres *ἑστήξω* et *ζήσω* et *λήσω* usurpabant, sequiores contra *ἑστήξομαι* et *ζήσομαι* et *λήσομαι* magno consensu dicere coeperunt. Licebat iis patrii sermonis sinceritatem suo arbitratu omnibus modis contaminare, satis erit si ea res nos non fefellerit neque aliquid Veterum scriptis apportet mali. Sed non ita evenit: grassata est nova labes in plerisque omnibus Antiquitatis monumentis: est operae pretium in uno id demonstrare. Satis constat Atticos olim constantissime dixisse *τεθνήξω* (ut *ἑστήξω* ex *ἕστηκα* formarunt et ex *ἔοικα*, *εἰκέναι*, *εἴξω*), numquam *τεθνήξομαι*: res certa nunc est et indubitata: experiamur igitur in ea Codicum fidem et quantum iis tribui possit aestimemus. In Acharnensibus praestantissimus Codex Ravennas vs. 565. apud Bekkerum exhibet *τεθνήσει* prorsus barbare: idem in Nubibus 1418. servat *σὺ δ' ἐγχανὼν τεθνήξει* pessime pro *τεθνήξεις*. In Vespis idem vs. 654. *οὐκ ἔστιν ὅπως οὐχὶ τεθνήσει* repetito immani barbarismo. Unicus est apud Comicum locus, in quo libri non sunt interpolati in Acharn. 325.

ὡς τεθνήξων ἴσθι νυνί: δήξομαἄρ' ὑμᾶς ἐγώ.

In Platonis Gorgia p. 469 D. *ἐὰν ἄρα ἐμοὶ δόξῃ τινὰ τούτων τεθνάναι τεθνήξει οὗτος ὃν ἂν δόξῃ*, ad quem magister annotavit: *τεθνήξει: ἐνεργητικὸν ἀντὶ παθητικοῦ τεθνήξεται καινοπρεπῶς παρελήφθη.* Doctum hercle hominem et antiquitatis probe gnarum! Ridiculum est illud *καινοπρεπῶς*: nemo Veterum umquam aliter dixerat, quod iste nesciebat. Noli mirari nunc, quod in multis Codd. *τεθνήξεται* legitur. Simili modo fit in caeteris, ubi longa dies verborum formas mutaverat. *Ἑστήξω* vetus et *ἑστήξομαι* novicium confusa vide apud Elmsleium ad Acharn. 598. Non diu dubitabis igitur in Iphig. Aulid. 675. scribere:

εἴσει σύ, χερνίβων γὰρ ἑστήξεις πέλας,

et quibus debeatur librorum scriptura *ἑστήξει* statim perspicies.

Inscitia Graeculorum futurorum formas in -σω et -σομαι exeuntes confundentium et inde nata librorum Veterum interpolatio frequenter apparet in futuro verbi λανθάνω. Videbis Veteres omnes summa constantia ubique λήσω scribere pro *latebo*: οὐ λήσεις δὲ θεούς, ἐδόκεες θεοὺς λήσειν οἷα ἐμηχανῶ dixit Herodotus VIII. 106, et sexcenties cum participio οὐ λήσεις τοῦτο δρῶν. Contra λήσομαι apud antiquissimos Graecos est *obliviscar*: namque olim simplici verbo λανθάνομαι utebantur, paulo minus antiqui et Attici omnes *semper* utuntur composito ἐπιλανθάνομαι, ἐπιλήσομαι, unde ἐπιλήσμων natum est. Nota sunt Homerica: οὔποτε λήσομαι αὐτῶν et οὐκ ἄρ' ἔμελλες οὐδὲ θανὼν λήσεσθαι ἐμοὶ χόλου. Postea simplicis verbi usum soli poëtae retinuerunt, populus et Comici non aliter quam ἐπιλανθάνεσθαι dicebant. Eadem ratio multorum verborum est, ut formae simplices apud solos antiquiores in usu sint et minus veteres compositis solis utantur. Ὄλλυμι olim dicebant et ἄγνυμι et θνήσκω, κτείνω, φθείρω: postea ἀπόλλυμι aut ἐξόλλυμι coeperunt dicere, et κατάγνυμι (itaque vetus nomen est Laconicum μουκηροβάκτας *nucifrangibulum*, minus vetus Atticum καρυοκατάκτης) et ἀποθνήσκω, ἀποκτείνω, διαφθείρω. Soli Veteres dixerunt δῦναι, postea καταδῦναι erat usitatum. Διδράσκω numquam in usu fuit, sed δια —, ἐκ —, ἀποδιδράσκω. Multa longo usu invaluerunt, quorum nulla ratio reddi potest. Κατθνήσκω et κατθανοῦμαι et κάτθανον Tragicorum sunt, populus ἀποθνήσκω dicit et ἀποθανοῦμαι et ἀπέθανον. Conspirant omnes in τέθνηκα. Gravi errore semel Plutarchus in Pericle cap. 7. scripsit ἀπετεθνήκει. Sic poëtae κατακτείνω dicunt et κατέκτανον et κατέκταν, populus non aliter quam ἀποκτείνω et ἀπέκτεινα.

Futuri ἐπιλήσομαι ex Atticis exempla conquirere putidum est: ubicumque *obliviscar* quis dicit ἐπιλήσομαι dici videbis, (quemadmodum facile comperies perpetuo ἐπιλανθάνεσθαι dici solere, ut in veteri dicto:

Μαλέαν δὲ κάμπτων ἐπιλαθοῦ τῶν οἴκαδε.)

sed proferam locum, in quo latet, Dinarchi κατὰ Δημοσθένους § 105. ἐλεεινὸν (ἐλεινὸν) νῦν σεαυτὸν κατασκευάζεις προδότης ὢν καὶ δωροδόκος ὡς ἐ π ι μ ε λ η σ ο μ έ ν ο υ ς τούτους τῆς σῆς πονηρίας καὶ οὐ δώσων δίκην ὑπὲρ ὧν εἴληφαι πεποιηκάς, quis non statim

admonitus videt Dinarchum *ἐπιλησομένους* dixisse? Quod qui primus omnium vidit Stephanus, quasi res dubia esset satis habuit in margine suspicionem ponere Π(*ότερον*) *ἐπιλησομένους*; at idem in Thesauro certa emendatione sua utitur.

Post Alexandrum *λήσομαι* pro *λήσω* multi coeperunt dicere, cuius rei innumera exempla sunt: alii eas formas promiscue usurpant modo *λήσω* scribentes Veterum memores, modo populari more *λήσομαι*, quod et in Luciano notavimus. Tandem *λήσομαι* evaluit et omnes eo solo utebantur: quamobrem crebro antiquum dicendi usum scribae *ἐκ τῆς συνηθείας* interpolarunt. In Platonis qui fertur Alcibiade II. p. 138 B. recte nunc editur: *οὔκουν δοκεῖ σοι πολλῆς προμηθείας προσδεῖσθαι ὅπως μὴ λήσει τις αὑτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακά*; in Codd. est *λήσεται αὑτὸν*, *λήσεταί τις αὑτὸν*, in uno *λήσῃ τις αὑτὸν*: haec prima est mali labes: quicumque enim Codices Graecos paulo diligentius inspexit saepissime vidit librarios *ὅπως* et *ὅπως μὴ* cum coniunctivi aoristis coniungere, ubi veteres indicativi futurum posuissent. Deprehenduntur homunciones in foeda interpolatione, ubicumque non una vocalis discrimen facit, ut in *ὅπως δόξομεν*, *σώσομεν*, *ποιήσομεν*, *φυλαξόμεθα* etc. sed aoristi forma a futuro discrepat. Scriptitant tamen *ὅπως πείσωνται*[1], *δήξηται*, *ἀπίξηται* apud Herodotum, *φεύξηται*, *πεύσηται*, *ἐρῇ*, *λείψηται*, *λήψωνται*, *τεύξωνται*, *πλεύσωνται*, vidi quoque *ὅπως φανήσωνται* et similia saepe, et *ὅπως ἔσωνται* et *ὅπως ἀποδώσητε* et alia huiusmodi passim. Sic igitur olim *ὅπως μὴ λήσῃ τις* natum est, deinde nescio quis soloecismo novum soloecismum substituit *ὅπως μὴ λήσεταί τις*, quod monstrum viri docti procurarunt.

Nihil vidi umquam foedius quam quod Apollonius Rhodius scripsit in Argonauticis III. 736.

ὄφρα τοκῆας Λήσομαι ἐντύνουσα ὑπόσχεσιν,

et is tamen sibi videtur lingua Homerica loqui. Nempe non solum *λήσομαι* praepostere dixit pro *λήσω* plebem Alexandrinam

---

[1]) Ne Dindorfius quidem sustulit turpe vitium *ὅπως δὴ μὴ ταῦτα καὶ αὐτοὶ πείσωνται* in Procopii *Ἀνεκδότοις* p. 134. Idem in eiusdem bello Gothico I. 13 p. 71. servavit *ὅπως δὲ ἀκούσησθε πρᾴως* et III. 11. p. 323. *ὅπως μὴ παρέξωσιν* et alia eiusdemmodi.

magis quam Homerum secutus, sed praeterea ἐντύνειν, quod est ὁπλίζειν, κοσμεῖν, παρασκευάζειν, negligenter admodum posuit pro ἐκτελέειν et in ἐντύνουσα ὑπόσχεσιν immanem hiatum non reformidavit. Sed Apollonii et Callimachi et Nicandri et reliquorum similium παρεφθορυῖαν λέξιν et παρακούσματα in animo est alio tempore de industria excutere et ad Veterum sanitatem exigere; nunc primum quod institui pertexam et ad Heraclidas redeo.

In versu 733. σύ τοι βραδύνεις κοὐκ ἐγώ, necesse est expuncta copula οὐκ ἐγώ cum Elmsleio scribere, quod postulat oppositio, ut in locis notissimis σοῦ τάδ' οὐκ ἐμοῦ κλύεις, aut σύ τοι λέγεις νιν οὐκ ἐγώ, in Hippolyto vs. 352. et Sophoclis Electra vs. 636. et alibi. Natum est K ex male repetitis litteris IC in ΒΡΑΔΥΝЄΙC.

Quidquid comminiscuntur Interpretes sensu cassum et plane absurdum est quod Alcmenae roganti:

τί κεύθων Ἰόλεως σοφόν ποτε
Εὐρυσθέως ἐφείσαθ' ὥςε μὴ κτανεῖν;

respondetur vs. 883:

τὸ σὸν προτιμῶν ὥς νιν ὀφθαλμοῖς ἴδοις
κρατοῦντα καὶ σῇ δεσποτούμενον χερί.

non est opus demonstrare κρατοῦντα corruptum esse: abunde id demonstrarunt qui interpretari conati sunt. Suspicor veterem lacunam a Graeculo, ut isti solent, sic expletam esse ut vocabulum quodlibet in vacuam sedem inseruerit. Unum tantum in tota Graecitate est participium (nam participium aliquod intercidisse manifestum est), quod sententiae idem et metro egregie conveniat, nempe ὥς νιν ὀφθαλμοῖς ἴδοις Πτήσσοντα. Notum est πτήσσειν de eo dici qui quum magnos spiritus ante gessisset nunc victus et clade fractus et animo perculsus pavidus et consternatus trepidat. Exempla passim sunt obvia. Peridoneum est in Andromache vs. 165:

δεῖ σ' ἀντὶ τῶν πρὶν ὀλβίων φρονημάτων
πτῆξαι ταπεινὴν προσπεσεῖν τ' ἐμὸν γόνυ,

et saepe πτῆξαι dicuntur οἱ πρότερον μέγιςον φρονήσαντες καὶ ἐξυβρίσαντες. Alcaei fragmentum (apud Herodianum περὶ μονήρους λέξεως p. 23, 10, qui ἔπταζον Aeolice dici pro ἔπτησσον docet.)

ἔπταζον ὥς' ὄρνιθες ὠκὺν
αἰετὸν ἐξαπίνας φανέντα.

comparatum cum loco Sophoclis in Aiace vs. 167. praeclarum poëtam insulso additamento poterit liberare. Editur:

ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν
παταγοῦσιν ἅτε πτηνῶν ἀγέλαι.
μέγαν αἰγυπιὸν δ' ὑποδείσαντες
τάχ' ἂν ἐξαίφνης [εἰ σὺ φανείης]
σιγῇ πτήξειαν ἄφωνοι.

quoties hunc locum relego offendo semper in verbis *εἰ σὺ φανείης*, quae splendidum dictum onerant et obscurant. Aiax ipse est *ὁ μέγας αἰγυπιός*, quem isti *οἱ παταγοῦντες* antea *ὑποδείσαντες πτήσσουσιν*. Praeterea rescribendum videtur *πτηνῶν ἀγέλα* pro *ἀγέλαι*, quod propter *παταγοῦσιν* invectum esse arbitror.

Solemne vitium insidet vs. 932:

ὅτ' ἐκ Μυκηνῶν πολυπόνῳ σὺν ἀσπίδι
ἔςειχε μείζω τῆς τύχης φρονῶν πολύ.

Nempe Veteres constantissime dicunt *μέγα φρονεῖν*, unde sequitur eodem modo *σμικρὸν φρονεῖν* dici debere, et *μεῖζον*, *μέγιςον*, *ἔλαττον φρονεῖν* et similia. Graeculi contra *μεγάλα φρονεῖν* negligenter dicebant et *μεγαλοφρονεῖν*, quin etiam *μεγαλοφρονεῖσθαι*: itaque et *σμικρὰ φρονεῖν* et *μείζω* et *μέγιςα* et *ἐλάττω φρονεῖν* et alia huiusmodi. Deinde, uti fit, antiquae linguae consuetudo ex vitiosa sequiorum *συνηθείᾳ* contaminari coepta est, et tam saepe suas sordes in antiquorum scripta invexerunt, ut nunc in optimo quoque scriptore passim utraque ratio permista esse videatur. In Sophoclis Aiace vs. 1120. scribae de suo dederunt:

ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὰ φρονεῖν,

pro genuina lectione, quam metrum quoque reposcit, *οὐ σμικρὸν φρονεῖν*, quod et alibi recte servatum est et in Heraclidis 387:

εἶσιν, σάφ' οἶδα, καὶ μάλ' οὐ σμικρὸν φρονῶν.

Quicumque diuturna observatione et longo Codicum usu compererit me recte rationem Veterem a sequiorum loquela distinxisse dabit mihi hoc quoque loco scribendum esse *μεῖζον τῆς τύχης φρονῶν*, quemadmodum emendate scriptum exstat vs. 979:

καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή.

et in Phoenissis 703:

ἤκουσα μεῖζον αὐτὸν ἢ Θήβας φρονεῖν.

et in Andromache 700:

φρονοῦσι δήμου μεῖζον ὄντες οὐδένες.

et saepe aliis locis. Optime autem istae quas diximus librariorum fraudes deprehendi possunt apud Isocratem, cuius quum antea Codicibus uteremur non mediocriter corruptis, quales sunt reliquorum fere Oratorum Codices, ne Parisino quidem Demosthenis S. plane excepto, fortunae beneficio repertus est liber eximiae bonitatis et fidei, unde in sexcentis locis vera et sana scriptura in lucem prodiit, et quid scribarum oscitans socordia et sciolorum indocta et impudens audacia designaverit ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensum est: quo libro, si sapimus, critici sic utemur ut non uni Isocrati prosit sed caeteris omnibus, in quibus insident iidem inveterati errores et menda plane eiusdemmodi, quae ex Isocrate unus Urbinas abstersit sexcenta. Quantum profuerit praestantissimus liber in arguendo illo errorum genere, de quo dicere instituimus, iuvat ostendere. In Archidamo § 34. edebatur: καὶ μὴ μείζονα φρονεῖν τῆς δυνάμεως, quum Urbinas μεῖζον obtulit. In Areopagitico § 7. μείζω φρονήσαντες τοῦ δέοντος Urbinas recte μεῖζον, ibidem emenda § 43. τοὺς μέγα φρονεῖν εἰθισμένους pro μεγαλοφρονεῖν, quod Graeculis est relinquendum, quemadmodum in § 73. quum in omnibus esset ἡγοῦμαι γὰρ δεῖν ἡμᾶς μὴ μεγαλοφρονεῖν μηδ' ἀγαπᾶν optimam lectionem Urbinas servavit οὐ μέγα φρονεῖν οὐδ' ἀγαπᾶν. In Panathenaico § 197. μείζω φρονοῦντες ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἕξει Urbinas μεῖζον. Eiusdem plane generis errorem retexit in Plataico § 12. ubi legebatur μείζω δύνασθαι τῶν ὅρκων, vitiose admodum, namque Graecum non est μεγάλα δύνασθαι sed μέγα: verissime Urbinas μεῖζον. Multo etiam turpius a Graeculis erratum est in oratione de Pace § 125: ὑπομένομεν τὸν δῆμον χείρω πράττοντα τῶν ταῖς ὀλιγαρχίαις δουλευόντων: dicitur enim κακῶς πράττω non κακά: itaque vel sine libris unusquisque poterat emendare χεῖρον, quod tandem ex Urbinate receptum. Neque minus turpe mendum insinuaverat sese in Aegineticam § 13. υἱόν μ' ἐποιήσατο γεγονότα οὐδενὸς χείρω Σιφνίων: dicitur enim γεγονέναι εὖ, κα-

λῶς, κακῶς, ut sciunt omnes: nemo tamen omnium correxerat χεῖρον, quod Urbinas satis confirmasset. Eadem opera emendari Thucydides poterit VIII. 45. ἵνα μὴ οἱ ναῦται τὰ σώματα χείρω ἔχωσι δαπανῶντες ἐς τοιαῦτα, ἀφ' ὧν ἡ ἀσθένεια ξυμβαίνει, quia Graecum est εὖ, κακῶς, ἔχω τὸ σῶμα, non τὸ σῶμα ἔχω ἀγαθὸν vel κακόν, apparet χεῖρον esse corrigendum: deinde εὐφήμως Thucydides dixerat ἀφ' ὧν ἀσθένεια ξυμβαίνει, non ἡ ἀσθένεια. Emendata scriptura est in Hellenicis VI. II. 27. ἄμεινον τὰ σώματα ἔχειν τοὺς ἄνδρας ἐποίει, et aliis locis. Non potuit Euripides scribere quod ex eius Bellerophonte affert Stobaeus Floril. CVI. 1.

τιμή σ' ἐπαίρει τῶν πέλας μᾶλλον φρονεῖν.

sed μεῖζον φρονεῖν reponendum: dicebant enim μέγα φρονεῖν et εὖ φρονεῖν, ἄμεινον, ἄριστα φρονεῖν, sed nemo μάλα, μᾶλλον, μάλιστα φρονεῖν qui diceret audivit umquam. In talibus omnibus apud Veteres constans et perpetuus dicendi usus est ex ipsa natura cuiusque verbi sponte natus, quem sequiores amissa maiorum sanitate ex suo usu contaminant. Quemadmodum enim illi non aliter dixerunt umquam quam μέγα δύνασθαι et μεῖζον et μέγιστον δύνασθαι, at seri nepotes μέγιστα et πλεῖστα et μάλιστα δύνασθαι dicebant, sic omnes olim μέγα ἰσχύειν solent dicere et μέγα σθένειν et μέγα κρατεῖν: sic olim omnes μέγα βοᾶν dicebant et μέγα φωνεῖν, κεκραγέναι, ἀϋτεῖν, φθέγγεσθαι, ἰάχειν, μέγα βροντᾶν et eodem modo ὀξὺ βοᾶν, οὐράνιον ὅσον, et similia multa. Eodem modo verbum ὄζειν adsumit adiectiva non adverbia ὄζειν κακόν, πονηρόν, σαπρόν, et ὄζει γλυκύ, ἡδύ et ταὐτὸν ὄζει, ὅμοιον ὄζει: itaque dicebant ἥδιστον ὄζει, γλυκύτατον, ὀξύτατον similiterque in verbis affinibus πνεῖν, προσπνεῖν, ἀτμίζειν, vide Elmsleium ad Acharn. vs. 193. et in Auctario. Contra frequenter dicebant μεγάλα βλάπτειν, ἀδικεῖν, ζημιοῦν, aut ὠφελεῖν, ὀνινάναι et sim., ut in Heraclidis 705: σμικρὰ δ' ὀνήσει πόλιν ἡμετέραν, et in Ranis 1427:

μισῶ πολίτην, ὅστις ὠφελεῖν πάτραν
βραδὺς πέφυκε, μεγάλα δὲ βλάπτειν ταχύς.

In Lysiae oratione XXXI. 22. μήτηρ πέφυκε μηδ' ὠφελουμένη μεγάλα ἔχειν ἡγεῖσθαι, dudum receptam oportuit Dobraei emendationem μίκρ' ὠφελουμένη. In Alcibiade secundo, qui in Pla-

Ionicis dialogis circumfertur, p. 146. C. vitiose legitur: ὀλιγάκις μὲν ὠφελεῖν, βλάπτειν δὲ τὰ πλείω, pro ὀλίγα μὲν ὠφελεῖν, quod tu repone. Huiusmodi vitia multa passim inter legendum occurrunt eodem errore suscepta eodem remedio sananda.

Codicibus in tali re nihil esse credendum vel ipsorum perpetuae dissensiones docere possent: quis in Aristophanis Pluto vs. 129. probabit· μείζω δυνάμενον, quoniam in Ravennate libro sic legitur? Addo Aeschinis locum, quia obiter mendo liberari poterit; legitur in Ctesiphontea § 235. οὐδεὶς πώποτε ἐπέθετο πρότερον δήμου καταλύσει πρὶν ἂν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχύσῃ. plerique Codices μείζω habent, vitiose: sed πρὶν ἂν ἰσχύσῃ cum ἐπέθετο non bene iungitur. Codices ἰσχύσοι, ἰσχύσει, ἰσχύσειν. Corrige: πρὶν μεῖζον τῶν δικαστηρίων ἰσχῦσαι.

Quod editur in Heraclidis vs. 978.

πρὸς ταῦτα τὴν θρασεῖαν ὅστις ἂν θέλῃ
καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρὴ
λέξει. τὸ δ' ἔργον τοῦτ' ἐμοὶ πεπράξεται,

si quis diligenter perpenderit et ad Graecitatis usum exegerit vitiose dictum esse comperiet et sensu idoneo vacuum. Πρὸς ταῦτα quo sensu et quo animo dici soleat constat multis multorum exemplis. Luculentiora sunt in Aeschyli Prometh. 992. et 1043. in Sophoclis Aiace 971. in Oed. Tyr. 426. in Oed. Colon. 455. in Electra 820, in Antigone 658, in Euripidis Phoen. 521. et Medea 1358, in Aristophanis Acharn. 659. et Vespis 1386. Saepe ab eo usurpatur qui obfirmato animo quidvis se perpeti malle dicit quam a proposito desistere, ut in Prometheo:

πρὸς ταῦτα ῥιπτέσθω μὲν αἰθαλοῦσσα φλὸξ —
γνάμψει γὰρ οὐδὲν τῶνδέ με.

et in Phoenissis:

πρὸς ταῦτ' ἴτω μὲν πῦρ, ἴτω δὲ φάσγανα —
ὡς οὐ παρήσω τῷδ' ἐμὴν τυραννίδα.

ubi vide Valckenaerium, et in Acharnensibus:

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.

et omnino animi pertinaciam et obstinationem arguit ferocientis et alios contemnentis, ut in Sophoclis Aiace 1115 et 1313,

et in Oed. Tyr. 343.

πρὸς τάδ᾽, εἰ θέλεις,
θυμοῦ δι᾽ ὀργῆς, ἥτις ἀγριωτάτη.

et in Medea 1358.

πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει.

et aliis locis, unde satis apparere arbitror πρὸς ταῦτα, πρὸς τάδε non accuratissime ita explicari solere, quasi esset *propterea*, *quamobrem*, *idcirco*, *proinde* aut simile quid. Significat enim ὡς τούτων οὕτως ἐχόντων, ὡς ὧδ᾽ ἐχόντων et sic passim legitur πρὸς ταῦτα βούλευε (Aesch. Prom. 1030.) et πρὸς ταῦτα βουλεύου ὅ τι ποιήσεις (Plat. Charm. 176 C.), et πρὸς ταῦτα βουλεύεσθε εὖ (Thucyd. IV. 87.) et πρὸς ταῦτα φράζου (Soph. Electr. 383.) et passim alibi, ubi διὰ ταῦτα sententiam corrumperet. Utrumque ἐκ παραλλήλου posuit Aeschylus in Persis 170:

πρὸς τάδ᾽ ὡς οὕτως ἐχόντων τῶνδε σύμβουλοι λόγου
τοῦδέ μοι γένεσθε, Πέρσαι, γηραλέα πιςώματα.

et quod apud Sophoclem est in Aiace 981.

ὡς ὧδ᾽ ἐχόντων | πάρα ςενάζειν,

eodem sensu dici poterat πρὸς ταῦτα πάρα ςενάζειν.

Sequiores quoque scriptores eundem usum verborum πρὸς ταῦτα retinuerunt, quod Dionysii Halicarnassensis causa admoneo, qui bis ita locutus utrobique a sciolis interpolatus est. C. Horatius consul in A. R. X. 28. vehementem orationem his verbis concludit: πρὸς ταῦτα [ὁρῶντες] ἐκκλησιάζετε καὶ νόμους εἰσφέρετε καινούς. Plane eodem modo Scaptius XI. 52. πρὸς ταῦτα [ὁρῶντες] τὰ δίκαια καὶ τὰ εὔορκα ψηφίσασθε. Quamquam rhetor ipse nonnumquam negligenter et vitiose ὁρᾶν dixit pro βλέπειν et ἀποβλέπειν tamen his locis culpa vacat. Redde ludimagistris suum ὁρῶντες et omnia habebunt optime.

In Euripidis loco perspicuum est verba Alcmenae:

πρὸς ταῦτα τὴν θρασεῖαν ὅςις ἂν θέλῃ
λέξει.

eodem fere animo et sensu dici, atque Medea dixit:

πρὸς ταῦτα καὶ λέαιναν, εἰ βούλει, κάλει.

et Tiresias ad Oedipodem:

οὐκ ἂν πέρα φράσαιμι. πρὸς τάδ᾽, εἰ θέλεις,
θυμοῦ δι᾽ ὀργῆς, ἥτις ἀγριωτάτη.

quae ferocientis sunt et iram, minas, maledicta contemnentis. Est autem in talibus imperativi usus fere necessarius et perpetuus et requiro in Heraclidis sententiam huiusmodi: *πρὸς ταῦτα ὁ βουλόμενός με κακῶς λεγέτω, με λοιδορείτω, οὐδέν μοι μέλει, τὸ δ' ἔργον τοῦτό μοι πεπράξεται.* Dixerit aliquis poëtam id ipsum hac sententiae conformatione expressisse: *ὁ βουλόμενός με λοιδορήσει, τὸ δ' ἔργον πεπράξεται.* Etiamsi hoc dederim, quamquam similis compositionis exemplum desidero, gravior difficultas superest in *λέξει τὴν θρασεῖαν καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή.* Nam quis inducet in animum *λέξει* eo sensu dici posse et articulos in *τὴν θρασεῖαν καὶ τὴν φρονοῦσαν* recte additos? Alia ratio est eorum locorum, ubi *ἀποκαλεῖν*, *ἀνακαλεῖν*, *ἐπονομάζειν*, *ἀναγορεύειν*, et nonnumquam *καλεῖν* et *ὀνομάζειν*, articulum habent nomini additum, ut in *ἀνακαλοῦντες τὸν προδότην*, *τὸν εὐεργέτην* et similia, (vid. Intt. ad Anabas. VI. vi. 7.) *λέγειν* enim pro *καλεῖν* vel *ὀνομάζειν* poni non potest. Itaque dubitanter coniicio in *λέξει* primam literulam emendari oportere et *ψέξει* restituendum esse: optime enim habere: *πᾶς τις τὴν θρασεῖαν ψέξει καὶ τὴν φρονοῦσαν μεῖζον ἢ γυναῖκα χρή.* *Ψέγειν* et *ψόγος* Tragicis satis trita sunt, nec multum dubito, quin iterum Euripidi sit idem verbum restituendum in Alcestide vs. 696.

εἶτ' ἐμὴν ἀψυχίαν
λέγεις, γυναικὸς, ὦ κάκισθ', ἡσσημένος;

imo vero *ψέγεις*, id est *εἶτ' ἐμοὶ δειλίαν ὀνειδίζεις*, quem necessarium sensum nemo umquam e vulgata lectione eliciat. *Ψόγος* eodem modo in *λόγος* depravatum est apud Dionys. Halic. in Epist. ad Ammaeum, vol. VI. p. 752 R. *ἀσεβεῖν ὁμολογῶ εἰ βουληθεὶς ἐγκώμιον τοῦ Πλάτωνος γράφειν λόγους τινὰς συγκαταπλέκω τοῖς ἐπαίνοις νόμους.* Corrige *ψόγους τινὰς ἐγκαταπλέκω* et *νόμους* expunge.

Saepe in versibus initialis littera omissa temere suppletur, cuius rei multa exempla in promtu sunt. In Rheso 974:

Βαιὸν δὲ πένθος τῆς θαλασσίας θεοῦ | οἴσω,

speciosa admodum Valckenaerii coniectura *ῥᾷον δέ* etiam hoc argumento confirmatur. Scriptum erat ΑΙΟΝ et Β temere additum. Reperi nuperrime versum, cuius littera initialis, quae perierat, revocari in lucem potest eo indicio, quod est operae

pretium cognoscere. Itaque non dubito paulisper a proposito digredi, ut eam rem statim cum philologis communicem. Phlegon Trallianus περὶ θαυμασίων cap. X. auctor est (M. Plautio) Hypsaeo, M. Fulvio Flacco Coss. XVviros ex Scto libros Sibyllinos adiisse et 70 versus Sibyllae apponit: ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ, inquit * * Ὑψαίου καὶ Μάρκου Φουλβίου Φλάκκου ἡ σύγκλητος ἐκέλευσε τοὺς ἱερομνήμονας ἀναγνῶναι τοὺς Σιβύλλης χρησμούς. In his legitur vs. 35 sqq.

Αὐτὰρ ὅταν Δημητρὶ καὶ ἁγνῇ Περσεφονείῃ·
Γαίας ὑμετέρας ἀπερυκέμεναι ζυγὸν αἰεί.
Ἀιδωνεῖ Πλούτωνι βοὸς κυανότριχος αἷμα,
Λαμπροῖς εἵμασι κοσμητοῦ μετὰ ποιμένος, ὅςις
ἡματίῳ πίσυνος βοὸς ἄρτεμος αὐτὸς ὅδ' ἔςαι,
Ὅσσοι τ' ἄλλοι ὁμοῦ πίσυνοι κατὰ πατρίδ' ἔασι.
Μὴ γὰρ ἀπιςόφιλος θυσίαισιν ἀνὴρ παρεπέσθω.
Ἔξω δ' ἔνθ' ἀνόμιςον ἐπέπλετο Φωτὶ τάδ' ἔρδειν,
Νούπιςοι καταδαιτὸν ἔχειν θυσίαν, κατὰ δ' αὐτήν
Ὅςις ἂν ἡμετέρων χρησμῶν ἴδρις ἐς τόδ' ἵκηται,
Σεμνὸν Φοῖβον ἄνακτα μετελθέτω ἐν θυσίαισι.

Nihil esse potest certius quam vs. 5. pro ἡματίῳ πίσυνος βοὸς ἄρτεμος legendum esse:

Λήματι ᾧ πίσυνος βοὸς ἄρταμος αὐτὸς ὅδ' ἔςαι.

id est: οὗτος αὐτὸς θαρρῶν τὸν βοῦν σφάξει. Est autem quaedam huius emendationis πειθανάγκη, quam ex Terentio Varrone proferam, cuius testimonium servavit Dionysius Halic. A. R. IV. 62. οἱ τῆς Σιβύλλης χρησμοὶ διέμειναν μέχρι τοῦ Μαρσικοῦ κληθέντος πολέμου (quum Capitolium arsit, ubi servabantur.) ἐμπρησθέντος τοῦ ναοῦ σὺν τοῖς ἄλλοις ἀναθήμασι καὶ οὗτοι διεφθάρησαν ὑπὸ τοῦ πυρός. Οἱ δὲ νῦν ὄντες ἐκ πολλῶν εἰσι συμφόρητοι τῶν (dele τῶν) τόπων· οἱ μὲν ἐκ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων κομισθέντες, οἱ δὲ ἐξ Ἐρυθρῶν τῶν ἐν Ἀσίᾳ κατὰ δόγμα βουλῆς ἀποςαλέντων πρεσβευτῶν ἐπὶ τὴν ἀντιγραφήν· οἱ δ' ἐξ ἄλλων πόλεων καὶ παρ' ἀνδρῶν ἰδιωτῶν μεταγραφέντες, ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις· ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροςιχίσιν. Ex hoc ipso genere est carmen Sibyllinum, quod Phlegon descripsit. Ἀκροςιχίς versuum, quos apposuimus, est ἀγαλλόμενος, ut vides: itaque certum est in quinto versu litteram initialem Λ periisse. Qui sequuntur

hexametri incipiunt a verbis *Προφρονέως*, *Αἰγῶν*, *Λισσέσθω*, *Ἰκτῆρες*, *Νοστήσας*: quorum *ἀκροστιχίς* est *πάλιν*. Eiusdem rei in caeteris manifesta sunt vestigia, quae aliis indaganda relinquo. Caeterum conf. Ciceronem de Divin. II. 54.

De ipsis Oraculis Sibyllinis memorabile est testimonium Procopii, qui se omnia ea legisse scribit de Bello Goth. I. 24. p. 118. *τῶν γὰρ Σιβύλλης λογίων τὴν διάνοιαν πρὸ τοῦ ἔργου ἐξευρεῖν ἀνθρώπῳ οἶμαι ἀδύνατα εἶναι. αἴτιον δὲ ὅπερ ἐγὼ αὐτίκα δηλώσω ἐκεῖνα ἀναλεξάμενος ἅπαντα. Ἡ Σίβυλλα οὐχ ἅπαντα ἑξῆς τὰ πράγματα λέγει οὐδὲ ἁρμονίαν τινὰ ποιουμένη τοῦ λόγου, ἀλλ' ἔπος εἰποῦσα ὁτιδὴ ἀμφὶ τοῖς Λιβύης κακοῖς ἀπεπήδησεν εὐθὺς ἐς τὰ Περσῶν ἤθη, ἐνθένδε δὲ Ῥωμαίων ἐς μνήμην ἐλθοῦσα μεταβιβάζει ἐς τοὺς Ἀσσυρίους τὸν λόγον, καὶ πάλιν ἀμφὶ Ῥωμαίοις μαντευομένη προλέγει τὰ Βρεττανῶν πάθη. ταύτῃ τε ἀδύνατά ἐστιν ἀνθρώπῳ ὁτῳοῦν πρὸ τοῦ ἔργου τῶν Σιβύλλης λόγων ξυνιέναι.* Haec vero sunt, ut Graeci iocabantur, *θαύματα μωροῖς*. Sed ad Euripidem redeundi tempus est.

Gravem labem mihi concepisse videtur vs. 1013.

> *πόλις τ' ἀφῆκε σωφρονοῦσα, τὸν θεὸν*
> *μεῖζον τίουσα τῆς ἐμῆς ἔχθρας πολύ*,

neque enim *τίω* in senariis Euripideis ullum locum habet, neque *μέγα τίειν* et *μεῖζον τίειν* bene Graece dictum est, neque si quam maxime Graecum esset *μεῖζον τίειν τὸν θεὸν τῆς ἔχθρας* quid sit quisquam poterit extricare: non est enim *odio religionem anteponere*, quale est Ennianum:

> Non ponebat enim rumores ante salutem,

ut plus quam odium dicatur valuisse Dei religio. Id ipsum autem postulat sententia loci et sic potest ex reliquiis scripturae exscalpi ut statuas in antiquo libro detrito et perroso haec sola expediri potuisse ΤΟΝΘΕΟΝ * * * ΤΙΘ * ΣΑ, unde nescio quis effinxerit *τὸν θεὸν μεῖζον τίουσα*, quum fuisset supplendum *τὸν θεὸν πρόσθεν τιθεῖσα τῆς ἐμῆς ἔχθρας πολύ*, id est *προτιμῶσα*, ut in Hecuba 129:

> *τὰ δὲ Κασάνδρας*
> *λέκτρ' οὐκ ἐφάτην τῆς Ἀχιλείας*
> *πρόσθεν θήσειν ποτὲ λόγχης.*

Etiam sequiores ita loquuntur. Dio Chrysostomus XXXIV. p. 434. *πολιτεύεσθαι δὲ ἐπιχειροῦσιν ἐκ περιουσίας καὶ πάντα ἐμ-*

πρόσθεν τούτου τιθέντες. Usitatiore etiam forma Pausanias X. 2. § 3. *ἐπίπροσθεν τῆς εὐσεβείας τὰ κέρδη ποιούμενοι.*

Quod continuo sequitur vs. 1014. *ἅ γ' εἶπας ἀντήκουσας* de coniectura restitutum est, quum in libris MSS. omnibus sit *πρὸς ἅ γ' εἶπας.* Et *πρός* quidem additicium esse et expungi oportere prorsus assentior, sed nondum loci emendationem sic perfectam esse puto: nihili enim est *γε* non alio loco ineptius quam hic insertum, quamobrem corrigendum esse sic censeo: *ἅττ' εἶπας ἀντήκουσας*: *quidquid dixisti*, inquit, *responsum est tibi*: respondi ad omnia, quae dixisti. Pronomina Attica *ἄττα* et *ἅττα* persaepe librariorum violentas manus senserunt. Nesciebant Graeculi quid esset *ἄττα* vel *ἅττα* et docti magistri frustra sedulo inculcabant, qui tamen et ipsi de ea re non admodum acute scriptitant, vide Schol. Platonis ad Sophistam p. 371, Harpocrationem v. *Ἄττα*, Grammaticum in Bekkeri Anecd. p. 460 sq. et Suidam v. *Ἄττα*, qui omnes e communi fonte hauserunt, et nescio quem antiquiorem magistrum sequuntur et exscribunt. Pro *ἅτινα* Iones *ἅσσα* dicebant, ut *ἄσσα* pro *τινά*: itaque ut *ποῖόν τι* Graecum est sic in plurali numero *ποῖ' ἄσσα* dicebant. In Odyssea T. 218:

εἰπέ μοι ὁπποῖ' ἄσσα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο,

tantum abest, ut *ἄσσα* supervacuum sit (quae nonnullorum opinio est) ut salva Graecitate abesse non possit. Differunt enim certo usu *ποῖος* et *ποῖός τις*, ut *ποῖος* cum irrisione dicatur, ut supra ostendimus, *ποῖος μάγειρος*; *quem tu mihi coquum narras? ποῖός τις* ubi serio quaeritur de alicuius personae aut rei ingenio, indole, natura aut genere. In Lysia XX. 2. *αἱρεθεὶς ὑπὸ τῶν Φυλετῶν, οἳ ἄριστα διαγνοῖεν ἂν περὶ σφῶν αὐτῶν ὁποῖοί τινες εἰσίν*, si omiseris *τινές* vitiose dictum erit. Obiter emenda *οἳ ἄριστ' ἂν διαγνοῖεν περὶ σφῶν αὐτῶν*: adverbia enim in talibus voculam *ἄν* trahunt ad sese. In Xenophontis Anabasi V. v. 15. *ἐρωτᾶτε ὁποίων τινῶν ἡμῶν ἐτύχον* necessarium est *τινῶν*, ut bene Graeca sit oratio. In Anabasi VII. vi. 4. *ἐρωτώντων δὲ τίς ἀνὴρ εἴη Ξενοφῶν, ἀπεκρίνατο ὅτι τὰ μὲν ἄλλα εἴη οὐ κακός, Φιλοστρατιώτης δέ*, poterat Xenophon pro *τίς ἀνήρ* scribere *ποῖός τις ἀνήρ*, sed *ποῖος ἀνήρ* scribere non poterat. Itaque sic passim *ἄσσα, ἅσσα, ποῖ' ἄττα, ὁποῖ' ἄττα* et similia occurrunt et rectissime apud Homerum

ὁποῖ' ἄσσα positum est. Herodoti locum unum afferam, ut mendo liberem. Editur I. 47. ἄσσα δ' ἂν ἕκαστα τῶν χρηστηρίων θεσπίσῃ, quum sit ἕκαστον scribendum. Antiphontis locum laudat Suidas v. Ἄττα non uno nomine vitiosum hunc: οὐ γὰρ ἐγὼ ἐπεπόνθειν ταῦτα ἅττα νῦν πέπονθα ὑπὸ τούτου, corrige οὐ γάρ πω ἐπεπόνθη ταῦτα. Antiphon certe non potest forma ἐπεπόνθειν esse usus. In Platonis Theaeteto 208 E. felix vitium veram scripturam in omnibus libris servavit intactam: ἐπειδὴ ἐγγὺς ὥσπερ σκιαγραφήματος γέγονα τοῦ λεγομένου ξυνίημι οὐδὲ μικρόν· ἕως δὲ ἀφεστήκη πόρρωθεν ἐφαίνετό τί μοι λέγεσθαι. Homunciones ΑΦΕΣΤΗΚΗ coniunctivum esse rati, quoniam ἕως apud sequiores coniunctivum assumit pro ἕως ἂν positum, dederunt ἕως δὲ ἀφεστήκῃ ineptissime sed ut nullo negotio ipsa philosophi manus perluceat, quam Heindorfius vindicavit, nempe ἕως δὲ ἀφεστήκη. Docet Harpocration ἅττα apud Antiphontem significare ὅσα vel ἅτινα et apud Demosthenem ἐν Φιλιππικοῖς positum esse pro τινὰ ἢ ποῖά τινα. In re certa et perspicua tricatur: ἅττα apud omnes est ἅτινα (ut ὅτου, ὅτῳ, ὅτων dicebant) et ἄττα pariter omnibus est τινά. Demosthenes, ut populares omnes, utraque forma utitur: pag. 17, 15. ὁποῖ' ἄττ' ἂν ὑμᾶς περιστῇ τὰ πράγματα τοιοῦτοι κριταὶ καὶ τῶν πεπραγμένων αὐτοῖς ἔσεσθε, et pag. 54, 25 οὐ γὰρ ἅττα ποτ' ἔσται δεῖ σκοπεῖν et aliis locis. Praeterea narrant nobis ἄττα nonnumquam *nihil omnino* significare, sed παρέλκειν et ἐκ περιττοῦ προστίθεσθαι vel προσκεῖσθαι, in cuius rei fidem Scholiasta Platonis affert locum Pherecratis: τοῖς δέκα ταλάντοις ἀλλὰ προστιθεὶς ἔφη ἄττα πεντήκοντα et addit: οὐδὲν γὰρ σημαίνει ἐνταῦθα τὸ ἄττα. Denique ἐπὶ χρόνου τάττεσθαι docent et ἐπ' ἀριθμοῦ. Negligenter haec omnia et non satis vere tradita sunt: ἅττα ubique ponitur pro ἅτινα, neque umquam ἄττα pro ὅσα, τίνα vel ποῖά τινα dictum est. Locus Demosthenis, quo in ea re magistri abutuntur, obiter emendari potest. Afferunt haec: ὁ δὲ πρεσβεύων Αἰσχίνης οὑτοσὶ ἐλθὼν πῶς μὲν καὶ ἄττα ποτὲ διελέχθη: apud Demosthenem legitur de F. L. p. 438, 22: οὐχ ὁ μὲν γράφων τὸ ψήφισμα Εὔβουλος ἦν, ὁ δὲ πρεσβεύων εἰς Πελοπόννησον Αἰσχίνης οὑτοσί; ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε ἄττα μέν ποτε διελέχθη καὶ ἐδημηγόρησεν αὐτὸς ἂν εἰδείη κτέ. Corrige e Scholiasta: ἐλθὼν δ' ἐκεῖσε πῶς μὲν καὶ ἄττα

ποτὲ διελέχθη, praeterea expunxerim καὶ ἐδημηγόρησεν, optime enim δημηγορεῖν continuo ponitur de Aeschine, ubi a legatione redux in concione verba fecisse dicitur: legati proprie dicebantur διαλεχθῆναι et passim videbis mitti πρέσβεις, οἵτινες διαλέξονται. Similiter ἄττα ubique significat τινά et additur nominibus plerumque ὑποκοριστικοῖς, ut σκαλαθυρμάτι' ἄττα, κρουμάτι' ἄττα, ὀρτύγι' ἄττα, κρεάδι' ἄττα, et est fere κατασμικρύνοντος et extenuantis. Deinde adiectivis quibusdam additur σμίκρ' ἄττα, ὀλίγ' ἄττα similibusque, in quibus omnibus necessaria est elisio. Plane absurdum est credere ἄττα nonnumquam *plane nihil* significare, nam nihil verius est quam quod alicubi scite dixit G. Hermannus: *ne bruta quidem edunt sonos nihil significantes.* Pherecratis locus mendosus est et sic constituendus videtur:

τοῖς δέκα ταλάντοις τοῖσδε προστιθεὶς, ἔφη,
ἀλλ' ἄττα πεντήκοντα.

ubi perquam urbana ironia inest in verbis ἀλλ' ἄττα πεντήκοντα, quae extenuantis est oratio et quod gravissimum est verbis elevantis, quasi dicas: *Hisce talentis decem si pauxillulum addideris*, nempe quinquaginta alia talenta. Apparet simul quam temere alii verba Pherecratis acceperint, quasi ἄττα posuisset ἐπ' ἀριθμοῦ: namque ut dicitur πολλοί τινες, ὀλίγοι τινές, sic τρεῖς τινές, δέκα τινές dicitur et sic τρί' ἄττα et similia, ut in Platonis Lyside p. 213 B. τρία ἄττα (L. τρί' ἄττα) εἶναι γένη, et alibi. Quod autem χρονικῶς aut ἐπὶ χρόνου poni ἄττα affirmant sumtum est e Comicorum locis, ubi πηνίκ' ἄττα legitur et ὁπηνίκ' ἄττα, ut in Avibus 1514:

ἀπόλωλεν ὁ Ζεύς. B. πηνίκ' ἄττ' ἀπώλετο;

et apud Harpocrationem ex Eratosthenis in Comicos commentariis:

πυθοῦ χελιδὼν πηνίκ' ἄττα φαίνεται.

et:

ὁπηνίκ' ἄτθ' ὑμεῖς κοπιᾶτ' ὀρχούμενοι.

quod eodem modo dictum est atque ποῖός τις, πόσος τις; ut enim πῶς τι dicitur pro ποῖόν τινα τρόπον; sic πηνίκ' ἄττα pro ἐν ποίῳ τινὶ χρόνῳ; Recte comparabis πηνίκα μάλιστα; in Critone p. 43 A., et μάλιστα cum notis numeralibus coniunctum, vid. Andocid. περὶ Μυστ. § 38. et Hippocratis verba:

οὗτοι οὖν καὶ θνήσκουσι δεκαταῖοι μάλιστα, et similia. Plato solus, quod sciam, ἄττα sine nomine ponere solet, ut in Rep. V. 449 B. ἔλεγεν ἄττα προσκεκυφώς. ubi ἔλεγέ τινα non poterat dicere. Plura indicabit Heindorfius ad Theaet. p. 148 C. Iam videndum est quemadmodum in his scribae grassari soleant. Primum omnium male explent elisionem et scribunt ποῖα ἄττα, τοιαῦτα ἄττα, οἰκτρὰ ἄττα, in Phaedro p. 259 A. ἀνδράποδα ἄττα, in Lyside, ut vidimus, τρία ἄττα et sic passim. Eodem errore scribitur in Grammaticorum λέξεσιν. Photius: Λοιπὰ ἄττα: λοιπά τινα, Hesychius: Ὀλίγα ἄττα: ὀλίγα τινά, et aliis locis. Ne metrum quidem retinet scribas: in Nubibus vs. 620. Ravennas exhibet:

ὅστις σκαλαθυρμάτια ἄττα μικρὰ μανθάνων,

quo confidentius caetera emendabis. Praeterea ubi ante vocalem ἄττ' aut ἅττ' est scriptum saepe alterum τ omittunt et ἄτ' aut ἄγ' assolent scribere, cuius rei iam compluscula exempla supra dedimus, ubi in Eupolide ostendebamus pro μικρά γ' ὀρτύγια optime Porsonum emendasse μίκρ' ἄττ' ὀρτύγια. Idem in Adversariis p. 257. ἅσσα aliquoties Sophocli reddidit et Agathoni:

ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

pro ὅσσ' ἂν ᾖ. Confusa sunt eadem et alibi et apud Aeschrionem Samium Athen. p. 335 D.

ἔγραψεν ἅσσ' ἔγραψ', ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδα.

ubi in aliis est ὅσσ' ἔγραψ'. Interiisse ἄττα et restituendum pro ἄγ' suspicor in oratione prima κατ' Ἀριστογείτονος p. 770. οὐκ ὀκνήσω πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν ἄγ' ἐμοὶ φαίνεται, imo vero ἅττ' ἐμοὶ φαίνεται. Similiter in loco Euripidis, quem supra attulimus, editur:

ἅ γ' οὖν παραινῶ ταῦτά μου δέξαι, γύναι.

pro ἅττ' οὖν, et nostro loco in Heraclidis ἅ γ' εἶπας ἀντήκουσας pro ἅττ' εἶπας. Denique in Phoenissis vs. 96:

πάντα δ' ἐξειδὼς φράσω
ἅ τ' εἶδον εἰσήκουσά τ' Ἀργείων πάρα,

prius τε male collocatum vitii suspicionem movet. Facillimum est emendare πάντα — ἅττ' εἶδον εἰσήκουσά τε.

Accedat his denique locus Demosthenis de F. L. p. 397. ubi quum dixisset: συλλογίσασθαι δὴ βούλομαι τὰ κατηγορημένα ἀπ'

ἀρχῆς, ἵν' ὅσα ὑμῖν ὑπεσχόμην ἀρχόμενος τοῦ λόγου δείξω πεποιηκώς idque ipsum luculenter fecisset locum sic concludit: οὐκοῦν ταῦθ' ὑπεσχόμην ἐν ἀρχῇ, ταῦτ' ἐπέδειξα. Equidem mihi ipsum Demosthenem audire videbor ubi scriptum erit ἅτθ' ὑπεσχόμην ἐν ἀρχῇ ταῦτ' ἐπέδειξα. In Aristocratea quoque p. 668, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐξηπάτησθε. καὶ δι' ἄγε εἰκότως τοῦτο πεπόνθατε ἐγὼ φράσω, reposuerim δι' ἅττ' εἰκότως.

Manifestum mendum insidet in Heraclidarum vs. 1037.

πῶς οὖν ταῦτ' ἐγὼ πεπυσμένος
δεῦρ' ἦλθον ἀλλ' οὐ χρησμὸν ᾐδούμην θεοῦ;

quidquid enim moliuntur Interpretes, vitiose et perperam dicitur quis αἰδεῖσθαι χρησμόν pro *reformidare oraculum*, *oraculo deterreri.* Longe optimus omnium Elmsleius: »*insolens locutio*, inquit, *χρησμὸν αἰδεῖσθαι pro χρησμοῦ ἐντρέπεσθαι. Ita tamen scripsisse videtur Poëta. Aeschyl. Agam.* 946. *μή νυν τὸν ἀνθρώπειον αἰδεσθῇς ψόγον. Suppl.* 487. *ὅπως δ' ἀνάγκη Ζηνὸς αἰδεῖσθαι κότον.*" Quod insolens locutio est non querimur, boni poëtae est quaedam ingeniose et venuste novare, sed quod absona et absurda est interpolatam esse suspicamur. Exempla ab Elmsleio allata plane diversa sunt: rectissime enim pro αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας dici potest αἰδοῦμαι ψόγον Τρώων, sed nihil sic proficimus ad intelligendum quomodo tandem χρησμὸν αἰδοῦμαι potuerit dici. Est autem ᾐδούμην nihil aliud quam infelix Musgravii coniectura: in Codd. omnibus legitur: χρησμὸν ἠρόμην θεοῦ, in quo mendo vera scriptura videtur haec latere: χρησμὸν ἡζόμην θεοῦ. Est enim ἅζομαι id ipsum quod locus postulat ἐντρέπομαι, εὐλαβοῦμαι. Hesychius οὐχάζομαι: οὐ σέβομαι, οὐκ ἐντρέπομαι. Recte οὐχ ἅζομαι emendavit Elmsleius ad Heraclid. vs. 600, ubi est δυσφημεῖν γὰρ ἅζομαι θεάν, apte componens Orest. vs. 1116. δὶς θανεῖν οὐχ ἅζομαι, et Alcestid. 326. πρὸ τούτου γὰρ λέγειν οὐχ ἅζομαι, et Eumenid. 389. τίς τάδ' οὖν οὐχ ἅζεται; Quibus addo ex Theognideis vs. 280.

μηδεμίαν κατόπισθ' ἀζόμενον νέμεσιν.

et vs. 738. Κρονίδη, σὸν χόλον ἀζόμενοι. Viden ἅζομαι esse id ipsum ἐντρέπομαι, quod Elmsleius requirebat, et οὐχ ἅζομαι esse οὐ φροντίζω, *nil moror*, *contemno.* Fatetur se Eurystheus Iunonis numine fretum oraculum non curasse: οὐχ

ἠζόμην τὸν χρησμόν. Quod autem Elmsleius P et Δ aliquoties permutata esse docet ad vs. 38, non est ea utilis observatio, quoniam ii errores non orti sunt ex similitudine formae oculos scribarum fallente, sed ex mera oscitantia eorum, qui aliud agentes quidvis pro quovis describebant. Fieri potest ut α in β transierit et in γ et in ε, sed nihil prodest id saepe notare et sunt hae observationes steriles. Contra foecundae sunt palaeographicae animadversiones, quibus mendorum origo ita perspiciatur ut e vitiosa scriptura oculis doctis et acutis sana lectio pelluceat. Prodest animadvertere quam saepe A, Δ et Λ ridicule confusa fuerint. Scatet exemplis Hesychius, quorum multa iam alibi indicavimus: longe plurima sibi quisque poterit colligere, in quibus antiqua manus perlucet, veluti quum Αἶται *preces* esse dicuntur, et Λῆται *venti*, et Λῶρος *immatura nece raptus*, et Λαγεινά *tristia*, et Σκιλλεῖον *umbraculum*, quis non veterem scripturam ΑΙΤΑΙ et ΑΗΤΑΙ et ΑΩΡΟΣ et ΑΛΓΕΙΝΑ et ΣΚΙΑΔΕΙΟΝ tamquam oculis suis cernit? Eadem est ἐνάργεια in erroribus, qui nati sunt ex confusione litterarum Ζ (antiquae formae), Τ, Ι et Ρ. Ζ et Τ in antiquis Codicibus, in vetustis inscriptionibus, in nummis vix possunt oculis discerni: hinc natus est Τὰν Κρηταγενής pro Ζάν, ut alibi ostendimus, et Ζιτᾶνα, Ταμία, τάνα, ἐπιζάξ, de quibus nuper diximus. Male apud Hesychium legitur Ἐμπαίτονται pro Ἐμπαίζοντι. Quemadmodum igitur Ζ in Τ abit, sic nonnumquam solum Ι superesse videtur, ut in Euripidis Ione 1247. Codicum corruptam scripturam δράκοντεσ ἀρχαῖόν τι optime emendavit Badhamus in δράκοντε σαρκάζοντε. Saepissime Ρ male irrepsit pro Ι, veluti apud Hesychium Ἄνδεργμα scribitur pro ἄνδειγμα, Ἑρκάζειν: σκώπτειν pro εἰκάζειν, Μερῶν: ἐλάσσων pro μείων, Ὄρεσι: προβάτοις pro ὄϊεσσι. Insigne huius rei exemplum est apud Hesychium v. Ῥερπιδάω· τὸ πῦρ ἐκκαίουσιν. Perspexerunt Piersonus in Praefat. ad Moeridem p. XXI. et Alberti ad l. Ῥειπίδα propter longam vocalem pro ῥιπίδα scriptum hoc monstrum produxisse pro Ῥιπίδα, ᾧ τὸ πῦρ ἐκκαίουσιν. Plura exempla Alberti ibidem indicavit. Contra Ι pro Ρ irrepsit in iocosum dictum Stratonici apud Athen. p. 351.

Ἄιδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην,

sed scurra pro ἔρδοι τις in vetere proverbio *Quam quisque norit artem in hac se exerceat* stolidum olitorem irridens substituerat:

Ἄρδοι τις ἣν ἕκαςος εἰδείη τέχνην.

Similiter apud Porphyrium de Abstin. II. 8. pag. 116. in libris omnibus est οὐδὲ ἰδεῖν μακάρων ἱεροῖς ἐπὶ βωμοῖς pro οὐδ' ἔρδειν, et apud Hesychium in v. Τήποδα: λέβητα τρισκελῆ, apparet enim ΤΡΙΠΟΔΑ verum esse, deinde ΙΓ in Η coaluit, ut Ἀνδρόφητες apud eundem scriptum est pro Ἀνδρόσφιγγες, et Τηθολαβεῖν pro τιτθολαβεῖν. Sic et ΤΤ pro Π scriptum in Διαττερίσαι, ubi emendandum Διαπερδικίσαι, et ΓΙ pro Π in Τετάργιςο pro τετάρπετο, et sunt alia huiusmodi apud eundem sexcenta.

Ex his scribarum peritia aestimari potest si talia peccant Magistri. Et profecto nihil est quod isti non committant. In Suida v. Ἀναρριχᾶσθαι dederunt καὶ μακρά pro κλιμάκια. In Isaeo I. § 27. τῶν pro ζῶν. In Hesychio Ὤμορεν· ὠδύρετο pessime scriptum esse fateberis pro ᾤμωζεν. In Euripide scribae Ζ et Τ confuderunt in fragmento apud Clem. Alexandr. Stromat. V. p. 716.

οὐδὲ γὰρ λάθρᾳ δοκῶ
φωτὸς κακούργου σχῆματ' ἐκμιμούμενον
σοὶ τήνδ' ἐς εὐνὴν ὥσπερ ἄνθρωπον μολεῖν,

Ἀμφίων λέγει τῇ Ἀντιόπῃ, ubi palmaria est Valckenaerii emendatio in Diatribe p. 63.

σοὶ Ζῆν' ἐς εὐνὴν ὥσπερ ἄνθρωπον μολεῖν.

perapposite conferentis locum in Bacchis 29.

εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους.

postquam ΖΗΝ in τὴν abierat correxit aliquis τήνδ' ἐς εὐνήν. Alio Euripidis loco Ζ et Ρ planissime ut in Heraclidis confusa sunt, nempe in Hecuba 1031, ubi θυμῷ ῥέοντι in libris est tantum non omnibus, sed nemo dubitat quin ζέοντι feliciter sit a Ruhnkenio emendatum.

Quanta sit scribarum futilitas vide et in his: simillima sunt Ν et ΛΙ, itaque passim ridicule confunduntur, ut Ναξίανθος pro Ναξία λίθος apud Photium, et in Lexico Rhetorico post Photium v. Εἰσαγγελία. — αὕτη μὲν οὖν ἡ Κικίνου δόξα, imo vero ἡ Καικιλίου. Apud Dionysium Halic. A. R. p. 339. est

Κοτύνας pro Κοτυλίας, et p. 528. πάντων pro πάλιν τῶν (ΠΑΛΙ͂ΤΩΝ) et p. 1340. Οὐέντρα pro Οὐέλιτρα. In oratione κατ' Ἀριϛογείτονος p. 790. ὅτι δακτυλοδεικτεῖτε ἐπὶ τῷ πονηρότατον τῶν ὄντων ἁπάντων δεικνύναι; suspicor pro ΟΝΤΩΝ emendandum esse (Π)ΟΛΙΤΩΝ, τῶν πολιτῶν ἁπάντων. Multa huiusmodi sunt et apud Hesychium: Ἀθημένος pro ἀθειμέλιος, κελιόν I. p. 233. pro κενόν, Οὐλιᾶσθε pro οὔνασθε, pro ἐν ᾅδου dant ἐλιάδου I. p. 658, alia. Quid autem eo facias, qui in Homeri notissimo versu: ἄνερ, ἀπ' αἰῶνος νέος ὤλεο potuit scribere ἀπ' αἰῶνος λιέος ὤλεο, quod factum esse videbis apud Schowium ad Hesych. I. p. 180.

Confusa sunt ΛΗ et ΝΙ, ut supra in λήτρου et νίτρου vidimus, apud Hesychium v. Πηληκίσματα: Φενακίσματα: est enim Graecum πηνίκη, πηνικίζω, πηνικίσματα, quod reponendum. Apud Dinarchum κατὰ Φιλοκλέους § 6. intelligi non potest quid sit: οὐ γάρ ἐϛι χαλεπώτερον ἀνθρώπου τὴν αὐτὴν πονηρίαν ἀγνοουμένην ἔχοντος: intelligerem si scriptum esset οὐδὲν γάρ — τηλικαύτην πονηρίαν κτἑ.

Vehementer imposuit idem error Mazochio, quum in Tabulis Heracleensibus I. 86. sibi videretur videre: ὅ τι δέ κα τούτων ποιῶντι πὰρ τὰν συνθήκαν τοὶ πολιανόμοι τοὶ ἀὲς ἐπὶ τῶ ϝέτεος ΕΠΙΚΑΤΑΒΑΝΟΝΤΙ, et nescio quid somniaret de futuro καταβανῶ pro καταβήσομαι. In ipso aere incisum esse ΕΠΙΚΑΤΑΒΑΛΙΟΝΤΙ pro ἐπικαταβαλοῦσι, quales formae Δωρίδος severioris in iisdem Tabulis aliae leguntur (ἀνανγελίοντι pro ἀναγγελοῦσι I. 70. ἀνκοθαρίοντι pro ἀνακαθαροῦσι I. 84.) facile cuivis erit manifestum, neque id Ahrensium fugit de Dialecto Dorica pag. 209.

Difficile est risum continere ubi μέλι in ΜΕΝ abiit, (vid. Bast. Epist. Crit. p. 70. et Stob. Floril. XIII. 43.) et omnino nihil est tam absurdum, quod non in antiquis membranis legatur. Apud Clem. Alex. Strom. I. p. 280. Sylb. in garrulos dictum est ποταμὸς ῥημάτων οὐδὲ ϛαλαγμός pro νοῦ δέ. Apud Galenum Tom. VI. p. 641. Kuhnii legitur: κἂν τοῦτο δὴ τὸ τοῦ Πλάτωνος μήτε γράμματα μήτε νοῦν ἐπίϛανται, lege μήτε νεῖν ἐπίϛωνται, ex Platonis Legibus III. p. 689 D. Apud Stobaeum Floril. LXIV. 30. Plutarchus scribit: οἱ μὲν νοῦν τὸν ἔρωτα, οἱ δ' ἐπιθυμίαν, οἱ δὲ μανίαν — ἀναγορεύουσι. Ni-

mis lepidum est *νοῦν*, tu corrige *νόσον*. Incredibile dictu est quantum ineptiarum in Codd. legatur. *Ova* apud Clem. Alex. Strom. VII. p. 713. Sylb. in *aures* mutata sunt: ΩΙΑ (haec vera forma est, ut *ζῷα*) in *ὦτα*, et ex *auribus*, si quis foverit, vivos pullos excludi Clementem inducunt dicentem. Alio loco Clemens in Paedagogo III. p. 205. eleganter, ut solet, lepidum locum poëtae comici orationi suae intexuerat. Locus est Cephisodori apud Poll. VII. 22:

σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν
ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔπεςιν ἄνθεμα.

vide nunc quid scribae designaverint. In Codd. omnibus Clementis sic legitur: *τὰ σανδάλια ἐκεῖνα ἐφ' οἷς ἐςι τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα*, agnoscisne stupidum monachum? Tenemus fraudem manibus in locis Poëtarum et aliorum, de quorum emendata scriptura aliunde certo constat. Apud Galenum T. V. p. 299. Kuhn. affertur:

τῷδε μάλ' ἐν ἐπίσῃ κραδία σημαίνεται τλῆναι.

pro versu Homerico Odyss. Υ. 23.

τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα.

Monstrosa huius rei exempla passim occurrunt, praesertim in Hesychio et Etymologico magno, in quibus saepissime videbis syllabarum compendia negligenter lecta aut confusa portentosos errores peperisse. Nemo umquam quidquam extricabit quod non absurdum sit ex Alexidis fragmento apud Diog. Laërt. III. 27.

λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα. συγγενῶς τρέχων
Πλάτωνι καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον,

at tu emenda: *συγγενοῦ τρέχων Πλάτωνι*. Similia hisce undique colligi possunt sed nunc quidem abstineo manum, postquam unum ex Galeno vol. VI. p. 228. Kuhn. adiecero, ubi Quinti cuiusdam dicta commemorat medicos irridentis: *ἐρομένῳ τινὶ γυμναςῇ τίνα δύναμιν ἔχει τὸ ὑποσυγχρίεσθαι* respondisse refert: *ἀφανίζειν τὰ ἱμάτια*. Deinde addit: *ὅμοιόν τι τοῦ Κοΐντου περιφέρεται ἀπόφθεγμα τὸ περὶ τῶν οὔρων ὡς γραφέως ἐςὶ καταμανθάνειν αὐτά*. Bonus interpres: *urinas nosse ad pictorem pertinere* scribit. Quis non statim videt *γναφέως* esse emendandum? Plura de genere hoc alias afferam, nunc ad Euripidem est redeundum.

Est in Heraclidis locus, qui cum Xenophonteo in Hellenicis compositus inveteratam librorum fraudem deteget. Ponam primum Xenophontis verba ex Hellen. V. ii. 5. Mantinenses a Spartanis obsessi, quia moenia deiicere nolebant, ad incitas redacti *δείσαντες μὴ δοριάλωτοι γένοιντο ὡμολόγουν περιαιρήσειν. οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι οὐκ ἔφασαν σπείσεσθαι εἰ μὴ καὶ διοικοῖντο κατὰ κώμας.* Manifestum in his vitium non uno modo deprehenditur. Et primum quidem *διοικεῖν* et *διοικεῖσθαι* non possunt significare id quod hic locus postulat. Viri docti ut demonstrarent *διοικεῖν* esse *seorsim habitare* (quamquam id ex se spectatum plane absurdum est ut *χωρὶς οἰκεῖν*, quod Graeci eo sensu dicere assolent, *διοικεῖν* diceretur aut prorsus barbare *διοικεῖσθαι*) afferunt locum Platonis in Timaeo p. 19 E. ubi *τὸ τῶν σοφιστῶν γένος* dicitur esse *ἄστοχον ἅμα φιλοσόφων ἀνδρῶν καὶ πολιτικῶν ἅτε πλανητὸν ὂν κατὰ πόλεις οἰκήσεις τε ἰδίας οὐδαμῇ διῳκηκός*, sed (ne dicam ridiculam esse hanc sententiam, quod Sophistae dicantur, quia numquam proprias sedes vel domicilia habuerint propterea ei rei idonei non esse, et sic *διοικεῖν* plane idem esse atque *οἰκεῖν.*) luce clarius est *διοικεῖν ἰδίας οἰκήσεις* hoc quoque loco idem quod semper significare *administrare*, *ordinare*, *regere*, ut in Gorgia p. 520 E. *τὴν ἑαυτοῦ οἰκίαν διοικεῖν*, et alibi passim. Peius etiam est quod *διοικεῖσθαι* eodem sensu pro *διοικεῖν* putant dici posse, hunc ipsum locum Xenophontis afferentes, quod quum G. Dindorfius faceret in Stephani Thesauro, ex nescio quo Irenes Typico locum addidit quem difficile est sine risu legere. Quis tandem purgabit antiquae philologiae studia istis sordibus et quisquiliis desipientium Graeculorum? Cur Antiquorum sanitatem istorum ineptiis, quibus nihil umquam scriptum est foedius, contaminamus et perdimus? Sed de hoc argumento alias accurate dicam, nunc barbare dictum *διοικεῖσθαι* reposita vera lectione confutabo, quam sic unusquisque indagare poterit, ut animadvertat futuri temporis formam requiri: *εἰ μὴ* enim in huiusmodi sententiae conformatione postulat optativi futurum: affatim exemplorum est vel in hoc ipso Xenophontis libro. Praemittam unum ab ipso Dindorfio recte emendatum VI. iv. 6. *τῶν Θηβαίων οἱ προεστῶτες ἐλογίζοντο ὡς εἰ μὴ μ α χ ο ῖ ν τ ο ἀποστήσοιντο μὲν αἱ περιοικίδες αὐτῶν πόλεις, αὐτοὶ δὲ πολιορκήσοιν-*

το, optime Dindorf. *μαχοῖντο* revocavit. Ne quis dubitare possit addam quae continuo sequuntur: *εἰ δὲ μὴ ἕξοι ὁ δῆμος ὁ Θηβαίων τἀπιτήδεια [ὅτι] κινδυνεύσοι καὶ ἡ πόλις αὐτῶν ἐναντία γενέσθαι*, ubi expunge *ὅτι* quod fulcrum orationis qui addidit ludimagister non intellexit se concinnitatem loci perdere. Tolle idem mendum VI. v. 13. *γνόντες οἱ Μαντινεῖς ὡς εἰ μὴ ἀποκρούσονται αὐτοὺς [ὅτι] πολλοὶ σφῶν κατακοντισθήσονται*, et gravius etiam IV. viii. 2. *ὁ Κόνων τὸν Φαρνάβαζον ἐδίδασκεν ὡς οὕτω μὲν ποιοῦντι πᾶσαι αὐτῷ αἱ πόλεις φίλιαι ἔσοιντο, εἰ δὲ δουλοῦσθαι βουλόμενος φανερὸς ἔσοιτο [ἔλεγεν ὡς] μία ἑκάστη πολλὰ πράγματα ἱκανὴ εἴη παρέχειν*, ubi manifestum tenemus emblema *ἔλεγεν ὡς*. Alia exempla sunt insigniora V. i. 34. *εἰ μὴ ἐκπέμψοιεν* —, V. ii. 13. *εἰ μὴ παρεσοίμεθα*, V. iv. 36. *εἰ μή τις προκαταλήψοιτο*, VI. ii. 34. *εἰ δέ τις μὴ ἀκολουθήσοι*. VI. iii. 9. *εἰ μὴ ἐάσοιεν* VI. iv. 36. *εἰ μὴ ἤδη πράξοιεν*, et passim in caeteris libris et reliquis Xenophontis et Atticorum scriptis. Quemadmodum enim in recta oratione *εἰ* et *εἰ μή*, si in apodosi futurum est, et ipsa necessario futurum postulant, ut in verbis:

εἰ γὰρ τεκνώσεις παῖδ' ἀποκτενεῖ σ' ὁ φύς.

et millies alibi, sic in oratione obliqua *εἰ* et *εἰ μή* in talibus optativi futurum requirunt. Quid igitur scripsit Xenophon? nempe *διοικιοῖντο*, quae forma Graeculis inaudita perfacile in *διοικοῖντο* depravari potuit, ut *διοικιεῖσθαι* in *διοικεῖσθαι* et similia. Saepe vidi in Codd. confundi *δειπνιεῖν* — *δειπνεῖν*, *πλουτιεῖν* — *πλουτεῖν*, *σωφρονιεῖν* — *σωφρονεῖν*, alia, quamquam sic in singulis locis sententia et in poëtis metrum quoque ruit. Apud Diphilum Athen. p. 238 F. in Codice est:

ἢ δειπνεῖν μέλλοντα κωλύσῃ τινά,

optime correctum est *ἢ δειπνιεῖν μέλλοντα*, et sic aliis locis peccarunt, quia formae in -*ιῶ* in desuetudinem abierant. Sed quid alia exempla affero, quum in ipso futuro *διοικιεῖν* idem factum sit apud Demosth. *περὶ τῆς εἰρήνης* p. 59, 3. *ὑπισχνουμένων τινῶν τοὺς μὲν Φωκέας τὸν Φίλιππον σώσειν, τὴν δὲ Θηβαίων πόλιν διοικεῖν*, veram scripturam servavit Harpocration v. *Διοικιεῖν*: *ἀντὶ τοῦ διαιρήσειν ὥστε μὴ ἐν ταυτῷ πάντας οἰκεῖν ἀλλὰ χωρὶς καὶ κατὰ μέρος. Δημοσθένης ἐν πέμπτῳ Φιλιππικῶν*, hunc ipsum locum interpretans, ubi duo Codices B. C.

διοικεῖν exhibent. Parisinus S cum paucis aliis διοικεῖν servat, caeteri in διοικεῖν conspirant. Absurda scriptura circumferebatur in Isocratis oratione V. § 45. Λακεδαιμονίων βουλομένων λυμήνασθαι τὴν Βοιωτίαν καὶ διοικῆσαι τὰς πόλεις, nihil minus volebant, ut satis apparet, sed διοικίσαι, quod optimus Urbinas solus servavit. Superest ut demonstrem διοικιοῦμαι et διοικιοῖντο bene Graeca esse. Athenienses utuntur verbis ἐξοικίζομαι, εἰσοικίζομαι, κατοικίζομαι, ἀνοικίζομαι aliisque compositis et in passiva forma et in media. Media usurpatur de eo, qui *sua voluntate* ex vetere sede migrat (ἐξοικίζεται), aut in novam immigrat (εἰσοικίζεται), aut relicta ora maritima in interiora se recipit (ἀνοικίζεται), similiterque in caeteris. Itaque aoristi sunt εἰσοικίσασθαι, ἐξοικίσασθαι, ἀνοικίσασθαι, cet. et sicubi futuro opus est ἐξοικιοῦμαι, εἰσοικιοῦμαι cet. dicendum est. Passiva forma, quae cognoscitur in aoristis εἰσοικισθῆναι, κατοικισθῆναι, ἀποικισθῆναι, συνοικισθῆναι, διοικισθῆναι cet. ponitur de iis, qui ab alio in nova sede collocantur aut e vetere sede pelluntur aut in coloniam deducuntur cet. Ubi futuro utendum erat eo sensu dicebant κατοικισθήσομαι, εἰσοικισθήσομαι cet. Perfecta κατῴκισμαι, ἀνῴκισμαι cet. utrique formae communia sunt. Numquam in his Veteres errant: nulla est in his confusio aut negligentia, qualem apud sequiores frequenter deprehendas, qui vocabulorum vim natura insitam non amplius sentiebant. Thucydides I. 58. Περδίκκας πείθει Χαλκιδέας τὰς ἐπὶ θαλάσσῃ πόλεις ἐκλιπόντας καὶ καταβαλόντας ἀνοικίσασθαι ἐς Ὄλυνθον, ubi si ἀνοικισθῆναι scriberetur absurde dictum esset. *Ipsi* Chalcidenses, auctore Perdicca, in interiorem continentem se recepisse dicuntur. In Aristophanis Pace vs. 205. legitur:

ἐξῳκίσαντο δ' οἱ θεοὶ τίνος οὕνεκα;

et vs. 207:

αὐτοὶ δ' ἀνῳκίσανθ' ὅπως ἀνωτάτω.

et ad mediam formam referenda sunt perfecta vss. 197. et 260. ἐχθὲς εἰσιν ἐξῳκισμένοι et ἐχθὲς εἰσῳκίσμεθα. Rectissime Stephanus in Aeschinis Timarchea § 124. emendavit: ἐὰν δ' ὁ μὲν ἐξοικίσηται, εἰς δὲ τὸ αὐτὸ τοῦτο ἐργαστήριον χαλκεὺς εἰσοικίσηται, ubi in libris barbarae formae leguntur ἐξοικήσηται et εἰσοικήσηται. quemadmodum κατοικήσηται Thucyd. II. 102. et

κατοικησάμενος Isocrat. Aeginet. § 24, ex melioribus libris correcta. Apud Dion. Halic. A. R. I. 22. Vaticanus *συνοικησάμενοι* exhibet: corrige *ἐνοικισάμενοι*. Sicubi haec erant in futuro ponenda dicendum erat necessario *ἐξοικιοῦμαι*, *εἰσοικιοῦμαι*, *κατοικιοῦμαι*, *μετοικιοῦμαι* cet. et passivae formae, *ἐξοικισθήσομαι* cet. certo perspicuoque discrimine ab his distabant. Itaque *διοικίζειν πόλιν εἰς κώμας* habet passivum *διοικισθῆναι* de iis, qui bello fracti et vetere patria vastata expulsi per pagos dispersi habitant, ut apud Demosth. de F. L. p. 366. (*οἱ Φωκῆς*) *διῳκισμένοι κατὰ κώμας καὶ παρῃρημένοι τὰ ὅπλα*, et pag. 445: *Θηβαῖοι οἱ διοικισθέντες τῷ λόγῳ*, ubi in uno Codice addita legitur magistri interpretatio *οἱ* [*διαιρεθέντες ὥςε μὴ ὁμοῦ οἰκεῖν*] *διοικισθέντες*, et de ipsa Mantinea Xenoph. Hellen. V. ii. 7. *διῳκίσθη δ' ἡ Μαντίνεια τετραχῇ*, et saepe alibi. Ubi autem Graece id dicendum est, quod Spartani a Mantinensibus postulant, ut ipsi relicta vetere patria pagatim rus habitatum concedant, requiritur medium *διοικίζομαι*: ita igitur agebant: *οὐ σπεισόμεθα εἰ μὴ καὶ διοικιεῖσθε κατὰ κώμας*, unde in oratione indirecta, qua Xenophon utitur, haec est necessaria verborum conformatio: *οὐκ ἔφασαν σπείσεσθαι εἰ μὴ καὶ* δ ι ο ι κ ι ο ῖ ν τ ο *κατὰ κώμας*. Quis est qui *διοικοῖντο* sensu vacuum esse et vitiose dictum non sentiat?

Accidit autem ut futuri medii forma in Atticorum scriptis nunc nusquam appareat. Permulti anni sunt, ex quo hoc observare coepi, neque me facile fugisset huiusmodi forma sicubi exstaret. Si dixero ipsam analogiam satis tueri formas *οἰκιοῦμαι*, *ἐξοικιοῦμαι*, *διοικιοῦμαι*, etiamsi nusquam compareant, non dubito fore plerosque qui *διοικοῖντο* retinere malint quam formam recipere quam nemo viderit umquam. Itaque optime evenit ut in Heraclidis rarissimae formae unicum exemplum certa fide supersit. Eximet enim scrupulum omnem vs. 46.

Ὕλλος δ' ἀδελφοί θ', οἷσι πρεσβεύει γένος,
ζητοῦσ', ὅπη γῆς πύργον οἰκιούμεθα.

Lubet nonnulla de verbo *διοικίζειν* et *διοικίζεσθαι* his subiungere, ut uni et alteri loco corrupto et interpolato obiter opem feram. Quid esset *διοικίζεσθαι* optime interpretatus est Ammonius, qui dicitur, de D. V. v. *Οἰκίζεται* pag. 101. *διοικίζεται δὲ* (*πόλις*) *ἡ ἐκ μιᾶς πόλεως μεγέθει ἰσχυούσης εἰς πολλὰ κατα-*

διαιρουμένη ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν ἵνα ἀσθενὴς γένηται, ὡς οἱ Λακεδαιμόνιοι τὴν ἐν Ἀρκαδίᾳ Μεγάλην πόλιν διῴκισαν (Codd. διῴκησαν), ubi utilia annotavit Valckenaerius, p. 171. Nobilissimus omnium est ὁ Μαντινέων διοικισμός, de quo vide Harpocrationem in v. et scripserunt Xenophon, Isocrates, Ephorus, et hinc Diodorus, Strabo, Pausanias, alii. Xenophon in Hellen. V. II. 7. Spartanorum admiratione occaecatus de illo exitio nobilissimae civitatis ea scribit, quae nemo, nisi qui perfidiam amat, sine indignatione et ira leget. Non minus Xenophontem quam Spartanos tangunt quae severe pronuntiat Polybius IV. 27. (οἱ Λακεδαιμόνιοι) Μαντινεῖς φίλους ὄντας καὶ συμμάχους [ἀναστάτους ποιήσαντες] οὐκ ἔφασαν ἀδικεῖν ἐκ μιᾶς πόλεως εἰς πλείους αὐτοὺς διοικίσαντες. Ἄνοια μετὰ κακίας τὸ δοκεῖν ἐάν τις αὐτὸς ἐπιμύῃ μηδὲ τοὺς πέλας ὁρᾶν, in quo loco expungenda esse censeo verba ἀναστάτους ποιήσαντες, quae sententiam onerant et impediunt. In ea re alterutrum optime ponitur, sed duo ἰσοδύναμα male coniunguntur. Isocrates, qui in Panegyrico § 126. dixerat τὴν μέν γε Μαντινέων πόλιν εἰρήνης ἤδη γεγενημένης ἀνάστατον ἐποίησαν, idem de Pace § 100. sensu eodem Μαντινέας δὲ διῴκισαν scripsit. Eodem modo Phocenses, apud alios saepe dicuntur ἀνάστατοι γεγονέναι, apud Demosthenem, ut modo vidimus, διῳκισμένοι κατὰ κώμας. Ex iisdem locis optime aestimari poterit bonitas coniecturae Reiskii in loco Dionis Chrysostomi Orat. XLVII. Tom. II. p. 225. ἐν ἐλευθερίᾳ μᾶλλον ᾑροῦντο καὶ διοικεῖσθαι κατὰ κώμας τοῖς βαρβάροις ὁμοίως ἢ σχῆμα πόλεως καὶ ὄνομα ἔχειν, rectissime Reiskius διῳκίσθαι, et saepe videbis ᾠκίσθαι apud Tragicos in οἰκεῖσθαι esse depravatum, ut apud Stob. in Ecl. Phys. III. 47. ἀποικεῖσθαι pro ἀπῳκίσθαι. Sed nusquam peius verbum διοικίζειν corruptum vidi quam apud Dionysium Halic. A. R. V. 77. Sylla Dictator, inquit, βουλὴν ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀνθρώπων συνέστησε καὶ τὸ τῆς δημαρχίας κράτος εἰς ἐλάχιστον συνέστειλε καὶ πόλεις ὅλας ἐξῴκισε καὶ βασιλείας τὰς μὲν ἀνεῖλε τὰς δὲ αὐτὸς ἀπέδειξεν, in quo loco si quis meminerit quam saepe et apud alios et in his ipsis Dionysii libris ἐξ et δι confusa fuerint[2], assentietur

---

[2]) Variant libri in Ant. Rom. IV. 10. διέθηκεν ἐν φανερῷ διάταγμα,

mihi *διώκισε* reponenti, quod perinde est ac si dixisset *ἀναστάτους ἐποίησε*, quo sensu *ἐξοικίζειν* nemo dixit neque poterat dicere. *Διοικίζομαι* et *διοίκισις* in priore parte harum Lectionum (p. 68.) in Lysiam irrepsisse ostendi pro *ἐξοικίζομαι* et *ἐξοίκισις*, contrarium errorem hic esse commissum facile est ad intelligendum: *ἐξοικίζειν* quod est *ἐκ τῆς οἰκίας ἐκβάλλειν*, *exigere foras*, *expellere*, *sede sua exturbare*, alienissimum ab hoc loco est, et quod requiritur *κατασκάπτειν*, *καταβάλλειν*, *ἀνάστατον ποιεῖν*, id vero dici *διοικίζειν* satis demonstravi. Non est in hac causa abutendum Euripidis loco in Hecuba vs. 887:

τί δ'; οὐ γυναῖκες εἷλον Αἰγύπτου τέκνα,
καὶ Λῆμνον ἄρδην ἀρσένων ἐξῴκισαν;

licuit enim Tragico *ἀρσένων ἐξοικίζειν* dicere quemadmodum *ἐξομματοῦν*, *ἐξονυχίζειν*, *ἐξακανθίζειν*, *ἐξεναρίζειν*, alia, pro *ἐξερημοῦν ἀνδρῶν* et sic demum genitivum *ἀρσένων* recte assumit: lingua populi non urbem sed incolas dicitur quis *ἐξοικίζειν*, quem usum cum omnibus in hac ipsa fabula Euripides sequitur vs. 947.

ἐπεί με γᾶς ἐκ πατρῴας ἀπώλεσεν
ἐξῴκισέν τ' οἴκων γάμος.

et sic *εἰσοικίζειν τινά* et *ἐξοικίζειν* inter se opponuntur; sed conficit rem, me iudice, locus Demosthenis, quem lubenter rhetor imitatur, ubi *ἀναιρεῖν* et *διοικίζειν* componuntur, in oratione *ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν* p. 210. *ἐὰν μὲν ἀναιρεθῶσι καὶ διοικισθῶσιν, ἰσχυροῖς Λακεδαιμονίοις ἔστιν εὐθὺς γενέσθαι*, qui

---

proposuit edictum, optime Cod. Vaticanus *ἐξέθηκε*. Pro *ἐξηγοῦντο τοὺς λόγους* VI. 16. corrige *διηγοῦντο*, ut de eadem re post pauca recte scribitur *τῶν αἰχμαλώτων διηγησαμένων*. et III. 8. *καὶ τοῦ ἀνδρὸς ἐξηγησαμένου πάντα ὅσα ἀπὸ στόματος ἤκουσεν* necessarium est *διηγησαμένου*. Similiter III. 11. *τὸ μὲν Ἀλβανῶν εὐγενὲς διαμένει, τὸ δ' ἡμέτερον ἐξέφθαρται* restitue *διέφθαρται*. Duo his adiiciam e Stobaei Florilegio, quoniam tam manifesta sunt ut nemo obloqui possit. Editur XLIII. 93. *τὸ δὲ μεταβατικὸν καὶ ἐμπορικὸν, ὃ τὰ μὲν ἐν τᾷ πόλει περιουσιάζοντα ἐπὶ τὰν ξέναν δ ι ά γ ε τ α ι, τὰ δὲ ἀπὸ τᾶς ξένας ἐς τὰν πόλιν.* Emenda *μεταβλατικόν* et *ἐξάγεται*, et quis umquam in ea re aliter dixit quam *ἐξάγομαι* et *μεταβάλλομαι*, *μεταβολή*, *μεταβολεύς*, *μεταβλητικός?* Alter locus est XCVII. 31. *τὰ καθ' ἑαυτοὺς λιτότερον ἐ ξ ά γ ο υ σ ι ν, εἶτα ἀναγκάζονται πολλὰ ὧν βούλονται.* Emenda *λιτότερον διάγουσιν* et *ὧν οὐ βούλονται.*

cum priore coniunctus *τὴν Θηβαίων πόλιν διοικιεῖν* satis valebat, ut Dionysius pro *urbes totas dispersis incolis vastare* dicere posset *πόλεις ὅλας διοικίζειν.*

Post haec omnia satis est digito monstrare locum Pausaniae in Phocicis X. 3. § 2. *κατεσκάφησαν (αἱ τῶν Φωκέων πόλεις) καὶ ἐς κώμας πλὴν Ἄβας ᾠκίσθησαν αἱ ἄλλαι.* Quis non statim videt scribendum esse *πλὴν Ἄβαι διῳκίσθησαν αἱ ἄλλαι.*

Quum saepissime in libris *οἰκῆσαι* pro *οἰκίσαι* legatur, et *διοικῆσαι, συνοικῆσαι* caeteraque composita pro *διοικίσαι, συνοικίσαι* cet. unum tantum notavi locum ubi contra peccatum est, sed Editoribus nihil suboluit, in Plutarchi libello *περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως* pag. 540 E. *ἐγκαλουμένων τῶν στρατηγῶν* (Pelopida et Epaminonda) *ὅτι — εἰς τὴν Λακωνικὴν ἐνέβαλον καὶ τὰ περὶ Μεσσήνην διῴκισαν*, viden ridicule sic scribi pro *διῴκησαν*? Similiter locutus est Isocrates V. § 74. *ἂν τὰ περὶ Φωκέας διοικήσῃς*, et saepe alii.

CAPUT IV.

Quemadmodum reliqua omnia Graecorum scripta emblematis et additamentis omne genus deturpantur, sic saepissime factum est, ut in Tragicorum carmina versus spurii irreperent, cuius fraudis, quae pervetus est, multae et diversae causae fuerunt. Satis constat ex veterum Criticorum commentariis ipsos histriones de suo nonnulla satis temere et impudenter addidisse: deinde scioli, ut solent, et magistri et lectores complura in librorum marginibus adscripserunt aut ab aliis poëtis aut ab eodem alibi similiter dicta, aut quidquid ipsis inter legendum venerat in mentem, modo admirantibus, modo improbantibus, modo explicantibus: quae magnam partem quia nihil est facilius quam senarios fundere (iis utique qui ingentem iamborum numerum legerunt) sponte in numeros iambicos coëunt, nonnumquam non malos, saepe tamen elumbes et non antiquae artis. Eadem facilitate leves et indocti correctores locos male habitos et lacunis hiantes, et si quid commode legi aut intelligi non posset, suppleverunt scilicet et arbitrio suo constituerunt, in qua re plerumque in aliquem turpem errorem se implicant, unde fraus arguitur. Deinde, uti fit, ex libris

foede interpolatis novi libri propagabantur, in quibus quum insipida et insulsa emblemata oscitanter in ordinem recepta essent et interpolationum vestigia prorsus essent obliterata, nunc lectores minus cautos, minus acutos et τὴν παλαιὰν τέχνην non certo iudicio a sequiorum manu et rudiore artificio dignoscentes saepe iocularem in modum ludificantur. Potest tamen, si non ubique, at in plerisque tamen locis quod genuinum et sanum non est certis indiciis indagari et ubi semel mota est acuta suspicio plurimis modis etiam tenuissimis vestigiis correctorum flagitia deprehenduntur, si modo iudicium acre afferas et aurem veterum lectione subactam et linguae peritiam quanta maxima colligi potest, ut quid a poëta Attico dici possit quid non possit et scias et intelligas et interiore quodam sensu agnoscas. Quicumque autem Poëtas diu et multum lectitavit ipse quodammodo poëta fit, et si quid in carmina antiqua ineptiarum ex librorum corruptela et sciolorum interpolatione olim irrepsit etiam sic animadvertit, quod numquam ipse in tali re aut tam socors et negligens esse aut ad istiusmodi ineptias potuisset delabi. Habet hoc multas cautiones sed non est alia res ad ingenium alendum et pulchri sensum exercendo augendum utilior et sic poëtarum lectio quum legentibus plurimum affert utilitatis tum in ipsos poëtas ea utilitas redundat. Sed quoniam genus hoc critices exemplis magis quam praeceptis tradi et commendari potest et non meditando sed exercendo continetur, expromam nonnulla ex poëtis Tragicis quae huc faciant. Praemittam duo Euripidis fragmenta ex Orionis Florilegio. Legitur ibi V. 7.

σπουδάζομεν δὲ πόλλ' ὑπ' ἐλπίδων μάτην
πόνους ἔχοντες οὐδὲν εἰδότες σαφές.

in his verbis quum necessarium vocabulum periisset sciolus aliud non necessarium alieno loco de suo addidit. Qui hominum ignaras mentes arguunt solent eos οὐδὲν εἰδέναι significanter dicere, ut Theognis:

ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν εἰδότες οὐδέν,

et passim sic queruntur: σαφές aut simile quid nemo addit, neque id Euripidem addidisse ex Theophili loco manifestum est, qui Euripidea afferens σαφές omittit. Quid multa? agnosces Tragicum in hac scriptura:

σπουδάζομεν δὲ πόλλ' ὑπ' ἐλπίδων κενῶν,
μάτην πόνους ἔχοντες οὐδὲν εἰδότες.

Quis ignorat quam saepe κεναὶ ἐλπίδες a poëtis dici soleant? Tenemus igitur fraudem manifestam. Multo foedius inquinata sunt verba poëtae I. 3.

Μισῶ
σοφὸν ἐν λόγοισιν, ἐς δ' ὄνησιν οὐ σοφόν.

expunge duo emblemata et Euripidem agnosces:

Μισῶ σοφὸν λόγοισιν, ἐς δ' ὄνησιν οὔ.

Obiter adiuva laborantem Tragicum VII. 5.

πρὸς τὰς χρήσεις χρὴ καὶ τὰ πράγματα σκοπεῖν
καὶ τὰς διαίτας τῶν κακῶν τε κἀγαθῶν.

imo vero πρὸς τὰς φύσεις χρὴ — σκοπεῖν, si vis Euripidem audire. Ineptam interpolationem male occulit locus VII. 2.

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀτολμία
οὔτ' οἶκον οὔτε γαῖαν ὀρθώσειεν ἄν.

Num tu haec ipsum Euripidem dedisse existimas? et οὔτ' οἶκον οὔτε γαῖαν in hac sententia bene componi putas? Placet editori tamen, qui interpretatur: »*neque unam domum neque omnem civitatem.*" Si sic interpretari licebit nulla usquam haerebit difficultas. Sed affulget lux aliunde. Bis eadem sententia indidem servata apud Stobaeum est Floril. VIII. 13. et XXIX. 22. Hoc autem loco ex Erechtheo affertur:

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀτολμία
οὔτ' οἶκον οὔτε βίοτον οὐδὲν ὠφελεῖ.

quae etiam magis mirifica est oppositio οὔτ' οἶκος οὔτε βίοτος. Ecce ipse Euripides prodit leviter tantum vulneratus ex altero loco: Εὐριπίδου Ἀρχελάῳ·

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία
οὔτ' οἶκον οὔτε πόλιν * ορθώσειεν ἄν.

unusquisque statim correxerit ἀνορθώσειεν ἄν, quod Valckenaerius et Porsonus praeceperunt. Hoc demum sanum et genuinum est: οἶκος et πόλις in tali re egregie componuntur, ut εὖ διοικεῖν πόλιν καὶ οἰκίαν saepe apud Platonem docere se Sophistae profitentur, ut in Rep. X. p. 600 D. οὔτ' οἰκίαν οὔτε πόλιν τὴν αὑτῶν διοικεῖν οἷοί τ' ἔσονται, ubi plura dedit Stallbaumius. Ipse Euripides alibi Stob. Floril. LIV. 5.

γνώμῃ γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις
εὖ δ' οἶκος.

et in Electra vs. 386.

οἱ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ
καὶ δώμαθ', αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσιν.

ubi multo melius legetur: καὶ πόλεις οἰκοῦσιν εὖ. Praeivit Aeschylus Sept. c. Th. 190.

δείσασα δ' οἴκῳ καὶ πόλει πλέον κακόν,

populus eodem sensu ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ solebat dicere: neque ἀνανδρία pro ἀτολμία dubiam optionem facit: illud semper nocet et opprobrium est, hoc non item. Unde igitur istae perversae scripturae in uno eodemque loco? nam *Archelai* et *Erechthei* fragmentum idem ex eadem fabula esse patet, et quis Stobaei lemmata quam lubrica fide sint nescit? Nempe correctores quod amissum erat suo Marte sarcire aggressi sunt: quod quam saepe et quam perite in Stobaeo fecerint semel et iterum demonstravi. Non reprehendo si quis huic rei idoneus ea quae oculis non amplius cernuntur veluti ex Orco revocat: sed istos Graeculos prorsus ei negotio impares quodlibet temere arripere et monumenta vetustatis depravare id vero ferendum non est. Istorum enim inscitia impudentiae par est, qui neque satis Graece scientes, neque intelligentes ea quae reconcinnabant scilicet, quodcumque primum venit in mentem id reponunt. Supererat

ΟΥΤΟΙΚΟΝΟΥΤΕ * * ΑΝΟΡΘΩΣΕΙΕΝΑΝ.

Porsonus poterat verum reperire: ex reliquiis scripturae certis vestigiis poterat πόλιν explere, quod unicum est in tota Graecitate vocabulum et rei et linguae et metro optime conveniens, at istorum aliquis οὔτε γαῖαν coniecit: ineptum esse vocabulum ne cogitat quidem. Alius in graviore malo quum nihil praeter ΟΥΤΟΙΚΟΝΟΥΤΕ restaret plus quam dimidiam senarii partem de suo resarcit additis βίοτον οὐδὲν ὠφελεῖ, quorum βίοτον absurdum est, οὐδὲν ὠφελεῖ nimis languidum et insipidum: quis enim ferat ita dicentem τὸ πρὸς ἡδονὴν ζῆν, τὸ δουλεύειν ταῖς ἡδοναῖς οὐδὲν ὠφελεῖ, atque haec Euripidem sic dixisse credemus? Adiiciam aliud exemplum paene simile. Ex Euripidis Archelao Stobaeus haec affert Floril. XXIX. 14.

οὐκ ἔστιν ὅστις ἡδέως ζητῶν βιοῦν
εὔκλειαν εἰσεκτήσατ᾽ ἀλλὰ χρὴ πονεῖν.

Sententia verissima est, sed misere claudicat oratio. Non puto absurdius verbum Graecum fingi aut excogitari posse quam *εἰσκτᾶσθαι* est, nisi forte *ἐκκτᾶσθαι*, quod plane eiusdem est pretii, id est nullius. Noli credere Euripidem eas ineptias dedisse: ΕΥ * * * * ΕΚΤΗΣΑΤ genuinum est, quod in hunc modum erat supplendum:

εὐδοξίαν ἐκτήσατ᾽ ἀλλὰ χρὴ πονεῖν.

Similiter in vicinia peccatum est Floril. XXIX. 32.

οὐδεὶς γὰρ ὢν ῥάθυμος εὐκλεὴς ἀνήρ
ἀλλ᾽ οἱ πόνοι τίκτουσι τὴν εὐανδρίαν.

minime gentium: *οἱ πόνοι* aliud quodvis potius parere possunt quam *τὴν εὐανδρίαν*: haec quoque perinepta scriptura debetur futili correctori, in cuius lacero codice ΕΥ * * ΙΑΝ supererat, in quo *εὐδοξίαν* latebat. Ne dubitare possis inspice Stobaei Floril. LI. 4. Dum Stobaeus est in manibus Sophoclis fragmentum in eadem vicinia servatum restituam, in quo scribae primum, deinde critici veram lectionem obscurarunt. In Floril. XXIX. 25. novissimus Editor, Meinekius, haec dedit:

Σοφοκλέους Μάντεων.
Οὔτοι ποθ᾽ ἅψει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου.

quod in libris est *οὔτοι ποθ᾽ ἥξει* de O. Schneideri coniectura sic refinxit: infeliciter, ut mihi quidem videtur: *ἅπτεσθαι τῶν ἄκρων* pro *ad summa pervenire* non est bene Graece dictum neque *οὔτοι ποτέ* sanum est. Emenda:

οὐδέποτ᾽ ἐφίξει τῶν ἄκρων ἄνευ πόνου.

Sed redeo ad illos locos, ubi non pauca quaedam verba audacter et impudenter cum sententiae aut Graecitatis detrimento sunt interpolata in illorum locum, quae in vetustis membranis perrosis aut corruptis non amplius apparebant, sed otiosa et inepta additamenta invitis Tragicis obtrusa sunt: in quo genere felix multorum exsplenduit sagacitas, qui passim istiusmodi emblemata certo iudicio deprehensa doctis utique et ingeniosis lectoribus tam luculenter confutarunt, ut stare loco non potuerint et in marginem exulatum abierint. Quo saepius autem fraus retecta est eo facilius est similes fallacias, sicubi adhuc lateant, patefacere. Praemittere iuvat deprehen-

sae nterpolationis specimina quaedam et his nonnulla nova subiicere.

Ex Medea optime expunxerunt vss. 41, 304, 468, 786, 1006 sq., 1062 sq. sed Piersono quoque obtemperatum oportuit, qui acute vidit vs. 1067.

ἀλλ' εἶμι γὰρ δὴ τλημονεστάτην ὁδόν,
[καὶ τούσδε πέμψω τλημονεστέραν ἔτι,]
παῖδας προσειπεῖν βούλομαι.

medium senarium ab interpolatore inepte esse insertum. In fabula toties istiusmodi vitiis inquinata non reformido suspicionem novam movere inficeto versiculo, qui vehementis et inflammatae orationis vim et ardorem importune frangit et restinguit vs. 1078.

καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά,
θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.
[ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.]

poteratne importuniore loco ista sententia velut inutile pondus appendi? Quoties pulcherrimum locum relego sentio post *βουλευμάτων* verbum non amplius a bono poëta addi oportere, quo vehementius spectatorum animi commoveantur, et quamquam Euripides in nonnullis reprehensionem effugere non potest, est tamen in affectibus movendis summus artifex. Simillimus huic locus est in Euripidis Chrysippo:

λέληθεν οὐδὲν τῶνδέ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς,
γνώμην δ' ἔχοντά μ' ἡ φύσις βιάζεται,

quem cum Medeae verbis componit Clem. Alex. Strom. II. p. 462. Pott. Neque Clemens neque alii, qui plurimi locum ex Medea laudarunt (vide Gatakeri Advers. Miscell. cap. X. p. 528. et Porsonum ad l.) importunum senarium, quem in marginem ablegamus, commemorant neque cognovisse videntur. Etiam peius, si quid iudico et recte sentio, scioli aut histriones poëtae artificium pessumdederunt in Hippolyto vs. 1439. ubi Diana exspiranti sic valedicit:

καὶ σοὶ παραινῶ πατέρα μὴ στυγεῖν σέθεν,
Ἱππόλυτ', ἔχεις γὰρ μοῖραν ᾗ διεφθάρης.
καὶ χαῖρ', ἐμοὶ γὰρ οὐ θέμις φθιτοὺς ὁρᾶν
οὐδ' ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς.
[ὁρῶ δέ σ' ἤδη τοῦδε πλησίον κακοῦ].

Expunge ineptum senarium et senties quam sit locus ad horrorem spectatoribus incutiendum acrior et summo poëta dignior. Anceps esse dices in talibus iudicium et alia aliis placere. Quid si demonstrari potest in eo versiculo antiqui sermonis Attici usum violari, quod histriones, quorum vitio locum depravatum esse suspicor, non sentiebant, sed veteres cives Atticos fallere non poterat. Dici oportebat: ὁρῶ σε ὄντα, neque ullo modo participium abesse poterat. Quam fuerint histriones in talibus plumbei et quam mali poëtae optime demonstrat locus in Andromache vs. 6.

ζηλωτὸς ἔν γε τῷ πρὶν Ἀνδρομάχῃ χρόνῳ,
νῦν δ', εἴ τις ἄλλη, δυστυχεστάτη γυνή.

Constat histriones de suo inficetum senarium hunc adiecisse:

ἐμοῦ πέφυκεν ἢ γενήσεταί ποτε.

ad quem veteres Critici annotarunt: οἱ ὑποκριταὶ τὸν ἴαμβον προσέθηκαν ὑπονοήσαντες εἶναι τὴν γραφήν· νῦν δὴ τίς ἄλλη, καὶ ἀντὶ τοῦ συγκριτικοῦ δυστυχεστάτη φησίν: — ubi pro φησίν aut γραπτέον aut simile quid sensus requirit.

Itaque sic isti locum corruperant, ut scriberetur:

νῦν δὴ τίς ἄλλη δυστυχεστέρα γυνὴ
ἐμοῦ πέφυκε καὶ γενήσεταί ποτε;

quae quam vitiosa sint sentimus omnes, at isti non multum videntur curasse. De histrionibus carmina Tragicorum temere refingentibus et spurios versus affingentibus egregia est Valckenaerii adnotatio ad Phoenissas vs. 1286. Luculenta imprimis est antiqui Critici, Aristophanis Byzantini, ut opinor, σημείωσις ad Oresten vs. 1366—1368. tres senarios ab histrionibus assutos redarguentis et causam fraudis peracute aperientis. Fecerat Euripides Phrygem de summa regia, ut necem effugeret, praecipitem se dantem, idque ipsum in summa trepidatione fecisse se clamantem. Lepidi histriones, qui malebant per ostium exire foras quam de alto tecto desilire, ut id satis commode facere possent tres senarios conflarunt hosce:

ἀλλά, κτυπεῖ γὰρ κλῇθρα βασιλείων δόμων,
σιγήσατ', ἔξω γάρ τις ἐκβαίνει Φρυγῶν,
οὗ πευσόμεσθα τἀν δόμοις ὅπως ἔχει.

caetera tamen intacta reliquerunt, unde fraus perpluit: ἐξ ὧν

δὲ αὐτοὶ λέγουσιν ἀντιμαρτυροῦσι τῇ διὰ τῶν θυρῶν ἐξόδῳ. Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν ἑξῆς ὅτι ὑπερπεπήδηκεν. Senarii autem sunt eiusmodi ut facile sit cuivis tales pangere, quo magis suspicaces esse debemus ecquid forte novae fallaciae alicubi delitescat. Idem locus indicio est, quam sint vetustae interpolationes: nam qui hanc patefecit non librorum auctoritate ulla, sed sana ratione ductus rem demonstravit: τούτους δὲ τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι, inquit, ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ὑποκριτῶν, οἵτινες ἵνα μὴ κακοπαθῶσιν ἀπὸ τῶν βασιλείων καθαλλόμενοι παρανοίξαντες ἐκπορεύονται τὸ τοῦ Φρυγὸς ἔχοντες σχῆμα καὶ πρόσωπον ὅπως διὰ θυρῶν εὐλόγως ἐξιόντες φαίνωνται. Non multo meliora sunt quae iidem alibi designasse dicuntur; in his notandum quod priscum aliquod vocabulum Atticum in tritissimum aliud mutarunt in Phoenissis vs. 264.

μή με δικτύων ἔσω
λαβόντες οὐκ ἐκφρῶσ' ἀναίμακτον χρόα.

ubi οἱ ὑποκριταὶ (teste Scholiasta) μεταπλάττουσι τὴν λέξιν. Substituerunt enim οὐ μεθῶσ' ἀναίμακτον χρόα, pessime, ut vides. Sed missis histrionibus alia exempla versuum suppositorum colligamus. In Euripidis Electra vs. 651. optime expunxerunt:

[λέγ', ὦ γεραιέ, τάδε Κλυταιμνήστρᾳ μολών.]
λεχώ μ' ἀπάγγελλ' οὖσαν ἄρσενος τόκου.

hoc vero erat κλώθειν ἀσύγκλωστα, et vs. 678.

σύ τ', ὦ κάτω γῆς ἀνοσίως οἰκῶν, πάτερ,
[καὶ Γῆ τ' ἄνασσα χεῖρας ᾗ δίδωμ' ἐμάς,]
ἄμυν', ἄμυνε τοῖσδε φιλτάτοις τέκνοις.

optime fecit, qui Γῆν ἄνασσαν abesse iussit: vide autem quam belle dicatur χεῖρας ᾗ δίδωμ' ἐμάς, si quis, quod in tali re solebant, tellurem graviter manibus percutit, quod χερσὶν ἀλοιᾶν dicit Homerus Iliad. IX. 568, ubi Aristonicus: ἡ διπλῆ ὅτι οἱ τοὺς χθονίους θεοὺς ἐπικαλούμενοι ταῖς χερσὶ τὴν γῆν ἐπέκρουον. Meliorem etiam causam habet, qui in Hippolyto 1028.

ἦ τἄρ' ὀλοίμην ἀκλεὴς, ἀνώνυμος,
[ἄπολις, ἄοικος, φυγὰς ἀλητεύων χθόνα,]
καὶ μήτε πόντος, μήτε γῆ δέξαιτό μοι
σάρκας θανόντος.

censuit secundum senarium hinc removendum esse: et profecto adversis paene frontibus concurrunt ista inter sese, ut qui his utatur illis necessario debeat abstinere. Est tamen Euripidis versiculus bonae notae:

ἄπολις, ἄοικος, φυγὰς ἀλητεύων χθόνα,

sed aliunde a nescio quo propter aliquam argumenti similitudinem in margine adscriptus. Etiam olim multi fuere, quos mirifice iuvaret locos similes reperisse. Malum factum quod tam saepe ex ora libri sese in alienam sedem insinuabant. Non alibi melius iste error deprehensus est quam apud Aeschylum in Persis vs. 253:

ὤμοι, κακὸν μὲν πρῶτον ἀγγέλλειν κακά,

ubi in ora codicis Medicei adscriptum est:

στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

qui versus in Apographis receptus est in Aeschyli textum: pessime, nam Sophocleus est ex Antigone 277, ut viri docti monuerunt. Sic ad Prometheum vs. 155: σύθην δ᾽ ἀπέδιλος annotavit aliquis: γείτονες ἄζωστοι ἔκιον: nemo autem paulo doctior nesciebat Hesiodeum O. et D. 345:

γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.

Sic ibid. ad vs. 378.

ὀργῆς ζεούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

adscripsit nescio quis versiculos Menandreos:

λόγος γὰρ ἀνθρώποισιν ἰᾶται νόσους,
ψυχῆς γὰρ οὗτος μόνος ἔχει θελκτήρια.

et similiter passim. Non aliter interpolatus est locus in Phoenissis vs. 555.

οὔτοι τὰ χρήματ᾽ ἴδια κέκτηνται βροτοί,
τὰ τῶν θεῶν δ᾽ ἔχοντες ἐπιμελούμεθα,
ὅταν δὲ χρήζωσ᾽, αὔτ᾽ ἀφαιροῦνται πάλιν.

recordatus est ad haec aliquis senarii Euripidei:

ὁ δ᾽ ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ᾽ ἐφήμερος,

eumque in margine apposuit: deinde in textum irrepsit donec Valckenaerius errorem patefecit, qui permultos alios in praestantissima Tragoedia singulari acumine primus animadvertit et certis argumentis confixit, vid. Phoeniss. vss. 756, 946, 1362. 1369—1371, 1376, 1430, 1465 et 1634. deinde alia

alii indicarunt. Quis non assentiatur Dobraeo in Troadibus vs. 103:

πλεῖ κατὰ πορθμόν, [πλεῖ κατὰ δαίμονα,]
μηδὲ προςίςη πρῷραν βιότου
πρὸς κῦμα πλέουσα τύχαισιν.

expungenti πλεῖ κατὰ δαίμονα? Aliquanto etiam magis puerile et insulsum additamentum est quod idem primus deprehendit vs. 235:

Ἑκάβη, πυκνὰς γὰρ οἶσθά μ' εἰς Τροίαν ὁδοὺς
ἐλθόντα κήρυκ' ἐξ Ἀχαϊκοῦ ςρατοῦ,
[ἐγνωσμένος δὲ καὶ πάροιθέ σοι, γύναι,]
Ταλθύβιος ἥκω καινὸν ἀγγελῶν ἔπος.

poteratne, quaeso, ineptior versus inseri? In Helena recte idonei iudices damnarunt vs. 780:

φεῦγ' ὡς τάχιςα τῆσδ' ἀπαλλαχθεὶς χθονός.

et putidissimum vs. 905:

ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος ἄδικός τις ὤν,

qui ne est quidem senarius sed ςίχος πολιτικός, quales faex Graeculorum pangere solebat. Rectissime Badham eliminavit vs. 1008:

πειράσομαι δὲ παρθένος μένειν ἀεί,

quovis poëta etiam mediocri indignum. Ipse in superioribus indicavi vs. 504. eiusdem fabulae:

Μενέλαος οὐκ ἄγνωςος ἐν πάσῃ χθονί,

a mala manu imperiti Graeculi profectum esse mihi videri, et spurium item esse vs. 752:

εἴποις ἂν οὕνεχ' ὁ θεὸς οὐκ ἐβούλετο,

qui aperte poëtae obloquitur, ut nonnulla additamenta sunt eorum, qui scriptoribus, quos legunt, obiiciunt aliquid aut responsant: quae res nisi statim animadvertitur mirificas et iucundissimas ἀλογίας parere potest. Scitus et lepidus homo fuit, qui in suo Euripidis codice ad Orestae versum 547.

ἄνευ δὲ πατρὸς τέκνον οὐκ εἴη ποτ' ἄν.

adscripsit indignabundus:

ἄνευ δὲ μητρὸς πῶς, κάθαρμ' Εὐριπίδη;

et alius:

ἄνευ δὲ μητρὸς οὐδὲ συλλαβὴ τέκνου,

quae nemo unquam, uti spero, recipiet in textum. Non teneo

me quin adscribam locum ex Theognidea farragine, in quo huiusmodi errore turbatum est. Dixerat poëta vs. 1153:

εἴη μοι πλουτεῦντι κακῶν ἀπάτερθε μεριμνέων
ζώειν ἀβλαβέως μηδὲν ἔχοντι κακόν.

nescio quis, cui sua paupertas satis placebat et poëtae φιλοπλουτία displicebat, obloquitur et sic illam sententiam παρῳδεῖ:

οὐκ ἔραμαι πλουτεῖν οὐδ' εὔχομαι, ἀλλά μοι εἴη
ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων μηδὲν ἔχοντι κακόν.

rectissime ille quidem et ex animo assentior, sed quid iis facias, qui eundem hominem uno tenore plane contraria sibi exoptantem induxerunt?

Plura similia iis, quae attulimus, ex caeteris Euripidis fabulis colligere pro se quisque poterit: adiiciam unum ex Sophoclis Philocteta vs. 1363:

χρῆν γάρ σε μήτ' αὐτόν ποτ' ἐς Τροίαν μολεῖν
ἡμᾶς τ' ἀπείργειν, οἵ γέ σου καθύβρισαν
πατρὸς γέρας συλῶντες, [οἳ τὸν ἄθλιον
Αἴανθ' ὅπλων σοῦ πατρὸς ὕστερον δίκῃ
'Οδυσσέως ἔκριναν] εἶτα τοῖσδε σύ
εἶ ξυμμαχήσων.

Quis non planissime assentiatur Brunckio, optimo poëtarum iudici et ingeniorum spectatori, (quales Gallia complures ferre posset propter insitam genti venustatem et elegantiam, nisi sic ab imperitis praeceptoribus ingeniosa iuventus Graecas litteras doceretur, ut nihil umquam discere possit), quis, inquam, a Brunckio admonitus non concedet expungenda esse ea quae a caeteris distinximus »quae olim ab homine ineptissimo inserta fuerunt." Verissime monet ipsum colorem adsuti centonis mangonem arguere et ignorare Sophoclem et Sophoclis stilum, si quis eum ista scribere potuisse opinetur. Sed plane eadem dici debent de emblemate manifesto in Sophoclis Aiace vs. 839:

καί σφας κακοὺς κάκιστα καὶ πανωλέθρους
ξυναρπάσειαν ὥσπερ εἰσορῶσ' ἐμέ.
[αὐτοσφαγῆ πίπτοντα, τὼς αὐτοσφαγεῖς
πρὸς τῶν φιλίστων ἐκγόνων ὀλοίατο.]

quae olim Criticorum antiquorum aliquis spuria et παρεμβεβλημένα esse intellexit et pronuntiavit. Testis est vetus

Scholiastes: ταῦτα δὲ νοθεύεσθαί φασιν ὑποβληθέντα πρὸς σαφήνειαν τῶν εἰρημένων. Mirifica haec est σαφήνεια, quae omnia impedita et turbida reddidit. Nempe ellipsin ὥσπερ εἰσορῶσ' ἐμέ explendo volebant σαφηνίζειν. Ut omnia clara luce splendeant dele duos senarios re et oratione putidissimos et de Sophocle optime meritus eris. Mirari subeat esse istiusmodi emblemata tam vetusta, nam νοθείας suspicio ab Alexandrino aliquo Critico mota est, et eius rei obscura quaedam memoria per Didymum servata ad nos permanavit. Poteramus tamen absque illo auxilio fuisset tam foedam fraudem ipsi animadvertere et sentire. Duobus aliis locis apud Sophoclem antiqui Critici facem praeferunt, ad quam lucem veteres impostorum fallacias deprehendere et convincere possimus. In Antigone legitur vs. 44.

ΙΣΜ. ἦ γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ' ἀπόρρητον πόλει;
ΑΝΤ. τὸν γοῦν ἐμὸν καὶ τὸν σόν, ἢν σὺ μὴ θέλῃς,
ἀδελφόν. οὐ γὰρ δὴ προδοῦσ' ἁλώσομαι.

Scholiastes: Δίδυμος δέ φησιν ὑπὸ τῶν ὑπομνηματιστῶν τὸν ἑξῆς στίχον (vs. 46.) νενοθεῦσθαι. Rectissime ille vidit, quisquis est: hausit ea Didymus ex antiquis Alexandrinorum, Aristophanis et Aristarchi, commentariis, ex quibus utinam plura superessent.

Quae nunc supersunt magnam partem non admodum antiqua sunt et auctores habent ingenii obtusioris, qui quidquid in libris est et probant et interpretantur et admirantur (in quo genere nil *volentibus* arduum), nec curant fidem lectionum aestimare et nullam interpolationis suspicionem temere negligere. Antiquorum haec cura fuit, in quibus iudicandi erat sollertia et vera a falsis secernendi studium. Insigne est huius rei documentum in loco Oedipodis Colonei vs. 237—257. ubi viginti versus sunt spurii et insiticii, nihil referentes splendidum illud Sophocleum eloquium, sed χαμαίζηλα sunt omnia et τοῖς τυχοῦσιν ὀνόμασι concepta et oeconomiam fabulae conturbant. Senserunt hoc probe Veteres, ex quorum commentariis haec tenuis rei notitia nescio quomodo ad nos permanavit: τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον καὶ τοῦ χοροῦ τὸ τετράστιχον ἀθετοῦνται. — Κρεῖττον γάρ, φασίν, εὐθέως τῷ δικαιολογικῷ χρήσασθαι τὸν Οἰδίπουν πρὸς αὐτούς. Miror, inquam, quomodo

haec ad nos pervenerint, nam qui solus ea servavit Scholiastes cum contemtu illam suspicionem abiicit et ita tuetur locum ut eum rectissime se habere affirmet et Sophocleum vigorem referre et optime his et opportune misericordiam commoveri. Istis iudicibus nihil non antiquis scriptoribus obtrudi potest. Praeterea illis opponit Didymi auctoritatem: οὐδὲν δὲ ἐν τοῖς Διδύμου τούτων ὀβελισθὲν εὕρομεν, quasi perinde esset in talibus Didymum testem producere et Aristophanem Byzantinum cum Aristarcho. Ne his quidem ipsis credi posset ipsius Sophoclis hos versus esse:

ἀλλ' ἴσθι, τέκνον Οἰδίπου, σέ τ' ἐξ ἴσου
οἰκτείρομεν καὶ τόνδε συμφορᾶς χάριν,
τὰ δ' ἐκ θεῶν τρέμοντες οὐ σθένοιμεν ἂν
φωνεῖν πέρα τῶν πρὸς σὲ νῦν εἰρημένων.

»Ignorat Sophoclem et Sophoclis orationem, qui eum ita scribere potuisse opinatur." Nullo negotio ipsi senarios meliores pangere possemus. Itaque haec omnia auctori suo reddemus et si qua alia istius generis in summo poëta occurrunt cavebimus. Et apparet statim in vicinia loci, de quo modo dicebamus, in Aiace vs. 852. non minus foeda et evidens interpolatio:

ἀλλ' οὐδὲν ἔργον ταῦτα θρηνεῖσθαι μάτην,
[ἀλλ' ἀρκτέον τὸ πρᾶγμα σὺν τάχει τινί.]
ὦ θάνατε, θάνατε, νῦν μ' ἐπίσκεψαι μολών.

quae non σὺν τάχει τινί (quod nihil significat) sed ὡς τάχιστα eiicienda est et sensu et verbis putidissima interpolatio. Iisdem indiciis arguitur fraus similis in Andromache vs. 808:

πόσιν τρέμουσα μὴ 'ντὶ τῶν δεδραμένων
ἐκ τῶνδ' ἀτίμως δωμάτων ἀποσταλῇ.
[ἢ κατθάνῃ κτείνασα τοὺς οὐ χρῆν κτανεῖν.]

quae male abundantia nescio quis addidit de suo verbis tam vitiosis ut una litura sananda sint. Pauca verba lectoris importune irrepserunt in Iphig. Aulid. 23:

τοῦτο δέ γ' ἐστὶν τὸ καλὸν σφαλερόν.
[τό τε φιλότιμον]
γλυκὺ μὲν λυπεῖ δὲ προσιστάμενον.

adscripserat aliquis τὸ φιλότιμον ad explicandum quid esset τοῦτο τὸ καλὸν, idque sese postea in poëtae orationem insinua-

vit. Admonet me illud vocabulum turpissimi erroris, qui pulcherrimum Xenophontis locum commaculat, quem quid vetat in transcursu indicare? Legitur in Hellenicis IV. i. § 37. ubi Pharnabazus Agesilao ad defectionem se sollicitanti candidissime sic respondet: *ἐὰν βασιλεὺς ἄλλον μὲν ϛρατηγὸν πέμπῃ, ἐμὲ δὲ ὑπήκοον ἐκείνου τάττῃ, βουλήσομαι ὑμῖν καὶ φίλος καὶ σύμμαχος εἶναι· ἐὰν μέντοι μοι τὴν ἀρχὴν προϛάττῃ, τοιοῦτόν τι, ὡς ἔοικε, φιλοτιμία ἐϛὶν, εὖ χρὴ εἰδέναι ὅτι πολεμήσω ὑμῖν ὡς ἂν δύνωμαι ἄριϛα.* Non poterat, ut opinor, apertius respondere. Dixerat autem sic: *ἐὰν μέντοι ἐμοὶ τὴν ἀρχὴν προϛάττῃ, εὖ χρὴ εἰδέναι κτέ.* Qui haec olim legebat quod sibi inter legendum venerat in mentem in libri sui ora annotavit: *τοιοῦτόν τι, ὡς ἔοικεν, ἡ φιλοτιμία ἐϛίν*, idque multo magis ad priorem dicti partem quam ad posteriorem pertinebat, ut manifestum est. Nunc, postquam ea annotatiuncula in textum irrepsit, Pharnabazus stolide ea dixisse videtur, quae quilibet alius mortalium in tali re potius quam ipse dicere debuisset. Si quis ad haec Xenophontis librum evolvit in eadem parte historiae tres alios librariorum errores videat an mecum agnoscat et eodem modo emendare velit: quod in § 35. editur: *εἰ μὲν ἀλλάξασθαί σε ἔδει ἀντὶ δεσπότου βασιλέως ἡμᾶς δεσπότας οὐκ ἂν ἔγωγέ σοι συνεβούλευον*, expuncto uno vocabulo facias ut Graeca et Xenophonte digna sit oratio: lege: *ἀντὶ βασιλέως ἡμᾶς δεσπότας.* In § 36: *καίτοι εἰ ἅμα ἐλεύθερός τ' εἴης καὶ πλούσιος γένοιο, τίνος ἂν δέοιο μὴ οὐχὶ πάμπαν εὐδαίμων εἶναι*; verbum *δέομαι* sententiae non convenit, neque cum infinitivo eo sensu coniungitur, sed *πρὸς τὸ εὐδαίμων εἶναι* fuerat dicendum. Suspicor olim in libris fuisse non ΔΕΟΙΟ sed ΔΕΟΙϹ scribendumque esse *τίνος ἂν δέοις — εἶναι*; ut *πολλοῦ δέω, ὀλίγου δέω, τοσούτου δέω — εἶναι* dicebant omnes. Omnem scrupulum eximet Euripides in Troadibus vs. 792:

τίνος ἐνδέομεν μὴ οὐ πανσυδίᾳ
χωρεῖν ὀλέθρου διὰ παντός;

Tertius error est in § 38: *εἴθ', ὦ λῷϛε, σὺ τοιοῦτος ὢν φίλος ἡμῖν γένοιο*, satis est dixisse ea verba sic constituenda esse: *εἴθ', ὦ λῷϛε σύ, τοιοῦτος ὢν κτέ.* quemadmodum *ὦ πονηρὲ σύ, ὦ μοχθηρὲ σύ, ὦ βέλτιϛε σύ*, alia, omnibus erat usitatum dicere. Redeo ad Euripidem, sed ut ex eius loco *γλυκὺ μὲν*

λυπεῖ δὲ προσιστάμενον remedium quaeram ad alium Xenophontis locum sanandum, qui legitur in Hierone VI. 16. Editur: *καὶ τἄλλα γε κτήματα, ὅσα χαλεπὰ μὲν χρήσιμα δ' ἐστὶν, ὁμοίως ἅπαντα λυπεῖ μὲν τοὺς κεκτημένους, λυπεῖ δὲ ἀπαλλασσομένους.* Comparato dicto Euripidis non erit mihi multis verbis opus ut vincam Xenophontem scripsisse *λυπεῖ δὲ ἀπαλλασσόμενα*, quandoquidem non *οἱ κεκτημένοι* dicuntur *ἀπαλλάσσεσθαι*, sed *τὰ κτήματα*, ut apud Homerum:

λεύσσετε γὰρ τόδε πάντες ὅ μοι γέρας ἔρχεται ἄλλῃ.

et saepe Graeci veteres ea forma orationis utuntur: Eusebius apud Stob. Floril. X. 30. *Φιλοχρηματίην ἄλογον τὰ κτώμενα ἀποβαλλόμενα μᾶλλον ἀνύσειεν ἢ ὁ ἐφ' ἑκάστῃ ἡμέρῃ πλοῦτος ἄπλετος ἐπιγιγνόμενος*, ubi nunc quoque placet *ἂν σβέσειεν* pro *ἀνύσειεν* prae Meinekii coniectura *ἂν στήσειεν.* Optime nunc utitur *extinguendi* notione, non *sistendi*, quia modo dixerat: *Φιλοχρηματίην - ἐπιρρέων πλοῦτος οὐχ ἵστησιν ὥσπερ οὐδὲ πυρκαϊὴν ὕλη ἐπιβαλλομένη.* Praeterea scribe *τὰ κτήματα ἀποβαλλόμενα*, quod exquisite dicitur pro *ἡ ἀποβολὴ τῶν κτημάτων.* His duos alios Euripidis locos addere iuvat, quibus aliquid a mala manu adglutinatum est. In Troadibus vs. 111:

τί με χρὴ σιγᾶν;
[τί δὲ μὴ σιγᾶν;] τί δὲ θρηνῆσαι;

duarum rerum non trium miserae optio est. In Hippolyto 68:

ναίεις εὐπατέρειαν αὐλάν
Ζανὸς πολύχρυσον οἶκον,

unum verbum a sciolo adscriptum locum corrupit: expuncto *οἶκον*, quod olim ad *αὐλάν* appositum est, versus sic constitue:

ναίεις εὐπατέρειαν αὐ-
λὰν Ζανὸς πολύχρυσον.

CAPUT V.

Multo etiam peius et crebrius quam Poëtarum monumenta eodem genere vitiorum infecta sunt Historicorum scripta et Oratorum, quae quum in omnium manibus essent multum olim collegere sordium, quas aliqua certe ex parte abluere et abstergere animus est. Varia admodum fortuna usi sunt egregii

scriptores, qui ex communi Litterarum naufragio evaserunt. Xenophontis codicibus utimur deterioribus neque antiquis neque integris; Thucydidis aliquanto melioribus et quibusdam pervetustis, quamquam et illi scatent vitiis sed levioribus et quae sanari possint: Herodoti et veterrimos et integerrimos libros habemus superstites: insunt in iis quoque omnibus menda complura et quaedam foediora, sed permagna pars Herodoti emendatissima legitur. Emblemata et additamenta et glossemata in omnibus omnium libris sunt, suntque pervetusta nullo non codice longe longeque antiquiora, in quibus sunt quaedam tam manifesta ut nemo dubitare possit praeter eos qui harum rerum prorsus ignari et intelligendi facultate destituti tamen invita natura et Musis iratis de artis criticae inventis iudicant. Atque hi quidem fruantur quod ament, *τὸ δ' εὖ νικάτω.* In Herodoto sat multa interpolata sunt: plura etiam in Xenophonte et insigniora, sed pessime habitus est Thucydides, in cuius oratione sobria et concisa inficeta emblemata multo sunt molestiora quam in Xenophontis nativa simplicitate et in lactea ubertate Herodoti. Faciam ab Hellenicis initium, deinde Thucydidem percurram et in Herodoto desinam. Multos iam antea Xenophontis locos ea labe infectos subinde tractavi: nunc Hellenica ordine diligenter relegam et ut quodque inciderit fraudis indicium aut suspicio quam potero brevissime notabo.

Interpolatum est nomen proprium in Hellen. I. I. 31. *Ἑρμοκράτης — εὐδόξει λέγειν τε δοκῶν καὶ βουλεύειν τὰ κράτιστα, κατηγορήσας δὲ Τισσαφέρνους ἐν Λακεδαίμονι [Ἑρμοκράτης]*, nihil est istiusmodi mendis frequentius et vix capimus tarditatem et fatuitatem eorum, quibus emblemata id genus imputanda sunt. Ibid I. I. 33. *παρὰ τὸ Λύκειον [γυμνάσιον]*, multis demum annis post Xenophontis aetatem tam notum et nobile nomen potuit istam interpretationem elicere. Evasit IV. IV. 4. *ἐν τῷ Κρανείῳ*, ubi miror non esse adscriptum *γυμνασίῳ*, aut *οὕτω καλουμένῳ γυμνασίῳ.* Sed adscriptum est ineptissime II. II. 8. ubi unum omnium nobilissimum gymnasium nominatur: *ἐστρατοπέδευσεν ἐν τῇ Ἀκαδημείᾳ [τῷ καλουμένῳ γυμνασίῳ]*, haeccine tu Xenophontem ipsum scripsisse putas? Evasit VI. V. 49. *ἐν Ἀκαδημείᾳ δειπνοποιεῖσθαι.* Utrobique perpetuum fere vitium in hoc nomine *Ἀκαδημίᾳ* Dindorf sustulit. In I. II. 4. *διε-*

σπαρμένους [ὄντας] τοὺς φίλους ἐδίωκον, palam est ὄντας sic positum sanum esse non posse, itaque aut delendum est aut in ἰδόντες mutandum. In I. IV. 4. recte censuere viri docti expungenda esse verba τὸ δὲ κάρανον ἐστι κύριον, quae verba miror quomodo retinuerit Dindorfius. Si neminem hoc movet quod otiosa sunt et supervacua et prorsus inutilia, at dicendi genus clamat ea verba esse interpolata. Quis Veterum sic loquitur? Quis κύριον eo sensu sic posuit umquam? quasi vero κύριος et δεσπότης dicere perinde esset, et δεσπότης de eo, qui cum imperio est, dici posset. In I. IV. 15. λέγοντες οἱ μὲν ὡς κράτιστος εἴη τῶν πολιτῶν καὶ μόνος [ἀπελογήθη ὡς] οὐ δικαίως φύγοι, ἐπιβουλευθεὶς δὲ ὑπὸ τῶν ἔλαττον ἐκείνου δυναμένων, nescio unde male huc pedem intulerint importuna verba ἀπελογήθη ὡς, quibus deletis omnia rectissime procedunt. Attici omnes dicebant ἀπελογήσατο et deterrimus quisque sequiorum forma vitiosa ἀπελογήθη utitur. Praeterea scribendum ἐπιβουλευθείη pro ἐπιβουλευθείς, cuiusmodi error saepe mihi animadversus est. Miror Schneiderum annotantem: »ἐπιβουλευθείς] scil. εἴη." Quis huiusmodi quid vidit umquam aut fieri potuisse intelligit? Neque εἴη omitti potest et ἐπιβουλευθεὶς εἴη ridiculum est. In solis perfectis ita loquebantur auri consulentes. Vide I. IV. 2. πεπραγότες εἶεν et I. V. 2. ἔλεγον ἃ πεποιηκὼς εἴη et passim alibi. Eiusdem erroris duo alia exempla haec vide: apud Athen. XIII. p. 600. λέγει δὲ καὶ ὁ Ἀλκμὰν ὡς τῆς Μεγαλοστράτης συμμέτρως ἐρασθείς, viden ἐρασθείη requiri? Praeterea novum et inauditum amoris genus est τὸ συμμέτρως ἐρᾷν. Novimus quid sit ἐρᾷν μετρίως, sed συμμέτρως quid sit in ea re scire equidem arbitror neminem. Emenda: οὐ μετρίως ἐρασθείη, quod non est in poëta mirandum, praesertim in eo poëta, quem constet fuisse ἀκόλαστον περὶ τὰς γυναῖκας, teste Archyta apud Athen. l. l.

Alterum exemplum est in Herodoto III. 27. οἱ δὲ ἔφραζον ὡς σφι θεὸς εἴη φανεὶς διὰ χρόνου πολλοῦ ἐωθὼς ἐπιφαίνεσθαι. Pro ΕΙΗΦΑΝΕΙΣ emenda ἐπιφανείη. Quis serio credet pro φανείη dici posse εἴη φανείς? Postquam ΕΠΙ in ΕΙΗ abiit corrector locum restituit scilicet. In Hellen. IV. I. 40. pro ἐγκριθείη in Cod. Marciano ἐγκριθείς scriptum est, et alibi saepe idem mendum recurrit.

In I. iv. 15. ὑπ' ἀμηχανίας [δουλεύων] ἠναγκάσθη, haeccine pro Graecis haberi! Quid notius quam ὑπ' ἀμηχανίας pro οὐκ ἔχων ὅ τι ποιοίη vel οὐκ ἔχων ὅ τι χρήσαιτο ἑαυτῷ. Compara Aristophanis locum in Avibus 474.

γῆν δ' οὐκ εἶναι, τὸν δὲ προκεῖσθαι πεμπταῖον, τὴν δ' ἀποροῦσαν
ὑπ' ἀμηχανίας τὸν πατέρ' αὐτῆς ἐν τῇ κεφαλῇ κατορύξαι.

In I. iv. 22. τῆς 'Ανδρίας [χώρας] εἰς Γαύρειον constanti omnium usu in talibus χώρας omittitur. Eodem modo ἡ Κνιδία, ἡ 'Ροδία cet. saepe etiam in Hellenicis nominatur.

In libro I. v. 16. οἱ δ' ἐν οἴκῳ 'Αθηναῖοι, quam ridicule dicitur ἐν οἴκῳ. Emenda οἱ δ' οἴκοι 'Αθηναῖοι, qui recte opponuntur τοῖς ἐξεϛρατευμένοις καὶ ἀποδημοῦσιν. Aliquoties idem error recurrit. Recte scriptum est I. vi. 8. τοῖς οἴκοι ἄρχουσι πείθεσθαι et III. ii. 6. ἀπὸ τῶν οἴκοι τελῶν et aliis locis. Simili errore scribitur alibi ἐν 'Ισθμῷ pro 'Ισθμοῖ, ἐν Πυθοῖ pro Πυθοῖ, et passim adverbiis loci Μαραθῶνι, 'Ραμνοῦντι, 'Ελευσῖνι similibusque indocti Graeculi praepositionem ἐν perperam addiderunt.

Ibid. I. vi. 2. Lysander quum Callicratidae classem traderet iactabundus ita dixit: ὅτι θαλαττοκράτωρ τε παραδιδοίη καὶ ναυμαχίᾳ νενικηκώς, ubi obiter emenda θαλαττοκρατῶν. Successor urbane istam iactantiam refutans ἐκέλευσεν ἐξ 'Εφέσου ἐν ἀριϛερᾷ Σάμου παραπλεύσαντα ἐν Μιλήτῳ παραδοῦναι τὰς ναῦς καὶ ὁμολογήσειν θαλαττοκρατεῖν. Nescire nemo potest qui superiora legerit quo haec spectent: stabat illic Attica classis, quae paulo ante cautum Lysandrum ad pugnam frustra lacessiverat. Sciolus igitur in ora libri annotavit: οὗ ἦσαν αἱ τῶν 'Αθηναίων νῆες, quae annotatiuncula post παραπλεύσαντα in textum irrepsit. Deinde qui situm locorum diligenter animadvertit dabit mihi περιπλεύσαντα a Xenophonte scriptum esse non παραπλεύσαντα. Ib. I. vi. 15. Κόνωνι δὲ εἶπεν ὅτι παύσει αὐτὸν μοιχῶντα τὴν θάλατταν, quid, an haec Cononi dixit Callicratidas? Ergo una fuerunt et inter se collocuti sunt. Numquam hoc factum est. Corrige Κόνωνα δὲ εἶπεν et αὐτόν expunge. Mirati homunciones quomodo dictum esset Κόνωνα δὲ εἶπεν ὅτι παύσει turbas dederunt. Eadem de causa labem concepit locus VII. iii. 11: ὅϛις δὲ ἄνευ κοινοῦ τῶν συμμάχων δόγματος κατέρχεται [φυγὰς] τοῦτον ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν ὅπως οὐ δίκαιόν ἐϛιν

ἀποθνήσκειν; Emenda *οὐ δίκαιός ἐστιν.* Vides quid errorem pepererit. Praeterea quis credit *φυγάς* retineri posse? *ὅστις κατέρχεται* satis, opinor, est Graece scientibus. *Δίκαιός εἰμι*, quae usitatissima Atticis locutio est, restituendum est Andocidi in loco pessime corrupto Orat. IV. § 36. *οὐδὲ τοσαυτάκις ἀγωνιζόμενος [δικαίως] καὶ νικήσας δόξαιμι δι' ἐκεῖνα ἐκπεσεῖν*, expuncto *δικαίως* emenda *νικήσας δίκαιός εἰμι.*

In Hellen. I. vi. 16. *ὑποτεμνόμενος τὸν εἰς Σάμον πλοῦν [ὅπως μὴ ἐκεῖσε φύγοι]*, non satis assequebantur sequiores quid esset *ὑποτεμνόμενος τὸν πλοῦν.* Photius perperam interpretatur in v. *Ὑποτεμνόμενος τὸν πλοῦν: ἀντὶ τοῦ διὰ τῶν συντομωτάτων πλέων ἵνα καταλάβῃ τὸν διωκόμενον. οὕτω Ξενοφῶν φησίν.* Melius intellexit sciolus qui adscripsit olim [*ἵνα μὴ ἐκεῖσε φύγοι*], quae si in suo codice invenisset is quem Photius descripsit, in eum errorem quem commisit implicatus numquam esset. Ibid. I. vi. 24. *εἰσβιβάζοντες τοὺς ἐν [τῇ] ἡλικίᾳ [ὄντας] ἅπαντας*, equidem soleo Athenienses *οἱ ἐν ἡλικίᾳ* audire dicentes. Ibid. I. vi. 35. *ταῦτα δὲ βουλομένους ποιεῖν ἄνεμος καὶ χειμὼν διεκώλυσεν [αὐτοὺς] μέγας γενόμενος.* Neque Graece neque Latine in talibus pronomini locus est, quod scribae tamen saepe addunt de suo, praesertim genitivis. In sq. § 36. expunge articulum in [*ὁ*] *ὑπηρετικὸς κέλης* et mox *ὅτι* in verbis *καὶ [ὅτι] αἱ τῶν Ἀθηναίων νῆες ἀπολώλασιν ἅπασαι.* Ib. I. vii. 4. *ἐπιστολὴν ἐπεδείκνυ ἣν ἔπεμψαν οἱ στρατηγοὶ εἰς τὴν βουλὴν καὶ [εἰς] τὸν δῆμον*, expuncto altero *εἰς* emendandum est *πρὸς τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον.* Saepe et apud alios et apud Xenophontem perperam *εἰς* legitur ubi *πρός* requiritur et contra. Quis ferre potest *διαβάλλειν εἴς τινα, εἰσαγγέλλειν εἴς τινα* et similia? Rectissime emendavit Dindorf III. i. 16. *ἠξίου — εἰς τὰ τείχη δέχεσθαι* pro scriptura omnium librorum *πρὸς τὰ τείχη.* Non animadvertit idem vitium III. v. 2. *οἱ μὲν δὴ δεξάμενοι τὰ χρήματα εἰς τὰς οἰκείας πόλεις διέβαλλον τοὺς Λακεδαιμονίους*, imo vero *πρὸς τὰς οἰκείας πόλεις.* Plura de genere hoc alias diligenter exponam. In § 5. *καὶ εἴπερ γέ τινας δέοι περὶ τῆς ἀναιρέσεως οὐδένα ἄλλον ἔχειν [αὐτοὺς] αἰτιάσασθαι ἢ τούτους οἷς προσετάχθη*, additum *αὐτούς* orationem soloecam facit, deinde Attico more suadente sententia scribendum *ἢ τοὺς οἷς προσετάχθη.* Idem vitium in Isocrate inolevit IX. 6. *ὥσθ' ἥδιον*

ἂν εὐλογουμένων ἀκούοιεν οὓς οὐκ ἴσασιν εἰ γεγόνασιν ἢ τούτους ὑφ' ὧν εὖ πεπονθότες αὐτοὶ τυγχάνουσιν, imo vero ἢ τοὺς ὑφ' ὧν. Plura exempla locorum eodem modo corruptorum ad Demosthenem annotabimus.

In Hellen. II. I. 31. κατηγορίαι ἐγίγνοντο πολλαὶ τῶν Ἀθηναίων — καὶ ἃ ἐψηφισμένοι ἦσαν [ποιεῖν], εἰ κρατήσειαν τῇ ναυμαχίᾳ, τὴν δεξιὰν χεῖρα ἀποκόπτειν τῶν ζωγρηθέντων, legendum est καὶ ὅτι ἐψηφισμένοι ἦσαν, quo facto statim ποιεῖν interpolatum esse intelligitur. In II. II. 13. verba [πλησίον τῆς Λακωνικῆς] ineptum indocti lectoris additamentum esse iam alias admonui, et in § 20. veram lectionem esse πόλιν Ἑλληνίδα μέγα ἀγαθὸν ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένην τῇ Ἑλλάδι, non quod in plerisque libris est μέγα ἀγαθὸν [εἰργασμένην] ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένοις τῇ Ἑλλάδι. Unice tamen probat hanc scripturam Dindorfius, cui *verissimam esse ne dubitandum quidem* videtur. Assentiar, ubi quis monstraverit Graece dici ποιεῖν vel ἐργάζεσθαι μέγα ἀγαθόν eo sensu, quem hic locus postulat, et οἱ μέγιστοι κίνδυνοι ἐγένοντο τῇ Ἑλλάδι pro ἡ Ἑλλὰς εἰς τοὺς μεγίστους κινδύνους κατέστη, et articulum abesse posse in verbis τοῖς μεγίστοις κινδύνοις (τοῖς) γενομένοις. Notum est dici aliquem μέγα ἀγαθόν τινι εἶναι aut γενέσθαι, cuius rei peridoneum exemplum Schneiderus attulit ex Cyrop. V. III. 20: ὦ μέγα ἀγαθὸν σὺ τοῖς φίλοις. Qui Themistoclem puerum docebat πρὸς αὐτὸν εἰώθει λέγειν· Οὐδὲν ἔσει, ὦ παῖ, σὺ μικρὸν, ἀλλὰ μέγα πάντως ἀγαθὸν ἢ κακόν, teste Plutarcho in Themist. cap. 2.

In Hellen. II. III. 17. ἀποθνησκόντων πολλῶν [καὶ] ἀδίκως, transpone verba et senties καί vitiose abundare. Soloecum est II. III. 41. ἐξῆν αὐτοῖς εἰ τούτου γε δέοιντο μηδένα λιπεῖν, et verborum conformatio et res ipsa clamant corrigendum esse: εἰ τούτου γ' ἐδέοντο. Scribarum vitio ineptire videtur Theramenes II. III. 48. de re gravissima in summo capitis discrimine ita dicens: ἀεί ποτε πολεμῶ τοῖς οὐ πρόσθεν οἰομένοις καλὴν ἂν δημοκρατίαν εἶναι πρὶν καὶ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ δι' ἀπορίαν δραχμῆς ἂν ἀποδόμενοι τὴν πόλιν δ ρ α χ μ ῆ ς μετέχοιεν. *In duplici* δραχμῆς *acumen inesse* narrant, quod si verum est nollem Xenophontem tam acutum esse, ut nemo quid dicat possit intelligere. Sed nihil est a Xenophontis ingenio et oratione alienius

quam vitiosum acumen et ex inepta subtilitate nata obscuritas. Apertum est Theramenem hoc dicere debere: *πρὶν καὶ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ἀπορώτατοι τῆς δημοκρατίας μετέχοιεν, πρὶν τῆς δημοκρατίας μετεῖναι καὶ τοῖς δούλοις καὶ τοῖς ἀπορωτάτοις*, et pro *οἱ ἀπορώτατοι* eloquenter dixisse *οἱ δι' ἀπορίαν δραχμῆς ἂν ἀποδόμενοι τὴν πόλιν.* Itaque pro *δραχμῆς* reponendum est *αὐτῆς μετέχοιεν*, quod quum nescio quis obtusi ingenii ad proxime praecedens *δραχμῆς* praepostere retulisset nata est bella scriptura, quae nunc circumfertur.

In Hellen. II. III. 54. *παραδίδομεν ὑμῖν Θηραμένην τουτονί —, ὑμεῖς δὲ λαβόντες καὶ ἀπαγαγόντες [οἱ ἕνδεκα] οἷ δεῖ τὰ ἐκ τούτων πράττετε.* Recte Dindorf. *οἷ δεῖ* emendavit pro *οὗ δεῖ*, quo facto etiam melius apparet verba *οἱ ἕνδεκα* insiticia esse: arctissime enim connectenda sunt *ἀπαγαγόντες οἷ δεῖ* neque interposito vocabulo divellenda. Praeterea repetitum pronomen *ὑμεῖς* hoc additamentum non admittit; accedere poterat pronomini *ὑμῖν*, ubi primum dixerat *παραδίδομεν ὑμῖν, οἱ ἕνδεκα, τουτονί*, sed postea non est amplius ei rei locus. Etiam ea quae praecedunt hanc rationem confirmant sive retinebis vulgatam scripturam *ἐκέλευσε τοὺς ἕνδεκα ἐπὶ τὸν Θηραμένην*, sive mecum unice probabis Stephani emendationem *ἐκάλεσε*. Suaviter multi in talibus *ἰέναι* cogitando supplendum esse aiunt. Quem locum ad id confirmandum omnes afferunt ex vicinia II. III. 20. miror neminem vidisse prorsus absurdum esse. Vide modo: *οἱ δὲ ἐξέτασιν ποιήσαντες τῶν ἔξω τοῦ καταλόγου ἄλλων ἀλλαχοῦ εἶτα κελεύσαντες ἐπὶ τὰ ὅπλα ἐν ᾧ ἐκεῖνοι ἀπεληλύθεσαν πέμψαντες τοὺς Φρουροὺς τὰ ὅπλα παρείλοντο.* Qui haec sine risu legere potest *ἀγέλαστός τις εἶναί μοι δοκεῖ*, aut id quod scriptum est non intelligere. Gravem corruptelam subesse et excidisse nonnulla manifestum est. Namque res ipsa loquitur non esse illos iussos *ἐπὶ τὰ ὅπλα ἰέναι* sed contra subdole repertam esse aliquam fallaciam, quae illos impulerit *ἀπὸ τῶν ὅπλων ἀπιέναι.* Compara id quod fecit Pisistratus *Ἀθηναίων βουλόμενος τὰ ὅπλα παρελέσθαι* apud Polyaenum I. XXI. § 2. Sed quemadmodum haec expedienda sint nunc non ago. Satis habebo si nemo hoc loco abutetur ad demonstrandum *ἰέναι* eleganter omitti in *κελεύω ἐπὶ τὰ ὅπλα.* *Καλεῖν τοὺς ἕνδεκα ἐπὶ τὸν Θηραμένην* quin rectissime dicatur nemo dubitabit:

conf. Valckenaerium ad Herodoti verba VII. 15. *πέμπει ἄγγελον ἐπὶ Ἀρτάβανον [καλέοντα]*. Theramenis morituri iocum in Hellen. II. iii. 56. scioli interpolarunt: *ἔφασαν ἀποκοτταβίσαντα εἰπεῖν αὐτόν· Κριτίᾳ [τοῦτ' ἔστω] τῷ καλῷ*, expunctis *τοῦτ' ἔστω* oratio referet Atticum dicendi colorem. Atticos, si quid addidissent, non *ἔστω* sed *εἴη* dicturos fuisse probabile est. Compara fragmentum Euripidis apud Athen. p. 427 E.

πεσὸν δέ νιν λέληθεν οὐδὲν ἐκ χερός
ἀλλ' εὐθὺς αὐδᾷ· τῷ Κορινθίῳ ξένῳ.

et Aristophanis *παρῳδίαν* in Thesmoph. 403.

In Hellen. II. iv. 10. *κατὰ τὴν εἰς τὸν Πειραιᾶ ἁμαξιτὸν [ἀνα]φέρουσαν*, simplici verbo opus est: *ὁδός* dicitur *φέρειν ποι*, non *ἀναφέρειν* neque *καταφέρειν*. Si compositis in ea re Athenienses usi fuissent *καταφέρουσαν* dictum oportebat, quemadmodum *καταβαίνειν εἰς Πειραιᾶ* necessario dicebant et *εἰς πόλιν ἀναβαίνειν* et *εἰς ἄστυ ἐκ μὲν Πειραιῶς ἀναβαίνειν, ἐκ δὲ τῆς ἄλλης χώρας καταβαίνειν.*

Gravissimum errorem deprehendi in III. i. 4. *νομίζοντες κέρδος τῷ δήμῳ εἰ [ἀποδημοῖεν] καὶ ἐναπόλοιντο.* Aoristi usus ab huiusmodi sententia prorsus abhorret, quae postulat futurum. Itaque muta accentum et quod necessarium est habebis, nempe *ἐναπολοῖντο.* Optime pro *μάχοιντο* Dindorf. VI. iv. 6. restituit *μαχοῖντο* et vidi saepiuscule *μάχει* vel *μάχῃ* in Codd. esse ubi futurum *μαχεῖ* scriptum oportuit. Videbis id vitium bis a Criticis feliciter sublatum esse in Aristophanis Equitt. 417. et in Vesp. 191, ubi *μάχει* in optimis Codd. scriptum in *μαχεῖ* est emendatum. Eadem medicina utendum est in Avibus vs. 759, ubi legitur: *αἶρε πλῆκτρον εἰ μάχει*, sed legendum esse *εἰ μαχεῖ* facile videbis. Nempe sic ipsi dicebant: *κέρδος τῷ δήμῳ εἰ καὶ ἐναπολοῦνται.* Ergo manifestum est *ἀποδημοῖεν* insiticium esse. Ibid. III. i. 27. *ἐπεὶ δὲ θυομένῳ αὐτῷ οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ [τῇ πρώτῃ] τῇ ὑστεραίᾳ πάλιν ἐθύετο*, si addidisset Xenophon scripsisset *τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ*, sed optimum factu est delere. Ibid. III. i. 22. *ὁ δὲ Μειδίας παρεπόμενος [αὐτῷ] ἠξίου τὴν τῶν Γεργιθίων πόλιν παραδοῦναι αὐτῷ*, si haec ferre potes nondum satis nitidam Veterum compositionem animadvertisti. Ibid. III. i. 26. *ὅπου κεῖται τὰ Μανίας καὶ [τὰ] Φαρναβάζου*, eadem haec sunt, itaque fraus apparet: non po-

test enim articulus repeti in ea re, quae duobus communis est, ut in ἡ ἐμὴ καὶ σὴ φιλία. Frequens et solemne hoc mendum est. Unum exemplum vide in Cyropaed. VII. v. 52. ἀφθονία τῆς ἐμῆς καὶ [τῆς] σῆς συνουσίας, quod indicasse satis est. Non minus frequens vitium apparet in Hellen. III. ii. 6. ἐπιστεῖλαι δὲ σφίσιν [αὐτοῖς] τοὺς Ἐφόρους, id est τοῖς Ἐφόροις τοὺς Ἐφόρους, quod absurdum est. Tres legati ita dixerant: ἐπέστειλαν ἡμῖν οἱ Ἔφοροι, itaque Xenophonti dicendum est εἶπον οἱ πρέσβεις ἐπιστεῖλαι σφίσι τοὺς Ἐφόρους. Σφίσιν αὐτοῖς respondet ἡμῖν αὐτοῖς: eadem in omnibus et certa haec ratio est. Ibid. III. ii. 10. καὶ ἆθλα [αὐτοῖς] ὑποσχόμενος δώσειν τοῖς πρώτοις ἐκτειχίσασιν, non esse in his pronomini αὐτοῖς locum facile est ad intelligendum. Ibid. III. ii. 11. πυθόμενος δὲ ὅτι πολὺς σῖτος ἐνῆν αὐτοῖς perridicule dictum est. Poterat enim de horreis et granariis recte hoc dici, verum τοῖς Χίων φυγάσι σῖτος πολὺς ἦν non ἐνῆν, εἶχον γὰρ τὸν σῖτον, οὐ κατεδηδόκεσαν. Eadem opera emenda Demosthenem Orat. II. § 22. πλείους ἀφορμὰς — ὁρῶ ὑμῖν ἐνούσας ἢ 'κείνῳ, imo vero οὔσας. In III. ii. 12, οὕτως ἂν ἔφασαν τάχιστα νομίζειν αὐτὸν [συγχωρήσειν] αὐτονόμους σφᾶς ἀφεῖναι, et res ipsa et orationis conformatio respuunt συγχωρήσειν. Paulo ante diserte dicitur ὅτι εἴη ἐπὶ Τισσαφέρνει εἰ βούλοιτο ἀφιέναι αὐτονόμους τὰς Ἑλληνίδας πόλεις. Ipse poterat Graecis dare libertatem, non aliis ut hoc facerent concedere. Deinde ἂν cum ἀφεῖναι coniunctum est. Graeci enim sic cogitabant: εἰ κακῶς πάσχοι ἡ Καρία οὕτως ἂν τάχισθ' ἡμᾶς ὁ Τισσαφέρνης αὐτονόμους ἀφείη: itaque qui haec refert ita debet dicere: οὕτως ἂν ἔφασαν τάχιστα νομίζειν αὐτὸν αὐτονόμους σφᾶς ἀφεῖναι. Ibid. III. ii. 21. delenda esse verba [εἶπον ὅτι] facile mihi dabitur. Ibid. § 31. γνόντες μηδὲν δικαιότερον εἶναι βίᾳ πριαμένους ἢ [βίᾳ] ἀφελομένους παρὰ τῶν ἡττόνων λαμβάνειν, expuncto vocabulo inutili et auribus molesto id quod primarium est melius apparebit. Misere habitus est locus III. iii. 2. ἀφ' οὗ γάρ τοι ἔφυσε (alii ἔφυ σε aut ἔφυγε) οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ δεκάτῳ μηνὶ ἐγένου. Suspicor in verbis τοι ἔφυσε latere τὺ ἔφυς et locum sic esse constituendum: ἀφ' οὗ γὰρ οὐκ ἐφάνη ἐν τῷ θαλάμῳ δεκάτῳ μηνὶ τὺ ἔφυς, expuncta interpretatione ἐγένου. Ibid. III. iv. 8. vitiosum est οἱ ἄλλοι τριάκοντα, ex quibus ἄλλοι deleverim: tum ridicula

lectio conspicitur ἔμηνε τὸν Ἀγησίλαον ταῦτα, quae verba sunt; Agesilao insaniam et malam mentem obiicientis. Nihil minus Xenophon cogitabat. Μαίνειν et ἐκμαίνειν numquam significant *iram movere*, sed *sanam mentem expellere*, *furorem excitare*, quemadmodum μαίνεσθαι dicuntur non *irati*, sed *insanientes*, *furiosi* et *rabidi*. Si ἠνία scribetur rectissime dictum erit. Ibid. III. iv. 12. τῷ ὄντι νομίσας ἐπὶ τὸν αὐτοῦ οἶκον [εἰς Καρίαν] αὐτὸν ὁρμήσειν, conf. III. ii. 12. Ibid. III. v. 5. τὰ τεθυμένα ἱερὰ [ὡς] ἔρριψαν, potest et διέρριψαν scribi sed ὡς omnino est abiiciendum.

In Hellen. IV. i. 35. ἔξεςί σοι — μηδένα προσκυνοῦντα [μηδὲ δεσπότην ἔχοντα] ζῆν, Graecis merito videtur τὸ προσκυνεῖν τινα certissimum servitutis indicium: itaque μηδένα προσκυνοῦντα significat μηδένα δεσπότην ἔχοντα, quod additum vim dicti hebetat et extenuat. Ibid. IV. iii. 8. ἔςησαν δ' οὐ πρόσθεν πρὶν [ἐν τῷ ὄρει] ἐν Ναρθακίῳ ἐγένοντο, satis notum nomen Graecis erat olim, ut fatuum interpretamentum non admittat. Plutarchus Agesil. 16. ex hoc ipso loco affert ὑπὸ τῷ Ναρθακίῳ: si Plutarcho hoc satis est, Xenophonti quoque, ut opinor. Ibid. IV. iv. 6. εἰ μὲν δύναιντο — εἰ δὲ μὴ [δύναιντο] τῶν γε καλλίςων κτἑ. Necessaria est in talibus ellipsis. Ibid. IV. v. 5. οἱ δ' ἐν τῷ Ἡραίῳ [καταπεφευγότες] ἐξῆσαν, praeclara oratio est ἐν ἱερῷ καταφεύγειν et Xenophonte dignissima, ut vides. Ib. IV. v. 16. ἀναχωροῦντες δὲ ἔτι πλείονες αὐτῶν ἔπεσον, corrige sodes ἀναχωρούντων δέ et αὐτῶν dele.

In Hellen. libro V. i. 2. male irrepsit inutilis praepositio in verba [ἐπὶ] τῶν νήσων ποι ἀφιγμένος. Corrige eodem modo locum VI. ii. 11. διακομισθέντες ποι τῆς χώρας ubi vulgatur που. Ibid. V. ii. 4. [ὡς] κακῶς συςρατεύοιεν considera diligenter locum: videbis ὡς servari nullo pacto posse. Ibid. V. ii. 4. αἰσθόμενος δὲ ὅτι [ὁ] σῖτος ἐν τῇ πόλει πολὺς ἐνείη, quid quaeso sibi vult articulus? *Frumenti magna copia* dicitur σῖτος πολύς, credo. In transcursu corrige Memorab. I. vi. 9. ποτέρῳ [ἡ] πλείων σχολὴ τούτων ἐπιμελεῖσθαι, expunge articulum: *plus otii* dicitur πλείων σχολή, ut in Aeschyli Prometheo vs. 818:

σχολὴ δὲ πλείων ἢ θέλω πάρεςί μοι.

Quod vitium supra notavimus in σφίσιν αὐτοῖς pro σφίσιν idem plane conspicitur in V. ii. 8. Phliasiorum exsules apud

Spartanos sic cives suos criminabantur: *ἕως μὲν ἡμεῖς οἴκοι ἦμεν ἡ πόλις ἐδέχετό τε τοὺς Λακεδαιμονίους καὶ συνεστρατεύοντο. ἐπεὶ δὲ ἡμᾶς ἐξέβαλον ἕπεσθαι μὲν οὐδαμοῖ ἐθέλουσιν κτέ.* Haec autem nunc e Xenophontis persona referuntur in hunc modum: *ἐδίδασκον ὡς ἕως μὲν σφεῖς οἴκοι ἦσαν ἐδέχετό τε ἡ πόλις κτέ. — ἐπεὶ δὲ σφᾶς [αὐτοὺς] ἐξέβαλον [ὡς] ἕπεσθαι μὲν οὐδαμοῖ ἐθέλοιεν.* Sentisne haec non minus esse absurda ac si ipsi dixissent *ἐπειδὴ δὲ ἡμᾶς αὐτοὺς ἐξέβαλον?* Rectissime de eadem re scriptum est V. III. 12. *οἵπερ σφᾶς τε ἐξέβαλον* et *οἱ πριάμενοι τὰ σφέτερα*, sed statim idem vitium recurrit in *διαπεπραγμένοι εἰσὶ ζημιωθῆναι σφᾶς [αὐτούς]*. Eadem medicina utendum VII. v. 4. *λέγοντες ὅτι συνθῆκαι σφίσιν [αὐτοῖς] εἶεν*, et alibi et apud alios. Reponendum est *σφῶν* sic positum VII. v. 14. *ἐκείνοις μὲν οὐκ ἐβούλετο μάχεσθαι ἄλλως τε καὶ εὐτυχηκόσι τῶν δὲ ἀποτετυχηκότων*, imo vero *σφῶν δέ*. Verissime Dobraeus VI. v. 35. *ὅτι ἡνίκα κατεπολέμησαν αὐτοὺς Θηβαίων βουλομένων ἀναστάτους ποιῆσαι τὰς Ἀθήνας σφίσιν ἐμποδὼν γένοιντο* emendavit *σφεῖς ἐμποδὼν γένοιντο*. Dicebant enim Spartani *ἡμεῖς ἐγενόμεθα ἐμποδών*, et necesse est ut pronomen, in quo sententiae vis est, in oratione indirecta retineatur. Recte *σφῶν* in libris servatum est ibid. VI. v. 36. sed male intellectum peperit putidum additamentum in verbis: *οὐ γὰρ ἀδικησάντων σφῶν ἐπιστρατεύοιεν οἱ Ἀρκάδες [τοῖς Λακεδαιμονίοις] ἀλλὰ βοηθησάντων τοῖς Τεγεάταις*, nempe dicebant haec *αὐτοὶ οἱ Λακεδαιμόνιοι· οὐ γὰρ ἀδικησάντων ἡμῶν οἱ Ἀρκάδες ἐπιστρατεύουσιν*, adde *τοῖς Λακεδαιμονίοις* et senties quam sit insulsa et puerilis oratio. In V. III. 19. *ἐν δὲ τούτοις ὄντα — καῦμα πυριφλεγὲς λαμβάνει [αὐτόν]*, sic Graeculi loquebantur, non Athenienses. In V. III. 21. alias monuimus pro *τελεῖν* corrigendum esse *ἀλεῖν* et otiosa verba *καὶ ποιοῦντες τοῦτο* inducenda. Foedum in paucis emblema est in V. IV. 33. *οὐ κατῄσχυνεν [ἀλλὰ μᾶλλον ἐκόσμησεν]*, de quo iam antea diximus. In V. IV. 37. *μισθὸν δοὺς μηνὸς αὐτοῖς ἐκέλευσε προκαταλαβεῖν [αὐτοὺς] τὸν Κιθαιρῶνα*, indicasse satis est. Ibid. V. IV. 55. *τοῦτο μὲν [οὖν] οὐκ ἐπέτρεψε*, nullus hic particulae *οὖν* locus est. Similiter male abundat *οὖν* V. III. 7. in *μάλιστα μὲν [οὖν]*. Ib. § 60. *ἑλεῖν λιμῷ τὴν πόλιν [αὐτῶν]. — εἰ μὲν βούλοιντο ἐπὶ Φωκέων, εἰ δὲ [βούλοιντο] ἐπὶ Κρεύσιος*, expunge utrumque et erit Xenophonte digna oratio.

In Hellen. VI. i. 5. ξένους ἔχω [μισθοφόρους], illis temporibus τοὺς μισθοφόρους honestiore et blandiore nomine ξένους appellabant. Ibid. VI. i. 5. τὴν ὑμετέραν πόλιν [Φάρσαλον], manifestum additamentum recte Schaefero monente Dindorf nunc eliminavit. Ibid. VI. i. 13. οὐκ ἤδη ἀνέγκλητος ἂν δικαίως εἴης [ἐν] τῇ πατρίδι, ἥ σε τιμᾷ, nocet manifesto sententiae male addita praepositio. Ἀνέγκλητος εἶ τῇ πατρίδι significat οὐκ ἔχει ἡ πατρὶς ὅ τι σοι ἐγκαλεῖ et id ipsum locus postulat. Statim post in § 14. νομίζω οὕτως ἔχειν — [ὡς] εἰ μὲν πέμψετε. Non tam inconcinne loquitur Xenophon: incidendum est post ἔχειν, deinde recta oratione utendum: εἰ μέν κτέ. Ibid. VI. ii. 36. ὡς ἢ πραξόμενος πάμπολλα χρήματα ἢ [ὡς] πωλήσων, fieri non potest ut ὡς repetatur. Vides quam saepe chorda oberretur eadem. Duae litterulae vitiose abundantes sententiae bis vehementer officiunt VI. iii. 10. τοῖς ἁμαρτάνουσιν οὐδέποτε ἔτι χρηστέον et δοκοῦσι δέ μοι καὶ εὐπορώτεροι ἐνίοτε γίγνεσθαι ἄνθρωποι ἁμαρτάνοντες, subridebis haec relegens ubi mihi dederis ἁμαρτοῦσιν et ἁμαρτόντες scriptum oportuisse et olim scriptum esse: vide autem quae statim sequuntur. Simili de causa restitue VI. iv. 8. ὑποπιόντων pro ὑποπινόντων, et VII. iii. 3. οἱ ὑμᾶς προδόντες ubi editur προδιδόντες. Contra VII. iii. 7. emenda τῶν φανερῶς προδιδόντων pro lectione τῶν φανερῶς προδοτῶν. Non minus inepte dicitur οἱ φανερῶς προδόται quam οἱ κακῶς ἄνθρωποι, quamobrem tam facile est in talibus dispicere quae vera scriptura sit. Itaque miror Dindorfium retinere potuisse II. iii. 38. τοὺς ὁμολογουμένως συκοφάντας, ubi quod duo libri dederunt ὁμολογουμένους, etiam si omnes libri contra starent, esset restituendum. Contra adverbium pro adiectivo reponendum VII. iii. 8. προδότης γε μὴν τίς ἂν περιφανέστερος Εὔφρονος εἴη; imo vero περιφανέστερον, nam Graecum est προδότης ἐστὶ περιφανῶς, non περιφανής. Contrario vitio peccatum est VI. iv. 29. πάνυ μετρίως ἑκάστῃ πόλει ἐπαγγελλομένων, at tu emenda πάνυ μετρίων. Ibid. VI. iv. 13. καὶ δὴ [καὶ] οἱ ἱππεῖς συνεβεβλήκεσαν, molestum καί plerique libri recte omittunt. Ibid. VI. iv. 25. ἀπηγγέλθη ὅτι εἴησαν [αἱ] σπονδαί, spurius est articulus. Compara Anab. II. i. 21 et 22 εἰπεῖν ἐκέλευσεν ὅτι μένουσι μὲν αὐτοῦ σπονδαὶ εἴησαν, προϊοῦσι δὲ καὶ ἀπιοῦσι πόλεμος. Ibid. VI. iv. 28. διὰ τὸ [τῷ] νόμῳ Θετταλῶν ταγὸς καθεστάναι,

male additus est articulus: dicebant Veteres νόμῳ πόλεως, ἀνθρώπων νόμῳ, ἡ νόμῳ γαμετὴ et similia. Brevius etiam Amphis pro ἡ νόμῳ γαμετὴ dixit apud Athen. p. 559 B.

ἡ μὲν νόμῳ γὰρ καταφρονοῦσ' ἔνδον μένει.

et saepe eodem modo φύσει, γόνῳ et alia sine articulo usurpantur. Xenophon et alibi sic loquitur IV. iv. 2. κἂν νόμῳ τις καταγνωσθῇ, ubi corrige τινὸς καταγνωσθῇ. Ibid. VI. v. 13. γνόντες οἱ Μαντινεῖς ὡς εἰ μὴ ἀποκρούσονται αὐτοὺς [ὅτι] πολλοὶ σφῶν κατακοντισθήσονται, quomodo, quaeso, ὅτι poterit servari? Idem mendum tollendum VI. iv. 37. ὡς — [ὅτι] πέμπων. Ibid. VI. v. 12. εὑρὼν τοὺς ἐν [τῇ στρατευσίμῳ] ἡλικίᾳ οἰχομένους, quis Veterum sic loquitur? Ibid. VI. v. 37. fatuum emblema τίνες ἦσαν οἱ ἄρξαντες ἀδικεῖν iam antea expulimus: vel solum ἦσαν pro εἰσὶν ostendit cui haec debeantur. Ibid. VI. v. 42. ἐλπίζειν δὲ χρὴ [ὡς] ἄνδρας ἀγαθοὺς γενήσεσθαι, quid sibi vult ὡς sic positum? Ibid. § 48. legendum esse ἡμεῖς ἀγαλλόμεθα [οἱ] συναγορεύοντες [βοηθῆσαι] ἀνδράσιν ἀγαθοῖς nuper ostendimus.

In Hellen. libro VII. i. 2. μάλιστα συμμένοιμεν [ἄν], alieno loco ἄν inseruerunt, corrige μάλιστ' ἄν et pro συμμένοιμεν repone συμμένοιεν, nempe αἱ συνθῆκαι. Dicuntur enim pax, foedus, induciae, amicitia συμμένειν, homines τῇ εἰρήνῃ, ταῖς συνθήκαις, ταῖς σπονδαῖς, τοῖς ὅρκοις, τῇ φιλίᾳ ἐμμένειν. Restituendum hoc ipsum est III. iv. 6. ὅμως ἐνέμενε ταῖς σπονδαῖς, ubi vulgatur sine sensu ἐπέμενε. Similiter peccatum VII. i. 5. μεθ' ἡμῶν ἂν ἥδιστα pro ἥδιστ' ἄν. Ibid. VII. i. 18. ἐφέροντο πρὸς τὰς πύλας τὰς ἐπὶ Φλιοῦντα [ἰόντι], alii ἰόντι ὁρῶσας, unus Codex lepidissime ἰούσας. Spuria sunt pariter omnia. Eodem modo Xenophon dixit § 29. ἐν τῇ ἐπ' Εὐτρησίους ἐκτροπῇ. Ibid. VII. i. 28. λεγόντων ὡς χρεὼν εἴη, obscurarunt homunciones Atticam formam ὡς χρείη, idque apud Xenophontem saepius factum esse videbis, et parum abest quin scribae funditus χρείη ex Atticorum scriptis expulerint. Ex uno Codice χρείη recte repositum est II. iv. 23. Eruditulі cuiusdam annotatio irrepsit VII. i. 31. συνέβη δὲ καὶ πρὸς τῷ δεξιῷ κέρατι τέμενός τι καὶ ἄγαλμα Ἡρακλέους [οὗ δὴ καὶ ἀπόγονος λέγεται] εἶναι. Evidens emblema in paucis est. Primum ipsa sedes quam ea verba occupant clamat insiticia esse, deinde dicendi genus. Volebat

dicere *τέμενός τι καὶ ἄγαλμα Ἡρακλέους εἶναι* et interponere *οὗ δὴ καὶ ἀπόγονος λέγεται*, num tu putas Xenophontem, num tu putas Atticum scriptorem haec sic fuisse compositurum: *τέμενός τι καὶ ἄγαλμα Ἡρακλέους, οὗ δὴ καὶ ἀπόγονος λέγεται, εἶναι*? Praeterea res erat tum tam nota atque omnibus vera et certa esse videbatur. Quis Graecorum aut nesciebat aut non firmiter credebat *τοὺς τῶν Λακεδαιμονίων βασιλέας Ἡρακλείδας εἶναι*? Neque igitur opus erat id dicere neque quisquam de ea re, de qua constabat inter omnes, eo modo dixisset. Ibid. VII. I. 34. duo vocabula negligenter traiecta sunt. Editur: *ἐνθάπερ ὅτε Ἀγαμέμνων εἰς τὴν Ἀσίαν ἐξέπλει θύσας εἷλε Τροίαν*, tu transpone *ἐνθάπερ Ἀγαμέμνων, ὅτε εἰς τὴν Ἀσίαν ἐξέπλει*. Eadem ratione corrigendus locus est VII. I. 39. *ὀμνύναι ταῦτα ἐκέλευον βασιλεῖ καὶ ἑαυτοῖς τοὺς βουλομένους φίλους εἶναι*, restitue *τοὺς βασιλεῖ καὶ ἑαυτοῖς βουλομένους φίλους εἶναι*. Ibid. VII. II. 11. *ὁ ἐν τῇ Σικυῶνι [ἄρχων] Θηβαῖος*, interpolatum est *ἄρχων*, confer § 14. Multiplici vitio laborat locus VII. IV. 4. *εἰπόντος δὲ Δημοτίωνος — ὡς ἡ μὲν πρὸς τοὺς Ἀρκάδας φιλία καλῶς αὐτῷ δοκοίη πράττεσθαι, τοῖς μέντοι στρατηγοῖς προστάξαι [ἔφη] χρῆναι*, praeterea lege *ἐν τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων* et *Κόρινθος σᾶ ἦ τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων*, denique inducenda est vocula *δέ* in apodosi *ἀκούσαντες [δὲ] ταῦτα*. Turbas dederunt Graeculi VII. IV. 8. in verbis *ὡς οὐδὲ μετ' οὐδένων ἂν ἥδιον ἢ μεθ' ὑμῶν σωθείημεν*. Solent saepe Atticam loquendi consuetudinem *οὐδὲ ὑφ' ἑνός, οὐδὲ ἐφ' ἑνί, οὐδὲ καθ' ἕνα* refingere ad vulgarem modum *ὑπ' οὐδενός, ἐπ' οὐδενί, κατ' οὐδένα*. Saepe id factum esse videbis apud Demosthenem caeterosque Atticos. Semel in Herodoto notavi, ubi VIII. 57. *περὶ οὐδεμιῆς* in libris est, *οὐδὲ περὶ μιῆς* servavit Plutarchus. Multo minus etiam capiebant homunciones quid esset *οὐδ' ὑφ' ἕνων, οὐδὲ μεθ' ἕνων*, quoniam *οὐδένες* prorsus obsoletum esset. Acutissime vidit Dobraeus emendandum esse *οὐδὲ μεθ' ἕνων* Attico more dictum pro *μετ' οὐδένων*. Apposite in hanc rem attulit Photii locum Οὐδ' ὑφ' ἕνων: *Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ὑπ' οὐδένων λέγουσιν ὑπερβιβάζοντες*. Hoc ipsum exemplum sumserat *Ἀττικιστής* nescio quis, unde Photius permultas observationes quantivis pretii descripsit, ex Xenophontis Hellenicis, et salutem afferre poterit ea annotatio loco Xenophontis, quem scioli misere corru-

perunt. Stulte enim legitur V. iv. 1. Λακεδαιμόνιοι οὐδ' ὑφ' ἑνὸς τῶν πώποτε ἀνθρώπων κρατηθέντες, quasi *unus* homo Spartanos vincere potuisset. Sine mora repone ex Photio: οὐδ' ὑφ' ἕνων τῶν πώποτε ἀνθρώπων. Est operae pretium diligenter animadvertere quam saepe in plurali οὐδένες scribae lapsi sint vel potius scripta Veterum impudenter depravaverint. De plurimis locis, ubi mihi haec fraus animadversa et notata est, nunc paucos delibabo. Apud Demosthenem de Corona p. 327. legitur: εἰ δ' οἷος ἐγὼ παρ' ὑμῖν εἷς ἐν ἑκάστῃ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ἀνὴρ ἐγένετο — οὐδεὶς οὔτε τῶν ἔξω Πυλῶν Ἑλλήνων οὔτε τῶν εἴσω τοῖς παροῦσι κακοῖς ἐκέχρητ' ἄν, ubi unus omnium optimus testis Parisinus S. servavit ἐκέχρηντ' ἄν. Optime: namque non de singulorum hominum infortuniis haec dicuntur sed de populorum et civitatium calamitatibus. Itaque emenda: οὐδένες οὔτε τῶν ἔξω Πυλῶν Ἑλλήνων — ἐκέχρηντ' ἄν. Paene cernimus oculis futiles Graeculos, qui mirantes quid esset οὐδένες perinepte οὐδείς substituerunt sed ἐκέχρηντ' ἄν reliquerunt intactum. Supervenit alius qui corruptum οὐδείς retineret, incorruptum ἐκέχρηντ' ἄν ultro corrumperet. Prorsus idem factum est apud Demosthenem p. 233, 2, ubi in Cod. S. legitur: πρεσβεία πρὸς οὐδένα ἀπεσταλμένη τῶν Ἑλλήνων, ineptissime. Per multa saecula non minus evidens vitium elusit Criticos apud Demosth. p. 14, 19. χρήματα ὑμῖν ἐστιν ὅσα οὐδενὶ τῶν ἄλλων, ubi nuperrime Dindorfio fraus suboluit, qui verissime οὐδέσι τῶν ἄλλων emendavit. Ipsi Xenophonti redde Hellen. I. v. 9. ὅπως τῶν Ἑλλήνων μηδένες ἰσχυροὶ ὦσιν. Conf. V. iv. 20. Dobraei de ea re annotatio adscripta est ad Demosthenis Timocrateam p. 737, 23, ubi nonnullos locos indicat, quibus οὐδένες recte scriptum exstat. Obscuratum est in Lysiae Orat. II. 26. οὐδεὶς τῶν ἄλλων ἔδεισεν ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος κινδύνου ἀλλ' ἀκούσαντες ὑπὲρ τῆς αὐτῶν ἐλευθερίας ἥσθησαν. Dicuntur haec de Graeciae populis, qui pugnae Marathoniae non interfuerunt, quare scribendum necessario est οὐδένες τῶν ἄλλων ἔδεισαν et sic demum recte et concinne additur ἀλλ' ἀκούσαντες — ἥσθησαν. Saepius eodem modo peccatum est alibi, de quibus locis alio tempore dicam: malo nunc unum locum indicare ubi οὐδένες perperam legitur. Est apud Herodotum locus IX. 58. διέδεξαν ὅτι οὐδένες ἄρα ἐόντες ἐν οὐδαμοῖσι ἐοῦσι Ἕλλησι ἐναπε-

δεικνύατο: Iones dicebant *οὐδείς* sed in plurali *οὐδαμοί*, *μηδείς* sed in plurali *μηδαμοί*, et quemadmodum *οὐδαμός* et *μηδαμός* in singulari numero nemo umquam legit quia Iones *οὐδείς* et *μηδείς* solis utebantur, sic neque *οὐδένες* vel *μηδένες* Iones dixerunt umquam, neque uspiam ea forma comparet praeterquam in hoc uno loco corrupto. *Οὐδαμοί* quam saepe apud Herodotum legatur notum est omnibus. Proferam unum locum ut obiter emendem VII. 145. *τὰ δὲ Γέλωνος πρήγματα μεγάλα ἐλέγετο εἶναι οὐδαμῶν Ἑλληνικῶν τῶν οὐ πολλὸν μέζω.* Corrige *οὐδαμῶν ὅτων οὐ* noto usu: quemadmodum enim *οὐδενὸς ὅτου οὐ* saepe legitur, sic in plurali numero Ionice dicendum esse apparet *οὐδαμῶν ὅτων οὐ*. Ridicule ea loquendi forma cum interpretamento coaluit in Platonis Protagora p. 317 C. *οὐδενὸς ὅτου οὐ [πάντων] ἂν ὑμῶν καθ' ἡλικίαν πατὴρ εἴην.* Num tu putas *οὐδεὶς ὅςις οὐ πάντων* recte dici posse? Itaque in loco Herodoteo *οὐδένες ἄρα ἐόντες* vitiosum esse patet. Equidem emendandum esse censeo *οὐδὲν ἄρα ἐόντες*. Frequentissimum est *οὐδὲν εἶναι*, *τὸ μηδὲν εἶναι* pro *οὐδενὸς ἄξιον εἶναι*: compara facetum Platonis locum in Rep. VIII. p. 556 D. *ἄνδρες ἡμέτεροί εἰσιν οὐδέν.* Eadem locutio aliud glossema peperit apud Isocratem II. § 52. *ὁ μηδὲν ὢν αὐτὸς [χρήσιμος] οὐδ' ἂν ἄλλον φρόνιμον ποιήσειεν.*

In Hellen. VII. iv. 17. *οὐδὲν ἄλλο [πράξαντες] ἢ δῃώσαντες αὐτῶν τὴν χώραν*, et Graece et Latine qui exquisitius loquuntur in talibus *πράττειν* vel *ποιεῖν* et *agere* vel *facere* omittunt et dicere solent *οὐδὲν ἄλλ' ἢ δῃώσαντες*, et *τί δ' ἄλλο ἢ* —, sicuti Latine *nihil aliud quam* et *quid aliud quam*: inspice Gronovium ad Liv. XXXI. 24. et Drakenborch. ad XXXIV. 2, ubi videbis quam saepe scioli *agere* et *facere* interpolarint. Apud Athenienses saepissime occurrit. Plato in Menone p. 80 A. *σὺ οὐδὲν ἄλλο ἢ αὐτός τε ἀπορεῖς καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν*, et in Euthydemo p. 277 E. *οὐκ αἰσθάνει οἷον ποιεῖτον τὼ ξένω περὶ σέ. — οὐδὲν ἄλλο ἢ χορεύετον περὶ σὲ καὶ οἷον ὀρχεῖσθον παίζοντε*, et passim alibi. Thucydides III. 39. *τί ἄλλο οὗτοι ἢ ἐπεβούλευσαν* et III. 58. *τί ἄλλο — ἢ ἀτίμους γερῶν ὧν νῦν ἴσχουσι καταλείψετε*; Xenophon Cyrop. I. iv. 24. *οὐδὲν ἄλλο ἢ τοὺς πεπτωκότας περιελαύνων ἐθεᾶτο*, et multis aliis locis.

Apud Thucydidem V. 18. sine controversia scribendum: στήλας δὲ στῆσαι Ὀλυμπίασι καὶ Πυθοῖ καὶ Ἰσθμοῖ καὶ Ἀθήνησιν ἐν πόλει, pro καὶ ἐν Ἰσθμῷ καὶ ἐν Ἀθήναις. Boni libri servarunt in Hellen. II. iv. 43. τοὺς Ἐλευσῖνι pro τοὺς ἐν Ἐλευσῖνι. Lysiae quoque reddiderim II. 45. τὸ Ἰσθμοῖ τεῖχος pro τὸ ἐν Ἰσθμῷ. Unum addam ex Platonis Alcibiade I. p. 129 A. ὁ τοῦτο ἀναθεὶς εἰς τὸν ἐν Πυθοῖ νεών, imo vero τὸν Πυθοῖ νεών: quod vulgatur tam absurdum est ac si quis ἐν Ἀθήνησιν, ἐν Θήβησιν, ἐν Μεγαροῖ, ἐν Ὀλυμπίασι sim. vellet dicere. Etiam turpius scribae ἐν de suo addiderunt in Equitt. vs. 1271. Πυθῶνι ἐν δίᾳ, ubi tandem Bergkius Πυθῶνι δίᾳ bene correxit.

Veterum dicendi consuetudo violatur in Hellen. VII. iv. 26. in verbis σὺν αὐτῷ τῷ χωρίῳ αἱροῦσιν, omittunt enim Attici in talibus σύν, quod scribae contra inferciunt subinde de suo. Lubet in transcursu turpe mendum e Xenophontis Anabasi eximere, ubi legitur V. iv. 26. ὁ δὲ βασιλεὺς αὐτῶν ὁ ἐν τῇ μόσυνι τῷ ἐπ' ἄκρου ᾠκοδομημένῳ οὐκ ἤθελεν ἐξελθεῖν οὐδὲ ὁ ἐν τῷ πρότερον αἱρεθέντι χωρίῳ ἀλλ' αὐτοῦ σὺν τοῖς μοσύνοις κατεκαύθησαν. Forma ὁ μόσυνος pro ὁ μόσυν in Graeculorum cerebris nata est et nihil potest esse inutilius quam est in hoc loco adverbium αὐτοῦ. Partem veri vidit Buttmannus, qui αὐτοῦ σὺν τοῖν μοσύνοιν corrigebat. Perficies emendationem scribendo ἀλλ' αὐτοῖν τοῖν μοσύνοιν κατεκαύθησαν. Propriam sedem habet hoc dicendi genus ubi aliqua clades aut strages aut pernicies commemoratur de iis, quae simul periisse, capta aut absumta esse dicantur: ἡ ναῦς αὐτοῖς ἀνδράσι διεφθάρη, αὐτῷ τῷ ἵππῳ ἀπώλετο, αὐτῷ τῷ ἅρματι κατεπόθη, et in Ranis 560:

ὂν οὗτος αὐτοῖς τοῖς ταλάροις κατήσθιεν.

non facile videbis quemquam Veterum, qui talibus addat praepositionem inutilem.

Fefellit usus Veterum Aelianum in Hist. Animal. XIV. 11. qui quum dixisset προσαπερεῖ αὐτῷ ἵππῳ (vitiose codd. προσαπαίρειν) sibi eleganter admodum dixisse videbatur.

In Hellen. VII. v. 15. ἐδειπνοποιήσαντο μὲν ἐν Ἰσθμῷ tralaticio vitio scriptum est pro μὲν Ἰσθμοῖ. In poëtarum locis fraus

tenetur manifesta. Cantharus comicus apud Athen. p. 11. C.

οὐκοῦν ἀκρατισώμεθ' αὐτοῦ. B. μηδαμῶς.
ἐν Ἰσθμῷ γὰρ ἀριςήσομεν.

quis dubitabit quin verum sit Ἰσθμοῖ γὰρ ἀριςήσομεν?

In Hellen. VII. v. 18. ἡγήσατο interpolatum esse videri supra admonuimus. Graeculi non satis intelligebant quomodo repente constructio mutaretur, itaque comminiscuntur aliquid quod requiri videatur ad orationem fulciendam. A participio λογιζομένῳ pendere et ὅτι ἀναλύσοιτο et καλὴν τὴν τελευτὴν ἔσεσθαι et ea per μέν — δέ inter se connecti non concoquebant.

Ferri igitur poterat quod editur IV. III. 1. ἀγγέλλει ὅτι νικῷεν — καὶ αὐτῶν μὲν τεθνάναι ὀκτὼ, τῶν δὲ πολεμίων παμπληθεῖς, sed quanto concinnior locus erit si pro τεθνάναι reponemus τεθναῖεν, quae forma rarior et solis Atheniensibus antiquioribus propria facillimo negotio in notissimam τεθνάναι potuit depravari. Compara locum similem IV. III. 10. ἠγγέλθη ὅτι ἡττημένοι εἶεν — καὶ ὁ Πείσανδρος τεθναίη, et simillimum VII. I. 32. ἔπεμψεν οἴκαδε ἀγγελοῦντα ὅτι Λακεδαιμονίων μὲν οὐδὲ εἷς τεθναίη, τῶν δὲ πολεμίων παμπληθεῖς.

Ibid. VII. v. 26. οὐδεὶς [ἦν] ὅςις οὐκ ᾤετο, usitatum est in talibus ἦν omittere.

Quod in fine operis legitur ἐμοὶ μὲν δὴ μέχρι τούτου γραφέσθω non esse recte et accurate cogitatum et dictum perspexit Leonclavius verissime γεγράφθω corrigens, cui dudum obtemperatum oportuit. Quis ferat dicentem καὶ ταῦτά μοι ἱκανὰ λεγέσθω pro εἰρήσθω, aut simile quid in re prorsus absoluta et ad finem perducta? Rectissime scriptum est in Hell. V. II. 6. καὶ τοῦτο μὲν εἰρήσθω μέγα τεκμήριον πειθαρχίας, et numquam neque Xenophon neque Veterum quisquam in talibus erraverit.

Poteram nunc et ipse Hellenica deponens de manibus ita dicere ἐμοὶ μὲν δὴ μέχρι τούτου γεγράφθω, sed una res superest quae properanti manum iniicit: itaque utar hac occasione ut de ea re pauca dicam. Quoties et Hellenica et reliqua Xenophontis scripta relego passim animadvertere soleo quam vehementer corruptis Xenophontis Codicibus utamur. Saepissime

forma orationis antiqua et Attica, quali Xenophontem usum fuisse satis constet, pessimis modis in Codd. neque vetustis neque integris ad sequiorum Graeculorum συνήθειαν et negligentiam dicendi et sordes reficta stomachum movet. Quis harum rerum probe gnarus inducet in animum Xenophonteae aetatis esse, ut hoc utar, formam ἀπεκτίννυον, quae nunc legitur Hellen. V. II. 45, vel ἐνεπίμπρων VI. v. 22? Seri nepotes dicere coeperunt ἀποκτιννύω et ἐμπιμπρῶ et novo errore ἐμπιπρῶ, quum Veteres non aliter quam ἐμπίμπρημι et ἐμπίμπραμαι dicerent, quemadmodum ἐμπίμπλημι et ἐμπίμπλαμαι sola in Veterum scriptis genuina sunt, sed vitiosa et scribis magistellisque imputanda ἐμπίπλημι et ἐμπίπλαμαι; in qua re Dindorfium miror, qui maluit credere breve ι a poëtis contra naturam posse produci in ἐμπίπλαμαι et ἐμπίπρατε in extremo senario positis quam ineptis homuncionibus Suidae, Moschopulo, et si qui alii eiusdem farinae sunt, non credere. Eorumdem est pro ἵστημι ἱστῶ dicere et ἱστάνω, et similia. In Xenophontis Hierone III. § 8. aequis animis Editores ferunt barbaram formam ἀπεκτονηκότας, quasi vero ἀποκτονεῖν pro ἀποκτείνειν Graece umquam dici potuisset. Faex Graeculorum ita loqui consueverat, Xenophontis est ἀπεκτονότας dicere. Compluscula de genere hoc ex Hellenicis collecta indicabo brevissime. Non est Xenophontis manus I. I. 23. γράμματα ἑάλωσαν sed ἑάλω, neque I. II. 7. ἐπὶ τὰ ἕτερα τῆς πόλεως sed ἐπὶ θάτερα, sicuti V. II. 24. εἰς τἀπὶ Θρᾴκης χωρία dederat, non τὰ ἐπὶ Θρᾴκης. Saepenumero sic isti crasin resolvunt, qua Attici in illo rapido orationis flumine in permultis constantissime utebantur. Dicebant olim semper τἀγαθά, τἀληθῆ, τἀναγκαῖα, τἀπιτήδεια, τἀνδράποδα, τἀπινίκια, τἀργύριον, τοὐλάχιστον, θοἰμάτιον, θαἰμάτια, et ἀνήρ, ἄνθρωπος, ἀδελφός, et καλὸς κἀγαθός (unde καλοκἀγαθία et καλοκἀγαθεῖν nata sunt) numquam καλὸς καὶ ἀγαθός. Recte Photius: Καλὸς κἀγαθός λέγεται κατὰ συναλοιφὴν οὐχὶ καλὸς καὶ ἀγαθός. Frequentissime in ea re scribae peccarunt, sed quis sanus istos morabitur? Similiter in aliis plurimis isti crasin antiquam aut resolvunt aut plane tollunt, idque in certis quibusdam verbis tam saepe apud omnes Atticos fecerunt ut nemo fere in iis, quae legit sexcenties et quibus dudum aurem habet assue-

factam vitium subesse suspicetur. Quoties etiam nunc apud Demosthenem legitur ἄνθρωπος ubi Philippus, et apud Aeschinem ubi Demosthenes cum contemtu et odio significatur, ubi Orator uterque ἄνθρωπος dixerat. Quam saepe ἀνήρ in Comicorum senariis legitur in optimo quoque Codice, ubi metrum longam syllabam postulat et sententia loci articulum requirit, ut apud Stob. Ecl. Physic. I. ιv. 30.

ἐχθρὸς μὲν ἀνὴρ ἀλλὰ τὴν Δίκην σέβω.

ubi Heerenius pro sua metri peritia edidit ἐχθρὸς ἀνὴρ μέν trochaeum ponens in prima sede: emendavit locum Gaisfordus, et apud Plutarchum in Aristide cap. IV.

σοφὸς γὰρ ἀνὴρ τῆς δὲ χειρὸς οὐ κρατῶν,

ubi Valckenaerius in Diatr. p. 220. vetere opinionis errore ὠνήρ reposuit, quae Dorica crasis est, Atticam ἁνήρ primus restituit Schaeferus. Similiter passim peccatum est in Codd. omnibus in ἀγών, ἀδελφός, Ἀπόλλων, aliis. Multum abest ut hodie vel e poëtis sordes istiusmodi omnes sint expurgatae. Ubi metrum fraudem retegit Critici officio suo funguntur, ubi metrum salvum est minus attendunt animum, ut in Lysistrata 166.

οὐ γὰρ οὐδέποτ᾽ εὐφρανθήσεται
ἀνήρ, ἐὰν μὴ τῇ γυναικὶ συμφέρῃ,

quis praesertim admonitus non videt requiri ἁνήρ? Alio modo in eadem re peccatum est in Avibus vs. 584.

εἶθ᾽ ὅ γ᾽ Ἀπόλλων ἰατρός γ᾽ ὢν ἰάσθω. μισθοφορεῖ δέ.

ubi alteram γ᾽ omittunt libri optimi, perperam et contra metrum, sed prior γε pessime abundat et magistello debetur. Emendandum est εἶθ᾽ Ἀπόλλων ἰατρός γ᾽ ὢν ἰάσθω. Obiter in eadem fabula vs. 722.

ἆρ᾽ οὐ φανερῶς ἡμεῖς ὑμῖν ἐσμὲν μαντεῖος Ἀπόλλων;

revoca fugitivum articulum ἐσμὲν ὁ μαντεῖος Ἀπόλλων. In vicinia vs. 703. subindigneris non esse receptam Dobraei emendationem verissimam et perspicuam in verbis:

ὧδε μέν ἐσμεν
πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μακάρων. ἡμεῖς δ᾽ ὡς ἐσμὲν Ἔρωτος
πολλοῖς δῆλον· πετόμεσθά τε γὰρ καὶ τοῖσιν ἐρῶσι σύνεσμεν,

quicumque enim hoc aget incidet in eandem emendationem, quam Dobraeus primus et solus protulit: ὧδε μέν ἐσμεν πολὺ

πρεσβύτατοι πάντων μακάρων ἡμεῖς. ὡς δ' ἐσμὲν Ἔρωτος πολλοῖς δῆλον. Sed cavendum est mihi ne sensim a proposito imprudens digrediar. Itaque duos locos Aristophanis afferam potius ubi Dorica crasis in -ω ex -οα, quam olim Atheniensibus invitis obtrudebant, Dorice loquentibus iure reddenda est. Alter legitur in Lysistrata 174.

οὐχ ἇς πόδας κ' ἔχωντι ταὶ τριήρεες
καὶ τἀργύριον τἄβυσσον ᾖ παρὰ τᾷ σιῷ,

ubi sic est emendandum:

καὶ τὠργύριον τὤβυσσον ᾖ πὰρ τᾷ σιῷ.

vocabulum scribis inauditum ΤΩΒΥΣΣΟΝ incolume evasit, sed tritissimum τἀργύριον irrepsit in alienam dialectum, quemadmodum et παρὰ pro forma Dorica. Eiusdem generis est apud Hesychium Τὠνόλβιον: τὸ κακόδαιμον e Dorico poëta sumtum. Paucis ante versibus Bergkius male sprevit certam emendationem a multis repertam:

πᾷ κά τις ἀμπείσειεν αὖ μὴ πλαδδιῆν;

pro vitiosa scriptura Codicum πᾷ καί τις ἂν πείσειεν. Solet enim Doricum κα in καί depravari et requiritur compositum ἀναπείθειν *impellere*. Alter locus quem volebam legitur in Pace vs. 214:

κεἰ μὲν οἱ Λακωνικοὶ
ὑπερβάλλοιντο μικρόν, ἔλεγον ἂν ταδί·
Ναὶ τὼ σιώ, νῦν 'Αττικίων δώσει δίκην,

sed quia δωρίσδεν τοῖς Δωριέεσσιν ἔξεστί τε καὶ χρή et necessarius est articulus scribendum est in hunc modum:

Ναὶ τὼ σιώ, νῦν 'Ωττικίων δωσεῖ δίκαν.

Eadem opera redde Thucydidi V. 44. ἀργυρέᾳ εὐλάκᾳ εὐλαξεῖν pro εὐλάξειν, et ipsi Xenophonti in Hellen. IV. iv. 10. Ναὶ τὼ σιώ, ψευσεῖ ὑμὲ τὰ σίγμα ταῦτα, pro ψεύσει. Et δίκαν quidem pro δίκην apud Aristophanem revocavit Bergkius, qui nescio quomodo in seq. senario retinuit barbarismum tam foedum, ut ne ἐξεχρήσατο quidem (quod Bergkius quoque servavit in Thesmoph. vs. 761.) et ἐντέξῃ in Lysistrata 553. sint spurciora, nempe:

εἰ δ' αὖ τι πράξαιντ' ἀγαθὸν ἀττικωνικοί.

Est enim πράττεσθαι ἀγαθόν τι et πράττεσθαι εὖ pro εὖ πράττειν non minus portentosum quam χαίρομαι, γηράσκομαι, προς-

παίζομαι, alia, de quibus supra diximus. Reperit primus omnium veram scripturam Bekkerus, qui intellexit secundam personam *πράξαιτε* a poëta profectam esse repente ad ipsos Athenienses scite admodum orationem convertente. Nae ille minimi pretii homunculus fuit, qui olim tertiam personam requiri putans de suo *πράξαιντ' ἀγαθόν* substituit et tantum non omnes per tot saecula homines doctos ludificatus est. Sed ad propositum redeo: si quis in Aristophanis Codicibus et reliquorum poëtarum viderit crases passim resolvi et obscurari, elisiones negligi et certa omnia convelli metro iugulato, Codices ad unum omnes in talibus contemnere audebit et reponere ubique quod sana ratio et dicendi usus postulabunt. In Platonis Symposio pag. 199 E. legimus: *ἆρα ὁ πατήρ ἐστι πατήρ τινος; — οὐκοῦν καὶ ἡ μήτηρ ὡσαύτως; — τί δαί; ἀδελφὸς αὐτὸ τοῦτο ὅπερ ἐστὶν ἔστι τινὸς ἀδελφὸς ἢ οὔ;* satin certum esse putas crasin obscuratam esse in *τί δαί; ἀδελφός* — ut in *ὁ πατήρ, ἡ μήτηρ?* In eodem Sympos. p. 220 C. pro *ἄνθρωποι ᾐσθάνοντο* facile intelligetur *ἅνθρωποι* verum esse et eodem modo in Hellenicis tribus locis *ἅνθρωποι* rescribendum est ubi nunc male legitur *ἄνθρωποι*, II. III. 29 et IV. I. 34 et VI. III. 10. Restituenda item crasis est I. V. 7. in *προὐφειλόμενον*: dicebant enim Attici *προὐφείλω* et *προὐώφειλον*, *προὐφείλεται* et *προὐωφείλετο*, itaque *προὐφειλόμενον* genuinum est. Quis dubitabit Thucydidi reddere I. 32. *εὐεργεσίας μεγάλης προὐφειλομένης* (libri omnes *προοφειλ.*) quum viderit librarios in Aristophanis Vespis quoque vs. 3. *προὐφείλεις* in *προὔφειλες* barbaram formam convertisse, alibi *προσοφείλειν* scribere et alia peccare in forma sibi plane incognita. Imperfectum et alibi legitur et apud Antiphontem Orat. V. § 61. *εἴπερ προὐωφείλετο αὐτῷ κακόν.* Eadem opera Thucydidi redde I. 15. *οἱ προὔχοντες* ubi vulgatur *οἱ προσχόντες*.

In Hellen. I. II. 26. videtur indoctis librariis deberi scriptura *δόξαντος τούτου*, qui Atticum dicendi genus in *δόξαν τοῦτο, δόξαντα ταῦτα, δεδογμένον, συνδοκοῦν*, aliaque istiusmodi, ut *εἰρημένον*, depravare solent sic ut pro accusativis quos mirantur substituant genitivos. Itaque *δόξαν τοῦτο* reponendum esse censeo eodemque modo interpolatum esse suspicor I. VII. 30. *δοξάντων τούτων* pro *δόξαν τοῦτο* et V. II. 24. *δοξάντων δὲ καὶ*

τούτων pro δόξαν δὲ καὶ τοῦτο. Intactum evasit II. iii. 51. συνδοκοῦν ἅπασιν ὑμῖν, et V. i. 1. συνδόξαν, et δόξαντα δὲ ταῦτα καὶ περανθέντα III. ii. 19. ubi vid. Schneider. et Dindorfium. Ambustum est προςαχθὲν II. iii. 35. ἀλλ' ἐκεῖνοι ἔφασαν προςαχθέν μοι ὑφ' ἑαυτῶν οὐκ ἀνελέσθαι τοὺς δυςυχοῦντας ἐν τῇ περὶ Λέσβον ναυμαχίᾳ, plerique libri προςαχθέντα με exhibent ex interpolatione manifesta, meliores προςαχθέν μοι optime servarunt. In I. iii. 20. pro εἰσήγαγον τὸ ςράτευμα Graecitas postulat εἰσηγάγοντο τὸ ςράτευμα. In I. vi. 37. ἔθυε τὰ εὐαγγέλια vitiose abundat articulus, namque εὐαγγέλια θύειν constanter omnes dicebant non τὰ εὐαγγέλια. Unum exemplum proferam ut mendo liberem. Aristoph. Equitt. 654:

ἄνδρες, ἤδη μοι δοκεῖ
ἐπὶ συμφοραῖς ἀγαθαῖσιν εἰσηγγελμέναις
εὐαγγέλια θύειν ἑκατὸν βοῦς τῇ θεῷ.

corrigendum videtur, quia εἰσαγγέλλειν in tali re locum non habet, ἀγαθαῖσι ταῖς ἠγγελμέναις et apud Xenophontem: ἔθυέ τε εὐαγγέλια καὶ τοῖς ςρατιώταις παρήγγειλε δειπνοποιεῖσθαι.

Nemo Atticorum dicebat πενταδραχμίαν, quod II. vi. 12. occurrit, sed πεντεδραχμίαν omnes: frequens admodum hoc vitii genus est, frequentius etiam illud, ut πενταέτης, δεκαέτης, τριακονταέτης scribatur saepe apud Thucydidem et alios pro πεντέτης, δεκέτης, τριακοντούτης, sim. In dicto Polyeucti εἰς ἀποπληκτικόν τινα Σπεύσιππον apud Aristot. Rhet. III. 10. μὴ δύνασθαι ἡσυχίαν ἄγειν ὑπὸ τῆς τύχης ἐν πεντασυρίγγῳ νόσῳ δεδεμένον scribendum esse πεντεσυρίγγῳ etiam hinc apparet quod in animo habebat τὸ δεδέσθαι ἐν πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ. cf. Aristoph. Equit. 1049.

Numquam dixerunt Athenienses κρινέσθωσαν quod legitur I. vii. 25. sed κρινέσθων omnes. Nimis saepe forma Macedonicae aetatis in -έσθωσαν et -άσθωσαν in libros Atticorum irrepsit, sicuti et -έτωσαν pro -όντων et -άτωσαν pro -άντων. In Menandro demum et aequalibus ista ferri possunt, in Thucydide et Xenophonte non possunt. Postquam antiqua forma Attica plane in desuetudinem abiisset, ut nemo praeter eruditos linguae Veteris imitatores formis in -όντων, -άντων et -έσθων, -άσθων uteretur, veteres scripturae in magno discrimine versari coeperunt. Aristarchus in Homeri carminibus sedulo illas

formas appicta *διπλῆ σημειοῦται* et vulgari forma apposita interpretatur, veluti Θ. 517. *ἀγγελλόντων: ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ ἀγγελλέτωσαν*, et Θ. 521. *καιόντων: ἡ διπλῆ ὅτι ἀντὶ τοῦ καιέτωσαν*, et passim, quae nobis paene puerilia videntur. Sedulo eadem magistri linguae antiquae annotant: Moeris p. 15: *Ἀγόντων, ᾀδόντων Ἀττικῶς. ἀγέτωσαν, ᾀδέτωσαν Ἑλληνικῶς*, sed caveri non potuit quin saepius noviciae formae *ἐκ τῆς συνηθείας* in vetera monumenta insinuarent sese. Quis credat Thucydidem caeteris omnibus locis Attica forma recte usum semel I. 34. potuisse scribere: *μαθέτωσαν ὡς πᾶσα ἀποικία εὖ πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν?* Nemo, ut opinor, qui quidem in Atticorum scriptis diu et multum fuerit versatus, sed *μαθόντων* olim fuisse scriptum intelliget, deinde interpretamentum veteris lectionis sedem occupasse. Antiquissima scripturae vitia, pervetusti scribarum errores nonnumquam ipsam Atticorum manum ad nos prope inviolatam transmiserunt: in quo genere nihil est luculentius quam palmaria Valckenaerii emendatio in Thucydide V. 79. *ταὶ ἄλλαι πόλιες κοινανεόντων τᾶν σπονδᾶν* pro absurda librorum omnium scriptura *κοινᾶν ἐόντων.* Simile indicium verae lectionis est in Xenophontis Hierone VIII. 3. ubi deprehendes *ἐπ' αὐτοφώρῳ* Graeculos antiquam imperativi formam obscurantes et pessumdantes. Editur *ἐπαινεσάντων ἀμφοτέρων τὸν αὐτόν*, ex vicinis facile colliges rescribendum esse *ἐπαινεσάντων ἀμφότεροι τὸν αὐτόν*, deinde emenda *θεραπευσάντων* et *δόντων* pro *θεραπευσάτωσαν* et *δότωσαν.* Duo exempla insigniora eiusdem fraudis exstant apud Onosandrum cap. IV. p. 50. ubi in omnibus libris est *ὀρθοὶ δ' ἑστῶτες τῶν φυλασσόντων*, sed rectissime Schwebel. *τῶν* expunxit et imperativum *φυλασσόντων* multis exemplis munivit. Post pauca libri exhibent *καὶ ὄντων δὲ τῶν φυλάκων πυρά*, unus *καὶ ὄντων δὲ οἱ φύλακες πυρά*, optime Schwebel. emendavit: *καιόντων δὲ οἱ φύλακες πυρά.*

Redeo ad Xenophontis locum eundem I. vii. 23. ubi corrigendum est *ὁποτέρῳ βούλεσθε τῶν νόμων* pro *τῷ νόμῳ*, ne soloeca sit oratio et Latinae quam Graecae similior.

Delitescit Attica forma satis tuto sed nimis diu II. ii. 3. in corrupta lectione *Ἱστιέασ*, quod non in *Ἱστιαιέας* fuerat mutandum sed in *Ἱστιαιᾶς*, ut solent Attici, de qua re nunc quidem

satis constare arbitror, quamobrem revoca III. v. 6. genuinam lectionem Μηλιᾶς, et IV. ii. 20. Θεσπιᾶς, et IV. iv. 10. Στειριᾶ, et V. iv. 10. Πλαταιᾶς, et VI. v. 22. Ἡραιᾶς, et VII. v. 2. Εὐβοᾶς, et similia multa alibi. Non potest enim ulla superesse dubitatio quin olim haec omnia constanti usu fuerint contrahi solita. Satis id evincunt praeter ipsam analogiam ingeniumque linguae antiquioris disertissima Criticorum testimonia, loci poëtarum omnes, optimorum librorum lectiones, scribarum errores longe vetustissimi. Nunc postquam Graeculorum in his ad suam consuetudinem refingendis temeritas et impudentia tam saepe deprensa et castigata est, quid dubitabimus amplius quod verum esse constet ubique recipere? In Thucydidis Codd. antiquioribus multo et integrioribus quam sunt Xenophontei manifesta antiquae lectionis vestigia impressa videmus, cuiusmodi sunt ἁλίας I. 105. δωρίας I. 107, ἑστιαίας I. 114. pro Ἁλιᾶς, Δωριᾶς, et Ἑστιαιᾶς. Caeterum conf. Dindorf. ad Hellen. VI. iii. 5.

Ridicula forma sequiorum conspicitur II. iii. 49. ἐσχατώτατα pro ἔσχατα. More Attico II. iv. 11. scribendum est εἰς τὴν Ἱπποδάμειαν ἀγοράν, non Ἱπποδάμειον. Sic enim loquebantur Athenienses, quemadmodum et Διομήδεια ἀνάγκη dicebant et Ἀκαδήμεια. Tralaticio errore Ἱπποδαμία ἀγορά appellatur in Andocidis oratione I. 45. (siculi omnes propemodum constanter errare solent in Ἀκαδημία pro Ἀκαδήμεια, etiam in poëtarum locis iugulato metro) et Ἱπποδαμία male omisso ἀγορά apud Demosthenem pag. 1190, ubi nunc recte Dindorfius ἐν τῇ Ἱπποδαμείᾳ reposuit sed ἀγορᾷ de more additum oportebat idque in suo Codice Harpocration legerat, qui v. Ἱπποδάμεια annotavit: Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Τιμόθεον ἀγοράν φησιν εἶναι ἐν Πειραιεῖ καλουμένην Ἱπποδάμειαν. Paucos iam superesse suspicor qui nesciant nostri ubique esse arbitrii utrum ει an ι sit scribendum constituere, namque nullum esse Codicem Ms. cui in ea re quidquam credi possit: ubique in Codd. certissima omnia convelli et ruere, et ridiculum adeo esse illorum fide uti, qui et numquam sibi constent et sexcenties in manifestis mendaciis soleant deprehendi. Huius rei quum in unoquoque Codice cuiuslibet scriptoris sint certa indicia atque eadem negligentia iuxta in antiquissimis recentissimisque li-

bris appareat, neque illi amplius testes producendi sunt neque ista pars discrepantis scripturae posthac colligenda erit et edenda. Cuius rei quanta sit futura utilitas et quantum emolumenti in severa Litterarum studia et Criticam facultatem in iuvenilibus animis excitandam et alendam et acuendam sit inde redundaturum quid opus est multis demonstrare, satis enim superque res pro se ipsa loquitur. Quanta sentina futilium lectionum et quisquiliarum minimi pretii, minimi autem? nullius prorsus pretii et ingeniosos homines obtundentium et enecantium, posset exhauriri si tandem aliquando philologi sapere auderemus. Quanta pars discrepantium scripturarum est plane inutilis, quae intelligentibus nil nisi fastidium et taedium et nauseam parit, caeteros omnes aut odio absterret aut, si ab iudicio sunt infirmiores, transversos agit et ad *ματαιοτεχνίαν* quamdam impellit et allicit, qua nihil est a vera Critica alienius. Quae genera lectionum abiici cum litterarum emolumento oporteat facile est unicuique ad constituendum, qui aut Codices multos versaverit aut materiam ex multis Codd. congestam diligenter excusserit et in originem mendorum haud segniter inquisiverit. Utrum *αι* an *ε* sit ubique legendum nostri arbitrii est et ex Graeci sermonis accurata notitia et ex cuiusque loci ratione et ingenio sic colligere et definire ut nullus controversiae vel dubitationi locus relinquatur. Non est unus Codex Graeci scriptoris tam antiquus et tantae auctoritatis ac fidei in quo non saepe ridiculum in modum *αι* et *ε* ita permisceantur, ut sana ratio, dicendi usus, certa analogia et in poëtis metrum quoque pessumdetur et ruat. Ineptum est, ut hoc utar, librorum auctoritatem expendere ad constituendum utrum *καινόν* an *κενόν* verum sit apud Thucyd. III. 30. *νομίσαντες οὐκ ἄλλο τι εἶναι τὸ καινὸν (κενὸν) τοῦ πολέμου ἢ τὸ τοιοῦτον.* Numquam ex libris extundes utra scriptura sit verior in Philemonis fragmento Zenonem ridentis:

φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ.
πεινῆν διδάσκει καὶ μαθητὰς λαμβάνει,

καινήν dedit Diogenes Laërt. VII. 24. *κενήν* Clemens Alex. Strom. II. p. 413. Similiter utrum *ει* an *ι* sit ubique scribendum, sive *ι* productum est sive correptum, nostrum est in

quoque loco nulla Codicum ratione habita constituere. Similiter sitne ει an ιει scribendum nobis ipsis est videndum iudicandumque, quoniam in his quoque Punica librorum fides est et antiqua lingua ad sequiorum socordiam ιει in ει depravantium reficta est. Dicebant Veteres ὑγίεια, ταμιεῖον, Ὀλυμπίειον, τὰ Ἁλίεια, alia sexcenta, in quibus ιει ex certa analogia concurrebant. Sequiores spreta et ignorata analogia ὑγεία coeperunt dicere et ταμεῖον cett., deinde librorum veterum scripturas ad sua vitia accommodare. Quod ubi semel manifesto deprehensum erit et invictis argumentis exemplisque demonstratum quid quaeso proderit passim singulis locis subiicere certae emendataeque scripturae notos errores et pervulgata homuncionum vitia? Fac periculum ubi tu voles, videbis pro ιει ex scriptis libris ει absurde scriptum afferri in quocumque vocabulo ιει olim coniungi solebant. Quod nuper ex Demosthene afferebam διοικεῖν pro διοικιεῖν absurde scriptum pag. 59, 15. et dicebam emendatam scripturam διοικιεῖν in egregio Cod. S. Parisino exstare, sequebar Dindorfium, qui in editione Lipsiensi errorem suum corrigens docuit in optimo Codice haud secus atque in pessimo quoque vitiosam et absurdam scripturam διοικεῖν apparere. Sed quid moramur Codices in re manifesta? Hoc teneamus penes nos solos esse statuere utra scriptura ubique vera sit, unde consequitur nostra nil referre quidquid in talibus libri et librarii discrepant. Subridebimus ubi ὑγεία scriptum esse videbimus aut ταμεῖον aut quidquid est huiusmodi, praesertim ubi ob fidem librorum istas sordes aut commendari videbimus aut retineri aut recipi. In poëtis nemo curat librarios. Quam saepe Critici ὑγίεια iubente metro reposuerunt pro ὑγεία. Alexidis fragmentum est apud Clem. Alex. Paedag. II. p. 179. καθὰ καὶ ὁ Κωμικός φησί που· μύροις ὑπαλείφεται τὰς χεῖρας ὑγείας μέρος μέγιστον ὀδμὰς ἐγκεφάλων χρηστὰς ποιεῖν. Fugit hic locus Meinekium quum idem fragmentum ex Athenaei duobus locis p. 46 A. et 687 D. ederet. Ex Clemente recipiendum μύροις ὑπαλείφεται, (apud Athenaeum μύροις male omissum est et legitur verbum nihili ἐναλείφεται) et sic scribendum:

μύροις
ὑπαλείφεται τὰς ῥῖνας, ὑγιείας μέρος

μέγιςον ὄσμὰς ἐγκεφάλῳ χρηςὰς ποιεῖν.

apud Clementem vetus scriptura PEINAΣ pro ῥῖνας absurde in χεῖρας reficta est. Menander apud Harpocrat. v. Κτησίου Διός in Codd. dixisse narratur:

ἔχοντα τὸ ταμεῖον οὐ κεκλεισμένον,

sedulo ταμιεῖον reponunt, sed eodem iure ubique utendum. Solis feriae in insula Rhodo τὰ Ἁλίεια appellandae erunt etiamsi omnes Codd. contra stabunt. Apud Athen. p. 561 E. in Cod. Marciano est: ῥόδιοι δὲ τὰ αλεια (sine accentu), in apographis τὰ ἅλια, perperam utrumque. Apud Aristidem in Rhodiaca II. p. 398. Cant. τὸν τῶν Ἁλίων ἀγῶνα ποιήσετε, pessime. Recte τὰ γὰρ Ἁλίεια τὰ μεγάλα dicuntur a Lysippo Comico apud Dicaearchum in Descript. Graec. § 4. Recurrit vitium idem apud Iulianum pag. 156 C. τοῖς Κρονίοις συνάπτει τὰ Ἥλια pro Ἡλίεια. Formam nominis analogiae leges subiiciunt, non libri, quibus si credimus Λυσάνδρια in insula Samo celebrata fuerunt. Bis enim ista scriptura in libris recurrit apud Plutarch. Lysand. XVIII. sed contemtis scribis Λυσάνδρεια fuisse tenebimus. Apud Thucydidem I. 53. κηρυκίου confidenter mutabimus in κηρυκείου, et I. 99. λειποςράτιον in λιποςράτιον, et IV. 67. Ἐνυάλιον in Ἐνυαλίειον, libris valere iussis, analogiam usu confirmatam secuti. Quis credet libris Ἀρχιδάμιος πόλεμος Graecum esse aut ἐπικούριος aut ἀριςάρχιος aut ποσειδῶν ἀσφάλιος? Saepissime haec et alia id genus comparent in libris omnibus. Multos fefellit καθάριος pro καθάρειος scriptum, et sunt loci innumerabiles ubi I scriptum est sed EI est vera scriptura, aut contra ubi EI pro ι producto exaratum est, ut in Ὄσειρις, Βούσειρις, νείφω pro νίφω, ἄμεικτος, μεῖξαι, Φιλεῖνος, alia innumera, aut (quod multo rarius est) ει pro ι correpto est positum. Itaque in scriptura cuiuslibet vocabuli definienda aut corrigenda nihil refert utrum ει an ι in Codd. legatur. Nemo mihi non dabit in Lysia VI. 4. pro ΘΥΣΙΑΣΟΥΣΙ corrigendum esse θυσίας θύσει, aut contra Cantero apud Alexidem Athen. p. 692 F. pro πείθει θαρρῶν ipsam poëtae manum esse πῖθι θαρρῶν, et est eadem perspicuitas in permultis aliis. Quoties autem EI prisco more scriptum pro ι producto turbas dedit, ut in ὃς δ' εὐγλωσσίαν εἰ καί pro εὐγλωσσίᾳ νικᾷ in Valcken. Diatribe p. 261. et κρείους pro κριούς

apud eund. ad Phoen. 44. et *τὸν δ' εἶδεν ἀςόν* pro *τονδὶ δὲ νᾳςόν* apud Hering. Observatt. p. 279. qui de industria hoc genus mendorum retegens p. 273—289. eximiis emendationibus multos multorum locos in integrum restituit, in his apud Herodotum VI. 28. pro *δειμαινούσης οἱ τῆς ςρατιῆς* egregie emendans *λιμαινούσης* p. 277. In Epistol. Socratic. XII. pro *λιμοῦ καὶ δίψης* in libris est *ἀεί μου καὶ δίψης*, correxit Koen. ad Greg. Corinth. p. 663. Multa his similia leguntur apud Criticorum principes. Nemo ex Codd. cognoscere poterit utrum *πίνῃ* an *πεινῇ* sit scribendum, *λιπεῖν* an *λείπειν* (unde tot vitiosa vocabula nata sunt *λειποτάξιον*, *λειποψυχεῖν* cett. pro *λιπο-*), *πείθεσθαι* an *πιθέσθαι*, *ἔρις* an *ἐρεῖς*, *εἰδῆς* an *ἴδῃς*, *ἀποτίνω* an *ἀποτείνω*, *ςρατιά* an *ςρατεία*, *παιδεία* an *παιδιά*, et ubi finem inveniam? Quam saepe ex libris afferuntur *ἥδειον* et *βέλτειον* et *αἰκεία* et *ὄρνεις*, quod *ὄρνις* ubique scribendum. Omnium usu recepta sunt *Φιλόνεικος*, *Φιλονεικία*, *Φιλονεικεῖν*, quae quum e *νίκη* propagata sint (e *νεῖκος* enim *Φιλονεικής* natum fuisset) sequitur *Φιλόνικος* cett. scribi oportere. Simili errore natum est verbum *γείνομαι* et *γεινόμενος* et *τὰ γεινόμενα*, quum scribae pro *γίγνομαι* dare solerent *γίνομαι* idque propter *ι* productum ΓΕΙΝΟΜΑΙ scriberetur. Semper mihi absurdum et barbarum visum est in Aristophanis Avibus nomen Πεισθέταιρος neque umquam dubitavi quin Πισθέταιρος genuina forma esset, ut Πιςόξενος. Reperit nomen ipsum Πισθεταίρου in antiqua inscriptione Rangabé, quem nollem in ea re futiles et pueriles suspiciones protulisse, quae leguntur in eius *Antiq. Hellén.* T. II. pag. 839.

Eadem est peccandi frequentia in ΑΙ et Ε absurde permiscendis: *τὰ πεδία* fiunt *παιδία*, *ἔλεον* appellant *ἔλαιον*, contra urbs Ἐλαιοῦς ab olivarum frequentia nomen adepta stultissime *ἐλεοῦς* in libris appellatur. Nemo *ἐπὶ κέρως* et *ἐπικαίρως*, Ἀχαιῶν et *ἀχέων*, *ἐνοῦσιν* et *αἰνοῦσιν*, *ἐρῶ* et *αἴρω*, *ἑτέρους* et *ἑταίρους* inter se distinguit et alia numero carentia in omnibus libris susque deque habentur. Quam saepe pro *ἀνέδην* in libris omnibus legitur absurdum *ἀναίδην*, quod olim pro vocabulo Graeco habebatur. Sitne *πέσωμεν* an *παίσωμεν* scribendum, *ἐξέπεσεν* an *ἐξέπαισεν*, *οἴονται* an *οἷόν τε*, *οὐ μένειν* an *θυμαίνειν*, *ἔνεον* an *ἔναιον* ex Codd. sciri nequit: utra scriptura

vera et sana sit nusquam dubium esse potest. Neque quisquam dubitabit umquam quin vera scriptura sit in Hellen. II. IV. 26. *περιέτυχον τῶν Αἰξωνέων τισίν* a Palmerio Valckenaerioque reperta pro *τῶν ἔξω νέων*, quod libri habent ad unum omnes. Neque minus evidens est quod in libro *περὶ ἱππικῆς* IV. 2. Camerarius reposuit *τὸ σῶμα ὑπεραιμοῦν δεῖται θεραπείας*, pro *ὑπερεμοῦν* librorum omnium lectione. Nemo adhuc in Aeschinis Ctesiphontea § 165 *Ἀχαιοὶ πάντες πλὴν Πελληναίων* manifestum errorem deprehendit et necessarium *Πελληνέων* restituit. Nonnumquam nova labes ex illo pervulgato errore nascitur, ut apud Iulianum p. 278 B. *παρὰ τῶν πλησίον πόλεων ἐπιθεὶς ἐπικουρίαν ὧν εἶχον τὸ πλεῖστον ἐκείνοις δοὺς αὐτὸς ἀπελείφθην μόνος*, vitiosum *ἐπιθείς* natum est ex ΑΙΠΙΘΕΙΣ, in quo latet ΑΙΤΗΘΕΙΣ, *παρὰ τῶν πλησίον πόλεων αἰτηθεὶς ἐπικουρίαν*. Apud Andocidem Orat. II. 24. in libris est *τοῦτ' ἀναίτιον* pro *ταυτὸν ἔτι ὄν*.

Quid igitur refert scire utrum *Αἴγινα* et *Αἰγιναῖον* sit in Codd. scriptum an *αἴγεινα*, *ἔγεινα*, *αἰγεινέοι* et sim. Legitur *Αἰγεινέοι* apud Hesychium et *Αἰγεινέος ὀβολός*, et apud Plutarchum in Proverb. Centur. II. 6. *ἐγείνατο* pro *Αἴγινα τρ(έφει)*. Pro *ἐχῖνον* apud Demosthenem p. 1205, 26. in Cod. S. *αιχεινον* scriptum est. Nonnumquam *σιτόδεια* in *σποδία* abiit (ut in Theophrasti Char. XXIII. 5. ubi Codd. *ἐν τῇ σποδίᾳ*, Casaubonus *σιτοδείᾳ* reperit) et apud Hesychium I. p. 1504. pro *εὐπάθεια* legitur *εὔπλοια*. Nempe confunduntur ΑΘ et ΛΟ, ut in *εὖ παθεῖν* — *εὐπλοεῖν*, *ἀντίπλοια* — *ἀντιπάθεια*, *ἀκρόπαθοι* — *ἀκρόπλοοι* (Heringa Observ. p. 59.) itaque ΕΥΠΑΘΙΑ in *εὔπλοια* depravatum est, sed in his omnibus periti quid verum sit continuo dispiciunt. Nonnumquam, ut modo diximus, pervulgata haec vitia novos errores trahunt: *φέρω* ubi *φαίρω* scriptum est solet in *φαίνω* converti, unde saepissime *φαίνομαι* et *φέρομαι* inter se mutant locum. *Ἀφεθείς* in *ἀφαιθείς* corruptum refingitur in *ἀφαιρεθείς*. *Κλεινόν* ubi *κλινόν* factum est, induit novam formam scribiturque *καινόν*. *Ἀπέτισεν* apud Demosth. p. 1201, 28. in Cod. S. mutatum est in *ἀπαίτησεν*. Felicissima est Dobraei emendatio in Diodori Comici fragmento apud Athen. p. 431 C.

πίνει τὸ λοιπὸν, τοὺς λογισμοὺς δέξαιμι,

vidit vir sagacissimus ΔΕΞΑΙΜΙ tralaticio vitio duplici scriptum esse pro ΔΕΞΕΜΕΙ et emendandum esse:

πίνει τὸ λοιπὸν, τοὺς λογισμοὺς δ' ἐξεμεῖ.

Neque minus acuta et felix est correctio, qua Valckenaerius (ad Herod. VI. 63.) restituit locum Teletis apud Stob. Floril. XCVII. 31. τῶν μὲν εἰδῶν ἀποπυρίδα ποιήσας περιχέας ἂν ἐλάδιον καθίσας ἠρίστησεν. Vidit enim in μὲν εἰδῶν latere μαινίδων, quod genus pisciculorum homines pauperculi esitabant. Postquam ΜΑΙΝΙΔΩΝ in ΜΕΝΙΔΩΝ depravatum est exstitit ridicula scriptura μὲν εἰδῶν.

Quoniam igitur in unoquoque vocabulo Graeco nostro arbitratu licet αι et ε, ει et ι, ει, ι et ιει inter se permutare neque ulla sit in talibus Codicum Mss. auctoritas, ne tenuissima quidem, quid quaeso prodest farraginem istiusmodi mendorum et futilium scripturarum ex Codd. corradere et istas quisquilias nemini umquam profuturas, sed multis etiam nocituras edere in lucem? Quantum lectionum absurdarum sic exhaurietur ubi semel inanis librorum auctoritas desinet formas ridiculas tueri, sed ad vindicandam lectionum fidem ratio et usus linguae Graecae requirentur et sola valebunt. Quam multa sunt alia eiusdem generis, quae sine ullo detrimento possint resecari et abiici, de quibus alias dabitur identidem dicendi locus. Itaque ΙΠΠΟΔΑΜΙΑ quomodo emendate scribendum sit, reiecta librorum superstitione, nemo ambiget et ad reliqua pergo.

Non est bene Graece dictum quod legitur II. III. 45. ἃ δ' αὖ εἶπεν ὡς ἐγώ εἰμι οἷος ἀεί ποτε μεταβάλλεσθαι sed requiritur ὡς ἐγὼ εἴην. Semper Xenophon in tali re optativum ponit, qui prorsus est necessarius si quis quid ab alio dictum esse refert quod ipso iudice mendacium est: in qua re multi ἄρα addunt, ὡς ἄρα ἐγὼ εἴην. Idem remedium exspectat Demosthenes p. 548, 16. ἐτόλμα περὶ ἐμοῦ λέγειν ὡς ἐγὼ τὸ πρᾶγμ' εἰμὶ τοῦτο δεδρακώς, imo vero εἴην τοῦτο δεδρακώς. Saepius ΕΙΜΙ et ΕΙΗΝ vidi permisceri. Bis in Platonis Apologia id factum est: pag. 37 B. πολλοῦ δέω κατ' ἐμαυτοῦ ἐρεῖν αὐτὸς ὡς ἄξιός εἰμί του κακοῦ, corrige ὡς ἄξιος εἴην, et post pauca p. 37 C. πολλή μέντἄν με φιλοψυχία ἔχοι, εἰ οὕτως ἀλόγιστός εἰμι, rescribe ἀλόγιστος εἴην. Periit optativi for-

ma cum magno sententiae detrimento in Hellen. I. vi. 32. *εἶπε πρὸς αὐτὸν ὅτι εἴη καλῶς ἔχον ἀποπλεῦσαι. αἱ γὰρ τριήρεις τῶν Ἀθηναίων πολλῷ πλέονες ἦσαν.* Ut appareat ex Hermonis persona haec dici (id quod manifestum est) emenda *εἴησαν* et compara ne dubites Hellen. VII. i. 23. *λέγων ὡς μόνοις μὲν αὐτοῖς πατρὶς (ἡ) Πελοπόννησος εἴη. μόνοι γὰρ αὐτόχθονες ἐν αὐτῇ οἰκοῖεν*, et III. ii. 23. *ἀποκριναμένων δὲ τῶν Ἠλείων ὅτι οὐ ποιήσοιεν ταῦτα. ἐπιληΐδας γὰρ ἔχοιεν τὰς πόλεις*, ubi Dindorfius affert Anab. VII. iii. 13. *ἔλεγον ὅτι παντὸς ἄξια λέγει Ξενοφῶν. χειμὼν γὰρ εἴη*, ubi *λέγοι* quod multi libri servant etiam sine libris certa emendatione reponi debuisset.

Saepius apud Oratores illa orationis forma occurrit, ubi non tantum *γάρ*, sed *οὖν* quoque et *δέ* in talibus cum optativis coniunguntur, etiam ubi accusativus cum infinitivo praecedit, ut apud Lysiam Orat. XIII. 78. *λέγων — νῦν μὲν δεῖν αὐτοὺς ἡσυχίαν ἔχειν. εἰ δέ ποτε οἴκαδε κατέλθοιεν τότε καὶ τιμωρήσοιντο τοὺς ἀδικοῦντας.* Adscribam locum ex Demosthene, ut alium in vicinia emendem. Legitur in Orat. L. 50. *ἀποκρίνεται αὐτῷ ὅτι τριήραρχός τε ἐγὼ τῆς νεὼς εἴην καὶ ὑπεύθυνος καὶ τὸν μισθὸν παρ' ἐμοῦ λαμβάνοι. πλεύσοιτο οὖν οἷ ἐγὼ κελεύω.* In eadem oratione § 44. scriptum est: *ᾔδειν οὖν ὅτι οὗτος μὲν παραλαβὼν (τὴν ναῦν) κακῶς ἤμελλε τριηραρχήσειν. οὔτε γὰρ τῷ τριηραρχήματι οὔτε τοῖς ἐπιβάταις καὶ τῇ ὑπηρεσίᾳ χρήσοιτο. οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ παραμενοῖ.* In his alia forma vetus Attica feliciter evasit, alia vitium concepit: *ᾔδειν οὖν* pro *sciebat* elapsum est, quamquam sciolorum manus apparet in multis libris *ᾔδει* pro *ᾔδειν* exhibentibus. Sed *παραμενοῖ* forma est nihili. In Codd. omnibus est *παραμένει*, in uno S. scriptum *παραμενεῖ*. Optativum requiri certum est: itaque Bekkerus de suo dedit *παραμενοῖ*, quod retinuit Dindorfius. Sed futura contracta in *-ῶ* habent optativum in *-οίην*, *ἐροίην*, *γνωριοίην*, *στελοίην*, *διαφθεροίην*, alia. Itaque *παραμενοίη* scriptum oportuit eademque medicina utendum ubique est, ubi nunc *λοιδοροῖμι*, *μαστιγοῖμι* et similia in Oratorum Codicibus occurrunt. Eadem medicina Isocrati adhibenda est in Orat. XVII. 21. *λέγων ὅτι — ὁμοίως ἐνθάδε καταγέλαστος ἔσοιτο. ὁ γὰρ παῖς, ἐὰν βασανίζηται, περὶ πάντων τἀληθῆ κατερεῖ.* Fuit qui *κατεροῖ* reponeret, at tu *κατεροίη* repone. Duobus locis apud

Lysiam eadem opera optativus restitui potest. Alter est in Orat. XXX. 20. οὐχ οἷόν τε εἰπεῖν ὡς οὐχ ἱκανὰ εἶναι προσῆλθε τῇ πόλει, absurda scriptura εἶναι nata est ex ΕΙΗΑ et emendandum ὡς οὐχ ἱκανὰ εἴη ἃ προσῆλθε. Secundus locus legitur in Orat. XXII. 3. διαβάλλειν ἐπεχείρουν με λέγοντες ὡς ἐγὼ σωτηρίας ἕνεκα τῆς τῶν σιτοπωλῶν τοὺς λόγους τούτους ἐποιούμην, ubi tam abs re alienum est imperfectum ἐποιούμην atque necessarius est optativus ποιοίμην.

Eiusdem formae futurum atque μενοίην et ἐροίην reddendum Isaeo est in Orat. IX. 24. λέγων ὅτι θεῖος εἴη Ἀστυφίλῳ καὶ ἀποφαίνοι διαθήκας ἐκεῖνον καταλελοιπότα εἴ τις αὐτῷ κοινώσαιτο, tam vitiosum est praesens ἀποφαίνοι atque aoristus κοινώσαιτο. Non id *facere* se homo dictitabat sed *facturum*: itaque ἀποφανοίη rescribendum est, quo facto statim apparebit κοινώσοιτο verum esse. Eadem opera emendabis § 25. ἐπηγγέλλετο περιϊὼν διαθήκας ἀποφαίνειν εἴτις αὐτῷ κοινώσαιτο, imo vero ἀποφανεῖν et κοινώσοιτο. Solent librarii in talibus futuri formas contemerare et aoristos perinepte substituere, ut apud Demosthenem in Orat. LIX. 38. ἐπάρας δὲ αὐτὴν τῷ λόγῳ καὶ φυσήσας ὡς κλαύσοιτο ὁ Φρυνίων εἰ ἅψαιτο αὐτῆς, quis non videt ἅψοιτο requiri? Apud Antiphontem Orat. V. 50. pessime editur: ἐπεὶ καὶ οὗτος ἠπίστατο ὅτι τότε παύσαιτο στρεβλούμενος ὁπότε εἴποι τὰ τούτοις δοκοῦντα, satis certum est corrigendum esse παύσοιτο. Praemisi haec ipsius Xenophontis causa, qui simili mendo inquinatus est in Hellen. III. IV. 15. ubi editur: γιγνώσκων δὲ ὅτι εἰ μὴ ἱππικὸν ἱκανὸν κτήσαιτο οὐ δυνήσοιτο κατὰ τὰ πεδία στρατεύεσθαι, sed facile intelligitur κτήσοιτο a Xenophontis manu esse profectum. Idem vitium manifestum tenetur apud Demosthenem in Orat. XLIX. 66. ἴστε γὰρ δήπου ἐν τῷ δήμῳ ὀμόσαντα καὶ ἐπαρασάμενον αὐτῷ ἐξώλειαν εἰ μὴ γράψαιτο Ἰφικράτην ξενίας, quis non videt γράψοιτο esse reponendum? Similis orationis forma saepe apud alios invenitur, saepissime apud Xenophontem, veluti II. III. 17. ἔλεγεν ὁ Θηραμένης ὅτι εἰ μή τις κοινωνοὺς ἱκανοὺς λήψοιτο τῶν πραγμάτων ἀδύνατον ἔσοιτο τὴν ὀλιγαρχίαν διαμένειν, et alibi passim. Forma λήψοιτο non facile depravari potuit, sed ποιήσοιτο, παύσοιτο, πειράσοιτο et sim. raro evadunt sine malo. Restituendus pariter optativus est III. II. 14. ἤκουσεν ὁ Δερ-

κυλίδας ὅτι πάλιν πεπερακότες εἰσὶ τὸν Μαίανδρον, imo vero πεπερακότες εἶεν, et III. i. 3. ὅτι Κῦρον ἀντ' ἐκείνου ᾑρημέναι ἦσαν emenda ᾑρημέναι εἴησαν. In II. iv. 13 mendum est in verbis ὅσοις τὸ πλεονεκτεῖν μόνον ἔμελεν, tu corrige τοῦ πλεονεκτεῖν.

Ex nota recentiorum negligentia irrepsit II. iv. 13. παραγεγένηνται οὗ οὗτοι μὲν οὔποτε ᾤοντο, pessime enim *ubi* pro *quo* scriptum est, οὗ pro οἷ, ut Graeculi solebant, qui et ποῦ ἄπει pro ποῖ et similia peccabant. In eadem § scioli additamentum nimium patienter tulimus. Thrasybulus ita dixit: εἰσὶ τῶν προσιόντων οἱ μὲν τὸ δεξιὸν κέρας ἔχοντες οὓς ὑμεῖς ἡμέραν πέμπτην τρεψάμενοι ἐδιώξατε, οἱ δ' ἐπὶ τοῦ εὐωνύμου ἔσχατοι [οὗτοι δὲ οἱ τριάκοντα] οἳ ἡμᾶς καὶ πόλεως ἀπεστέρουν οὐδὲν ἀδικοῦντας καὶ οἰκιῶν ἐξήλαυνον, audisne magistelli vocem odiose interpellantis?

Notabilis error commissus in libris est III. i. 28. ἐν τῇ πατρίδι τῇ σαυτοῦ Σκήψει. Scribendum est Σκήψι similiterque V. iii. 19. τὸ ἐν Ἀφύτι pro Ἀφύτει. Namque Athenienses et plerique alii scriptores Graeci in huiusmodi nominibus propriis et oppidorum et fluminum et hominum uti solent formis Ionicis in -ιος et -ι, ut in ἐπὶ Κρεύσιος, quod in Hellenicis saepius recte scriptum est. Hinc Stephanus Byzant. v. Κρεῦσις — ἡ γενικὴ Κρεύσιος. Sic ἡ Ζήνιος γυνή nominatur in Hellen. III. i. 10. et ἡ Συεννέσιος γυνή in Anabasi I. ii. 12. Itaque Σκῆψις nomen oppidi habet Σκήψιος et Σκήψι, appellativum σκῆψις contra σκήψεως et σκήψει. Sic apud Thucydidem recte legitur I. 64. ἐξ Ἀφύτιος, et IV. 107. Γοάξιος, et in Hellen. I. i. 29. rectissime Dindorf. emendavit Γνώσιος. Dicebant enim ὁ Γνῶσις ut ὁ Σῶσις. Apud Lycurgum in Leocratea § 87, pro Κλεομάντει recipiendum est Κλεομάντι, non adeo quia in Codd. id legitur, sed quia Graece loquentium usus ut ita scribatur postulat.

Etiam in aliis nominibus propriis Xenophon et Thucydides dialectorum Ionicae aut Doricae formas usurpant, cuiusmodi sunt in Cyropaedia compluribus locis Καμβύσεω et Κυαξάρεω, et apud Thucydidem Πύθεω et Τήρεω II. 29 et 95. et apud multos Θάλεω. Ionica forma utitur Thucydides VIII. 44. Ἰηλύσου et VIII. 17. Λάδη. Saepe Doricas formas servat, non

tantum patronymica Laconica, Corinthiaca, Boeotica in *-δας* et *-ώνδας*, quod faciunt omnes, sed alia quoque multa, in quo genere nonnullas lectiones vitiosas indicabo. Reddendum ei est VIII. 62. *Δερκυλίδα*, et VIII. 5. *Σθενελαΐδα*, et VIII. 6. *Μελαγκρίδα*, et duobus locis V. 40. et VIII. 39. *Ἀρκεσίλα*. Corrige etiam IV. 119. *Ἐρυξιλαΐδα* pro absurdo nomine *Ἐρυξιδαΐδα*. In IV. 56. pro *Ἀφροδισίαν* recipiendum est quod Stephanus Byzant. in v. servavit *Ἀφροδιτίαν*, et I. 103. *τὸν ἱκέτην τοῦ Διὸς τοῦ Ἰθωμήτα ἀφιέναι* recipiendum est *Ἰθωμάτα*, indicio Stephani Byz. v. *Ἰθώμη*. et IV. 45. pro *Μεθώνη* repone *Μεθάνα* indicio Strabonis VIII. p. 374. ubi legendum *χωρίον ἦν ἐρυμνὸν Μεθάνα*. Quam sit vetus vitium Strabo docet qui ita pergit: *παρὰ Θουκυδίδῃ δὲ ἔν τισιν ἀντιγράφοις Μεθώνη φέρεται ὁμωνύμως τῇ Μακεδονικῇ*. Idem nomen est *Μεθώνη* et *Μεθάνα*, sed Dorica haec forma est, ut *πρᾶτος*, *ὀπάρα* pro *ὀπώρα*, *θεαρός* pro *θεωρός*. Palmaria est et in paucis felicissima emendatio Dobraei in Hellen. VI. v. 7. ubi in omnibus libris sine sensu legitur: *ἡττώμενοι ἐν τοῖς θεάτροις νομίσαντες εἰ συνέλθοι ὁ δῆμος πολὺ ἂν κρατῆσαι*. Egregie divinavit Dobraeus *ἐν τοῖς θεαροῖς*. Nisi olim ΘΕΑΡΟΙΣ ridicule ab indocto scriba in *θεάτροις* depravatum fuisset numquam vera lectio emersisset, quae nunc per multa saecula in absurda lectione tutissime delituit. Eadem Dorica forma latet apud Herodotum VI. 85. *Θεασίδης ἐὼν ἐν τῇ Σπάρτῃ δόκιμος ἀνήρ*: nihili forma est *Θεασίδης* at tu *Θεαρίδης* repone. Nomen Doricum *Θεαρίδας* et alibi occurrit et apud Clement. Alex. Strom. V. p. 611. ubi commemoratur *Θεαρίδας ἐν τῷ περὶ φύσεως*. Hinc emenda Iamblich. de vita Pythag. § 266: *ζηλωτὰς δὲ γράφει γενέσθαι τῶν ἀνδρῶν — ἐν Μεταποντίῳ Θεωρίδην καὶ Εὔρυτον*, corrige *Θεαρίδαν*. De vitio apud Xenophontem Hellen. I. II. 18. *τῷ ἐκ Λακεδαίμονος ἁρμοστῇ Λαβώτῃ* pro *Λαβώτᾳ* alibi iam diximus. Apud Thucydidem II. 12. pro *Μελήσιππον τὸν Διακρίτου* restitue *Λακρίτου*, quae Dorica forma est pro *Λεωκρίτου*, ut *Λακύδης*, *Λακράτης*, alia, pro *Λεωκύδης* et *Λεωκράτης*, ut *Λαβώτας* pro *Λεωβώτης*.

In Hellen. III. v. 16. scribe *χάριτας αὐτοῖς ἀποδοῦναι μείζονας* pro *χάριτα μείζονα* (quemadmodum recte scriptum est IV. I. 33. *χάριτας ἀποδιδόναι*) et IV. I. 30. *κατεκλίνη* pro *κατε-*

κλίθη. In plerisque libris est κατεκλίνθη, noto errore. Ἐκλίνθη Homericum est, Athenienses non aliter quam κατεκλίνην dicebant et sequiores forma κατεκλίθην utuntur. Hinc omnis in illis formis scribendis discrepantia nata est. Κατεκλίνη genuinum est, supra scribitur θ ad indicandam formam recentioribus usitatam κατεκλίθη, alii utramque scripturam commiscent unde κατεκλίνθη prodit. Plura de ea re annotavi ad Hyperidis orationem ὑπὲρ Εὐξενίππου. Admodum ridiculum vitium est IV. iv. 13. τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀ π ή γ ο ν τ ο, prorsus enim absurdum est ἀπάγεσθαι νεκρόν, ut quisque statim sentiet. Veteres non aliter dicebant quam τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀποδιδόναι et τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀπολαμβάνειν et ἀναιρεῖσθαι: et hoc quidem longe est usitatissimum, sicuti et nomen ἡ τῶν νεκρῶν ἀναίρεσις, reponendum igitur est ὑποσπόνδους ἀ ν ῃ ρ ο ῦ ν τ ο. Nemo dicebat ῥιγούντων quod legitur IV. v. 4. sed ῥιγώντων omnes, ut ῥιγῷ et ῥιγῶσα et ῥιγῶν pro ῥιγοῦν. Nota res est. Felix vitium IV. v. 10. commissum ΚΛΩΝ pro ΚΑΩΝ in verbis κόπτων καὶ κλῶν intactam servavit formam sinceram κάων: solent alias scribae de suo dare καίω, sicuti κλαίω pro κλάω. Deinde corrige V. iv. 49. καθανύσας pro κατανύσας et iterum καθανύσαι pro κατανύσαι VII. i. 15, qui locus sic distinctione iuvandus est ut legatur: συντεκμηράμενοι δὲ ἡνίκ' ἂν ᾤοντο ὁρμηθέντες καθανύσαι ἅμα κνέφᾳ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων φυλακήν, ἐπορεύοντο. Κνέφας est *diluculum*, ut Schneiderus recte docuit, et nonnumquam κνεφαῖος apud Aristophanem eodem modo usurpatur, ut in Vespis 123.

νύκτωρ κατέκλινεν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ
ὁ δ' ἀνεφάνη κνεφαῖος ἐπὶ τῇ κιγκλίδι.

quod plane idem est atque ὄρθριος. Restitue ἴσχειν V. iv. 58. pro σχεῖν, et ἔθνος ὅ τ ῳ ἂν pro ὁποίῳ ἂν VI. i. 9, et ἐφῆκέ μοι λέγειν VI. i. 13. pro ἀφῆκε. Tum ταὐτὰ εἴθικεν repone VI. i. 15. pro ταῦτα, et ἀνέστρεφον VI. ii. 20. pro ἀνεστρέφοντο. Suspicor in VI. ii. 24. pro ἐν πάσῃ δὴ ἀθυμίᾳ Xenophontem ἀττικιστὶ scripsisse eodem modo atque Thucydidem VII. 55. οἱ μὲν Ἀθηναῖοι ἐν παντὶ δὴ ἀθυμίας ἦσαν. Scribis imputandum est VI. ii. 39. μεγάλα φρονοῦντας pro μέγα φρονοῦντας, et VI. iii. 5. πόλεμον ἀναιρεῖσθαι pro αἴρεσθαι, et VI. iii. 6. ὅταν δὲ γένηται pro ὅταν δ' ἐκγένηται, et VI. iii. 8. αὐ-

τονομίᾳ προσήκει pro προσέοικε, quamquam, ne quid dissimulem, paene me retrahit locus in Hellen. II. iv. 40 ἐπεὶ δὲ δικαιοσύνης οὐδὲν ὑμῖν προσήκει, et Oratorum loci ubi legitur: τούτου τοῦ πράγματος οὐδέν μοι προσήκει vel ἐμοὶ οὐδαμόθεν προσήκει. Ibidem turpissimum mendum Editores tolerant in ἐοίκατε ἡδόμενοι, sed Graeculis ista relinquenda sunt negligentissime loquentibus, qui ne suspicabantur quidem quam esset absurdum dicere ἔοικα ἡδόμενος pro *laetantis speciem praebeo*. Veteres accurate cogitantes dicebant ἐοίκατε ἡδομένοις, idque reddendum Xenophonti est, qui saepe sic loqui solet veluti IV. v. 7. ἐοικότος ἀγαλλομένῳ, et in Anab. V. viii. 10. εἰδότι ἐοικέναι, et in Cyropaed. VI. ii. 14. ἰδὼν τινας ἐοικότας πεφοβημένοις, et in Hellen. VII. v. 22. πεισομένοις τι μᾶλλον ἢ ποιήσουσιν ἐῴκεσαν, et V. 4. 40. ἐῴκεσαν ὑποπεπωκόσι που ἐν μεσημβρίᾳ. Eiusdem generis est quod legitur in Hellen. VII. v. 22. ὥστε εἰκάσθη στρατοπεδευομένῳ. Novo vitio ἐῴκει scriptum est Hellen. III. iii. 8. λυμαίνεσθαι δ' ἐῴκει τοὺς ἀφικνουμένους Λακεδαιμονίων, sententia enim loci postulat ut scribatur: λυμαίνεσθαι δ' ἐδόκει, non enim de specie quam illa mulier praebebat hoc dicitur, sed de fama hominum et existimatione qua utebatur.

Atticorum est dicere τὰ ναυτικὰ καὶ τὰ πεζά, non τὰ πεζικά, quod legitur VI. iii. 18, et τοῖν μόραιν non ταῖν VI. iv. 17. Barbarae formae conspiciuntur VI. v. 20. ἐξωρμήσατο, et § 24. συνειδόμενοι. Perpetuus omnium usus requirit ut VI. v. 33. legatur παρίσαντο ἐπ' ἀγαθῷ pro ἐπ' ἀγαθοῖς. Recentiorum sordes adhaeserunt VII. ii. 7. ubi χαμόθεν legitur pro antiqua forma χαμᾶθεν. Recte Dindorfius VII. ii. 22. Graeculorum vitio natam lectionem λουομένους emendavit in λουμένους. Perpetuo in his Graeculi ad suam dicendi consuetudinem delabuntur λούεται scribentes et λούονται, λούεσθαι, λουόμενος pro λοῦται, λοῦνται, λοῦσθαι, λούμενος. In Clementis Alexandr. Paedagogo III. p. 218 Sylb. omnes Codices exhibent: σμήχεται, κτενίζετ', ἐκβέβηκε, τρίβεται, λούεται, σκοπεῖται, στέλλεται, μυρίζεται. Bis certo metri indicio fraudem tenemus manifestam. Recte Meinekius correxit:

Σμῆται, κτενίζετ', ἐκβέβηκε, τρίβεται,
Λοῦται, σκοπεῖται, στέλλεται, μυρίζεται.

sed fugit eum tertium in his mendum; quod olim erat scriptum ΕΚΒΕΒΗΚΕΝΤΡΙΒΕΤΑΙ intus continebat veram lectionem hanc: *ἐκβέβηκ', ἐντρίβεται.* Putidum est notissimi verbi *ἐντρίβομαι* usum exemplis quibusdam ostendere. In hoc ipso Clementis loco aliquoties recurrit, siculi et nomen *ἔντριμμα.* Proferam tamen unum, ut pulcherrimum antiqui poëtae senarium a Clementis verbis distinguam, qui saepissime venustos poëtarum locos lepide et scite verbis suis solet intexere. Legitur p. 217: *πόρνη δὲ ἀντ' αὐτῆς καὶ μοιχαλὶς τῆς ψυχῆς κατείληφε τὸ ἄδυτον τό τε ἀληθινὸν θηρίον ἐλεγχθήσεται*

Ψιμυθίῳ πίθηκος ἐντετριμμένος.

qui iambus Archilocho vel Simonide non est indignus. Tyrtaei pentameter apud Clementem latet in Paedag. III. p. 100. *ἐάν τε μικρὸς καὶ ἀσθενὴς ᾖ — ἐὰν δὲ ἄρα πλουτῇ μὲν Κινύρα τε καὶ Μίδα μᾶλλον, ᾖ δὲ ἄδικος — ἀθλιός τ' ἐςὶ καὶ ἀνιαρῶς ζῇ*, quae omnia ad verbum descripta sunt ex Platone de Legg. II. p. 660. F. In Tyrtaei fragmentis ex Stob. Floril. LI. 1. Bergkius edidit:

πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρηο πλέον.

Codd. exhibent *κινυρέοιο μᾶλλον*, levis Graeculus in Cod. B. de suo commentus est *κινύραο πλέον.* Quid lateret in *κινυρέοιο μᾶλλον* olim reperit Camerarius:

πλουτοίη δὲ Μίδεω καὶ Κινύρεω βάθιον.

In Paedagogo II. pag. 78. editur: *ἀπέρρεε. μή μοι ςέφανον ἀμφιθῆς κάρα.* Codex unus: *ἄπαιρε.* Tragici senarius est:

ἄπερρε, μή μοι ςέφανον ἀμφιθῆς κάρα.

In Stromatum libr. II. p. 388. sic legitur: *οὐδὲ Αἴας σιωπᾷ, μέλλων δὲ ἑαυτὸν ἀποσφάττειν κέκραγεν· οὐδὲν οὖν ἦν πῆμα ἐλευθέρου ψυχὴν δάκνον οὕτως ὡς ἀνδρὸς ἀτιμία*, haec vero sunt disiecti membra poëtae. Vera scriptura emersit e Chrysippi fragmento *περὶ ἀποφατικῶν ἀξιωμάτων*, quod ex papyro Aegyptiaco Letronnius edidit:

οὐκ ἦν ἄρ' οὐδὲν πῆμ' ἐλευθέρου δάκνον
ψυχὴν ὁμοίως ἀνδρὸς ὡς ἀτιμία.

quos versus Clemens addidit: *οὕτως πέπονθα καί με συμφοροῦσα*

βαθεῖα κηλὶς ἐκ βυθῶν ἀναςρέφει
λύσσης πικροῖς κέντροισιν ἠρεθισμένον,

eorum primum ita restituerim:

οὕτω πέπονθα καί με συμφρουροῦσ' ἀεὶ
βαθεῖα κηλίς κτέ.

Facillime et saepissime confunduntur *φρουρεῖν*, *φουρεῖν*, *φορεῖν* et *φρονεῖν*. Hesychius: *Αἴφουρος: αἰθάλη. Σοφοκλῆς*, et *Ἀειφόρος: ἀειθαλής. Σοφοκλῆς Τηλέφῳ*, et *Ἀειφροῦρος: ἀεὶ διαμένων*. Alberti verum reperit sed abiecit. *Ἀείφρουρος, ἀειθαλής, ἀεὶ διαμένων* ex antiqua *λέξει τραγικῇ* manaverunt. Hinc colligi potest quo sensu *κηλίς*, *ἀνία* et sim. *ἀεὶ συμφρουρεῖν* dicantur. Addam his denique senarium e Dorico poëta sumtum, qui in proverbium abiit, in Paedag. III. p. 252. *οἵα γὰρ δέσποινα, φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι, τοιάδε χἀ κύων.* Poëta dixerat:

οἵα γὰρ ἁ δέσποινα τοία χἀ κύων.

et scitum incerti Comici fragmentum ex Paedag. II. p. 154. *οἱ δὲ κακοδαίμονες μακάριςον ἡγοῦνται βίον τὴν ἀκρασίαν τὴν περὶ τὰ συμπόσια. ὧν ἐςὶ τὸ ζῆν οὐδὲν ἄλλο ἢ κῶμος, κραιπάλη, βαλανεῖα, ἄκρατος, ἀμίδες, ἀργία, πότος.* Comicus nescio quis his senariis nepotum nequitiam descripserat:

ὧν ἔςι τὸ ζῆν οὐδὲν ἄλλ' ἢ κραιπάλη,
κῶμος, βαλανεῖ', ἄκρατος, ἀμίδες, ἀργία.

malui autem *πότος* resecare, cuius plane inutilis mentio est, quam *κῶμος* cum Porsono in Adversar. p. 300. Latet aliud Comici fragmentum in Paedag. III. p. 233. *ὁ ἵππος αὐτοῦ πεντεκαίδεκα ταλάντων ἐςὶν ἄξιος ἢ τὸ χωρίον ἢ ὁ οἰκέτης ἢ τὸ χρυσίον,*

αὐτὸς δὲ χαλκῶν ἐςὶ τιμιώτερος
τριῶν.

Scitus etiam versiculus latet in Stromat. V. p. 560. *ἡ Ἑλληνικὴ φιλοσοφία τῇ ἐκ τῆς θρυαλλίδος ἔοικε λαμπηδόνι, ἣν ἀνάπτουσιν ἄνθρωποι*

παρ' ἡλίου κλέπτοντες ἐντέχνως τὸ φῶς.

Sed e diverticulo in viam.

Non est genuinum quod legitur in Hellen. VII. III. 8. *φιλαίτατος*, Xenophontis est *φίλτατος* dicere, neque VII. IV. 10. *ὠμόσθησαν* sanum est sed *ὠμόθησαν*. Dicebant enim Veteres *ὠμόθην*, ut *ἠρόθην*, *ἀπηλάθην*, *παρεβάθην*, *ἀπηρύθην*, alia, quibus Graeculi perperam *σ* addebant *ὠμόσθην* dicentes, ut *ἡρμό-*

σθην, et ἀπηλάσθην, (quod mendum passim in Veterum scripta irrepsit, frustra admonente Moeride pag. 13, ubi Piersonum vide) ut ἐσπάσθην, ἐγελάσθην. Verbi ἀπαρύτω aoristus ἀπηρύθην semel mihi lectus est in Alexidis fragmento apud Stob. Floril. CXV. 7.

παρακμάσαντα δ' ὧν λέγω
τούτων ἁπάντων ἀπαρυθέντα τὴν ἄνω
ταύτην ἄνοιαν ἐπιπολάζουσαν τότε.

quod venustissime dictum est. Saepe occurrit ὠμόθην: corrupte apud Hesychium Ὠμόθει: ὅρκοι ἐγένοντο, imo vero Ὠμόθη. Eadem confusio crebra est in perfecto ὀμώμοται, cui formae passim substituerunt Graeculi ὀμώμοσται, de quo vitio plura dicam ad Euripidem.

Est perpetuum quoddam scribendi vitium et in caeteris scriptoribus Atticis et in Xenophonteis libris omnibus quum Mss. tum editis, in quo aperiendo et refutando hunc locum concludam. Fuerat olim constans Atheniensium consuetudo dicere ἦμεν, ἦτε et ἦσαν, numquam ἤεμεν (ἤειμεν), ἤετε (ἤειτε) et ἤεσαν, quae sequioris aetatis formae sunt, de qua re in priore parte diligenter diximus. Hoc addo: dualem numerum semel tantum in Atticorum libris exstare, in Platonis Euthydemo pag. 294 D. τὼ δὲ ἀνδρειότατα ὁμόσε ἤτην τοῖς ἐρωτήμασιν, quam formam non miraberis in omnibus libris corruptam esse: pars librorum εἴτην exhibent, reliqui omnes ἴτην, antiquam formam Atticam Buttmannus reduxit. Forma antiqua ἦτε nescio quomodo integra evasit in Anabasi VII. VII. 6. ὑμεῖς δὲ οὐκ ἦτε ἐς τήνδε τὴν χώραν, ubi unus tantum liber εἶτε exhibet. Quoties autem in vetustis libris occurrebat HIMEN (HMEN), HITE (HTE) et HIΣAN (HΣAN) toties scribae et in simplici verbo et in compositis id dabant quod solebant ipsi dicere, et sic factum est ut antiquae formae tantum non ubique interirent. Postquam de huius observationis veritate satis inter omnes constabit et omnis erit dubitatio exemta et scribarum fraudes patebunt, purgandi erunt Atticorum libri mendis et erroribus manifestis quotiescumque recurrent. In ea quoque re futiles Codicum discrepantiae contemni et abiici possunt. Quid attinet scire, ut hoc utar, apud Demosthenem p. 246, 16. pro vera lectione προσῆμεν τῇ βουλῇ in aliis legi:

προσῄειμεν, προσῄειν μέν et προσῄειν? Similia certum est repertum iri aliis locis et in libris aliis, sicubi similes formae leguntur, quibus omnibus reiectis ubique Atticis sua manus restituenda est. Coepit iam ita facere Dindorfius in paucis idoneus harum rerum iudex, qui in Demosthenis editione Lipsiensi ᾔεμεν, ᾔετε, ᾔεσαν cum compositis omnibus expulit et formas Atticas in lucem vitamque revocavit, rectissime, nisi quod imprudens pag. 216. retinuit πρὸς τὰ τείχη προσῄεσαν οἱ πολέμιοι, et contra festinantius pag. 1303, ubi Codices exhibent: εἰκὸς ἦν καὶ εἰς ὀψὲ ψηφίζεσθαι ἵν' ἀπηλλαγμένοι εἴησαν (SQ. ειεσαν, F. ἤιεσαν) ποιήσαντες τὰ ὑμῖν ἐψηφισμένα, in Oxoniensi editione dedit ἀπηλλαγμένοι ᾔεσαν, in Lipsiensi ᾖσαν. Neque hoc neque illud sanum aut probum est. Sententia loci postulat ἵν' ἀπηλλαγμένοι ἦσαν, quemadmodum apud Dinarchum κατὰ Δημοσθένους recte legitur § 10. ἐχρῆν αὐτοὺς ζητεῖν ἵνα — ἀπηλλάγμεθα τούτου τοῦ δημαγωγοῦ, idque unus omnium optime ipse Dindorfius intelliget requiri. In Xenophonte igitur quo antiquior est eo maiore iure ab longo exilio revocandae sunt illae formae, quibus eum solis uti potuisse constet: quod qui in caeteris scriptoribus instituet facere, quorum vetustiores Codices supersunt, saepius eorum auctoritate confirmabitur, in Xenophonte nihil est in Codicibus auxilii, qui omnes recentiores deterioresque sunt, sed aliud est praesidium et subsidium, quod vetustissimarum membranarum vicem optime supplebit. Nempe antiquae lectiones in pervetustis scripturae vitiis per multa saecula delitescentes a sciolis et correctoribus omnibus tutae pellucent, si quis paulo perspicacior in eas aciem intendit: eos locos dico, in quibus priscum ΗΙΣΑΝ olim in ἦσαν abiit, sed sententia clamat verbi ἰέναι imperfectum subesse. Huiusmodi locus est in Hellen. II. I. 19. Λύσανδρος ἐξ Ἀβύδου παρέπλει — καὶ οἱ Ἀβυδηνοὶ παρῆσαν πεζῇ. Quis praesertim admonitus punctum temporis dubitabit παρῄσαν rescribere? In tali re classis dicitur *littus legens* παραπλεῖν et terrestres copiae in littore classem sequentes παριέναι. Eadem ratio est verborum παραπέμπειν et παρακομίζειν. Thucydides VIII. 16. καὶ ὁ πεζὸς ἅμα παρῄει, plane eadem verba recurrunt VIII. 22, et VIII. 32. Πεδάριτος παριὼν πεζῇ ἐκ τῆς Μιλήτου γενόμενος ἐν Ἐρυθραῖς διαπεραιοῦται ἐς Χίον, et aliis locis.

Xenophon ipse confirmat II. i. 28. *συμπαρήει δὲ καὶ Θώραξ τὸ πεζὸν ἔχων.* Compara et Hellen. IV. v. 19. *οὐκέτι πεζῇ παριόντες ἀλλὰ παραπλέοντες*, et IV. viii. 3. *αὐτὸς δὲ πεζῇ παρήει.* Res manifesta est. Simili modo Hellen. V. ii. 31. *οἱ μὲν δὴ εἰδότες τὸ πρᾶγμα παρῆσάν τε καὶ ἐπείθοντο καὶ συνελάμβανον.* *Aderant* etiam *οἱ μὴ εἰδότες τὸ πρᾶγμα* (ut Xenophon ipse statim subiungit, ubi obiter corrige: *τῶν δὲ μὴ εἰδότων οἱ μὲν ἔφυγον* pro vulgata *ἔφευγον*) sed conscii (*εἰς τὸ πρόσθεν*) *παρῆσαν καὶ συνελάμβανον.* Facile nunc est ad intelligendum verba *καὶ ἐπείθοντο* a sciolo interpolata esse postquam *παρῆσαν* veterem formam amiserat. Idem mendum deprehendi potest in Hellen. VII. iv. 29. *οἱ γὰρ Ἠλεῖοι σὺν τοῖς ὅπλοις παρῆσαν ἤδη εἰς τὸ τέμενος*, ubi ingrediendi et *penetrandi* notio requiritur scribendumque *παρῇσαν.* *Aditus*, per quos in Arcadiam penetrari posset, ibidem VII. iv. 38. *πάροδοι* appellantur in verbis *οἱ Μαντινεῖς προηγόρευον ἐν τοῖς ὅπλοις εἶναι καὶ φυλάττειν τὰς παρόδους.* Alio modo peccatum est VI. v. 19. in verbis *οἱ μέντοι Μαντινεῖς οὐκέτι ἐξήεσαν*, ubi emendandum est *οὐκ ἐπεξῇσαν*: sexcenties Π et ΤΙ confusa pariunt errores: confunduntur inter se, aut ΤΙ absorbetur ante π, aut per dittographiam infercitur perperam. In Anabasi editur III. iv. 23. *εἴ που δέοι τι τῆς φάλαγγος ἐπιπαρῆσαν οὗτοι.* Res ipsa clamat subesse verbum *ἐπιπαριέναι*, (cuius participium in hac ipsa re apparet in vicinia § 30. *κατὰ τὸ ὄρος ἐπιπαριόντες*) et corrigendum esse *ἐπιπαρῇσαν.* Apud Thucydidem duobus locis *ἀπῆσαν* contrario errore in *ἀπήεσαν* corruptum est IV. 39 et 42, ut alibi ostendimus. Stabiliet has emendationes Thucydides ipse V. 44. *τῶν μὲν ἐν Λακεδαίμονι πρέσβεων, οἳ σφίσι περὶ τῶν σπονδῶν ἔτυχον ἀπόντες, ἠμέλουν*, et Xenophon in Hellen. VII. v. 10. a Schneidero rectissime emendatus: *οἵ τε γὰρ ἱππεῖς αὐτοῖς πάντες ἐν Ἀρκαδίᾳ ἀπῆσαν καὶ τὸ ξενικόν*, ubi libri omnes servant *ἀπήεσαν.* Nunc eadem opera corrige Xenophontis locum in Hierone III. 2. *ποθοῦσι δὲ ἄν που ἀπίῃ ἥδιςα δὲ πάλιν προσιόντα δέχονται*, *absentem* desiderare solemus non *abeuntem*, itaque *ἄν που ἀπῇ* verum est, et sic *που* bene habet, quod cum *ἀπιέναι* coniungi non potest. Eodem modo Xenophon *ἀπόντας* et *προσιόντας* inter se opposueraț Hellen. IV. viii. 5, sed scribae siglam praepositionis *πρός*, ut

alias demonstravimus, non intellectam sibi plane omiserunt et sine sensu nunc editur, τοὺς μὲν ἰόντας — Φίλως ἐδέχοντο pro προσιόντας. Utilissimum est diligenter animadvertere et in tempore meminisse illam siglam pervetерem praepositionis πρός (quam vide apud Bastium Comment. Palaeogr. depictam in Tabula II. 3.) saepe aut non intellectam prorsus interiisse aut male intellectam in καί vel εἰς vel κατά vel ἀπό vel aliam quamdam praepositionem depravatam esse. Periit apud Onosandrum p. 51. τοὺς μὲν ἰόντας διὰ τοῦ Φωτὸς ἐκ πολλοῦ συνόψονται, ubi optime demonstravit Schwebelius προσιόντας esse emendandum, sed cur excidisset praepositio non perspexit. In vita inedita Aristotelis, quam e Codice Marciano descripsi, legitur: ὅσα μὲν γὰρ ἕκαστον εὐηργέτησεν αἱ γεγραμμέναι αὐτῷ κατὰ τοὺς βασιλέας περί τινων ἐπιστολαὶ δηλοῦσιν, et post pauca: τὴν πατρίδα Στάγειρα πείθει τὸν Ἀλέξανδρον δεύτερον κτίζειν καὶ χώραν ἑτέραν αὐτῇ καταδιδόναι, ἀνθ' ὧν οἱ Σταγειρῖται μῆνα κατηγόρευσαν Ἀριστοτέλειον καὶ ἑορτὴν ἦγον Ἀριστοτέλεια, et post pauca: πολλὰ δὲ καὶ Ἀθηναίους εὐηργέτησεν ἐν τοῖς κατὰ Φίλιππον γράμμασιν, ὥστ' Ἀθηναίους ἐν τῇ ἀκροπόλει ἀνδριάντα αὐτῷ ἀναθεῖναι, luce clarius est legendum esse πρὸς τοὺς βασιλέας, προσδιδόναι, προσηγόρευσαν et πρὸς Φίλιππον, et unde hi errores nati sint unusquisque statim perspicit. Intercidit πρός apud Dinarchum Orat. I. 100: τί γάρ ἐστι ῥήτορος δημοτικοῦ, imo vero, Dobraeo iudice, πρὸς ῥήτορος. Intercidit apud Thucyd. III. 59. ubi Plataeenses sic Spartanos obsecrant: ἱκέται γιγνόμεθα ὑμῶν τῶν πατρῴων τάφων καὶ ἐπικαλούμεθα τοὺς κεκμηκότας μὴ γενέσθαι ὑπὸ Θηβαίοις, supple πρὸς τῶν πατρῴων τάφων. Πρός in ἐς corruptum est apud Thucyd. VIII. 47. μνησθῆναι περὶ αὐτοῦ ἐς τοὺς βελτίστους τῶν ἀνθρώπων, namque Graecum est μνησθῆναι περί τινος πρός τινα. Similiter Thucyd. IV. 25. τῷ δὲ πεζῷ πρὸς τὴν πόλιν ἐσέβαλον, imo vero προσέβαλον. Idem vitium est Thucyd. VIII. 31. ἐσβολὴν ποιησάμενοι τῇ πόλει ἀτειχίστῳ οὔσῃ, corrige προσβολήν. Mutatum est πρός in κατά Thucyd. I. 15. κατ' ἀλλήλους οἱ ἀστυγείτονες ἐπολέμουν, et IV. 84. κατ' ἀλλήλους ἐστασίαζον, utrobique requiro πρὸς ἀλλήλους. Recte legitur κατ' ἀλλήλους Thucyd. V. 60. ἐν αἰτίᾳ δ' εἶχον κατ' ἀλλήλους πολλῇ τὸν Ἆγιν. Apud Xenophontem πρὸς intercidisse videtur Hellen. V. I. 27.

ἰδόντες ἁλισκομένους σφῶν αὐτῶν τοὺς πρόπλους ὑπ' ἀθυμίας καὶ τῶν βραδυτέρων ἡλίσκοντο. Dindorfius serio credere videtur bene Graece dici posse *ἡλίσκοντο τῶν βραδυτέρων* pro *ὑπὸ τῶν βραδυτέρων.* Equidem cras credam, sed suppleverim *καὶ πρὸς τῶν βραδυτέρων.*

Πρός in *εἰς* abiit apud Lycurgum in Leocratea § 137. *οὐχ ἡγούμην δεῖν — ὄνομα Διὸς σωτῆρος ἐπιγράψαι πρὸς τὴν εἰσαγγελίαν*, quid genuinum sit monstrant ea quae praecedunt: *ἐρωτῶντες διὰ τί οὐκ ἐνέγραψα τοῦτο εἰς τὴν εἰσαγγελίαν*, nempe *ἐγγράψαι εἰς τὴν εἰσαγγελίαν.* Alia corruptela eodem modo nata apparet in Ephori fragmento apud Steph. Byzant. v. Πάρος: *ἐπολιόρκει πολὺν χρόνον τῆς θαλάττης εἴργων καὶ κατὰ γῆν μηχανήματα καὶ ἄγων.* Meinekius importunum *καί* resecuit, sed nihil certius est quam legendum esse *μηχανήματα προσάγων*, quod tritissimum verbum est pro *machinas admovere*, quod non dubitasset recipere Meinekius si in Codd. Mss. *πρός* et *καί* saepe confundi meminisset. Idem remedium Xenophonti adhibendum est in Hellen. II. I. 2. *μή τινα καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας διαβολὴν σχοῖεν*, quemadmodum enim dicitur *διαβάλλειν πρός τινα*, sic *διαβολὴν ἔχειν πρός τινα* dicebant pro *διαβεβλῆσθαι*, et *διαβολὴν φέρειν πρός τινα*, ut in Thucydidis loco, quem affert Schneiderus, I. 127. *διαβολὴν φέρειν τινὶ πρὸς τὴν πόλιν.* Plane intercidit *πρός* apud Demosth. Orat. XLIII. 9. *οὐδ' ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο οὐδὲ πολλοστὸν μέρος ὧν κατεψεύδοντο ἡμῶν*, supple *οὐδὲ πρὸς πολλοστὸν μέρος.*

Praeter hoc mendorum genus permulta alia in Hellenicis supersunt, quae Criticorum arte indigent et exspectant manum peritam: itaque captus Xenophontis suavitate et venustate immorabor aliquantisper in eius lectione et emendatione, in qua re ordiar ab Hellenicorum loco, in quo dicendi usus non est violatus, sed ipsa loci sententia unius vocabuli vitio perinepta et plane absurda facta est, quam deinde docti homines subtiliter interpretando, ita uti fit, etiam magis impedire et obscurare coeperunt. Legitur I. VI. 4. quum Lysandro in classis imperio successisset Callicratidas, vir praeclarus, exemplum antiquae virtutis, amicorum Lysandri calumniis et malis artibus urguebatur. Crebris sermonibus per Asiae oppida fremebant: *ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιστα παραπίπτοιεν ἐν τῷ διαλλάττειν*

τοὺς ναυάρχους πολλάκις ἀντ' ἐπιτηδείων γενομένων καὶ ἄρτι συνιέντων τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον γιγνωσκόντων ἀπείρους θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο: in his iure merito recepta est Iacobsii emendatio ἀντ' ἐπιτηδείων pro ἀνεπιτηδείων, sed quod idem in scriptura omnium librorum ἀνθρώποις ὡς χρηστέον οὐ γιγνωσκόντων expunxit οὐ, poterat sententiae lenius et melius subvenire. In OΥ latet ЄΥ scribendumque εὖ γιγνωσκόντων. Praeterea supplendum ἐν τῷ (ἀεὶ) διαλλάττειν, ΔΙ enim praecedens ΑΙ (pro ΑΕΙ) absorpsit et inserenda copula est (καὶ) κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο. His igitur sic constitutis non est difficile vitii sedem indagare et veram lectionem exsculpere. Patet enim haec propterea iactari, ut Lysander illi imperio peridoneus, Callicratidas contra impar esse putaretur. Ergo Callicratidas insimulatur esse ἄπειρος τῆς θαλάττης καὶ ἀγνὼς τοῖς ἐκεῖ, Lysander contra ἐπιτήδειος καὶ ἄρτι συνιεὶς τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηστέον εὖ γιγνώσκων. Haec omnia optime procedunt praeter unum. Absurdum enim est καὶ ἄρτι συνιέντων τὰ ναυτικά, neque enim τὸ συνιέναι in re nautica praecipuam laudem habet sed τὸ ἔμπειρον εἶναι, cui opponitur ὁ ἄπειρος τῆς θαλάττης: et plane ridiculum est ἄρτι: longo usu tandem paritur et colligitur illa singularis rei maritimae peritia, qua summi ναύαρχοι et olim pollebant et nunc pollent. Non potest igitur stultius Lysander laudari quam sic ut dicatur τὰ ναυτικὰ ἄρτι συνιέναι, in quo quam vim habeat praesens tempus sentiri potest si comparaveris ἄρτι μανθάνω et similia. Quam suaviter riderent omnes rei nauticae periti, si cui hoc serio laudi verteretur ὅτι τὰ ναυτικὰ ἄρτι συνῆκεν. Nihil tale a Xenophonte profectum est, sed pro ἄρτι συνιέντων verbum posuerat, quo non erat aliud et rei convenientius et Lysandro magis honorificum. Quod igitur? Nempe καὶ ἀκριβούντων τὰ ναυτικά, quae summa laus est, et prorsus inter se contraria sunt τὸ ἄπειρον εἶναι τῆς θαλάττης et τὸ τὰ ναυτικὰ ἀκριβοῦν. Quam bene dicatur ἀκριβοῦν τὰ ναυτικά et quam sit Xenophonti familiare verbum ἀκριβοῦν vix opus est multis demonstrare. Rhapsodi dicuntur τὰ ἔπη ἀκριβοῦν in Memorab. IV. II. 10, et ἀκριβοῦν τὴν δικαιοσύνην est in Cyropaed. I. III. 16 et § 17. τὰ δίκαια ἀκριβοῦν. Conf. II. III. 13.

et saepius alibi occurrit. Utilis est ad comparandum locus Herodiani I. xv. 14. *οἱ τοξικὴν ἀκριβοῦντες καὶ ἀκοντιςαὶ ἄριςοι.* Poterat eodem sensu dicere *τοξόται ἄριςοι* vel *ἄριςοι τὴν τοξικήν.* Dicebant Veteres promiscue *ἀκριβοῦν* et *ἀκριβῶς εἰδέναι*, ut in Cyropaed. I. iii. 16, ubi modo *ἀκριβῶς οἶδα τὴν δικαιοσύνην* legitur, modo *τὴν δικαιοσύνην ἀκριβῶ.* Procedente tempore *ἀκριβοῦν* in desuetudinem abire coepit: hinc apud Isocratem *πρὸς Νικοκλέα* § 35. in omnibus libris est: *ὅ τι ἂν ἀκριβῶς εἰδέναι βούλῃ — ἐμπειρίᾳ μέτιθι*, solus Urbinas servavit antiquam lectionem: *ὅ τι ἂν ἀκριβῶσαι βουληθῇς.* Idem factum esse vidi in alio scriptore, cuius itidem habemus et pessimos Codices et unum alterumque longe optimum: apud Dionysium Halic. A. R. IV. 81. p. 831. vulgatur: *ὀψὲ ἀρξάμενος πονηρὸς εἶναι πᾶσαν ἀκριβῶς διεξήλασε τὴν τυραννικὴν κακίαν*, sed antiqua scriptura ex optimo Codice Vaticano haec prodiit: *πᾶσαν ἀκριβοῖ τὴν τυραννικὴν κακίαν.* Contra vitio natum est *ἀκριβοῦν* in Aristophanis Ecclesiaz. 273:

περιδεῖσθε τοὺς πώγωνας. ἡνίκ' ἂν δέ γε
τούτους ἀκριβώσητε περιηρμοσμέναι,

quis enim non statim Hirschigio assentietur veterem scripturam ΑΚΡΙΒΩΣΗΤΕ male lectam esse et in hunc modum emendari oportere:

τούτους ἀκριβῶς ἦτε περιηρμοσμέναι.

Nihil igitur in Xenophontis loco supererit difficultatis restituta hac lectione: *ὅτι Λακεδαιμόνιοι μέγιςα παραπίπτοιεν ἐν τῷ ἀεὶ διαλλάττειν τοὺς ναυάρχους, πολλάκις ἀντ' ἐπιτηδείων γενομένων καὶ ἀκριβούντων τὰ ναυτικὰ καὶ ἀνθρώποις ὡς χρηςέον εὖ γιγνωσκόντων ἀπείρους θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ, καὶ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο.*

Percurram nunc Hellenicorum editionem Dindorfianam (Oxoniensem anni 1853.) et si quid corrigi et melius constitui posse mihi videbitur breviter indicabo.

Solemnis confusionis novum exemplum occurrit Hellen. I. iii. 19. *τὸν γὰρ ἐνόντα σῖτον Κλέαρχον τοῖς Λακεδαιμονίων ςρατιώταις διδόναι*, requiritur enim *διαδιδόναι*, cuius verbi in hac re legitimi saepius praepositio absorpta est.

Obtemperatum oportuit Schneidero, qui Hellen. I. iv. 4. *ἐβούλοντο μὲν μάλιςα παρὰ βασιλέα ἀναβῆναι, εἰ δὲ μή, οἴκαδε*

ἀπελθεῖν transponi iussit ἐβούλοντο μάλιστα μέν. Notum est quam saepe in tali re μάλιστα μέν et εἰ δὲ μή inter se opponantur. Saepissime vidi μέν a librariis in alienam sedem traiectum, sed facile fraus deprehenditur, quia in plerisque omnibus certus et necessarius particulae locus est, unde sine sententiae detrimento moveri non potest. Iuvat eius rei exempla compluscula apponere. Male editur in Hellen. V. i. 33. διέπεμπε τῶν μὲν ἱππέων — διέπεμπε δὲ καὶ ξεναγούς, Xenophon scripserat: διέπεμπε μὲν τῶν ἱππέων. Similiter in Hierone III. 8. εὑρήσεις μὲν τοὺς ἰδιώτας — τοὺς δὲ τυράννους κτέ. corrige τοὺς μὲν ἰδιώτας, et in Symposio IV. 3. εἰ μὲν πρὸς τοὺς ἄλλους δύνασαι δικαίους ποιεῖν, πρὸς δὲ σαυτὸν οὔ, apparet scribendum esse πρὸς μὲν τοὺς ἄλλους. Idem vitium est apud Lysiam XXV. 27. διὰ τοὺς μὲν ἀδίκως πολιτευομένους — διὰ δὲ τοὺς ἐν τῇ δημοκρατίᾳ συκοφαντοῦντας, repone διὰ μὲν τούς, et apud eundem Orat. XII. 15. ἡγούμην μὲν εἰ Θέογνις εἴη πεπεισμένος — εἰ δὲ μή, vides requiri εἰ μὲν Θέογνις εἴη. In Aeschinis Ctesiphontea § 134. apertum est pro ἐπὶ τῷ μὲν πρώτῳ — ἐπὶ δὲ τῷ δευτέρῳ transponi oportere ἐπὶ μὲν τῷ πρώτῳ. Saepe miratus sum tam perspicuum vitium tamdiu fugisse Criticos in Ctesiphontea § 53, ubi legitur: τὸ δοκεῖν μὲν ἀληθῆ λέγειν ἀρχαῖα δέ, legendum est τὸ δοκεῖν ἀληθῆ μὲν λέγειν ἀρχαῖα δέ. Nec minus in Timarchea § 177. διὰ τί οἴεσθε τοὺς νόμους μὲν καλῶς κεῖσθαι, τὰ δὲ ψηφίσματα εἶναι τῆς πόλεως καταδεέστερα; imo vero τοὺς μὲν νόμους. Finem faciam in duobus locis Isocratis. Editur Orat. VI. 5. ἐν οἷς μὲν κατορθώσαντες ἅπαντας ὑμᾶς ὠφελήσομεν, διαμαρτόντες δὲ τῆς ὑμετέρας γνώμης — τὸ κοινὸν οὐδὲν ἂν ζημιώσαιμεν, scilicet in Urbinate est μὲν κατορθώσαντες, quod quamquam absurdum est tamen vicit libri auctoritas. Revoca sine mora κατορθώσαντες μέν, et in Orat. VII. 44. quod eadem superstitione probatum est εἰδότες τὰς ἀπορίας μὲν διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας, τὰς δὲ κακουργίας διὰ τὰς ἀπορίας, sic restitue ut omnium librorum praeter Urbinatis scripturam τὰς μὲν ἀπορίας quantocyus loco suo reponas.

In Hellen. I. iv. 14. de Alcibiade haec dicuntur: ἐθέλοντος δὲ τότε κρίνεσθαι παραχρῆμα τῆς αἰτίας [ἄρτι] γεγενημένης ὡς ἠσεβηκότος εἰς τὰ μυστήρια, sed non possunt per rei naturam παραχρῆμα et ἄρτι coniungi. Expuncta vocula legendum esse

παραχρῆμα τῆς αἰτίας γεγενημένης docere possunt multi loci similes, qualis est Platonis in Legibus IX. p. 866 E. *παραχρῆμα τῆς ὁρμῆς γενομένης*, et Demosthenis pag. 81, 11. *παραχρῆμα τῶν λόγων εἰρημένων*, aliique.

Necessaria praepositio intercidit I. iv. 20. *ὡς οἷός τε ὢν σῶσαι τὴν προτέραν τῆς πόλεως δύναμιν*, vitiosum est *σῶσαι*. Nemo potest id quod *amissum* est *σώζειν*, sed possunt *τὰ ἀπολωλότα* nonnumquam *ἀνασώζεσθαι* *recuperari:* itaque *ἀνασῶσαι* restituendum est. Eodem sensu *τὴν ἀρχὴν ἀναλαβεῖν* dixit III. v. 10 et V. ii. 38, et VII. v. 16. *ἐρῶντες ἀνασώσασθαι τὴν πατρῴαν δόξαν*. Ridicule *ἀνεσώθην* legitur apud Lysiam XX. 24. *ἕως τὸ ϛρατόπεδον σῶν ἦν, ἐπειδὴ δὲ διεφθάρη καὶ ἀνεσώθην εἰς Κατάνην*, tu scribe *καὶ διεσώθην* notissimo usu. Recurrit vitium idem in Hellen. IV. viii. 28. *εἰς τὰς πατρίδας ἀνασωθῆναι*, ubi *ἀποσωθῆναι* scribendum esse arbitror, quo composito saepe Xenophon in simili re usus est. Sine sensu legitur I. vi. 13. *οὐ βουλομένων δὲ τῶν Μυτιληναίων προσχωρεῖν ἀλλ' ἐμφρούρων ὄντων Ἀθηναίων καὶ τῶν τὰ πράγματα ἐχόντων ἀττικιζόντων*, male haec nunc inter se opponuntur, nam causa redditur cur Mytilenaei deficere non potuerint, deinde *ἐμφρούρων ὄντων* nihili est neque apud Veteres est in usu; apud sequiores *ἔμφρουροι εἶναι* dicuntur ii, *quibus praesidium impositum est*, sed ne apud istos quidem *ἔμφρουρος εἶναι Ἀθηναίων* quisquam dici potuit pro *φρουρὰν ἔχειν Ἀθηναίων* sive *ὑπ' Ἀθηναίων φρουρεῖσθαι*. Itaque scribendum esse arbitror *ἅτ' ἐμφρουρούντων Ἀθηναίων*, ut apud Thucyd. VIII. 60. Βοιωτοὶ — Ὠρωπὸν εἷλον προδοσίᾳ Ἀθηναίων ἐμφρουρούντων. Post pauca § 14. Callicratidas *οὐκ ἔφη ἑαυτοῦ γε ἄρχοντος οὐδένα Ἑλλήνων εἰς τὸ ἐκείνου δυνατὸν ἀνδραποδισθῆναι*, non negabat vir egregius id *factum esse*, sed in suo imperio *fore* id negabat. Res est, ut opinor, perspicua. Itaque *ἂν* excidit et sic supplendum *οὐδέν' ἂν Ἑλλήνων — ἀνδραποδισθῆναι*. Non est alia vocula calamitosior in libris quam *ἂν* est, neque quisquam scriptorum Graecorum potest esse infelicior interpres quam qui in ea re librorum auctoritatem aliquid ponderis putat habere. Nempe ei, ut apud philosophos quosdam, *πάντα ῥεῖ*, et nihil umquam quod satis certum et stabile sit poterit reperire. Contra qui in quoque loco sanam rationem et dicendi usum libris omni-

bus anteponunt ἂν fugitivum revocabunt in Hellen. II. III. 14. οὓς ἐνόμιζεν ἥκιστα μὲν (ἂν) παρωθουμένους ἀνέχεσθαι, et III. v. 10. τοῦτο δὲ πῶς μᾶλλον (ἂν) εἰκὸς γενέσθαι, et III. v. 14. πῶς οὖν οὐκ εἰκός — νῦν (ἂν) ὑμᾶς πολὺ δὴ (non ἤδη) μεγίστους γενέσθαι, et V. III. 10. καὶ τίς (ἂν) αὕτη δίκη εἴη; et VII. I. 25. οὔτε νῦν Θηβαίους ἐλθεῖν (ἂν) ἄνευ Ἀρκάδων εἰς Λακεδαίμονα, quae Lycomedis oratio est vera quidem sed arrogantius ita iactantis: absque Arcadibus fuisset, numquam Thebanos Laconicam *fuisse ingressuros*, inspice Hellen. VI. v. 25. In plerisque locis cur ἂν exciderit apparet, in omnibus excidisse manifestum est. In loco quem supra emblemate liberavimus I. VI. 16. et diximus legendum esse videri: Κόνωνα δὲ εἶπεν ὅτι παύσει μοιχῶντα τὴν θάλατταν, residuum est mendum diversi generis. Nam quid est, quaeso, μοιχῶντα? Quis novit verbum μοιχᾶν pro μοιχεύειν? Induxerit Xenophon Callicratidam (quod libenter facit) λακωνίζοντα τῇ φωνῇ, etiam sic haeremus. Et Plutarchus quidem Tom. II. p. 1100 A., qui ex hoc loco haec attulit: εἶτ' οὐχ ὥσπερ Καλλικρατίδας ἔλεγε τὸν Κόνωνα μοιχεύειν τὴν θάλατταν οὕτως ἄν τις εἴποι τὸν Ἐπίκουρον αἰσχρῶς καὶ κρύφα πειρᾶν τὴν δόξαν, pervulgatum verbum substituit de suo, equidem ex Hesychii glossa: Μαχλῶντες: πορνεύοντες suspicatus sum μαχλῶντα τὴν θάλατταν a Callicratida dictum esse et a Xenophonte retentum. In I. VI. 34. πασῶν οὐσῶν δέκα articulum desidero τῶν πασῶν, ut I. VI. 25. ἐγένοντο δὲ αἱ πᾶσαι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν, et V. IV. 66. γενομένων αὐτῷ τῶν πασῶν πλέον ἢ ἑβδομήκοντα, ubi πλεῖν ἢ genuinum est, ut alibi. In Hellen. I. VII. 11. more Attico scribendum arbitror καὶ τὰ χρήματα δημόσι' εἶναι, τὸ δ' ἐπιδέκατον τῆς θεοῦ, vulgatur δημοσιεῦσαι et τῆς θεοῦ εἶναι, sed δημοσιεύειν semper est δημοσίᾳ πράττειν τι, ὑπηρετεῖν ἐπὶ μισθῷ, quod de medicis aliisque tritum est, numquam ponitur pro δημεύειν. Contra concepta et legitima verba sunt ἐν ταῖς καταδίκαις: Τοῖς ἕνδεκα παραδοθῆναι καὶ τὰ χρήματα δημόσια εἶναι καὶ τὸ ἐπιδέκατον τῆς θεοῦ. Eadem opera corrige locum Andocidis Orat. IV. 9. δεινὸν νομίζω τοὺς μὲν ἁλόντας μιᾷ ψήφῳ μόνον ἀποθνήσκειν καὶ τὰ χρήματα δημεύειν αὐτῶν, intelligam quum scriptum erit καὶ τὰ χρήματα δημόσι' εἶναι αὐτῶν. Litterula una sed necessaria periit Hellen. I. VII. 19.

εἰ μὴ πλέον, ἀλλὰ μίαν ἡμέραν, imo vero *ἀλλὰ μίαν γ' ἡμέραν*. Ibid. II. i. 22. *προεῖπεν ὡς μηδεὶς κινήσοιτο* corrige *ὅπως μηδείς*. Nempe cum verbis *iubendi* et *imperandi* *ὅπως* optime iungitur, *ὡς* non minus est vitiosum quam *ὅτι*.

In Hellen. I. vii. 24. servavit Dindorfius librorum scripturam: *οἱ μὲν ἀδικοῦντες τεύξονται τῆς μεγίϛης τιμωρίας, οἱ δ' ἀναίτιοι ἐλευθερωθήσονται ὑφ' ὑμῶν καὶ οὐκ ἀδικοῦντες ἀπολοῦνται*, commentus mirificam quamdam rationem, quam aperuit ad II. iii. 19. ubi legitur: *ὁ Θηραμένης ἔλεγεν ὅτι ἄτοπον δοκοίη ἑαυτῷ γε εἶναι τὸ πρῶτον μὲν βουλομένους τοὺς βελτίϛους τῶν πολιτῶν κοινωνοὺς ποιήσασθαι τρισχιλίους, ὥσπερ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἔχοντά τινα ἀνάγκην καλοὺς κἀγαθοὺς εἶναι.* Nempe: „*semel positum κοινωνοὺς ποιήσασθαι* (cogitatione) *repetendum*," inquit, et adducit ad hanc inauditam et Graecitatis ingenio adversantem Ellipsin confirmandam locos quosdam corruptos aut plane dissimiles, in his Pindari, Diodori et Pausaniae, quibus non est in tali causa testimonii dictio. Corruptus est Xenophontis locus quem primum attulit ex Anabasi III. iv. 13. *Τισσαφέρνης ἐπεφάνη οὕς τε αὐτὸς ἱππέας ἦλθεν ἔχων καὶ τὴν Ὀρόντου δύναμιν*: haec enim quis serio credat significare *οὕς τε αὐτὸς ἱππέας ἦλθεν ἔχων (ἔχων)*, aut in tali re ellipsin habere locum? Qui totum locum perpenderit fatebitur verum esse posse aut *ἐπεφάνη τούς τε αὐτὸς αὑτοῦ ἱππέας ἔχων καὶ τὴν Ὀρόντου δύναμιν* aut aliquid huiusmodi, sed nullo pacto fieri posse, ut participium in verbis *οὓς αὐτὸς ἦλθεν ἔχων*, id est *οὓς αὐτὸς ἤγαγεν*, ullam vim exserat in accusativos *ἱππέας* et *τὴν Ὀρόντου δύναμιν*. Simile hoc est Sosibii commento, quod quam vanum esset lepidissimo ioco Ptolemaeus Philadelphus demonstravit apud Athen. XI. p. 493 D. In secundo loco Xenophontis, quo Dindorfius utitur, Anabaseos IV. v. 15. *διὰ τὸ ἐκλελοιπέναι αὐτόθι τὴν χιόνα εἴκαζον τετηκέναι*, puerile est cogitando supplere (*τὴν χιόνα*) *εἴκαζον τετηκέναι.* Ecquid autem est pervulgatius quam *αὐτήν* in tali loco omitti? In Diodori loco XI. 8. nil esse praesidii intelliges verba sic transponendo: *οὐ συνεχώρησαν ἐκ διαδοχῆς μεταλαμβάνειν τῆς μάχης τοὺς εἰωθότας.* Verba Pausaniae II. 17. 7. ridicule corrupta sunt: (*κατεκαύθη τὸ Ἡραιον τὴν ἱέρειαν Χρυσίδα ὕπνου καταλαβόντος*) *ὅτε ὁ λύχνος ὁ πρὸ τῶν ϛεφανωμάτων ἥπτετο*, id est

Dindorfio iudice (τῶν στεφανωμάτων) ἥπτετο, quod ipse, credo, aliquando subridens repudiabit. Dicam quid mihi scribendum esse videatur, sed primum ipse cogita quam absurde dicatur Chrysis tum obdormivisse ὅτε ὁ λύχνος τῶν στεφανωμάτων ἥπτετο: quum hoc fieret alto somno sopitam fuisse credibile est, sed neque (τῶν στεφανωμάτων) ἥπτετο cogitando supplendum est, neque ἥπτετο sanum est, sed factum est in ea forma idem, quod saepissime in similibus factum esse vidi. Nempe formae plusquamperfecti frequentissime imperfecti formam induunt, quum pro -πτο scribitur -πτετο, ut ἐσκώπτετο pro ἔσκωπτο, ἐπέμπετο pro ἐπέπεμπτο, ἐλείπετο pro ἐλέλειπτο, ἐκαλύπτετο pro ἐκεκάλυπτο. Mirum est quam saepe sic in libris peccatum sit, cuius rei alias permulta exempla afferam, nunc uno defungar in ipso verbo ἅπτω, ubi ἥπτετο male pro ἧπτο positum est. Legitur apud Flavium Iosephum in Antiq. Hebr. III. 6. 2. ἐξήπτετο δὲ τῶν κρίκων καλῴδια, sed locum inspiciens statim senties ἐξῆπτο verum esse: sic igitur et apud Pausaniam rescribe τὴν ἱέρειαν ὕπνου καταλαβόντος ὅτε ὁ λύχνος ὁ πρὸ τῶν στεφανωμάτων ἧπτο, id est quum *accensa esset*, *arderet*, lucerna, et novae Ellipseos nullum supererit vestigium. In alio loco Hellenicorum, quem Dindorfius adhibet I. vii. 6. nemo mirabitur tralaticiam ellipsin in εἴπερ γέ τινας δέοι, sed nihil hinc proficimus ad intelligendam rationem duorum locorum, in quibus me iudice mendum inest manifestum: in altero enim lacuna est, in altero unius vocabuli scriptura est depravata. Lacuna est in II. iii. 19. quam sic suppleverim: βουλομένους τοὺς βελτίστους τῶν πολιτῶν κοινωνοὺς ποιήσασθαι (εἶτα ποιήσασθαι) τρισχιλίους, aut aliud quid in eandem sententiam, ubi repetitum ποιήσασθαι describentis oculos fefellit, quae notissima est lacunarum origo. In altero loco veram scripturam olim Leonclavius reperit, qui pro καὶ οὐκ ἀδικοῦντες ἀπολοῦνται rectissime censuit emendandum καὶ οὐκ ἀδίκως ἀπολοῦνται, quemadmodum dici solet de iis, qui insontes iniquo iudicio circumventi aut iudicum errore damnantur, sicuti iudices reum innoxium saepe ἀδίκως ἀπολέσαι dicuntur. Usitatae admodum locutionis exempla afferre opus non est, sed ut e Lysia obiter mendum eximam uno utar. Editur in Lysiae Orat. XIX. 51. αἴτιοι οὖν εἰσι καὶ ὑμῖν πολλῶν ἤδη ψευσθῆ-

ναι καὶ δὴ ἀδίκως γέ τινας ῥᾳδίως ἀπολέσθαι οἱ τολμῶντες ψεύδεσθαι, sed una litterula exemta scribendum est ἀδίκως γέ τινας — ἀπολέσαι.

Mendosa est scriptura II. ii. 16. τοιούτων δ' ὄντων Θηραμένης ἐν ἐκκλησίᾳ εἶπεν. Revoca praepositionem, quam absorpsit praecedens vocabulum συμβουλεύειν et scribe ἐν τοιούτῳ δ' ὄντων, eodem sensu, quo et alibi nonnumquam occurrit et apud Lysiam XII. 13. ἐν τοιούτῳ δ' ὄντι μοι κινδυνεύειν ἐδόκει ὡς τοῦ γε ἀποθανεῖν ὑπάρχοντος ἤδη. Ibid. II. iii. 32. πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι, requiro πᾶσαι (αἱ) μεταβολαί. In § 34. ἐκείνῃ pro ἐκεῖ frequentissimum est librariorum vitium, qui ipsi ἐκείνῃ dicebant pro ἐκεῖ, Veteres non item. Ibid III. i. 7. ὑπόνομον ὤρυττεν ὡς ἀφαιρησόμενος τὸ ὕδωρ αὐτῶν, si umquam *subducendi* verbo locus est hic locus est, scribendumque ὑφαιρησόμενος. Ibid. III. i. 10. τοῖς δυναμένοις μάλιϛα παρὰ τῷ Φαρναβάζῳ, verum est δυναμένοις μέγιϛον, quod Graeculi in μέγιϛα et μάλιϛα depravant. Attigimus iam supra. Risum movet lectio vulgata III. i. 8. κατηγόρουν γὰρ αὐτοῦ οἱ σύμμαχοι ὡς ἐφείη ἁρπάζειν τῷ ϛρατεύματι τοὺς φίλους, non est hic mos militum licentius habitorum τὸ τοὺς φίλους ἁρπάζειν sed τὰ τῶν φίλων. Repone autem ὡς ἐφείη διαρπάζειν, non enim *rapere* isti socios et amicos solent, sed *diripere*. In § 13. lege προσβάλλουσα τοῖς τείχεσιν et ὁπότε — ἐμβάλλοι pro προσβαλοῦσα et ἐμβάλοι. In § 19. pro ἧκε λέγων scribo ἧκέ τις λέγων. Excidit eadem vocula II i. 8. ἡ δὲ κόρη ἐϛὶ μακρότερον ἢ χειρὶς, ἐν ᾗ τὴν χεῖρα ἔχων οὐδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι, supple ἔχων τις, et in Symposio V. 3. μόνον τὸν λαμπτῆρα ἐγγὺς προσενεγκάτω inserto necessario pronomine legendum ἐγγύς τις προσενεγκάτω. Apud Demosthen. Orat. XLVII. 72. κἂν οἰκέτης ᾖ supple κἂν οἰκέτης τις ᾖ. In § 20. ὑμεῖς δέ γε μὴ λίαν μικρολογεῖσθε, dixisse Dercylidam suspicor μὴ λίαν ἀκριβολογεῖσθε, id quod sententiae convenit et adverbio λίαν non disconvenit. Quomodo autem λίαν μικρολόγος et λίαν μικρολογεῖσθαι bene dici possit non video. Ἀκριβολογεῖσθαι autem quam recte in tali re ponatur ostendunt loci, qualis est Demosthenis in Aristocratea § 148. οὐ πάνυ ταῦτα ἀκριβολογεῖσθαι δεῖ τὸν δικαίως ἐξετάζοντα, et omnino tale est Graecorum ingenium, ut τὸ ἀκριβολογεῖσθαι iis videatur esse angusti et sordidi ani-

mi, et res inepta aut odiosa. Recte Comicus:

καλὸν οἱ νόμοι πρᾶγμ' εἰσίν, ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης γίγνεται.

Simillimus autem Xenophonteo locus est Aeschinis in Timarchea § 40. *ἵνα μή τις εἴπῃ ὡς ἄρα λίαν ἀκριβολογοῦμαι ἅπαντα.* Delenda litterula male repetita III. ii. 1. *ἐβουλεύετο ὅπως ἂν μὴ — βαρὺς εἴη* lege *πῶς ἄν.* cf. III. v. 22. IV. ii. 10. *ἐβουλεύοντο πῶς ἂν τὴν μάχην ποιήσαιντο.* Duo vocabula exciderunt III. ii. 5. *ἦγον καὶ ἔκαον τὴν Βιθυνίδα*, supple (*ἔφερον καὶ*) *ἦγον — τὴν Βιθυνίδα.* In Hellen. III. ii. 11. *ἐπισκοπῶν δὲ τὰς πόλεις ἑώρα τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἐχούσας, Χίων δὲ φυγάδας εὗρεν Ἀταρνέα ἔχοντας χωρίον ἰσχυρὸν καὶ ἐκ τούτου ὁρμωμένους φέροντας καὶ ἄγοντας τὴν Ἰωνίαν*, in hoc loco dittographia vetus inest. Mendosum est *ἑώρα* et vera lectio in margine apposita *εὗρε* migravit in alienam sedem. Itaque legendum: *τὰς πόλεις εὗρε τὰ μὲν ἄλλα καλῶς ἐχούσας, Χίων δὲ φυγάδας Ἀταρνέα ἔχοντας.* Ut hoc loco *ἑώρα* et *εὗρε* confusa sunt, sic apud Demosth. XXV. 41. *ἑόρακε* legitur pro *εὕρηκε* male positum in verbis *οὗτος πρᾶγμ' ἑόρακε μιαρὸν καὶ ἀναιδές*, quae statim sequuntur *εὕρηκε* verum esse declarant. Periit vocabulum ad sententiam necessarium III. iv. 1. *ἰδὼν τριήρεις τὰς μὲν καταπλεούσας ἄλλοθεν, τὰς δὲ καὶ αὐτοῦ πεπληρωμένας*, non poterant autem *αὐτόθεν καταπλεῖν* et supplendum esse suspicor *καταπλεούσας* (*ἄλλας*) *ἄλλοθεν.* Ibid. III. iv. 12. pro *ἐμβαλὼν ἀπροσδοκήτοις* melius scribetur *ἀπροσδοκήτως.* cf. IV. vii. 7. Ibid. III. v. 4. *εἰς τὴν ὁμολογουμένην φίλην τε καὶ σύμμαχον Λοκρίδα*, sociorum et amicorum urbes et agri appellantur *πόλεις φίλιαι, γῆ φιλία*, non *φίλαι* et *φίλη*, quamobrem *φιλίαν τε καὶ σύμμαχον* emendandum. In III. v. 4. *διδάσκοντες ὡς οὐκ ἤρξαντο πολέμου*, Koeppenus, cuius complures sunt peracutae in Hellenicis coniecturae, *ἦρξαν πολέμου* reponebat, lenius etiam et ad sententiam aptius *ἦρξαν τοῦ πολέμου* restituetur. Evidens imprimis est vitium III. v. 7. *πρέσβεις ἔπεμψαν Ἀθήναζε λέγοντας τάδε*, dicitur enim Graece aut *οἱ Ἀθηναῖοι ἔπεμψαν πρέσβεις ἐροῦντας τάδε* aut *λέγοντες τάδε.* Exempla ubique obvia. cf. II. i. 6. *ἐβουλεύσαντο πέμπειν πρέσβεις ταῦτά τε ἐροῦντας καὶ Λύσανδρον αἰτήσοντας ἐπὶ τὰς ναῦς*, et saepissime alibi. Scribendum igitur est *λέγοντες τάδε.* Simili

modo emendandus locus est II. iv. 37. ἔπεμπον δὴ καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ἐκ τοῦ ἄςεος λέγοντας ὅτι —, imo vero λέγοντες. In Hellen. VI. iii. 2. ὁ δῆμος εἰς Θήβας πρέσβεις ἔπεμψε παρακαλοῦντας ἐπακολουθεῖν, participium futuri temporis est. Item futurum est παρακαλοῦντες VII. v. 3. ἔπεμπον δὲ καὶ Ἀθήναζε βοηθεῖν κελεύοντες. ἐπορεύθησαν δὲ καὶ εἰς Λακεδαίμονα πρέσβεις παρακαλοῦντες Λακεδαιμονίους. Graviter lapsus est Rangabé *Antiquit. Hellén.* Tom. II. p. 125. in verbis χειροτονῆσαι πρέσβεις τρεῖς ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, οἵτινες αἱρεθέντες ἀπαροῦσιν καὶ τό τε ψήφισμα ἀποδώσουσιν καὶ ἐπαγγελοῦσι τὴν εὔνοιαν, ἣν ἔχει πρὸς αὐτὸν ὁ δῆμος καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν βοηθεῖν (sic lege pro ὠφελεῖν. in lapide * * * * EIN est) τῷ δήμῳ καθ' ὅ τι ἂν δύνηται, quum παρακαλοῦσιν futurum esse nesciret. In sqq. legendum τῶν πρέσβεων ἑκάςῳ et τῶν δωρεῶν: in lapide vitiose ΠΡΕΣΒΕΙΩΝ et ΔΩΡΕΙΩΝ incisa sunt. Contrario errore pag. 118. in lapide exaratum est ΕΜΠΙΣΤΕΩΝ τῷ βασιλεῖ Δημητρίῳ. Vidi qui ἐμπιστέων Graecum esse putaret et cum ἐμπειρῶ compararet. Emenda ἐμ πίστει ὢν τῷ βασιλεῖ, de quo Rangabé quoque cogitavit. Ibid. III. v. 9. Dindorfius, quod raro facit, locum integerrimum recepta in textum infelici coniectura ultro corrupit. Edidit enim ὥςε τὸ μὲν ἐπ' ἐκείνοις εἶναι ἀπωλώλειτε, ὁ δὲ δῆμος οὑτοσὶ ὑμᾶς ἔσωσε, sed si in omnibus libris sic legeretur diligens Graeci moris observatio docere potuisset emendandum esse ἀπολώλατε, quae omnium librorum scriptura est sine mora in integrum restituenda. Videbis enim in huiusmodi cogitatione et locutione perfectum solere poni, numquam plusquamperfectum. Euripides Alcest. 666. τέθνηκα γὰρ δὴ τοὐπὶ σέ, Xenophon. Cyrop. V. iv. 11. τὸ μὲν ἐπ' ἐμοὶ οἴχομαι, τὸ δ' ἐπὶ σοὶ σέσωσμαι. Plane gemellus locus est Xenophontis in Anabasi VI. iv. 23. κακοὶ δοκοῦμεν εἶναι διὰ τοῦτον αὐτοί τε τὸ ἐπὶ τούτῳ ἀπολώλαμεν πάντες. Comparandus et Lysias in Orat. XXVIII. 14. τὸ ἐπὶ τούτοις εἶναι ἐν τοῖς δεινοτάτοις κινδύνοις καθεςήκατε, et sunt similia alibi plura. Ibid. III. v. 25. τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, sic Graeculi dare solent, etiam in Comicorum locis contra metrum: Veteres τὸν Ἀθηναίων dicebant, quod passim restituendum. Ibid. IV. iii. 21. δεκάτην τῶν ἐκ τῆς λείας τῷ θεῷ ἀπέθυσεν, pro ΛЄΙΑC verissima lectio a Plutarcho servata

est ACIAC, τῶν ἐκ τῆς Ἀσίας, quam Critici nescio quomodo spreverunt. Ibid. IV. iv. 6. διὰ τὸ καὶ ὄρους ἀνασπᾶσθαι emenda ἀνεσπάσθαι, nam dudum hoc factum erat. Ibid. IV. iv. 19. pro τὰ νεώρια ᾕρηκε si locum diligenter perpenderis senties requiri ᾑρήκει. Ibid. IV. viii. 4. ὅταν δέ τινες ἐν συμφοραῖς γενομένων φίλων βέβαιοι φανῶσι τοῦτ' εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον μνημονεύεται, videntur hoc loco scribae idem fecisse quod saepe alibi: quum γενομένων φίλοι esset scriptum sequens vocabulum ad praecedentis formam invita sententia accommodantes dederunt γενομένων φίλων. Utilissimum est hoc vitiorum genus et plurimorum mendorum fontem probe cognovisse. Ad Euripidis Ionem vs. 1120., ubi in libris est:

ἐγνώσμεθ' ἐξ ἴσου κἐν ὑστάτοις κακοῖς,

pro:

ἔγνως. μεθέξεις οὐκ ἐν ὑστάτοις κακοῦ,

deprehendimus homunciones ἐπ' αὐτοφώρῳ genitivum κακοῦ ad praecedens ὑστάτοις stulte accommodantes. Verissime ad h. l. admonuit Badham: »*si quis hanc scribarum consuetudinem minus attendit de multis correctionibus utpote nimis audacibus dubitabit, quae certae et necessariae videri debent.*" Adducit deinde huius rei exemplum luculentissimum ex Anabasi VII. i. 28. ubi sensu vacuum est quod exhibent libri omnes: Λακεδαιμονίων μὲν καὶ τῶν Ἀχαιῶν συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ καὶ ὅσοι ἐκείνοις τότε ἦσαν σύμμαχοι πάντων προσγεγενημένων, et nihil verius est Badhami emendatione: Λακεδαιμονίοις μὲν καὶ τῶν ἀρχαίων συμμάχων ὑπαρχόντων. Praerepta est autem palmariae correctionis laus a Dobraeo, eximio Critico, in cuius Adversariis I. p. 155. ad h. l. annotatum est brevissime: »*Lege* Λακεδαιμονίοις μὲν καὶ τῶν ἀρχαίων." Iuvat alia pauca mendorum exempla ab eadem inepta corrigendi socordia profectorum indicare. In Isocratis Panegyrico § 97. omnium librorum consensu editur: καταισχυνθέντες γὰρ Πελοποννήσιοι τὴν ἀρετὴν αὐτῶν καὶ νομίσαντες προδιαφθαρέντων μὲν τῶν ἡμετέρων οὐδ' αὐτοὶ σωθήσεσθαι κατορθωσάντων δ' εἰς ἀτιμίαν τὰς αὐτῶν πόλεις καταστήσειν, sed κατορθώσαντας rescribendum esse censeo. Perpende autem mecum sic: τίνες ἦσαν οἱ μέλλοντες τὰς Πελοποννησίων πόλεις εἰς ἀτιμίαν καταστήσειν; ut nunc legitur respondendum est: οἱ Πελοποννήσιοι, sed absurdum

hoc est. *Athenienses* hoc videbantur esse effecturi si iterum soli Barbaros superassent, sicuti in pugna Marathonia fecerant. Repone igitur κατορθώσαντας et omnia procedent optime. Perspicuum est quid scribas induxerit in errorem. Apud Antiphontem V. 85. contra Graecorum usum legitur: εἰ δὲ δύο ἐξ ἑνὸς ἀγῶνος γεγένησθον οὐκ ἐγὼ αἴτιος, legendum est: εἰ δὲ δύ' ἐξ ἑνὸς ἀγῶνε γεγένησθον. Facilior etiam est et proclivior in talibus error, quoniam vocabulorum exitus et terminationes propter scripturae compendia sexcenties scribarum arbitratu constituuntur, et longe maxima pars mendorum in ultimis verborum syllabis committitur. Percurram Antiphontis orationem primam ut id exemplis quibusdam confirmem. Legitur illic in § 5. εἰ νομίζει τοῦτο εὐσέβειαν εἶναι τὸ τὴν μητέρα μὴ προδοῦναι. Quid sit reponendum ostendent loci, qualis est Aristophanis in Nubibus 1412:

ἐπειδήπερ γε τοῦτ' ἔστ' εὐνοεῖν τὸ τύπτειν.

ad quod exemplum corrige: εἰ νομίζει τοῦτ' εὐσεβεῖν εἶναι. Exime obiter vitium ex Demosthenis Oratione LI. § 12. πάντες ὑμεῖς φήσετε τὸ πρὸς τὰ τοιαῦτα πρᾴως ἔχειν προδιδάσκειν ἑτέρους ἀδίκους εἶναι, imo vero προδιδάσκειν ἑτέρους ἀδικεῖν εἶναι. Ratio emendationis tam aperta est quam causa erroris. Apud Antiphontem contrario modo peccatum est I. § 26. πῶς οὖν ταύτην ἐλεεῖν ἄξιόν ἐςιν ἢ αἰδοῦς τυγχάνειν παρ' ὑμῶν ἢ ἄλλου του; pro ἐλεεῖν locus requirit ut ἐλέου scribatur. Soloecum est in § 28. διομόσασθαι ὑπὲρ τῆς μητρὸς εὖ εἰδέναι μὴ πεποιηκέναι ταῦτα, emenda μὴ πεποιηκυῖαν. In § 19. ἔλασσον ἐνέχει pro imperfecto necessarius est aoristus ἐνέχεε. Gravissime autem peccatum est in § 2. αὐτοὶ οὗτοι ἠνάγκασαν ἐμοὶ πρὸς τούτους αὐτοὺς τὸν ἀγῶνα καταςῆναι οὓς εἰκὸς ἦν τῷ μὲν τεθνεῶτι τιμωροὺς γενέσθαι, τῷ δ' ἐπεξιόντι βοηθούς, cuius loci prima pars recte intelligi non potest: pro ἐμοί genuinum est ἐμέ, deinde caetera sic sunt constituenda: ἠνάγκασαν ἐμὲ πρὸς τούτους αὐτοὺς εἰς ἀγῶνα καταςῆναι. Adiungam his locos quosdam Lysiae: perspicuum est in Orat. III. 24. in verbis τὸν ἑταιρήσοντα πλειόνων ἐμισθώσατο ὧν αὐτὸς τυγχάνει κεκτημένος emendari oportere πλείονος ἐμισθώσατο, nisi forte putabis πολλῶν ὠνεῖσθαι, πωλεῖν, μισθοῦσθαι pro πολλοῦ dici posse.

Unde manaverit error vides. In eadem Orat. III. 38. mendose legitur: *τί δ' ἂν ποτε ἔπαθον εἰ τἀναντία τῶν νῦν γεγενημένων ἦν εἰ πολλοὺς ἔχων τῶν ἐπιτηδείων ἐγὼ — ἔτυπτον αὐτόν;* Reponendum est *εἰ τἀναντία τῶν νῦν γεγενημέν' ἦν καὶ* (non *εἰ*) *πολλοὺς ἔχων κτέ.* Si quis forte dubitat an satis recte *γεγενημέν' ἦν* pro *ἐγεγένητο* dicatur eximam ei hunc scrupulum sic, ut locum Alexidis restituam in integrum apud Athenaeum p. 230 C. et p. 502 F. quem Meinekius sic edidit:

κύαθος δ' ἦν ἀργυροῦς, τἀκπώματα
ἦγεν δύο δραχμάς, κυμβίον δὲ τέτταρας,
ψυκτηρίδιον δὲ δέκ' ὀβολούς, Φιλιππίδου
λεπτότερον.

post *τέτταρας* additur p. 230 C. *ἴσως ἑτέρας* et post *λεπτότερον* sequitur quasi Athenaei verba essent: *ἀλλὰ ταῦθ' ὅλως πρὸς ἀλαζονείαν οὐ κακῶς νενοημένα ἦν.* Tu Alexidi sua redde sic scripta:

κυμβίον δὲ τέτταρας
ἴσως ἑτέρας, ψυκτηρίδιον δὲ δέκ' ὀβολούς,
Φιλιππίδου λεπτότερον, ἀλλὰ ταῦθ' ὅλως
πρὸς ἀλαζονείαν οὐ κακῶς νενοημέν' ἦν.

Grassati sunt inepti correctores apud Lysiam VI. 38. in verbis: *οὐδὲν προσήκει Ἀνδοκίδῃ τῶν συνθηκῶν — οὔτε μὰ τὸν Δία τῶν πρὸς Λακεδαιμονίους ἃς ὑμεῖς συνέθεσθε οὔτε ὧν πρὸς τοὺς ἐν τῷ ἄστει οἱ ἐκ Πειραιῶς*, sed facile emergit manus Oratoris haec: *οὔτε μὰ τὸν Δία ὧν πρὸς Λακεδαιμονίους ὑμεῖς συνέθεσθε.* In Orat. XVI. 20. *οὐδὲν πέπαυνται τῶν τῆς πόλεως πράττοντες* corrigendum est *τὰ τῆς πόλεως*, et apparet quomodo *τῶν* sit natum. In Orat. XVIII. 15. vitium ab inepto correctore invectum deprehenditur in verbis: *αἰσχρὸν εἰ ἃ μὲν Λακεδαιμονίοις συνέθεσθε βεβαιώσετε, ἃ δ' αὐτοῖς ἐψηφίσασθε οὕτω ῥᾳδίως διαλύσετε*, Lysias dixit *ἐβεβαιώσατε* componens ea quae Athenienses pridem praeclare fecissent cum iis quae verebatur ne nunc secus facerent, in qua re saepius scribae diversa tempora aut modos componi mirantes turbas dare assolent. Ex eodem fonte manarunt duae corruptelae in Orat. XXIX. 9. *δεινὸν ἂν εἴη εἰ — ὀργίζοισθε καὶ — δημεύοιτε, τοὺς δὲ — μὴ τιμωροῖσθε*, verum est *ὀργίζεσθε* et *δημεύετε*, sicuti in § 11. *δεινὸν ἂν εἴη εἰ οἱ μὲν — ἐνέχοιντο, οὗτος δὲ — μὴ τῆς αὐτῆς τι-*

μωρίας τυγχάνοι, ubi requiritur *ἐνέχονται*. Evasit sine vitio illa orationis forma in Orat. XXXI. 31. *σχέτλιον δ᾽ ἂν εἴη εἰ οὗτος μὲν — ἡγήσατο, ὑμεῖς δὲ — μὴ ἀποδοκιμάσαιτε*, et apud Isocratem in Orat. XI. 41. In Orat. XX. 12. titubarunt iidem in verbis *ὥστε μηδὲν ὁμολογεῖν τῷ τρόπῳ τῷ ἀλλήλων*, ineptissimum est *τῷ ἀλλήλων*, rescribe *τῷ τρόπῳ ἀλλήλοιν*. Male expleverunt elisionem in Orat. XXII. 7. *ἀνάγκη καὶ μακρότερον εἰπεῖν περὶ αὐτῶν*, nihili est *μακρῶς εἰπεῖν*, dicebant enim *εἰπεῖν μακρά*, itaque emenda *μακρότερ᾽ εἰπεῖν*.

Locis Lysiacis subiiciam aliquot Isocrateos eodem mendi genere infectos. In Oratione I. 12. vitium inest admodum frequens in verbis: *ἐγώ σοι πειράσομαι συντόμως ὑποθέσθαι δι᾽ ὧν ἂν μοι δοκοίης ἐπιτηδευμάτων πλεῖστον πρὸς ἀρετὴν ἐπιδοῦναι*, optativus *δοκοίης* debetur Correctori semidocto, qui Atticae consuetudinis immemor aut ignarus *ἂν* cum verbo finito coniungendum esse putavit quum esset cum *ἐπιδοῦναι* ab Isocrate coniunctum, qui *δοκεῖς* dederat, idque Bekkerus senserat, sed *δοκοίης* ab illis servatum est, quibus Codicis Urbinatis auctoritas potior est quam sana ratio et dicendi usus. Fortasse his quoque ipsis persuadebimus Bekkeri emendationem esse certissimam, si demonstrabimus idem mendum eodem modo saepe alibi esse commissum. Inspiciat mihi aliquis locum in Isocratis Epistola VIII. 9. *οὕτω δ᾽ ἂν μοι δοκεῖτε κάλλιστα βουλεύσασθαι περὶ τούτων, εἰ σκέψεσθε τίς ἐστιν ὁ δεόμενος*, in eo loco similiter libri omnes exhibent *οὕτω δ᾽ ἂν μοι δοκοίητε*, sed *δοκεῖτε* a Bekkero verissime correctum probaverunt omnes. Sed praeterea emendandum est *εἰ σκέψαισθε* eadem de causa, quamobrem Graece dicendum est *κάλλιστ᾽ ἂν βουλεύσαισθε εἰ σκέψαισθε*, aut *κάλλιστα βουλεύσεσθε εἰ σκέψεσθε* sive *ἐὰν σκέψησθε*. Afferam demonstrandi causa locum Aristophanis persimilem sed alia parte corruptum e Vespis vs. 1404.

εἰ νὴ Δί᾽ ἀντὶ τῆς κακῆς γλώττης ποθὲν
πυροὺς πρίαιο, σωφρονεῖν ἄν μοι δοκοῖς.

ubi nequis dubitet *δοκεῖς* corrigere, velim cogitet formam *δοκοῖς* pro *δοκοίης* pravam et soloecam esse. Tragicis licet *νοσοῖμι* et *δοκοῖμι* et similia dicere, (vide Valckenaerium ad Hippol. vs. 469.) populo et Comicis et Oratoribus non licet, sed *δοκοίην*, *νοσοίην* et sim. sola in usu sunt. In Isocratis Orat.

V. 40. legebatur olim ὅτε μὲν ἡ πόλις ἡμῶν ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐδυνάστευεν οὐδὲν ἂν ἡγούμην περανθῆναι τούτων, ubi si quis ἡγοῦμαι utpote prorsus necessarium reposuisset, multi, credo, obloculuri fuissent. Nunc Urbinas ἡγοῦμαι dedit et facile est cuivis ad intelligendum unde vitium caeterorum librorum natum sit. Saepissime videbis δοκεῖς et δοκεῖ sicubi in vicinia ἂν appareat cum infinitivo iunctum, inepte et soloece in δοκῇς aut δοκοῖς et δοκῇ aut δοκοῖ depravari. Exempla ubique obvia. In Euripidis Hippolyto vs. 490. in verbis πῶς ἂν ἐκνεῦσαι δοκοῖς; alii δοκεῖς, alii δοκῇς exhibent et fugit Valckenaerium ratio, quum δοκεῖς cum πῶς ἂν stare posse negaret. Easdem turbas dederunt scribae in Aristophanis Pluto vs. 580. ubi pro φίλως γ' ἄν μοι δοκεῖς — λογίσασθαι in aliis pessime δοκῇς scriptum est. Saepius in Platone sic erratum est, ut in Lyside p. 206 A. ποῖός τις οὖν ἄν σοι δοκοῖ θηρευτὴς εἶναι; ubi alii δοκῇ, et in Philebo p. 38 D. ταῦτ' εἰπεῖν ἄν τις πρὸς ἑαυτὸν δοκεῖ σοι; ubi alii δοκῇ σοι et δοκῇσοι exhibent errore manifesto. Perspicuum est in Lyside errare eos qui δοκοῖ tueantur: verum vidit olim Heindorfius sed eruditi non audiunt. Si quis inter legendum hoc aget Heindorfio assentietur affirmanti innumerabiles esse locos Platonis Veterumque, quos idem vitium obsideat. Non minus saepe quam in δοκεῖν videbis sic peccari in νομίζω, οἴομαι, ἡγοῦμαι, προσδοκᾶν, ἐλπίζειν, caeterisque quae infinitivos cum ἂν coniunctos admittant. Evidens est autem ea omnia indoctis Correctoribus esse imputanda. In Isocratis Orat. II. 8. correctores vocabulo corrupto sanam scripturam accommodarunt in verbis τὸ νομοθετεῖν ταῖς μοναρχίαις namque Isocrates παραινέσεις potius quam νόμους scribere Regibus parabat et νουθετεῖν τὰς μοναρχίας dedisse videtur. Postquam νουθετεῖν in νομοθετεῖν abiit ex accusativo dativum fecerunt. In Orat. VIII. 5. πεποιήκατε τοὺς ῥήτορας μελετᾶν — ὅπως ἀρέσκοντας ὑμῖν λόγους ἐροῦσιν, ἐφ' οὓς καὶ νῦν τὸ πλῆθος αὐτῶν ἐρρύηκεν, corrigendum est ἐφ' ὃ καὶ νῦν, sed isti ad λόγους perperam pronomen accommodarunt. Eodem modo Euripidem corruperunt in Helena vs. 809.

οὐκ ἂν κτάνοις τύραννον, ὃν σπεύδεις ἴσως.

pro ὃ σπεύδεις, et saepius in relativis sic erratur. In Isocratis Orat. VI. 51. quum rhetor dixisset: ὧν ἡμεῖς δέδοικα μὴ

τἀναντία πράττοντες φανῶμεν, nemo mirabitur in omnibus libris etiam in Urbinate legi *ἡμεῖς δεδοίκαμεν μή*. Addam unum locum ex Epistola VII. 11. *βουλοίμην ἂν — γενέσθαι φανερὸν ὅτι μέρος τι καὶ δι' ἐμὲ γίγνεται τῶν δεόντων αὐτῷ*, ubi scribendum est *γίγνεται τὰ δέοντ' αὐτῷ*, ut in Epist. VIII. 10. *μέρος τι καὶ δι' ἐμὲ τυγχάνουσιν ὧν ἐπεθύμουν*. Vides quid istos in errorem impulerit, ut impudenter rescriberent *μέρος τι — τῶν δεόντων*. Apparet satis ex his quanta fuerit in istis homuncionibus temeritas; ex sequioribus etiam scriptoribus magna copia exemplorum colligi possit, quale est quod paulo ante ex Onosandro protulimus, ubi quum scriptum essent ΚΑΙΟΝΤΩΝ *δὲ οἱ φύλακες πυρά*, et stulte *καὶ ὄντων* pro *καιόντων* dedissent supervenit corrector qui *τῶν φυλάκων* emendavit scilicet. E Dionysio Halic. unum exemplum de multis delibabo. Legitur I. 87. *ὁ μὲν τῷ προτέρῳ, ὁ δὲ τῷ πλείους ἰδεῖν ἐκρατύνετο*. Perspicuum est legi oportere: *ὁ μὲν τῷ πρότερος — ἰδεῖν ἐκρατύνετο*. Sed parco pluribus: si ingeniosa iuventus inter legendum hoc aget multis exemplis comperiet quam graves errores ex eo fonte manaverint, quum Graeculi non totam sententiae comprehensionem animo et mente complecterentur, sed pauca tantum verba veluti pueri simul assequentes et sic iuncturas et commissuras verborum veras non animadvertentes temere alias perineptas inveherent de suo. Sed iam unde digressa oratio est ad Xenophontem revertatur, apud quem in Hellen. IV. VIII. 4. *ἐν συμφοραῖς γενομένων φίλων βέβαιοι* legitur, sed *γενομένων φίλοι βέβαιοι* emendandum esse arbitramur. Nempe *βέβαιός εἰμι* nihil significat nisi *φίλος, σύμμαχος, ἐραστής* aut huiusmodi quid accedit. Terentii verba in Hecyrae initio:

> Per pol quam paucos reperias meretricibus
> fideles evenire amatores, Syra.

respondent his Apollodori:

> *Ὀλίγαις ἐραστὴς γέγον' ἑταίραισιν, Σύρα,*
> *βέβαιος.*

et quid tritius est quam *φίλος βέβαιος*? hoc ipsum igitur sic reponendum est apud Xenophontem ut scribatur: *ὅταν δέ τινες ἐν συμφοραῖς γενομένων φίλοι βέβαιοι φανῶσιν*. Ibid. Hellen. V. II. 17. *εἰ δὲ ὑπ' ἐκείνους ἔσονται*, non sic sed *ὑπ' ἐκείνοις*

in tali re bene Graece dici constans fere omnium usus demonstrat: quod quoniam ex ipso Graecitatis ingenio et natura sponte sequitur pauci quidam loci, ubi *ὑπό* in libris accusativum habet summo iure suspicionem corruptelae movent. Eodem iure V. III. 7. pro *ὅπως βλάψῃ* rescribendum est *βλάψει*. Nonnumquam *ὅπως* et *ὅπως μή* habent coniunctivi aoristum *secundum*, *ὅπως λάβῃ*, *λάθῃ*, *ἔλθῃ*, *εἴπῃ*, *λίπῃ*, *ἀποδρᾷ*, *γνῷ* et sim. Quorum autem verborum aoristus *primus* in usu est, eorum futura indicativi cum *ὅπως* et *ὅπως μή* coniungi solebant. At scribae sexcenties futurorum formas mutata leviter terminatione in coniunctivi aoristos mutare solent, de qua re saepius diximus. Qui autem stultissime *ὅπως δώσῃς*, *ὅπως θήσῃς*, *ὅπως ἀφήσῃς*, *ὅπως μὴ ἐρῇς*, *ὅπως μὴ ἀφαιρήσῃ* dare assolent, quid eos in *ὅπως ποιήσεις*, *ὅπως σώσεις*, *ὅπως βλάψει* et sim. putas esse daturos? Ibid. V. III. 15. legendum *ἦν δὲ οὐδὲ τῷ Ἀγησιλάῳ ἀχθομένῳ ταῦτα*, pro *οὐ τῷ*. Compara VI. IV. 15. *αἰσθανόμενοι δὲ τοὺς συμμάχους πάντας μὲν ἀθύμως ἔχοντας πρὸς τὸ μάχεσθαι, ἔστι δ' οὓς αὐτῶν οὐδὲ ἀχθομένους τῷ γεγενημένῳ.* Hinc etiam patet veram lectionem esse III. II. 2. *οὐδὲ τοῦ Φαρναβάζου πάνυ τι ἀχθομένου.* Ibid V. IV. 7. *ἐξιόντες δὲ εἶπον τὴν θύραν κεκλεῖσθαι· εἰ δὲ λήψονται ἀνεῳγμένην ἠπείλησαν ἀποκτεῖναι ἅπαντας τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ*, ridiculum est *ἠπείλησαν ἀποκτεῖναι*, quamquam plurimis locis Graeculi aoristos addiderunt verbis *ὄμνυμι*, *ὑπισχνοῦμαι*, *ἐλπίζω*, *ἀπειλῶ* aliisque id genus, quae suapte natura futurum postulant, tamen numquam efficiet istorum futilis auctoritas, ut quod fieri non possit factum esse aliquando videatur. Dubitanter admodum Dindorfius VII. IV. 11. in verbis *ὀμόσαντες εἰρήνην ποιήσασθαι* commendavit *ποιήσεσθαι*, quasi vero vulgata scriptura ullo pacto defendi posset. Saepissime autem in verbis liquidatis id genus vitiorum committi solet et *μένειν*, *κρίνειν*, *ἀμύνειν* pro *μενεῖν*, *κρινεῖν* et *ἀμυνεῖν* scripta occurrunt, et *φαίνειν*, *ἀποφαίνειν* pro *φανεῖν* et *ἀποφανεῖν*, et *ἀγγέλλω* pro *ἀγγελῶ*. Saepe *ἀποκτείνειν* et *ἀποκτενεῖν*, *ἀντιτείνειν* et *ἀντιτενεῖν* et similia omnia inter se permutantur aut aoristi illis formis substituuntur, ut apud Thucydidem VIII. 5. *ἐνόμιζε — βασιλεῖ ξυμμάχους Λακεδαιμονίους ποιήσειν καὶ Ἀμόργην — ἢ ζῶντα ἄξειν ἢ ἀποκτεῖναι*, alii *ἀποκτείνειν*, sed verum

esse ἀποκτενεῖν palam est. Grassata est ea labes gravissime in libris Thucydideis et scriptis et editis cum magno incommodo eorum qui etiam in talibus auctoritatem librorum reverentur. Nempe non tantum iis credendum est perbene dici ἢ ζῶντα ἄξειν ἢ ἀποκτείνειν vel ἀποκτεῖναι, sed etiam IV. 120. τρέψασθαι et διασώσειν commode coniungi et τρέψασθαι πρὸς τὸ ἔλασσον pro τραπέσθαι nihil reprehensionis habere. Iidem concoquunt VI. 24. ἢ ἀποτρέψειν — ἢ ἐκπλεῦσαι, qui non tam duro stomacho sunt reponant μάλιστ' (ἂν) οὕτως ἀσφαλῶς ἐκπλεῦσαι. Nihil eos offendit III. 46. παρασκευάσασθαι — παρατενεῖσθαι pro παρασκευάσεσθαι perperam positum. Faciles ferunt V. 22. οὐκ ἔφασαν δέξασθαι, et V. 50. μέλλοντες σπείσασθαι, et IV. 52. κακώσειν — χειρώσασθαι, et IV. 80. ἤλπιζον ἀποστρέψαι, quod duplici vitio laborat namque verum est ἀποτρέψειν, et VII. 21. ἐλπίζειν κατεργάσασθαι, et VI. 24. οἴσειν καὶ προσκτήσασθαι, et VI. 42. ὁρμιεῖσθαί τε καὶ στρατοπεδεύεσθαι, et VIII. 75. ἦ μὴν δημοκρατήσεσθαί τε καὶ ὁμονοήσειν καὶ τὸν — πόλεμον προθύμως διοίσειν καὶ τοῖς τετρακοσίοις πολέμιοί τε ἔσεσθαι καὶ οὐδὲν ἐπικηρυκεύεσθαι, ecquid esse potest certius quam ἐπικηρυκεύσεσθαι genuinum esse? Habet aliquam veniam scribarum error IV. 127. νομίσαντες Φεύγειν τε αὐτὸν καὶ καταλαβόντες διαφθείρειν, sed manifestum tamen est διαφθερεῖν a Thucydide esse scriptum. Bis eadem labes infecit participium IV. 92 et 93, ubi facile patebit verum esse πρὸς τοὺς μὴ ἀμυνουμένους ἐπιόντες et ἀντικατέστησαν τοὺς ἀμυνουμένους, quum utrobique mendose ἀμυνομένους legatur. Simillimus Xenophonteo, de quo dicere instituimus, locus est I. 26. προεῖπον — ἀπιέναι, εἰ δὲ μὴ ὡς πολεμίοις χρήσασθαι, quae et ipsa perabsurda scriptura est pro χρήσεσθαι. Eadem eiusdem erroris frequentia est et apud alios. In Platonis Rep. X. p. 604. A. in libris est: πότερον μᾶλλον αὐτὸν οἴει τῇ λύπῃ μαχεῖσθαί τε καὶ ἀντιτείνειν, ὅταν ὁρᾶται ὑπὸ τῶν ὁμοίων ἢ ὅταν ἐν ἐρημίᾳ [μόνος] αὐτὸς καθ' αὑτὸν γίγνηται; ubi sunt qui ἀντιτείνειν servari posse putant. Qui ἀντιτενεῖν sentiunt requiri dabunt mihi μόνος esse expungendum. Apud Xenophontem quoque ἀποκτενεῖν emendandum est, sed etiam aliud mendum suspicor in eodem loco nos ludificari. Nempe qui Leontiadam oppresserant caeteris ita pepercerunt ut dicerent: ἡ μὲν θύρα κεκλείσθω, εἰ

δὲ ληφθώμεθα ἀνεῳγμένην ἀποκτενοῦμεν ἅπαντας τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ, quemadmodum in Anabasi VII. ii. 13. Aristarchus dixit; εἰ δέ τινα ὑμῶν λήψομαι ἐν τῇ θαλάττῃ, καταδύσω, et multa his similia leguntur passim. Haec igitur a Xenophonte sic referuntur: εἶπον τὴν θύραν κεκλεῖσθαι (ut ianua occlusa teneretur), εἰ δὲ λήψονται ἀνεῳγμένην ἀποκτενεῖν ἅπαντας τοὺς ἐν τῇ οἰκίᾳ, deinde infersit nescio quis ἠπείλησαν orationis fulciendae gratia, quae minime eo tibicine indigebat, tum novum vitium ἀποκτεῖναι natum est. In iis, quae statim praecedunt: τὸν μὲν ἀποκτείναντες, τὴν δὲ γυναῖκα φοβήσαντες κατεσιώπησαν, nimis lepidum est ἀποκτείναντες κατεσιώπησαν et nondum poenitet τὸν μὲν ἀπέκτειναν correxisse. Vitium ultro invexit Dindorfius V. iv. 17. ἄνεμος ἐξαίσιος ἐπεγένετο. — πολλὰ μὲν γὰρ καὶ ἄλλα βίαια ἐποίησεν ἀτὰρ καὶ πολλοὺς μὲν ὄνους κατεκρήμνισεν αὐτοῖς σκεύεσι, πάμπολλα δὲ ὅπλα ἀφαρπασθέντα ἐξέπνευσεν εἰς τὴν θάλατταν. In his ἐξέπνευσεν a Dindorfio est, quasi si Graece dici posset ὁ ἄνεμος τὰ ὅπλα εἰς τὴν θάλατταν ἐξέπνευσεν. Refutat satis hanc rationem participium ἀφαρπασθέντα, pro quo sic ἀφαρπάσας dicendum fuisset. Itaque ἐξέπεσεν ex libris revocandum est. Ibid. V. iv. 30. legendum videtur: ἀνδρὸς μὴ καταγιγνώσκων ἀδικεῖν, ὃς ἐχρηματίσατο ἐπὶ κακῷ τῆς πατρίδος, id est (ut Athenienses de suis civibus saepe dicunt): ὃς ἐδωροδόκησε κατὰ τῆς πατρίδος. Vulgatur ἄνδρα et εἷς ἐχρηματίσατο. Ibid. V. iv. 39. διὰ τῶν ὡδοποιημένων ἐξόδων, non est contemnenda lectio Codicis B. ὡδοπεποιημένων, namque et in Anabasi V. iii. 1. in optimo Codice ὡδοπεποιημένων scriptum est, et in Philippidae fragmento apud Pollucem IX. 38.

ὀρθῶς γε τὴν ῥύμην ὡδοιπορήκαμεν,

difficile est non concedere Meinekio ὡδοιπεπορήκαμεν esse emendandum. Ad haec exigenda sunt ἱπποτετρόφηκεν apud Lycurgum in Leocrat. § 139, et προσωδοπεποίηκεν duobus locis apud Aristotelem Rhetor. II. 13. et Politic. II. 16.

In Hellen. VI. i. 1. ἔλεγον ὅτι οὐ δυνήσοιντο μὴ πείθεσθαι τοῖς Θηβαίοις dicendi usus postulat ut scribatur μὴ οὐ πείθεσθαι. Ibid. VI. i. 11. εἰ δὲ εἰκότα λογίζομαι σκόπει καὶ τάδε, Graeculi Atticum dicendi genus quod non satis capiebant obscurarunt. Scribe ὅτι δὲ εἰκότα λογίζομαι. Compara II. iii. 33. ὡς

δ' εἰκότα ποιοῦμεν καὶ τάδ' ἐννοήσατε. Saepissime, ut notum est, Oratores ita loquuntur. Ibid. VI. II. 21. οἱ δ' οὐκέτι ἐπανέςρεψαν, corrige ἀνέςρεψαν, ut supra ἀνέςρεφόν τε καὶ ἔβαλλον. Ut saepe alibi sic hoc loco ETI peperit dittographiam EΠ. Articulus periit VII. III. 6. πῶς δίκαιον ὑμᾶς παρ' ὧν ἐλάβετε σπέρματα τὸν τούτων ποτὲ καρπὸν ἐλθεῖν δηώσοντας; supple ἐλάβετε (τὰ) σπέρματα. Manifestum mendum inest VI. IV. 5. in verbis: εἴπερ οὖν ἢ σαυτοῦ κήδει ἢ τῆς πατρίδος ἐπιθυμεῖς, ut saepe alibi H natum est ex TI scribendumque εἴπερ οὖν τι σαυτοῦ κήδει, quod in hoc verbo solemne est, *si qua te cura tangit*, quemadmodum saepe dicebant εἴ τι φιλεῖς με. Sophocles Oedip. Tyranno 1060.

μὴ πρὸς θεῶν, εἴπερ τι τοῦ σαυτοῦ βίου
κήδει, ματεύσῃς τοῦθ'. ἅλις νοσοῦσ' ἐγώ.

Aristophanes Acharn. 1028.

ἀλλ' εἴ τι κήδει Δερκέτου Φυλασίου,

et in Nubibus 106.

ἀλλ' εἴ τι κήδει τῶν πατρῴων ἀλφίτων.

Plato in Gorgia p. 462 A. ἀλλ' εἴ τι κήδει τοῦ λόγου τοῦ εἰρημένου, et in Hippia Maiore p. 283 E. εἴπερ τι τῶν υἱῶν κήδονται. Xenophon ipse in Cyropaed. V. v. 34. εἴ τι ἐμοῦ ἐκήδου, et alibi.

In Hellen. VI. I. 3. in verbis ὁπότε δὲ περιγένοιτο τῆς προσόδου dubitari non potest quin τι exciderit propter Π sequens et supplendum sit ὁπότε δέ τι περιγένοιτο. Saepissime factum est ut τι eadem de causa periret, ut in Hellenicis et alibi et V. II. 12, ubi σχεδὸν πάντες legitur pro σχεδόν τι πάντες. Non est Graecum quod apud Antiphontem I. 19. scriptum est οἰομένη δεξιὸν ποιεῖν, corrige δεξιόν τι ποιεῖν. Rectissime dicitur δίκαια ποιεῖν, πάσχειν, λέγειν, μέτρια λέγειν, ἀγαθὰ ἀγγέλλειν, sed in singulari numero nisi τι accesserit soloeca oratio est et requiritur δίκαιόν τι, μέτριόν τι, ἀγαθόν τι. Apud Theophrastum in Charact. XI. pro καὶ σπενδόντων ἐκβαλεῖν τὸ ποτήριον καὶ γελάσαι ὡς τεράςιόν τι πεποιηκώς, optime correctum est dudum ὥσπερ ἀςεῖόν τι, sed nemo recepit. Isocrati redde in Orat. XV. 311. κατὰ μικρὸν ἀεί τι προςιθέντες pro vulgata ἀεὶ προςιθέντες.

In Hellen. VI. iv. 16. scribendum est *ἀγγέλλων* pro *ἀγγελῶν* in verbis: *ὁ μὲν εἰς τὴν Λακεδαίμονα ἀγγελῶν τὸ πάθος ἀφικνεῖται*, cuius correctionis et ratio aperta est et mendi origo perspicua. Quid est enim in libris frequentius quam ut semel scribatur consonans quam geminatam oportebat? Nusquam mihi illius rei observatio fuit utilior quam in loco Teletis apud Stob. Floril. XCV. 21. *τῶν τοιούτων φροντίδων μοι δοκεῖ ὁ ἄσιος λελυμένος πολὺ εὐσχολώτερος εἶναι*, ubi *ὁ Ἄσσιος*, id est Cleanthes, reponendum esse intellexi. Idem iam antea a Meinekio repertum esse ab ipso admoneor in praefat. ad Stob. Floril. III. p. xxxiv. Dabo eiusdem erroris aliud exemplum. Galenus in libro de Simpl. Medicam. Tom. XII. p. 194. Kuhn. bellum gerens *πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ* postquam demonstravit Veteres dixisse *λίθον αἱματίτην*, *πυρίτην* cet., non *αἱματῖτιν* et *πυρῖτιν*, ita pergit; *ἔμπαλιν δὲ τὴν πέτραν λέγουσι θηλυκῶς οὐ τὸν πέτρον ἀρρενικῶς. Ἀσίαν οὖ πέτραν οὐκ Ἄσιον πέτρον τὸν λίθον Ἄσιον. οὕτω δὲ καὶ Ἀσίας πέτρας ἄνθος*. Emenda *Ἄσσιον* et *Ἀσσίαν* et *Ἀσσίας*. Passim *μέλειν* pro *μέλλειν* scribitur et *ἀγγέλω*, *ἤγγελον* cet. unde multi admodum imperite, quia *ἤγγελον* saepissime in libris occurrebat, aoristum secundum esse commenti sunt et duas formas *ἤγγειλα* et *ἤγγελον* perinde usitatas esse. Sed ea res plane a Graecitatis ingenio et usu abhorret. *Ἤγγειλα* solum Graecum est et *ἤγγελον* nihili vocabulum scribarum vitio natum. Gravissimum in simili re errorem commisit Boeckhius in Oecon. Polit. Athen. III. p. 335. quum sibi aoristum secundum *ἔφανον* reperisse videretur, de qua forma olim Buttmannus male dubitasset. *Ἔφανον* pro *ἔφηνα* est eiusdem farinae atque *ἤγγελον* et prorsus barbarum. In Psephismate, quod illic Boeckhius edidit, scriptum est in hunc modum: *καὶ τὸν γραμματέα τῶν ἕνδεκα ἀπαλεῖψαι ἀπὸ τοῦ ὀφλημένου Σωπόλιδι ἀργυρίου ὅ τι ἂν* ΑΠΟΦΑΝΗΙ *αὐτῷ ὁ ταμίας ἀπειληφώς*, quod non barbare *ἀποφάνῃ* scribendum erat sed optime Graece *ἀποφανῇ* (id est *ἀποδειχθῇ*) et salva erunt omnia.

Certum vitium est sed medicina incerta VI. iv. 24. *εἰ δ' ἐπιλαθέσθαι βούλεσθε τὸ γεγενημένον πάθος*, non contigit mihi reperire quid lateat in ΕΠΙΛΑΘΕΣΘΑΙ, quam absurdam

scripturam esse unusquisque sentiet, quaerant igitur acutiores, et ab interpretatione depravatae lectionis interea omnes abstineamus.

Rariore vocabulo usus Xenophon VI. iv. 27. scribis peccandi occasionem dedit: *οὐ τοῦτο φοβούμενος μήτινες ἀναπεπταμένης ταύτης τῆς παρόδου πορεύσοιντο ἐπὶ τὴν ἐκείνου δύναμιν.* Si Dindorfio credis *δύναμιν* significat »*ditionem*, ut apud Thucyd. II. 7. init." Sed neque apud Thucydidem, (cuius haec verba sunt: *πόλεις ξυμμαχίδας ποιούμενοι, ὅσαι ἦσαν ἐκτὸς τῆς ἑαυτῶν δυνάμεως.*) nova haec et inaudita significatio locum habet, (quis enim *in sua ditione* novos sibi socios quaerit?) neque apud Xenophontem. Corrigendum esse arbitror *πορεύσειαν ἐπὶ τὴν ἐκείνου δύναμιν*, id est *ϛρατιὰν ἐπὶ τὴν ἐκείνου (χώραν) ἀγάγοιεν.* Rarior autem usus verbi *πορεύειν* pro *ἄγειν* effecit ut librarii ad tritissimum *πορεύομαι* delaberentur.

Non minus abhorret a dicendi usu quod legitur VI. v. 6. *οἱ περὶ τὸν Καλλίβιον καὶ Πρόξενον συνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι πᾶν τὸ Ἀρκαδικόν*, nemo enim dicet quid sit in tali re *συνῆγον*, et *συνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι* ridiculum est. Verum videtur quod ex uno Codice affertur *ἐνῆγον*, et quis nescit perpetuo *ἐν* et *σύν* confundi, praesertim in verbis compositis. Notum est quo sensu *ἐνάγειν* dici soleat. Laudabo unum tantum locum ex Thucydide I. 107. *τὸ δέ τι καὶ ἄνδρες τῶν Ἀθηναίων ἐπῆγον αὐτοὺς κρύφα*, ubi Valckenaerius in annotatt. Mss. (quarum mihi copiam humanissime fecit vir amplissimus L. C. Luzac, apud quem ingens gaza Valckenaerianae eruditionis et summa religione servatur et uti volentibus maxima liberalitate permittitur) rectissime *ἐνῆγον* reponendum esse admonuit, eadem opera locum hunc Xenophontis emendans. Iuvat apponere quae vir praeclarus ad hanc emendationem confirmandam collegit: »Corrigerem *ἐνῆγον* (inquit). Thucyd. p. 44, 58. (I. 67.) *κρύφα δὲ ἐνῆγον τὸν πόλεμον*, p. 112, 51. (II. 21.) *ἐνῆγον τὴν ἔξοδον μάλιϛα.* p. 251, 53. (IV. 21) *μάλιϛα δὲ αὐτοὺς ἐνῆγε Κλέων.* p. 252, 4. (IV. 24) *μάλιϛα ἐνῆγον οἱ Λοκροί.* 387, 59 (VI. 15.) *ἐνῆγε δὲ προθυμότατα τὴν ϛρατείαν Ἀλκιβιάδης.* 416, 55. (VI. 61.) *ἐναγόντων τῶν ἐχθρῶν.* p. 455, 64. (VII. 18.) *τῶν Συρακοσίων καὶ τῶν Κορινθίων ἐναγόντων.* p. 520, 66. (VIII. 26.) *Ἑρμοκράτους μάλιϛα ἐνάγοντος.* p. 551, 79. (VIII. 78). *καὶ*

μάλιϛα οἱ Συρακόσιοι ἐνῆγον." Deinde adscripsit: »ἐνῆγον ἐπὶ τὸ συνιέναι. em. Xenoph. 552, 21. Socrat. Epist. p. 22, 7." ubi legitur τῶν συμμάχων Κορινθίων καὶ Θηβαίων τότε ἐναγόντων. Haec igitur ille.

In Hellen. VI. v. 28. revocandum est quantocyus ἄλλος ἄλλῃ διαταχθέντες pro διαταχθείς, quod a Dindorfio incautius receptum est. Ibid. VI. v. 35. supple ὡς νῦν (μὲν) ταῦτα λέγοιεν, ὅτε δ' εὖ ἔπραττον ἐπέκειντο ἡμῖν et post pauca: μέγιϛον δὲ τῶν λεχθέντων ἐδόκει εἶναι (τὸ) ὅτι ἡνίκα κατεπολέμησαν κτἑ.

In § 36. διέθει οὖν καὶ κατὰ τούτους τοὺς λόγους θόρυβος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, vitiosum est θόρυβος nam nec rei convenit nec διαθεῖν dici potest θόρυβος. *Fremebant* inter sese, non tumultuabantur. Veram lectionem monstrat § 35. θροῦς τις τοιοῦτος διῆλθεν et emendandum διέθει οὖν καὶ κατὰ τούτους τοὺς λόγους θροῦς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Idem plane mendum ex Anabasi eximendum esse censeo, ubi legitur. I. viii. 15. θορύβου ἤκουσε διὰ τῶν τάξεων ἰόντος καὶ ἤρετο τίς ὁ θόρυβος εἴη. Etiam minus illi ἐθορύβουν in acie stantes, quam cives in concione frementes. Tradebatur tessera: ὁ δὲ Κλέαρχος εἶπεν ὅτι τὸ σύνθημα παρέρχεται δεύτερον ἤδη. Itaque θροῦ ἤκουσε et τίς ὁ θροῦς εἴη vera scriptura est. Compara duos Thucydidis locos IV. 66 et VIII. 79.

Vide quantum turbarum una litterula ab indocto scriba temere adiecta dederit VI. v. 43. οἱ ταχθέντες ἐν Θερμοπύλαις ἅπαντες εἵλοντο μαχόμενοι ἀποθανεῖν μᾶλλον ἢ ζῶντες ἐπεισφέρεσθαι τὸν βάρβαρον τῇ Ἑλλάδι, numquam te expedies si voles verbum ἐπεισφέρεσθαι interpretari. Exime unam literam et nihil erit negotii: Xenophon enim scripserat τὸν βάρβαρον ἐπεισφρέσθαι τῇ Ἑλλάδι, de quo verbo plura ad Euripidem annotabo, nunc hoc solum addam videri illud ipsum verbum a scribis obscuratum esse et in alio Hellenicorum loco, I. iii. 19. διὰ τοῦτ' οὖν τοὺς πολεμίους ἔφη εἰσέσθαι, inusitatum prorsus est in tali re εἰσίεμαι, sed proprium et legitimum verbum est εἰσφρέσθαι. De iisdem Byzantinis dixit Demosthenes VII. 15. οἶμαι — εἴ τισι μᾶλλον ἀπιϛοῦσιν ἢ ὑμῖν καὶ τούτους εἰσφρήσεσθαι μᾶλλον ἢ 'κείνῳ παραδώσειν τὴν πόλιν.

Incidi nuperrime in locum et ipsum unius litterulae corruptela tam iocalariter depravatum ut illud mendum animi causa

ὁδοῦ πάρεργον indicare iuvet. Legitur apud Charitonem libr. VII. p. 122, 19. Dorv. (pag. 489, 19. in Hirschigii Eroticis) *τὸ δὲ ναυτικὸν ἐπήρθη ταῖς ἐλπίσι καὶ φρονήματος ἐνεπλήσθησαν ὅτι τὸν ἀνδρειότατον καὶ κάλλιστον εἶχον ἡγούμενον. ὀλίγον δὲ ἐπένθουν ἢ οὐδὲν ἀλλὰ ὥρμηντο καὶ τριήραρχοι καὶ κυβερνῆται — πάντες ὁμοίως.* In unico Codice Mediceo scriptum esse vidi *ὀλίγον τ' ἐπένθουν ἢ οὐδὲν ἀλλά*, quorum verborum quis sensus sit si e Dorvillio quaeres, sat scio, subridebis sed non miraberis, nosti enim hominis ingenium iis infestissimi »*quibus volupe est potius auctores*, *ut vocant*, emendare *quam* explicare, *sane instituto — ad ingenia iuvenum corrumpenda praesentissimo*," ut scribit p. 589. et multos habet etiamnunc ex animi sententia assentientes. Sed Reiskio nil suboluisse miror emunctae naris et lepido viro et ad iuvenum ingenia illo modo corrumpenda nato et facto. Vel Dorvillio iudice et omnibus quibus iuvenes ne corrumpantur maxima cura est vincam pro *ὀλίγον τ'* ΕΠΕΝΘΟΥΝ *ἢ οὐδέν* emendari oportere ΕΠΕΝΟΟΥΝ *οὐδέν* scribique *ὀλίγον τ' ἐπενόουν οὐδέν*, quae res quum per se ipsa manifesta est tum alio etiam argumento pervalido confirmatur. Solent enim Rhetores et Sophistae quum ipsi sint sterili et ieiuno ingenio orationem suam Veterum locis tamquam luminibus illustrare aut gemmis distinguere ac flosculis ornare. Permulta leguntur et apud caeteros id genus scriptores et in Baritone, quae aut Demostheni sublecta sunt scite et nitide et facunde dicta, aut Aeschini, aut Platoni, aut Herodoto, aut Thucydidi, ne de Homero dicam et poëtis. Facile haec omnia, si quis aurem habet Veterum lectione subactam, animadvertuntur, veluti *αἱ παρῳδίαι* in Comicis, cuiusmodi est p. 417, 39. Hirsch. *ἑσπέρα μὲν ἦν ἧκε δ' ἀγγέλλων τις κτέ.* adumbratum e Demosthenis celebrato loco: *ἑσπέρα μὲν γὰρ ἦν ἧκε δ' ἀγγέλλων τις ὡς Ἐλάτεια κατείληπται.* Ex eiusdem noto loco sumtum p. 486, 18. *ἐγχειρεῖν προβαλλομένους ἀεὶ τὴν ἀγαθὴν ἐλπίδα*, et ex Homero p. 444, 36: *οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος καὶ ἤδη μεστὸν ἦν τὸ θέατρον*, et frequens illud *ἔνθεν ἑλών*, et *πῆλας δὲ χερσίν* aliaque multa. et ex Xenophontis Symposio p. 465, 17. *ὥσπερ ἐν νυκτὶ βαθείᾳ πολλοῦ φωτὸς αἰφνίδιον φανέντος* et alia, ex quibus uno tantum utar ad locum Charitonis emendandum. Legitur p. 431, 4. *πρὸς τοὔνομα τοῦ κυρίου*

πηγὴν ἀφῆκε δακρύων κάτω κύψασα ὀψὲ καταμανθάνουσα τὴν ἐλευθερίαν, sic Hirschigius edidit, non facturus, ut opinor, si meminisset loci apud Aeschinem in Ctesiphont. § 157. πρεσβύτας ἀνθρώπους, πρεσβύτιδας γυναῖκας, ὀψὲ μεταμανθάνοντας τὴν ἐλευθερίαν, qui Charitoni iterum obversabatur p. 454, 28. καὶ οὗτοι μὲν ἦσαν ἐν τοιαύταις συμφοραῖς ὀψὲ μεταμανθάνοντες τὴν ἐλευθερίαν. Eodem igitur modo quum scriberet ὀλίγον τ' ἐπενόουν οὐδέν describebat Thucydidis locum II. 8. Ὀλίγον τ' ἐπενόουν οὐδὲν ἀμφότεροι ἀλλ' ἔρρωντο ἐς τὸν πόλεμον, multorum imitatione celebratum. Alia Thucydidei loci imitatio facile deprehenditur p. 498, 45. δίδωμί σοι πάσης Ἰωνίας ἄρχειν καὶ πρῶτος εὐεργέτης εἰς οἶκον βασιλέως ἀναγραφήσῃ, adumbrata haec sunt ex Artaxerxis ad Pausaniam epistola I. 129. nisi quod πρῶτος de suo addidit Sophista non admodum acute, ut vides.

Plane idem vitium, quod e Charitone sustulimus, olim ex Appiano Musgravius feliciter sustulit. Edebatur apud Appian. de Bell. Civil. III. 52. ἐφιέμενος ὧν ἐπένθει Καῖσαρ, quod in ΕΠΕΝΘΕΙ latebat ΕΠΕΝΟΕΙ reperit Musgravius ὧν ἐπενόει Καῖσαρ, quod omnium plausu receptum. Nunc ad Hellenica redeo.

In libro VII. I. 6. ὑπ' ἐκείνοις παντελῶς ἐγένεσθε, demonstravi iam alibi cur ἐπ' ἐκείνοις sit corrigendum. Ibid. VII. I. 17. σπονδὰς ποιησάμενος πρὸς Θηβαίων μᾶλλον ἢ πρὸς ἑαυτῶν οὕτως ἀπῆλθεν emendandum est πρὸς ἑαυτοῦ.

Ibid. VII. I. 21. ὅσοιπερ ἦσαν refingendum est ὅσοι παρῆσαν. Crebro περ et παρ in libris confunduntur, saepius περ in παρ depravari solet scribiturque v. c. ἔνθα παρετάχθησαν pro ἐνθάπερ ἐτάχθησαν et sim., nonnumquam contra erratur ut hoc loco.

Non concoquo VII. I. 23. γένει τε οὐδενὸς ἐνδεὴς χρήμασί τε προήκων, namque nihili prorsus est γένει οὐδενὸς ἐνδεής. Quod omnes in ea re solent dicere Xenophonti reddiderim γένει οὐδενὸς δεύτερος. Id ipsum iterum censeo restituendum IV. I, 6. ποίου τινὸς γένους ἐστὶν ὁ Σπιθριδάτης; ὁ δ' εἶπεν ὅτι Περσῶν οὐδενὸς ἐνδεέστερος, imo vero οὐδενὸς δεύτερος. Deinde post pauca VII. I. 23. inserto articulo legerim: ὡς μόνοις μὲν αὐτοῖς πατρὶς (ἡ) Πελοπόννησος εἴη.

Ferri nullo modo potest *Φείσεσθε* VII. I. 24. *ἐὰν οὖν σωφρονῆτε, τοῦ ἀκολουθεῖν ὅποι ἄν τις παρακαλῇ Φείσεσθε*, sed emendandum est *ἀφήσεσθε*. Ibid. VII. II. 7. pro *ἐχώρουν πάλιν* scribe *ἀνεχώρουν*. Ibid. VII. II. 20. *ἐπὶ τοῖς ὅροις* recepit Dindorf pro *ὁρίοις*. Nollem factum. *Ὅροι* sunt *termini*, lapides, qui dicuntur *πεπηγέναι*, *ἀνεσπάσθαι* et sim. *Ὅρια* sunt *fines*, quos termini constituunt.

Ibidem VII. III. 7. *οἱ μὲν ἄλλοι ἠρνοῦντο, εἷς δὲ ὡμολογήκει*, facile apparet *ὡμολόγει* verum esse: deinde *τῷ νομίζειν δίκαιον ποιεῖν* Graecum non est: *δίκαια ποιεῖν* (ut in hac ipsa re § 11.) rectissime dicitur, quemadmodum *ἄδικα ποιεῖν* et *οὐ ποιεῖτε δίκαια* pro *ἀδικεῖτε*, et *δίκαια λέγειν*, *δίκαια πάσχειν* et similia omnia, sed *δίκαιον ποιεῖν*, *δίκαιον λέγειν* non item. Necesse est dicere *δίκαιόν τι ποιεῖν*, ut paulo ante ostendimus.

Quam saepe in vocula *τι* omittenda peccari soleat subinde ostendimus. Contra expungenda est eadem apud Demosthenem in Orat. XIV. 4. *εἰ μὲν ἐναργές τι γένοιτο καὶ σαφὲς ὡς βασιλεὺς αὐτοῖς ἐπιχειρεῖ.* Peperit importunum pronomen dittographia *γένοιτο* et *γίνοιτο*, et legendum est *εἰ μὲν ἐναργὲς γένοιτο.* Bis idem pronomen est expellendum ex Aeschinis orat. de F. L. § 107. *οὐδείς με τῶν ὅπλων ἕνεκα τῶν Φιλίππου κρινεῖ, ἀλλ' ὧν ἂν εἴπω [τι] μὴ δέον ἢ πράξω [τι] τῶν μὴ προστεταγμένων.* Transponendum est in Demosthenis orat. de Cor. § 277. ubi scribe: *ἵν' εἰδῆτε τί ἡ ἐμὴ συνέχεια — καὶ ψηφίσματα, ἃ νῦν οὗτος διέσυρεν, ἀπειργάσατο* pro *εἰδῆτε ἡ ἐμὴ — διέσυρε, τί ἀπειργάσατο.* Inepte additum est *τινα* in eadem Orat. § 146. *εἴ τῳ [τινὰ] ἀρχὴν ἄρχοντι.* Alio genere mendi laborat locus Demosthenis in Orat. XLII. 25. *τοὺς δὲ νομίζοντας ἀπολλύειν ὅταν εἰς τὸ κοινόν [τι] δαπανήσωσιν*, locus expeditus erit ubi *τι* expunxeris et pro *ὅταν* reposueris *ὅ τι ἂν εἰς τὸ κοινὸν δαπανήσωσιν.*

Ibid. VII. III. 7. *ὑμεῖς τοὺς περὶ Ἀρχίαν — οὐ ψῆφον ἀνεμείνατε, ἀλλ' ὁπότε πρῶτον ἐδυνάσθητε ἐτιμωρήσασθε*, arena est sine calce, sed quid requiratur locus ipse liquido monstrat. Opponuntur enim inter se non *ἀνεμείνατε* et *ἐτιμωρήσασθε*, nam sic accusativum *τοὺς περὶ Ἀρχίαν* ab utroque verbo pendere oportebat, sed *ψῆφον ἀναμείναντες* et *ὁπότε πρῶτον ἐδυνάσθητε* idque ipsum restituendum est *οὐ ψῆφον ἀναμείναντες ἀλλ' ὁπότε κτὲ.* et omnia habebunt optime. Simillimo

remedio obiter sanari poterit locus apud Thucydidem unius vocabuli vitio vehementer perturbatus VIII. 15. *νομίσαντες μέγαν ἤδη καὶ σαφῆ τὸν κίνδυνον σφᾶς περιεςάναι —, τά τε χίλια τάλαντα, ὧν διὰ παντὸς τοῦ πολέμου ἐγλίχοντο μὴ ἅψασθαι, εὐθὺς ἔλυσαν τὰς ἐπικειμένας ζημίας τῷ εἰπόντι ἢ ἐπιψηφίσαντι — καὶ ἐψηφίσαντο κινεῖν καὶ ναῦς πληροῦν.* Iniuriam Thucydidi facies si ista sic ab illo formata esse contendes: melius repones *λύσαντες* pro *ἔλυσαν*, quo facto *καί* ante *ἐψηφίσαντο* ultro excidet et omnes molestiae erunt remotae.

In Hellen. VII. IV. 2. *εὕρισκον οὐδὲν μεῖον Λακεδαιμονίοις ἢ σφίσιν ἀγαθὸν τὸ Ἀρκάδας μὴ προσδεῖσθαι Θηβαίων*, supple *ἀγαθὸν* (*ὄν*), quod vitium perfrequens esse norunt omnes.

Ibid. VII. IV. 5. *ἔλεξεν ὅτι ἀκούσας ἐπιβουλεύεσθαι τῇ πόλει βοηθῶν παρείη* emenda *ἐπιβουλεύεσθαι τὴν πόλιν* et paulo ante *οἱ δ' ἐπίθοντο* pro *ἐπείθοντο.*

Ibid. VII. IV. 11. *καὶ δίκας τῶν Φλιασίων προσκαλουμένων οὐκ ἐδίδοσαν*, qui lectionem *προκαλουμένων* a Cod. oblatam spreverunt videntur mihi locum non satis intellexisse. Dindorfius in errorem inductus a Zeunio est, qui ad I. VII. 12. *δίκας προσκαλουμένων* coniungens docuit scilicet *δίκας προσκαλεῖσθαι* esse *πρὸς δίκας καλεῖσθαι*, ut demonstraret *προσκαλεῖσθαι* esse *παραγγέλλειν εἰς δίκην* et *πρόσκλησις* ἢ *εἰς δικαςήριον κλῆσις*, de qua re nulla umquam fuit dubitatio. *Καλεῖσθαι, προσκαλεῖσθαι* et *κλῆσις, πρόσκλησις* usitatissima sunt et passim occurrunt de iis, qui alicui *diem dicunt.* Itaque si quis quem *in iudicium adducturus* est is aut *καλεῖσθαι* aut *προσκαλεῖσθαι* dicitur, et sicubi in libris *προκαλεῖσθαι* scriptum est, summo iure confidenter *προσκαλεῖσθαι* emendabis. Id autem saepe iam factum est et saepe etiam erit faciendum, quia nullus liber scriptus exstat, in quo non subinde *πρό* et *πρός* inepte confundantur praesertim in verbis compositis, sed quia certum et perspicuum ubique discrimen est, nusquam est dubia et anceps optio. Itaque in Hellen. I. VII. 12. quamquam in libris est ad unum omnibus *Καλλίξενον προεκαλέσαντο παράνομα φάσκοντες συγγεγραφέναι*, tamen facile apparebit *προσεκαλέσαντο* veram scripturam esse. Praeterea qui rerum Atticarum et verborum periti sunt dabunt mihi *παράνομα — γεγραφέναι*, non *συγγεγραφέναι*, scribi oportere. Discrimen tam no-

tum quam certum est adeo ut vulgata lectio librorum omnium moveat intelligentibus risum. Apparet autem *ὅτι τὸν Καλλίξενον ἐγράψαντο παρανόμων* et verissime in sqq. emendatum est *ἐὰν μὴ ἀφῶσι τὴν κλῆσιν* pro vulgata *τὴν ἐκκλησίαν*, *nisi ab accusatione desistant*, id quod coacti fecerunt *καὶ ἠναγκάσθησαν ἀφιέναι τὰς κλήσεις*, ut statim emendate in libris scriptum est. Neque ulla potest esse dubitatio, quin *προσκαλοῖτο* vera scriptura sit VII. IV. 38. *εἰ δὲ καί τινες ἐπαιτιῷντο ἔλεγον ἐπαγγέλλοντες ὅτι ἡ Μαντινέων πόλις ἐγγυῷτο ἦ μὴν παρέξειν εἰς τὸ κοινὸν ὁπόσους τις προσκαλοῖτο*, id est *reos deposceret*, ad causam dicendam in iudicium adduci vellet. Caeterum non *προκαλεῖσθαι δίκας* in tali re dici sed *εἰς δίκας* Thucydides docere poterit VII. 18. ita scribens: *ἐς δίκας προκαλουμένων τῶν Λακεδαιμονίων οὐκ ἤθελον ἐπιτρέπειν.* Est in Xenophontis loco aliud praeterea vitium, namque scribendum *εἰ δὲ καί τινας ἐπαιτιῷντο*, non *τινές*, ac plane eiusdem potestatis sunt in tali re *ἐπαιτιᾶσθαι* et *προσκαλεῖσθαι* poteratque Xenophon perinde bene scribere *εἰ δὲ καί τινας προσκαλοῖντο* et *ὁπόσους τις ἐπαιτιῷτο.* Contra *προκαλεῖσθαι provocare, invitare, conditionem ferre* significat notissimo tritissimoque usu. Saepe dicitur civitas, quae iure potius quam bello controversias dirimere cupiat, quae iure prius disceptare quam bellum statim gerere malit *προκαλεῖσθαι* ad id faciendum adversarios, qui quum conditionem accipiunt *δίκας διδόναι* dicuntur. Legitima et solemnia haec verba sunt in ea re *δίκας διδόναι*, quae saepe leguntur apud Thucydidem v. c. I. 28. *δίκας ἤθελον δοῦναι* et I. 85. *ἑτοίμων ὄντων δίκας δοῦναι* et I. 144. *δίκας ἐθέλομεν δοῦναι κατὰ τὰς συνθήκας.* Hinc *δωσίδικος* natum est, quod Graeculi in formam *δοσίδικος* depravarunt et alibi et apud Herodotum VI. 42.

Hoc ipsum igitur narrat Xenophon Phliasios fecisse: de Tricarano volebant cum Argivis iure disceptare, at illi noluerunt: itaque scribendum *καὶ δίκας προκαλουμένων τῶν Φλιασίων οὐκ ἐδίδοσαν* quae sic coniungenda et accipienda sunt *καὶ τῶν Φλιασίων προκαλουμένων οὐκ ἤθελον δίκας δοῦναι.* Nullus est hic *accusationi* (*τῇ προσκλήσει*) locus: erat Phliasiorum aequa et iusta *πρόκλησις*, quam Argivi non acceperunt. Vitiosum est *προὐκαλεσάμην* in Platonis Euthydemo p. 294 B. *μόλις ὑμᾶς προὐ-*

καλεσάμην σπουδάζειν, sed quid verum sit non reperio. Reddendum est *προὐκαλεσάμην* Lycurgo in Leocratea § 28. pro *παρεκαλεσάμην* in verbis: *παρεκαλεσάμην γὰρ αὐτοὺς πρόκλησιν ὑπὲρ τούτων ἁπάντων γράψας*. Vitiose *προσκαλεῖσθαι* scriptum est apud Platonem de Legibus XI. p. 936 E. *ἐάν τις ἑκὼν μὴ θέλῃ μαρτυρεῖν προσκαλεῖσθαι τὸν δεόμενον, ὁ δὲ προσκληθεὶς ἀπαντάτω πρὸς τὴν δίκην*, necesse est enim ut *testimonii denunciatio* Graece *πρόκλησις*, non *πρόσκλησις*, dicatur et ita assolet, quamobrem *προκαλεῖσθαι* et *προκληθείς* rescribendum.

Locus Xenophontis, quem modo apposui VII. iv. 38. *ὅτι ἡ τῶν Μαντινέων πόλις ἐγγυῷτο ἦ μὴν παρέξειν εἰς τὸ κοινὸν ὁπόσους τις προσκαλοῖτο* admonet me erroris, quem olim in Lysia commisi et nunc re melius perspecta ipse redarguam. Edebatur in Orat. XIII. 23. *ἄγειν μὲν τὸν Ἀγόρατον οὐκ ἔφασαν προήσεσθαι, ἀφῃροῦντο δὲ καὶ ἠγγυῶντο καὶ ὡμολόγουν παρέξειν εἰς τὴν βουλήν*, ubi *παράξειν* rescribebam inductus in errorem §§ 32 et 35. ubi legitur: *παράγουσιν εἰς τὸν δῆμον* et *παράγει αὐτὸν εἰς τὸν δῆμον* multisque aliis locis, quibus *producere ad populum* aut *ad Senatum* legatum, nuncium, indicem, sim. *παράγειν* dicitur *εἰς τὸν δῆμον, τὴν βουλήν* cet. Sed sero intellexi locum esse integerrimum meque diversa confudisse. *Παρέχειν τινὰ εἰς τὸν δῆμον, εἰς τὴν βουλήν, εἰς τὸ κοινόν, εἰς κρίσιν, εἰς ἀγοράν* dicitur de reo, qui ad causam dicendam in iudicio sistitur, sive ad populum, sive in curia, sive apud iudices res est. Agoratus ex Scto prehenditur. Superveniunt qui hominem eripiant spondeantque se eum in curia stituros: itaque *ἠγγυῶντο παρέξειν εἰς τὴν βουλήν*, ut apud Xenophontem *ἐγγυῷτο ἦ μὴν παρέξειν εἰς τὸ κοινόν*. Pauca exempla certae fidei sufficient. In Psephismate apud Plutarchum in vita Antiphontis p. 833 E. legitur: *παρασχόντων δ' αὐτοὺς οἱ στρατηγοὶ καὶ ἐκ τῆς βουλῆς οὕστινας ἂν δοκῇ τοῖς στρατηγοῖς*. Aeschinis de F. L. § 117. *τὰς δὲ πόλεις παρεχούσας εἰς κρίσιν τοὺς ἀδικήσαντας ἀζημίους εἶναι*. Ipse Lysias denique loco simillimo in Orat. XXIII. 9. *εἶπόν τινες ὅτι εἴη αὐτῷ ἀδελφὸς ὃς ἐξαιρήσοιτο αὐτὸν εἰς ἐλευθερίαν. ἐπὶ τούτοις ἐγγυησάμενοι παρέξειν εἰς ἀγορὰν ᾤχοντο ἀπιόντες*. *Παράγειν* autem de legatis aliisque dicitur, qui in concione *producuntur* ad populum. Agoratum igitur quum indicium professus esset *παρή-*

γγυον εἰς τὸν δῆμον, sed qui eum eripiebant quum prehensus raperetur παρέξειν εἰς τὴν βουλὴν spondebant et pollicebantur.

In eundem errorem, quem ipse in Lysia commisi, video Hirschigium meum implicatum esse, quum in Eroticis apud Achillem Tatium pag. 113, 33. ederet: ἐνεγυήσατο — παράξειν εἰς τὸν δῆμον, ὅταν δέῃ, quoniam de reo haec dicuntur, qui dato fideiussore ex custodia publica emittitur, sine mora librorum scriptura παρέξειν est restituenda.

In Hellen. VII. iv. 26. ὅσοι μὲν ξένοι ἦσαν αὐτῶν ἀπέδοντο, ὅσοι δὲ φυγάδες ἀπέσφαττον, imo vero ἀπέσφαξαν. Paulo ante in § 23. οἱ μαχόμενοι πρὸ αὐτοῦ ἀπέθνησκον transponendum est οἱ πρὸ αὐτοῦ μαχόμενοι, quem naturalem et necessarium in his verborum ordinem recte servatum videbis VI. iv. 13. οἱ πρὸ αὐτοῦ μαχόμενοι ἐπεκράτουν, et in Anabasi I. viii. 24. νικᾷ τοὺς πρὸ βασιλέως τεταγμένους, et multis aliis locis.

Ibid. VII. iv. 39. ἐκεῖνον μὲν ἀφίεσαν, in uno Codice est ἀφῆκαν, et aoristus quidem necessarius est sed corrigendum ἀφεῖσαν. Saepenumero videbis scribas in his formis antiquioribus turbare. Ἀφεῖμεν dicebant Veteres et ἀφεῖτε et ἀφεῖσαν, similiterque in caeteris compositis καθεῖσαν, ἀνεῖσαν, παρεῖσαν, alia. Graeculi haec refingunt in ἀφῆμεν et ἀφίεμεν et ἀφήκαμεν, ἀφῆτε, ἀφίετε et ἀφήκατε, ἀφῆσαν, ἀφίεσαν et ἀφῆκαν, nonnumquam et in ἀπήεσαν et ἀπῆσαν, sic et ἀνῆσαν et παρῆσαν vitiose dare solent et similia. Ἀφεῖσαν in nostro loco olim in ἀφῆσαν abiit, unde nunc in quibusdam libris ἀπήεσαν absurde scribitur. Idem vitium commissum est in Hellen. I. v. 19. ubi in nonnullis est ἀφῆσαν, meliores testes ἀφεῖσαν servarunt. Ἀφῆσαν quamquam barbarum est tamen apud Aristotelem legitur in Rhetor. II. 3. et aliis locis. Apud Thucydidem V. 21. vitiose editur Λακεδαιμόνιοι τοὺς ἄνδρας εὐθὺς ἀφίεσαν pro ἀφεῖσαν: imperfectorum, quae statim sequuntur, alia ratio est, ut facile apparebit. Ἀφίεσαν autem tam vitiosum est ac si quis in vicinia παρεδίδου τὴν πόλιν pro παρέδωκε vellet scribere. Παρῆναι pro παρεῖναι exhibent libri aliquot in Hellen. IV. ii. 22. Παρῆσαν pro *praetermiserunt* habent libri omnes apud Antiphontem in Orat. VI. 44. παρῆσαν καὶ τούτου τοῦ μηνὸς εἴκοσιν ἡμέρας, cui tandem Dobraeus παρεῖσαν reddidit. Apud Thucydidem IV. 38. παρῆκαν τὰς ἀσπίδας καὶ τὰς

χεῖρας ἀνέσεισαν, in Vossiano Codice video παρεῖκαν scriptum esse, in quo παρεῖσαν latere suspicor. Apud Thucyd. I. 76. εἰ ἀρχήν τε διδομένην ἐδεξάμεθα καὶ ταύτην μὴ ἀνεῖμεν in libris est ἄνιμεν, etiam in Vossiano, pervulgato errore. Apud eundem I. 139. Λακεδαιμόνιοι βούλονται τὴν εἰρήνην εἶναι. εἴη δ' ἂν εἰ τοὺς Ἕλληνας αὐτονόμους ἀφεῖτε, alii libri exhibent ἀφῆτε, conflata utraque scriptura ἀφείητε reponendum esse censeo. In Euripidis Ione vs. 1170. libri omnes conspirant in lectione et lacuna: ὡς δ' ἀνῆσαν ἡδονὴν * * παρελθὼν πρέσβυς κτέ. recte viri docti ἀνεῖσαν revocarunt. Lacunam sic expleverim: ὡς δ' ἀνεῖσαν ἡδονὴν (δαιτὸς) παρελθών, id est:

αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

In Hellen. VII. v. 8. ἐν ἀσφαλεστέρῳ τε ἦν καὶ τοῖς πολεμίοις ἐν ἀδηλοτέρῳ ὅ τι πράττοιτο, emendandum est ὅ τι πράττοι, nam sensus est: ipse Epaminondas ἐν ἀδηλοτέρῳ ἦν τοῖς πολεμίοις (id est μᾶλλον τοὺς πολεμίους ἐλάνθανεν) ὅ τι πράττοι. Compara locum in Cyropaed. VIII. I. 16. διὰ τὸ εἰδέναι ὅτι ὁρῷντ' ἂν ὅ τι πράττοιεν.

Non est sana lectio VII. v. 10. ὁ Ἀγησίλαος ἔφθη εἰς τὴν πόλιν ἀπελθών, requiro ἐπανελθών. Contra VII. v. 18. οὐκ ἐδόκει αὐτῷ δυνατὸν εἶναι ἀμαχεὶ παρελθεῖν, non est rei conveniens verbum παρελθεῖν sed ἀπελθεῖν. Epaminondas nulla re gesta *abire* nolebat, Agesilaus summa ope properavit in urbem *redire*. Eiusdemmodi confusio est I. VII. 1. in verbis: οὐκ ἀπῆλθον εἰς Ἀθήνας, sensus est: *Athenas non redierunt*, sed in exsilium ultro abierunt: itaque ἐπανῆλθον requiritur. Contra IV. v. 8. pro διϊὼν δὲ ἐπ' οἴκου latet in ΔΙΙΩΝ vera lectio ΑΠΙΩΝ, ἀπιὼν δὲ ἐπ' οἴκου· Cf. VI. IV. 26, et 27.

Ibid. VII. v. 16. οὐδὲν τούτων ἐπελογίσαντο Schneidero obtemperatum oportuit verissime ὑπελογίσαντο emendanti. Frustra obloquitur Dindorfius testibus credens, qui citati aut non respondebunt aut nihil dicent. Nihil aliud in tali re dici potest quam οὐδὲν ὑπολογίζομαι et οὐδένα ὑπόλογον ποιοῦμαι, ubi quis dicitur id quod agebat peragere *nulla ratione habita* earum rerum, quae alium fortasse retinere aut impedire aut retardare potuissent. Ex permultis exemplis satis erit unum inspexisse in Demosthenis Orat. de Corona § 124. μηδὲν ἂν ἠδίκησθε ἐν οἷς ἐπιστεύθητε ὑπολογισάμενοι.

Post pauca apud Xenophontem legitur: *αἰσχυνόμενοι εἰ παρόντες μηδὲν ὠφελήσειαν τοὺς συμμάχους*, non convenit rei aoristus *ὠφελήσειαν* et requiritur more Graeco futurum, quod de illo necessarium est ponere qui turpe quid *facturus* pudore ne id faciat retineatur. Itaque scribendum est: *αἰσχυνόμενοι εἰ μηδὲν ὠφελήσοιεν τοὺς συμμάχους*. Alexis Athenaei p. 241 B.

ἀλλ' αἰσχύνομαι
τὸν Κόρυδον εἰ δόξω συναριστᾶν τισιν
οὕτω προχείρως. οὐκ ἀπαρνοῦμαι δ' ὅμως,
οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος ἂν καλῇ τις.

Simili modo loquuntur omnes. Lysias III. 5. *αἰσχυνόμενος εἰ μέλλοιεν πολλοί μοι συνείσεσθαι.* Aoristus et futurum aptissime composita sunt apud Demosthenem XXV. 63. *οὐκ αἰσχύνεσθε εἰ οἱ μὲν — ἡγήσαντο, ὑμεῖς δὲ — εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς καταμίξετε.* Eadem ratio in multis aliis verbis cernitur, quam Graeci ex ipsa rei natura constantissime sequuntur. Pauca exempla apposuisse erit satis. Xenophon Hellen. II. III. 53. *θαυμάζω εἰ μὴ βοηθήσετε*, et II. IV. 29. *φθονήσας Λυσάνδρῳ εἰ εὐδοκιμήσοι.* Aeschines in Ctesiph. § 147. *Δημοσθένης οὐκ ἀγαπᾷ εἰ μὴ δίκην δέδωκεν, ἀλλ' εἰ μὴ καὶ χρυσῷ στεφάνῳ στεφανωθήσεται ἀγανακτεῖ.* Plato de Rep. V. p. 450 A. *ἀγαπῶν εἴ τις ἐάσοι πάντα.* Eadem compositionis forma crebro apparet in verbis *λυποῦμαι*, *ἄχθομαι*, *δεινὰ ποιοῦμαι*, *ἐλεῶ* et *οἰκτείρω*, aliisque id genus, si id quod futurum esse quis putat ei dolorem, indignationem, misericordiam dicitur movere, ut in Anab. I. IV. 7. *οἱ δ' ᾤκτειρον εἰ ἁλώσοιντο*, et sic multi passim loquuntur. Quemadmodum igitur illis locis omnibus necessarium est futurum, eodem modo requiri in nostro loco patet *αἰσχυνόμενοι εἰ μηδὲν ὠφελήσοιεν.*

Sunt quidam in Xenophontis Hellenicis loci in quibus vera scriptura feliciter est servata, quae in re simili aut prorsus eadem apud alios scriptores Atticos scribarum negligentia vitiata est. Itaque si quis locum emendate scriptum loco corrupto adhibuerit ex utriusque comparatione id quod genuinum et verum est apparere debebit, quod tribus locis demonstrabo. Est apud Thucydidem locus V. 2. *Κλέων ἐξέπλευσεν εἰς τἀπὶ Θρᾴκης χωρία. — σχὼν δὲ ἐς Σκιώνην — κατέπλευσεν ἐς τὸν*

Κολοφωνίων λιμένα, τῶν Τορωναίων ἀπέχοντα οὐ πολὺ τῆς πόλεως, in his et alia impedita sunt et praesertim ὁ Κολοφωνίων λιμήν, quem omnes, sat scio, esse in ea vicinia miraturi sunt. Reperit ipsam Thucydidis manum tam felici quam certa emendatione Pluygersius, nempe vidit τὸν Κωφὸν λιμένα esse corrigendum, eodem nomine et, credo, eadem de causa appellatum atque eum, qui commemoratur in Hellen. II. iv. 23. παρῆλθεν ἐπὶ τὸν Κωφὸν λιμένα. Ne ulla possit superesse dubitatio faciet proverbium apud Proverbiorum Collectores et Photium et Suidam servatum: Κωφότερος τοῦ Τορωναίων λιμένος, quem Photius ita interpretatur ut dicat: περὶ Τορώνην τῆς Θρᾴκης καλεῖταί τις Κωφὸς λιμὴν, quod noto Graecorum usu significat ἔστι τις λιμὴν Κωφὸς λιμὴν καλούμενος. Similia leguntur apud Zenobium IV. 68. et Diogenianum V. 45. et alios. Eiusdem certa memoria exstat apud Strabonem in Excerptis libri VII. fragm. 32. ubi ἀντικρὺ Καναστρου, inquit, ἄκρου τῆς Παλλήνης ἡ Δέρρις ἐστὶν ἄκρα πλησίον Κωφοῦ λιμένος καὶ ὁ Τορωναῖος κόλπος ὑπὸ τούτων ἀφορίζεται. Itaque ne Pyrrho quidem dubitaverit quin a Thucydide sit scriptum κατέπλευσεν ἐς τὸν Κωφὸν λιμένα τῶν Τορωναίων, ἀπέχοντα τῆς πόλεως οὐ πολύ. Habebat Torona duos portus, alterum ipsi urbi adiectum, alterum τὸν Κωφὸν λιμένα, οὐ πολὺ τῆς πόλεως ἀπέχοντα. Dirimebat utrumque promontorium in mare longe procurrens, quamobrem ὁ Κωφὸς λιμὴν, στενὰς ἔχων τὰς εἰσβάσεις, (Diogen. l. l.) et interiorem recessum habens erat ἄκλυστος, ὥστε μὴ ἐξακούεσθαι τοῖς ἐν αὐτῷ τὸν τῆς θαλάττης ἦχον (Zenob. l. l.): unde ei nomen inditum. Cleon igitur τῇ μὲν στρατιᾷ τῇ πεζῇ ἐχώρει ἐς τὴν πόλιν, ναῦς δὲ περιέπεμψε δέκα ἐς τὸν λιμένα περιπλεῖν, quae naves ἐκ τοῦ Κωφοῦ λιμένος τὴν ἄκραν κάμψασαι εἰς τὸν Τορωναίων λιμένα εἰσέπλευσαν. Obiter insere articulum in verbis, quae de eadem re leguntur in cap. 3. καὶ αἱ νῆες ἅμα περιέπλεον ἐς τὸν λιμένα περιπεμφθεῖσαι, ubi requiritur (αἱ) ἐς τὸν λιμένα περιπεμφθεῖσαι. Tenemus igitur fraudem manibus et apparet quum olim ΤΟΝΚΩΦΟΝΛΙΜΕΝΑ in libris fuisset aliud agentes scribas τὸν κολοφώνιον λιμένα, deinde τὸν κολοφωνίων λιμένα substituisse, et eam fraudem nunc Thucydidis libros Mss. omnes, qui ubique sunt, inficere.

Lubet eadem opera non minus admirabilem et certam loci

Thucydidei emendationem ab eodem Pluygersio repertam in omnium notitiam proferre, qui Thucydidem diligunt et admirantur. Constans omnium librorum scriptura est Thucyd. I. 61. ἀφικόμενοι ἐς Μακεδονίαν πρῶτον καταλαμβάνουσι τοὺς προτέρους χιλίους Θέρμην ἄρτι ᾑρηκότας καὶ Πύδναν πολιορκοῦντας, — ἔπειτα δὲ — ἀπανίςανται ἐκ τῆς Μακεδονίας καὶ ἀφικόμενοι ἐς Βέροιαν κἀκεῖθεν ἐ π ι ς ρ έ ψ α ν τ ε ς καὶ πειράσαντες πρῶτον τοῦ χωρίου καὶ οὐχ ἑλόντες ἐπορεύοντο κατὰ γῆν πρὸς τὴν Ποτίδαιαν. Nihil attinet difficultates, quibus locus impeditus est, ostendere, reperta feliciter vera lectione, qua recepta loci molestiae omnes erunt remotae et dispulsis nubibus clara luce splendebunt omnia. Egregie enim divinavit Pluygersius in ΕΠΙΣΤΡΕΨΑΝΤΕΣ latere ΕΠΙΣΤΡΕΨΑΝ et indoctos scribas quum non satis caperent quid esset ἀφικόμενοι ἐς Βέροιαν κἀκεῖθεν ΕΠΙΣΤΡΕΨΑΝ καὶ πειράσαντες πρῶτον τοῦ χωρίου κτἑ. pervulgato more suo *vocabulum bene Graecum* supposuisse ἐπιστρέψαντες, quum debuissent scribere κἀκεῖθεν ἐ π ὶ Σ τ ρ έ ψ α ν. Stabiliendae huic emendationi satis esse existimo locum unum apponere ex Aeschinis oratione de F. L. § 27. Παυσανίου ἐπὶ τὴν ἀρχὴν κατιόντος — ἔχοντος δὲ Ἑλληνικὴν δύναμιν, εἰληφότος δὲ Ἀνθεμοῦντα καὶ Θέρμην καὶ Σ τ ρ έ ψ α ν καὶ ἄλλ' ἄττα χωρία, quae in eadem Macedoniae parte, ut vides, gerebantur, unde se Atheniensium exercitus apud Thucydidem ad Potidaeam recepisse narratur. Locus ubi olim Στρέψα steterit nunc ex emendato loco Thucydideo aliquanto accuratius poterit definiri.

Alter Xenophontis locus, qui mihi ad Thucydidem veteri mendo liberandum percommode adhiberi posse videtur, legitur in Hellen. VI. III. 18. τὸν μὲν βουλόμενον βοηθεῖν ταῖς ἀδικουμέναις πόλεσι, τῷ δὲ μὴ βουλομένῳ μὴ εἶναι ἔ ν ο ρ κ ο ν συμμαχεῖν τοῖς ἀδικουμένοις, ex quo loco perspicue patet quo sensu dicatur aliquid esse alicui ἔνορκον, nempe quod quis *ex foedere* facere *teneatur* propter iurisiurandi religionem, qua in foedere feriundo animum obstrinxerit, id ei dicitur esse ἔνορκον eodem modo, quo quid alicui ἔνσπονδον esse dicitur. Rarius illud loquendi genus obscuratum est apud Thucydidem V. 23, ubi in ipso foedere legitur: ἢν δέ τι δοκῇ Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις προσθεῖναι καὶ ἀφελεῖν περὶ τῆς ξυμμαχίας, ὅ τι ἂν δοκῇ

εὔορκον ἀμφοτέροις εἶναι, sed ἔνορκον reponendum esse mihi quidem satis videtur perspicuum. Εὔορκον enim id dicitur quod qui facit iurisiurandi fidem sancte servat, quo sensu saepe iudices δικαίαν καὶ εὔορκον ψῆφον φέρειν dicuntur, quod idem fere est atque ὁσίαν καὶ δικαίαν φέρειν τὴν ψῆφον, ut saepe loquuntur Oratores. Proclivis error apud Thucydidem describentibus fuit et Criticis ad deprehendendum difficilior, quia bis in vicinia εὔορκον εἶναι in re simili recte positum occurrit: nempe V. 18. εὔορκον εἶναι ἀμφοτέροις ταύτῃ μεταθεῖναι ὅπῃ ἂν δοκῇ ἀμφοτέροις, ad quae verba respicit V. 29. ἐν ταῖς σπονδαῖς ταῖς Ἀττικαῖς ἐγέγραπτο εὔορκον εἶναι προσθεῖναι καὶ ἀφελεῖν ὅ τι ἂν ἀμφοῖν τοῖν πόλεοιν δοκῇ, quae specie magis quam re nostro loco snnt similia: nempe τὸ μεταθεῖναι optime dicitur εἶναι εὔορκον, sed τὸ μετατεθὲν εὔορκον esse non potest, sed ἔνορκον est. De communi consensu *salva iurisiurandi religione* addi aliquid aut demi poterat, sed quod mutatum esset perinde *ex foedere facere tenebantur* atque id quod antea in foedere scriptum ac religione sancitum fuisset. Quemadmodum igitur certa fide apud Xenophontem legitur τῷ μὴ βουλομένῳ μὴ εἶναι ἔνορκον συμμαχεῖν, sic Thucydides quoque dederat: ὅ τι ἂν δοκῇ ἔνορκον ἀμφοτέροις εἶναι.

Tertius Xenophontis locus est, qui in duobus locis Demosthenicis verae lectionis restitutionem adiuvare potest. Legitur in Hellen. VII. IV. 36. οἱ μὲν Ἀρκάδες — ἐδειπνοποιοῦντό τε καὶ εὐθυμοῦντο καὶ σπονδὰς καὶ παιᾶνας ἐποιοῦντο, sic autem in laetitia publica erat fieri solitum θύειν καὶ σπένδειν καὶ παιᾶνας ᾄδειν, cuius rei mentio scribarum negligentia bis apud Demosthenem obscurata est ac deleta. Alter locus est in oratione de Corona § 217. ὅτε — ζήλου καὶ χαρᾶς καὶ ἐπαίνων ἡ πόλις ἦν μεστή, ubi non ἐπαίνων scribendum esse videri iam ante verbo monuimus, sed παιάνων ἡ πόλις ἦν μεστή, planissime ut apud Sophoclem est in decantatis versibus:

πόλις δ᾽ ὁμοῦ μὲν θυμιαμάτων γέμει,
ὁμοῦ δὲ παιάνων τε καὶ στεναγμάτων.

Qui mihi hoc dederit, etiam in altero loco Demosthenis, qui legitur in Orat. περὶ τῆς παραπρεσβείας § 86. idem mendum eodem remedio esse sanandum videbit. Verba haec sunt: ὅτε μὲν τὰ δέοντ᾽ ἐποιεῖτε θυσιῶν καὶ ἐπαίνων ἠξιοῦσθε παρ᾽ ὑμῖν

αὐτοῖς καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις, sed et res ipsa et additum *θυσιῶν* demonstrant *καὶ παιάνων ἠξιοῦσθε* ab Oratore fuisse scriptum. Quid quaeso est *ἐπαίνων ἠξιοῦσθε παρ' ὑμῖν αὐτοῖς καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις?* nihil enim aliud haec verba significare possunt quam *ἐπῃνεῖσθε καὶ αὐτοὶ ὑφ' αὑτῶν καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων*, quod ridiculum est. Imo vero ob rem bene gestam *θυσίαι τε τοῖς θεοῖς ἐγίγνοντο καὶ παιᾶνες ᾔδοντο ἐν τοῖς ἐπινικίοις*, et iterum vetus lectio ΠΑΙΑΝΩΝ in *ἐπαίνων* depravata est.

Est denique locus in Hellenicis, de quo adhuc dubitavi quid sentirem dicere, quoniam in certa corruptela de emendandi ratione nondum mihi satis liqueret. Verba sunt Callicratidae ad Hermonem pugnam dissuadentem I. VI. 32. *Καλλικρατίδας δὲ εἶπεν ὅτι ἡ Σπάρτη οὐδὲν μὴ κάκιον οἰκεῖται αὐτοῦ ἀποθανόντος*, ubi primum miror cur *οὐδὲν μή* doctos homines tanto opere offenderit. *Οὐδὲν μή* sanissimum est, nempe quum *οὐδὲν μᾶλλον, οὐδὲν μεῖον* et similia ponenda sunt in ea locutione, in qua *οὐ μή* Atheniensium more vehementem negationem significant in oratione concitata, dicebant *οὐδὲν μὴ μᾶλλον, οὐδὲν μὴ μεῖον* et similiter. Plato in Sympos. p. 214 A. *οὐδὲν μᾶλλον μήποτε μεθυσθῇ.* In Anabasi VII. VII. 24. legendum videtur *οὐδὲν (μὴ) μεῖον δύνωνται ἀνύσασθαι.* Itaque quum dicatur *οὐδὲν κακίων*, ut in notissimo versiculo:

οὐδὲν κακίων δοῦλος, ἢν καλῶς φρονῇ,

consequitur *οὐδὲν μὴ κάκιον* rectissime dici. Est igitur *οὐδὲν μή* sanissimum sed sic ut cum futuro coniungatur, quod tempus et ipsa dicti natura postulat. Nempe hoc quidem perspicuum est dixisse Callicratidam aliquid in hanc sententiam: *οὐ μὴ κάκιον πράξει ἡ Σπάρτη παρὰ τὸν ἐμὸν θάνατον.* Itaque Dindorfius probat Schneideri coniecturam, qui expuncto *μή* reponebat *οἰκήσεται.* Sed neque quomodo *οἰκήσεται* in *οἰκεῖται* abire potuerit exputo, neque *οἰκεῖσθαι* sed *οἰκεῖν* video eo sensu, quem locus postulat, poni solere. Ponitur enim *οἰκεῖν* pro *τὸν βίον διάγειν* et de singulis hominibus et de tota *civitate*, id est de multitudine *civium*, diciturque quis *εὖ* sive *καλῶς, βέλτιον οἰκεῖν, κακῶς, χεῖρον οἰκεῖν, νομίμως, σωφρόνως οἰκεῖν*, et *εὐδαιμόνως οἰκεῖν*, et *ἄκρως οἰκεῖν*, quod de perfecta civium felicitate Plato dixit, ubi *οἰκεῖσθαι* nullum habet locum et risum adeo moveret, veluti apud Aeschinem de F. L. § 182. *οὐδεὶς*

ὑμῶν διὰ τὰς ἐμὰς ἡδονὰς κάκιον οἰκεῖ οὐδ' ἐςέρηται τῆς πατρίδος. Compone cum his verba Platonis in Rep. X. p. 599 D. ὦ φίλε Ὅμηρε, — τίς τῶν πόλεων διὰ σὲ βέλτιον ᾤκησεν; et de Legg. IX. p. 872 D. ἐν κακῶς οἰκούσαις καὶ τρεφομέναις πόλεσιν, et apud Xenophontem in Cyrop. VIII. I. 2. (quem locum Schneiderus apponit) ποῖαι πόλεις νομίμως ἂν οἰκήσειαν; et passim alibi. Οἰκεῖσθαι passive *respublica* dici solet, τὸ κοινόν non οἱ πολῖται, et sic saepius ἡ πόλις εὖ, κακῶς, κάκιον οἰκεῖται et οἰκήσεται occurrit, veluti apud Demosthenem Orat. LVIII. 62. οὐ γὰρ δὴ πείσει γ' ὑμᾶς οὐδεὶς — ὡς διὰ τοῦτο χεῖρον ἡ πόλις οἰκήσεται. τοὐναντίον γάρ ἐςιν, ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω. τότε γάρ φασιν ἄριςα πρᾶξαι τὴν πόλιν, ὅτε μέτριοι καὶ σώφρονες ἄνδρες ἐπολιτεύοντο. Vides quam affinia sint εὖ οἰκήσεται et ἄριςα ἔπραξεν. Itaque, quoniam in Callicratidae verbis οἰκεῖν non οἰκεῖσθαι mihi requiri videtur, suspicio mihi subnata est an forte dixerit: οὐδὲν μὴ κάκιον, ἐμοῦ ἀποθανόντος, ἡ Σπάρτη οἰκιεῖται, de qua forma futuri multa supra disseruimus, quemadmodum nuper satis declaravimus quî fieri potuerit ut οἰκιεῖται in οἰκεῖται depravaretur. Οἰκιεῖται pro οἰκήσει a Callicratida suspicor esse dictum, quemadmodum eundem alibi μαχλῶντα pro μοιχεύοντα usurpasse verisimile esse diximus.

Nunc ex reliquis scriptis Xenophonteis pauca quaedam additamenta insigniora breviter enotabo et sic ad Thucydidem me conferam. Exordiar a Cyropaedia, qui liber prae caeteris integrior ad nos pervenit, paucioribus tantum vitiis et additamentis inquinatus, in quibus tamen nonnulla sunt foediora: et unum quidem omnium turpissimum emblema, quo nullum fere absurdius usquam me videre memini, irrepsit in Cyropaed. VIII. I. 44. Narrat Xenophon quibus modis Cyrus servos in officio continere soleret. *Dabat operam*, inquit, ὅπως μήτε ἄσιτοι μήτε ἄποτοί ποτε ἔσοιντο ἐλευθερίων ἕνεκα μελετημάτων, quod quum exemplis quibusdam quo pacto faceret ostendisset ita pergit: ὥςε καὶ οὗτοι αὐτὸν ὥσπερ οἱ ἄριςοι πατέρα ἐκάλουν ὅτι ἐπεμέλετο αὐτῶν, [ὅπως ἀναμφιλόγως ἀεὶ ἀνδράποδα διατελοῖεν], quae a caeteris seclusimus verba sunt nescio cuius Xenophontem odiose irridentis. Res perspicua est, αὐτὸ γὰρ βοᾷ, et dicendi genus non est antiquum ἀνδράποδα διατελοῦσιν

pro εἰσὶ διὰ τέλους et ipsum ἀνδράποδον tam contumeliose et ὑβριςικῶς dicitur ut haec nullo modo ex ipsius Xenophontis persona cum praecedentibus coniungi potuerint. Inficetum emblema est in Cyrop. I. vi. 10. μέμνησο μηδέποτε ἀναμένειν τὸ πορίζεσθαι τἀπιτήδεια ἔς' ἂν ἡ χρεία σε ἀναγκάσῃ, ἀλλ' ὅταν μάλιςα εὐπορῇς τότε [πρὸ τῆς ἀπορίας] μᾶλλον μηχανῶ, verba πρὸ τῆς ἀπορίας et ipsa insulsa sunt admodum et alieno loco collocata. In sententiam longius extractam inutile fulcrum scioli inseruerunt I. vi. 35. μηχανῶ τοίνυν, ὁπόσῃ σοι δύναμις, τεταγμένοις τοῖς σαυτοῦ ἀτάκτους λαμβάνειν τοὺς πολεμίους καὶ ὡπλισμένοις ἀόπλους καὶ ἐγρηγορόσι καθεύδοντας καὶ φανερούς σοι ὄντας ἀφανὴς ὢν αὐτὸς ἐκείνοις καὶ ἐν δυσχωρίαις αὐτοὺς γιγνομένους ἐν ἐρυμνῷ αὐτὸς ὢν [ὑποδέξῃ], qui de suo addidit sciolus ὑποδέξῃ non intellexit haec omnia ex μηχανῶ λαμβάνειν suspensa esse. Pervulgatum emblema in Cyrop. II. iv. 18. arguitur importuna sede, in quam ex margine irrepsit. Editur: ὁ δὲ Κῦρος ἐθύετο — προεληλυθότος δ' ἤδη τοῦ Κυαξάρους — γίγνεται τῷ Κύρῳ τὰ ἱερὰ ἐπὶ τὸν Ἀρμένιον ἰέναι [καλά]. Constanter Xenophon φιλοθύτης, si quis alius, et bonus haruspex in ea re solet scribere γίγνεται τὰ ἱερά, neque quidquam praeterea addit, neque αἴσια neque χρηςά neque καλά, quae subinde adduntur ab aliis. Recte habet καλὰ τὰ ἱερὰ ἦν Cyrop. VI. iii. 1. et alibi, sed ubi utitur verbo γίγνεται aut ἐγένετο nihil istiusmodi adiungit. Imprimis huc facit locus in Anabasi II. ii. 3. ἐμοὶ θυομένῳ ἰέναι ἐπὶ βασιλέα οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερά, ἰέναι δὲ παρὰ τοὺς Κύρου φίλους πάνυ καλὰ ἡμῖν τὰ ἱερὰ ἦν. Insinuavit autem sese additamentum in illam sedem, unde facillime expelli possit. Plura de eodem emblemate dabimus ad Anabasin.

In Cyrop. IV. iv. 2. οἱ δὲ [διηγοῦντο] ἅπερ τ' ἔπραξαν καὶ ὡς ἀνδρείως ἕκαςα ἐμεγαληγόρουν, demonstrat sciolorum fraudem vocula τε in ἅπερ τ' ἔπραξαν, quae certo indicio est verba ἅπερ ἔπραξαν e verbo ἐμεγαληγόρουν suspensa esse, quam rationem sententia loci egregie confirmat. Perpetua ellipsis male expleta a Graeculis est V. i. 17. οὐ μὴ κρατηθῶ ὥςε ποιεῖν τι ὧν μὴ χρὴ [ποιεῖν], saepius in talibus scioli turbant, quemadmodum et in frequenti locutione ὑφ' ὧν ἥκις' ἐχρῆν, et similibus aliis.

Soloeca oratio est V. ii. 37. ἄγε ἡμᾶς εὐθὺ τὴν ἐπὶ Βαβυλῶνος, namque pessime corruptae Graecitatis est εὐθύ pro εὐθύς dicere. Expunge τὴν ἐπί et reliqua erunt sanissima: ἄγε ἡμᾶς εὐθὺ Βαβυλῶνος. Sic loquebantur Veteres: adscripsit aliquis τὴν ἐπί, deinde utraque scriptura male coaluit in unum.

Manifestum in paucis emblema est et olim ab acutioribus deprehensum, quod etiamnunc commaculat locum Cyrop. VI. i. 38. εἰ γὰρ γένοιτο ὅ τι ἐγώ σοι ἐν καιρῷ ἂν γενοίμην [αὖ χρήσιμος]. Tenemus interpolatorem, qui quum non meminisset quo sensu ἐν καιρῷ dici soleret et sic desiderari aliquid ad sententiam absolvendam suspicaretur, de suo adscripsit αὖ χρήσιμος id est χρήσιμος ἐν τῷ μέρει. Hoc ipsum significare ἐν καιρῷ τινι εἶναι et γενέσθαι neminem fugere potest qui Xenophontem diligenter lectitarit. Itaque hoc pridem sensit Weiske, qui primus omnium vocabula spuria αὖ χρήσιμος obelo confixit, quem recte Schneiderus secutus est. Vel sic tamen pertinaciter haerent, itaque dabo operam ne quis posthac evellere dubitet. Nemo autem ea retinebit qui animadverterit quam lubenter Xenophon ἐν καιρῷ εἶναί τινι et ἐν καιρῷ γενέσθαι τινί dicere soleat pro χρήσιμός τινι εἶναι et γενέσθαι. Schneiderus iam attulit locum ex Cyropaed. V. i. 16. ἴσως γὰρ ἂν καὶ πάνυ ἡμῖν ἐν καιρῷ [τι] γένοιτο αὕτη ἡ γυνή, id est ὠφελήσειεν ἡμᾶς sive ὀνήσειεν, et Andocidis pag. 72. (Orat. I. § 145.): καὶ ἔστιν ὑμῖν χρῆσθαι τούτοις ὅπου ἂν ἐν καιρῷ [τι] ὑμῖν γένηται. In utroque loco τι delendum esse censeo, quod in Xenophontis loco occupavit facere Schneiderus. In Hellenicis ter eo modo locutus Xenophon est: III. iv. 9. Lysander ad Agesilaum ita dicit: ἀπόπεμψόν ποί με. ὅπου γὰρ ἂν ὦ πειράσομαι ἐν καιρῷ σοι εἶναι, et IV. iii. 2. ἆρ' ἂν ἐν καιρῷ γένοιτο εἰ αἱ πόλεις τὴν νίκην ὡς τάχιστα πύθοιντο; Sed luculentus imprimis locus est VII. iv. 8. σωθέντες μὲν γὰρ ἴσως ἂν αὖθις ἔτι ποτὲ ἐν καιρῷ ὑμῖν γενοίμεθα, ἐὰν δὲ νῦν ἀπολώμεθα δῆλον ὅτι οὐδέποτε χρήσιμοι ἔτι ἐσόμεθα. Vides prorsus ἰσοδύναμα esse ἐν καιρῷ εἶναί τινι et εἶναί τινι χρήσιμον, ut de interpolatione loci in Cyropaedia nulla superesse possit dubitatio.

Apparet luculenter ex iisdem locis quomodo sit accipiendum quod in Anabasi legitur III. i. 39. ἢν καὶ τοὺς ἄλλους παραθαρρύνητε οἶμαι ὑμᾶς πάνυ ἂν ἐν καιρῷ ποιῆσαι, id est πάνυ ἂν

ὠφέλιμόν τι ποιῆσαι. Eodem sensu ἐπὶ καιροῦ dixit Demosthenes de F. L. § 258. μάλιςα δὲ νῦν ἐπὶ καιροῦ τοῦτο γένοιτ' ἄν, id est ὠφελοίη ἄν sive χρήσιμον ἂν εἴη.

Manibus tenemus fraudem in Cyropaed. VI. II. 39. γνωςῆρας ἐμοὶ προσαγαγὼν [καὶ ἐγγυητὰς], ἦ μὴν πορεύσεσθαι σὺν τῇ ςρατιᾷ, λαμβανέτω ὧν ἡμεῖς ἔχομεν. Non est enim punctum temporis dubitandum, quin sciolus aliquis olim in ora libri annotaverit ἐγγυητάς ad interpretandum vocabulum priscum Ionicum γνωςῆρας, quos Athenienses ἐγγυητάς, et Graeci sequiores ἀναδόχους appellabant; *sponsores* Latine et *fideiussores* dicuntur. Γνωςήρ enim (quasi dicas *cognitor*) est, *qui quem notum esse sibi ac fide dignum praestat.* Res per se ipsa satis perspicua etiam certior fit ex annotatione Moeridis Atticistae p. 116. Γνωςῆρας, ὡς Ξενοφῶν, τοὺς γνωςάς, hunc ipsum locum respicientis, ubi vide Interpretes. Debuerat Xenophon τοὺς γνωςῆρας Ionibus relinquere et eos more popularium ἐγγυητάς appellare, nunc quoniam maluit vocabulo Ionico uti (ut passim facit) ridiculum est καὶ ἐγγυητάς additum. Formis nominum in — τήρ valde delectari Xenophontem multis exemplis docuit Piersonus ad Moeridis locum, quem modo afferebamus. In Cyropaedia sunt hae formae: ἐπιτακτήρ II. III. 4, ὀπτήρ et φραςήρ IV. v. 17, et iterum ὁδῶν φραςῆρα καὶ ὑδάτων καὶ χιλοῦ καὶ σίτου, deinde θεραπευτήρ VII. v. 65. et ἀποδεκτήρ, δοτήρ VIII. I. 9. et μνηςήρ VIII. IV. 15. Tantopere ea amat Xenophon ut Spartanorum ἁρμοςάς, quos passim hoc nomine designare solet, semel in Hellen. IV. VIII. 39. appellaverit ἁρμοςῆρας. Ionica esse haec omnia nemo nescit: abstinent talibus Attici, nisi quod κλητῆρες dicebant, quod vetus forense vocabulum ex legibus Soloneis sumtum esse patet, sicuti et πρατῆρες. Κλητῆρες in Codd. solent in κλήτορες depravari ex fallaci analogia, quemadmodum Ionica πρηκτήρ et ῥητήρ Attice πράκτωρ et ῥήτωρ sonabant. Apud Homerum est καλήτωρ, *calator.* Eadem necessitudo est inter θηρατής, θηράτωρ et θηρητήρ: κοσμητής, κοσμήτωρ et κοσμητήρ: οἰκητής, οἰκήτωρ et οἰκητήρ, aliisque. Quem Attici αὐλητήν eum Iones αὐλητῆρα appellant, quem illi ὀρχηςήν hi ὀρχηςῆρα, quem λῃςήν Athenis dicunt, olim Iones ληϊςῆρα, et sic μαςῆρες, ἐργαςῆρες, σκαπτῆρες, λυμαντῆρες Ionica sunt, quibus lubenter Xenophon utitur

pro Atticis ζητηταί, ἐργάται, σκαπανεῖς et λυμεῶνες. In vasis tantum instrumentisque quibusdam Athenienses ea forma utebantur ut in κρατήρ, ζωςήρ, κλυςήρ, ῥυτήρ, τριπτήρ, σφιγκτήρ, ποδανιπτήρ, ἀντλητήρ, τροπωτήρ, aliis.

Quamquam non est magno opere mirandum Xenophontem in tam diuturno exsilio in Asia et Peloponneso patriae linguae sinceritatem ab omni peregrinitatis labe intactam servare non potuisse, vel ut utar verbis notissimis Helladii (apud Photium in Myriobibl. Cod. 279. pag. 533. Bekk.) οὐδὲν θαυμαςὸν εἴ τινα παρακόπτει τῆς πατρίου φωνῆς (ὁ Ξενοφῶν) ἀνὴρ ἐν ςρατείαις σχολάζων καὶ ξένων συνουσίαις. Est enim Attici sermonis tam fastidiosa in verborum usu et delectu et forma et compositione morositas et severitas, ut multis exemplis constet eam illibatam retineri non potuisse ab iis, quibus patria et civium sermonibus diutius fuerit carendum, et illud

βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις

etiam in linguae puritate non satis servata recte poni posse. Insigne huius rei exemplum est in Solonis versibus apud Plutarch. in Sol. cap. XV. et Aristidem T. II. p. 536. Dind.

πολλοὺς δ' Ἀθήνας πατρίδ' εἰς θεόκτιτον
ἀνήγαγον πραθέντας, ἄλλον ἐκδίκως
ἄλλον δικαίως, — γλῶσσαν οὐκέτ' Ἀττικὴν
ἱέντας, ὡς ἂν πολλαχῇ πλανωμένους.

Non minus luculentum exemplum est apud Demosthenem pag. 1304. Διαβεβλήκασί μου τὸν πατέρα ὡς ἐξένιζεν, (id est ξένῃ διαλέκτῳ ἐχρῆτο, ut rectissime interpretatur Didymus apud Harpocrationem v. Ξενίζειν) καὶ ὅτι μὲν ἁλοὺς ὑπὸ τῶν πολεμίων ὑπὸ τὸν Δεκελεικὸν πόλεμον καὶ πραθεὶς εἰς Λευκάδα πρὸς τοὺς οἰκείους ἐσώθη δεῦρο πολλοςῷ χρόνῳ παραλελοίπασιν, et post pauca: οὔτ' ἐν τοῖς δημόταις οὔτ' ἐν τοῖς φράτερσιν οὔτ' ἄλλοθι οὐδαμοῦ τὸν ξενίζοντα οὐδεὶς πώποτ' ᾐτιάσατο ὡς εἴη ξένος. Saepius Comici idem obiiciunt iis quos in civitatem clam irrepsisse criminantur, ut Hyperbolo aut Cleophonti, in cuius χείλεσιν ἀμφιλάλοις Θρῃκία χελιδὼν dicitur insidere, apud Aristophanem in Ranis vs. 680. Itaque ne in Xenophonte quidem mirabile est eum Atticis Ionica compluscula et Dorica admiscere et ξενίζειν ἔνια, sed tamen apud eum nonnulla sunt quae inter legendum soleo mirari, cuiusmodi est ἀπη-

μείφθη pro ἀπεκρίνατο semel dictum in Anabasi II. v. 15, et οὐ γὰρ προὐτέθη σφίσι λόγος in Hellen. I. vii. 5, et νόμος γὰρ ἦν σφίσιν οὗτος Anab. V. iv. 33. utrobique pro αὐτοῖς pervulgato more Ionum male positum, et ἔστε δ' ἂν μόλωσιν Anab. VII. i. 33. pro ἔλθωσιν, et ἐξαλαπάξομεν Anab. VII. i. 29. pro ἐκπορθήσομεν, aliaque singularia, quae fere dicas imprudenti excidere. Nulla tamen in his inesse vocabula poëtica et obsoleta et ab usu populi abhorrentia perspicuum est: non cadit ea insania et κακοζηλία in hanc aetatem et tam probatum scriptorem, sed Ionica sunt pleraque et pars Dorica, ex illorum consuetudine et sermonibus ducta quibuscum longe maximam aetatis partem Xenophon contrivit. Ex his alia crebro usu terit, ut πεπᾶσθαι pro κεκτῆσθαι, μαστεύειν pro ζητεῖν, ἀντίον pro ἐναντίον, ἀλέξασθαι pro ἀμύνασθαι, πελάζειν pro πλησιάζειν, σίνεσθαι pro βλάπτειν, ἐντέλλομαι pro κελεύω, πορσύνειν pro παρέχειν, μείους et μεῖον ἔχειν pro ἐλάττους et ἔλαττον, et alia quaedam. Perpetuo ἐδυνάσθην scribit pro ἠδυνήθην Atticorum, adeo ut unus et alter locus ubi δυνηθείη legitur Cyropaed. V. i. 11 et V. iv. 31. gravissima mendi suspicione prematur. Sunt haec in Hellenicis rariora, veluti ἀνεξυνοῦτο pro ἀνεκοινοῦτο I. ii. 30, (ubi videbis formam Ionicam ex Codd. elapsam Suidae indicio deprehensam et retractam esse) et ἀδημονῆσαι IV. iv. 3. et διαμπάξ VII. iv. 23. et pauca quaedam alia. In Anabasi paulo frequentiora sunt: praeter ea quae praemisimus huc refero ἀμφὶ δορπηστόν I. x. 17. et ἐρύκειν III. i. 25, λύειν pro λυσιτελεῖν sive συμφέρειν III. iv. 36., ἀναχάζοντες IV. i. 16, ἀνεχάζετο IV. vii. 10, διαμπερές IV. i. 18, ἄπλετος IV. iv. 11, ἀμφὶ κνέφας pro περὶ ὄρθρον IV. v. 9, et ἐξέρπει Dorico more dictum pro ἐξέρχεται VII. i. 8. et alia quaedam, quae sciens praetereo.

In Cyropaedia sat magna vocabulorum copia est, quae Ionibus et Doribus usitata erant sed populo Attico inusitata, veluti δαήμων I. ii. 12. pro ἐπιστήμων, πάμπαν I. iii. 2. pro πάντάπασιν, χαρμονή I. iv 22. pro χαρά, κακὰ πορσύνειν I. vi. 17. pro παρέχειν, ῥήτρα I. vi. 33. pro νόμος, ἀδαής I. vi. 43. pro ἀμαθής vel ἄπειρος, ἄρταμος II. ii. 4. pro μάγειρος, δασμός II. iv. 22. pro φόρος, ἔτλη III. i. 2. pro ὑπέμεινεν, φάος IV. ii. 9. pro φῶς, δαῖτα IV. ii. 37. pro εὐωχίαν, δάσωνται IV.

ii. 45. pro *προσνέμωσιν*, *μήκιστον* IV. v. 28. pro *μακρότατον*, *αἱ δμωαί* V. i. 6. pro *δοῦλαι* vel *θεράπαιναι*, *ἄχος* V. v. 6. pro *λύπη*, *τίνων ποινάς* VI. i. 11. pro *δίκην διδούς*, *διαχάσασθαι* VII. i. 31. pro *διαστῆναι*, *ἀνεχάζοντο* VII. i. 34. pro *ὑπανεχώρουν*, *βιοτή* VII. ii. 27. pro *βίος*, *ἀνάλκιδες* VII. v. 62. pro *δειλοί*, *ἱππότας* VIII. viii. 20. pro *ἱππέας*, et pauca quaedam alia. Pro *ἀποκτείνω* Atticorum lubenter Xenophon *κατακαίνω* scribit, et *κατέκανον* pro *ἀπέκτεινα*, et *κατακέκονα* pro *ἀπέκτονα*. Semel et iterum *κατακαίνω* a scribis in *κατακτείνω* depravatum est, veluti in Cyropaed. III. i. 39. et *κατέκανον* in *κατέκτανον*, quae formae poëtis Tragicis sunt relinquendae. Etiam simplex *ἔκανον* in *ἔκτανον* depravatum nonnumquam vidi, ut in celebrato Atheniensium scolio, ubi legendum esse:

ὅτε τὸν τύραννον κανέτην,

non *κτανέτην* scribendum esse iam antea monuimus. Manifesta omnibus eadem fraus est in Tragici loco apud Aristotelem in Rhetor. II. 23.

οὐχ ἵνα κτάνωσι θῆρ', ὅπως δὲ μάρτυρες
ἀρετῆς γένωνται Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα,

namque ibi *καὶ τυφλῷ δῆλον* legendum esse *κάνωσι*, ne senarius in prima sede habeat creticum.

Eiusdem igitur notae sunt *γνωστῆρες*, quod vocabulum Ionicae Dialecti usum et fines non excedit, ut pleraque alia in *-τήρ* exeuntia. Sic in Democriti loco apud Clementem Alexandr. Stromat. I. p. 279 D. *λεξειδίων θηράτορες, ζηλωταὶ τεχνυδρίων, ἐριδαντέες καὶ ἱμαντελικτέες*, ex uno Codice recipiendum est *θηρητῆρες*. Male mulcavit Bergkius Theognidis versum 533:

Χαίρω δὴ πίνων καὶ ὄπ' αὐλητῆρος ἀκούων,
χαίρω δ' εὔφθογγον χερσὶ λύρην ὀχέων.

ὄπ' αὐλητῆρος Bergkio debetur: in libris est *ὑπ' αὐλητῆρος*, quod sanissimum est: quis autem, quaeso, lubenter audiat *αὐλητοῦ φωνήν*? Suadente ipsa loci sententia et ipso Theognide adiuvante vs. 925:

Πῶς ὑμῖν τέτληκεν ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδειν | θυμός;

emendandum est:

Χαίρω δὴ πίνων καὶ ὑπ' αὐλητῆρος ἀείδων.

Multa vocabula eiusdem formae in quolibet scriptore Ionico

occurrunt, veluti in Perictiones fragmento apud Stobaeum Floril. LXXXV. 19. *βρωτῆρας δὲ εἶναι τῶν τηλόθεν ἢ τῶν πολλοῦ πωλεομένων ἢ τῶν ἐνδόξων.* Βρωτήρ Atheniensibus dicitur ἐδεςής (ut apud Antiphanem Athen. p. 339 A.

Μισγόλας γὰρ οὐ πάνυ | τούτων ἐδεςής.)

Ibidem quem illi *θεατήν* appellant *θηητῆρα* dictum videbis: *ἡ γὰρ ταῦτα ζητέουσα θηητῆρα ζητέει ἀκρασίης γυναικηΐης.*

Eiusdem formae vocabulum in Odysseae loco gravem corruptelam mihi passum esse videtur. Legitur nunc Θ. 162.

ἀρχὸς ναυτάων οἵ τε πρηκτῆρες ἔασιν.

Quis autem exputet quomodo *πρηκτῆρες* ibi significare possit *ἔμποροι*, ut Hesychio videtur, aut *πραγματευταί* vel *πραγμάτων ἔμπειροι* vel *μισθοῦ ἀπαιτηταί*, ut narrant alii, quibus Atticorum *πράκτορες* fortasse obversabantur. Antiqua et vera lectio erui potest ex antiquo scholio ad Sophoclis Antigonen 1034: *ἀπημπόλημαι: πέπραμαι, πεπραγμάτευμαι καὶ Ὅμηρος· οἵ τε πρηκτῆρες ἔασιν*, verum non hoc scripsit Criticus sed *πρητῆρες*, quod quam bene pro *ἔμποροι* dicatur et iis, qui merces suas divenditarent sicubi navis appulisset, facile est ad intelligendum. Sed procul a Cyropaedia digressa est oratio, ad quam redeundi tempus est. Unus tantum est in Cyropaedia locus, ubi priscum loquendi genus alicui poëtae sublectum esse videatur, VI. IV. 6. *γῆν ἐπιέσσασθαι μᾶλλον ἢ ζῆν*, de qua re luculentissima est Hemsterhusii annotatio ad Hesychium v. *Ἐπιέσσασθαι γῆν: ταφῆναι*, iam a Schneidero laudata. Non esse haec verba ex ore populi sumta sed ab aliquo eorum, quibus esset mens divinior atque os magna sonaturum palam est. Nunc ad alia sequiorum emblemata indaganda revertor.

In Cyropaed. VI. III. 18. locus est a magistello inepte interpolatus hic: *καὶ μὴν — ὡς ἂν ἀσφαλέςατα εἰδείην ὁπόσον τὸ ςράτευμά ἐςιν ἐποίουν· συνεξέταττον γὰρ παρὼν αὐτούς.* In aliis est: *καὶ μὴν ὡς σαφέςατά γ' ἂν εἰδείην ἐποίουν*, omissis verbis *ὁπόσον τὸ ςράτευμά ἐςιν.* Non tantum haec verba a sciolo interpolata sunt, sed *ἐποίουν* quoque, et praeterea correcto vitio in ultimo vocabulo sic locus est constituendus: *καὶ μὴν — σαφέςατά γ' ἂν εἰδείην· συνεξέταττον γὰρ παρὼν αὐτός.* *Παρὼν αὐτός* quam saepe dicatur notum est neque multis exem-

plis opus. De ipso Xenophonte Plutarchus in Artoxerxe cap. IX. Ξενοφῶν συντόμως ἅτε μὴ παρὼν αὐτὸς εἶπεν. Sententia igitur est: παρὼν αὐτὸς συνεξέταττον, ὥςε σαφέςατ' ἂν εἰδείην, quae optime Graece hanc formam induit: σαφέςατ' ἂν εἰδείην. συνεξέταττον γὰρ παρὼν αὐτός. Quemadmodum hoc loco ἐποίουν pueriliter admodum invectum est sic ποιοῦσιν inficete de suo inseruerunt homunciones VIII. 1. 6. ὡς δὲ τότ' ἔδοξεν οὕτω καὶ νῦν ἔτι [ποιοῦσιν] οἱ κατὰ τὴν 'Ασίαν ὑπὸ βασιλεῖ ὄντες θεραπεύουσι τὰς τῶν ἀρχόντων θύρας, ubi qui θεραπεύουσί τε aut θεραπεύουσι γὰρ corrigunt augent malum, quod resecto ποιοῦσιν sanatum erit. Ut hoc loco ποιοῦσιν — θεραπεύουσιν se invicem impediunt, sic in loco Aristophanis Nub. 1135.

πᾶς γάρ τις ὄμνυσ' οἷς ὀφείλων τυγχάνω
θείς μοι πρυτανεῖ' ἀπολεῖν μέ φησι κἀξολεῖν.

ὄμνυσιν et φησι constare non possunt. Quid sit legendum multi dudum viderunt, nempe ὀμνύς, sed novissimi Editores malunt mendum servare, ne hoc quidem curantes quod ὄμνυσ' οἷς pro ὄμνυσιν οἷς dici nullo modo potest. 'Ομνύς φησιν esse μεθ' ὅρκου φησίν apertissime demonstrabit Xenophontis locus in Symposio IV. 10. ἀεὶ ὀμνύοντες (ὀμνύντες) καλόν μέ φατε εἶναι, qui Aristophaneo simillimus est. Iuvat obiter Xenophontis et Platonis testimoniis alterius loci apud Aristophanem emendationem in priore parte a me propositam confirmare. Raro in Aristophane emendando mihi videor fuisse felicior quam in Vespis 512, ubi editur prorsus sine sensu:

ΠΑΙΔΕΣ. τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες,
ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς.

ubi coniungunt mirifice βόσκειν πράγματα, etiam Dindorfius ad Stephani Thesaurum, sed et sic et quavis alia via nihil extundes quod non absurdum sit donec ea verba sic diviseris, ut pueri flebiliter conquerantur:

τί με δῆτ', ὦ μελέα μῆτερ, ἔτικτες;

patres respondeant subsannantes:

ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς.

De ea igitur loci restitutione iudicium ferens vir quidam egregie doctus eam ita reiecit ut sibi *nil opus esse videri* diceret. Festinanter, credo, inspexit aut festinantius scripsit et lubenter ἐφίημι ἐπ' αὐτὸν ἐγρηγορότα. Ostendam autem πράγματα

παρέχω et *ὄχλον παρέχω* cum infinitivo coniungi, quemadmodum Aristophanes dixit *ἵν' ἐμοὶ παρέχῃς πράγματα βόσκειν* (*σε*). Ita locutus est Xenophon in Cyropaed. IV. IV. 46. *ὁρᾶτε ἵπποι ὅσοι ἡμῖν πάρεισι. τούτους οὖν εἰ μὲν ἐάσομεν ἀναμβάτους ὠφελήσουσι μὲν οὐδὲν ἡμᾶς, πράγματα δὲ παρέξουσιν ἐπιμέλεσθαι.* Eodem plane genere dicendi usus est in Anabasi III. II. 27. *αὗται γὰρ αὖ ὄχλον μὲν παρέχουσιν ἄγειν, συνωφελοῦσι δὲ οὐδέν.* Vel sola rem conficere possent verba Socratis in Platonis Phaedone p. 115 A. *δοκεῖ γὰρ δὴ βέλτιον εἶναι λουσάμενον πιεῖν τὸ φάρμακον καὶ μὴ πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λούειν*, quae si quis cum verbis Aristophanis composuerit, ad veterem lectionem et interpretationem subridebit, et nemo amplius eam defendet, *ἵν' ἐμοὶ πράγματ' ἐλέγχειν παρέχῃ.* Eodem modo adiuvandus est Sophoclis locus apud Stob. Floril. LXXVII. 9.

οὐ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει;
ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν.

quae sic sunt dividenda et corrigenda:

A. *Ὁ δὴ νόθος τοῖς γνησίοις ἴσον σθένει;*
B. *ἅπαν τὸ χρηστὸν γνησίαν ἔχει φύσιν.*

Una litterula oscitanter addita plane corrupit locum in Cyropaed. VII. I. 11. *ἀλλ', ὦ ἄνδρες, ἀγαθοὶ γενώμεθα.* Nihil enim significat apud Graecos *ἀγαθοὶ γενώμεθα*, sed corrigendum: *ἀλλ' ἄνδρες ἀγαθοὶ γενώμεθα* sensu notissimo et frequentissimo usu. In *ἀνὴρ ἀγαθός* una notio inest duobus verbis expressa, ut in *θεοῖς ἐχθρός*, *ὁ Ἄρειος πάγος*, *ἡ Μεγάλη πόλις*, aliis, unde fit ut ex his composita propagentur, et ex *παραθέσει* nascatur *σύνθεσις* in formis *ἀνδραγαθία*, *θεοισεχθρία*, *Ἀρεοπαγίτης*, *Μεγαλοπολίτης*, de qua re dicam nonnulla ad Demosthenem. Novum emblema male latet in Cyropaed. VII. V. 50. in verbis: *πρῶτοι φίλοι ἡμῖν ἐγένοντο καὶ μάλα πεινῶσι συμμάχων, ὥστε μόνον οὐκ ἐν ταῖς ἀγκάλαις περιεφέρομεν αὐτοὺς* [*ἀγαπῶντες*]. Dicebant Graeci festive et venuste *ἐν ταῖς ἀγκάλαις περιφέρειν τινά* et *ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρειν τινά* pro *ὑπεραγαπᾶν*, quam inepte igitur putabitur Xenophon ipse addidisse *ἀγαπῶντες*. Eodem lepore dixit Plato de Rep. X. p. 600 D. *οὕτω σφόδρα φιλοῦνται ὥστε μόνον οὐκ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτοὺς οἱ ἑταῖροι.* Apponam animi causa mirificam

Erasmi annotationem: »*Translatum apparet*, inquit, *a matribus et nutricibus, quae infantulos cunis impositos capite portant.*” Non solet esse Erasmus tam fatuus, sed coelibes et orbi de infantulis et cunis scriptitantes facile a veritate naturae possunt aberrare.

Corruptelam interpolatio secuta est in Cyropaed. VIII. ii. 5. ἀνάγκη οὖν τὸν ἐν βραχυτάτῳ διατρίβοντα ἔργῳ τοῦτον καὶ ἄριστα διηναγκάσθαι τοῦτο ποιεῖν. Quae est illa scabrities orationis ἀνάγκη διηναγκάσθαι? et quid est ipsum διηναγκάσθαι? Quid multa? emenda τοῦτο ἄριστα ἐξειργάσθαι expunctis verbis τοῦτο ποιεῖν. Fideiussorem dabo optimum: ipsum Xenophontem ibid. § 6. ἀνάγκη, οἶμαι, ταῦτα οὕτω ποιούμενα πολὺ διαφερόντως ἐξειργάσθαι ἕκαστον.

Quod vides in hoc loco interpolationem ex scripturae corruptela esse natam, idem obiter demonstrare iuvat in Platonis loco esse factum, ubi novus Editor C. Badham vitium certa emendatione sustulit, sed emblema ex vitio natum non sustulit. Legitur in Philebo p. 15 C. οὐδ' ἄρ' ἡδονὴν ἡδονῆς διάφορον ἀλλὰ πάσας ὁμοίας εἶναι φήσομεν —, π ε ι ρ α σ ό μ ε θ α δὲ καὶ ἐροῦμεν ἅπερ οἱ πάντων φαυλότατοί τε καὶ περὶ λόγους ἅμα νέοι. In his nascens et gliscens vitium certis indiciis Codicum cernimus. In Bodleiano uno omnium optimo est πειρόμεθα, caeterorum meliores πειράμεθα exhibent, deteriores πειρασόμεθα, deterrimi πειρασάμεθα. Rem acu tetigit Badham, quum ex πειρόμεθα eliceret π ε ι σ ό μ ε θ α δὲ — ἅπερ οἱ πάντων φαυλότατοι. Hoc demum Graecum est et Platone dignum, sed reperta vera lectione expunge sodes καὶ ἐροῦμεν. Quo tempore ΠΕΙΡΟΜΕΘΑ sensu vacuum intelligentiam loci impediebat attulit aliquis loco male habito, qui suis pedibus consistere non poterat, hanc σαπίνην ἐπικουρίαν, quam nunc locus veluti aeger sanatus abiicit. Quam sit vetus additamentum vides statim cum ipsa corruptela natum et quam nihil videant antiqui correctores, qui πειρασόμεθα excogitarunt. Iidem paulo ante p. 13 B. de suo addiderunt συγχωρήσεσθαι, quod tamquam macula locum inquinat, et post pauca simile quid designarunt p. 13 E. in verbis καὶ τάχ' ἀ ν ι ό ν τ ε ς εἰς τὰς ὁμοίας ἴσως ἂν πως ἀλλήλοις συγχωρήσαιμεν. In ΑΝΙΟΝΤΕΣ latet ἂν ἰόντες. Ἰ έ ν α ι εἰς τὰς ὁμοίας λαβὰς in palaestra dicebant, non ἀνιέναι,

ut opinor. Laudant omnes Phaedri locum p. 236 B. περὶ μὲν τούτου, ὦ φίλε, εἰς τὰς ὁμοίας λαβὰς ἐλήλυθας, quis credat ἀνελήλυθας dici potuisse? Emenda igitur: καὶ τάχ' ἂν ἰόντες εἰς τὰς ὁμοίας ἴσως πως ἀλλήλοις συγχωρήσαιμεν. Senserat aliquis ἂν requiri et quum eam voculam in ἀνιόντες latitare non animadvertisset alieno loco inseruit de suo.

Ex Cyropaedia unum locum addo VIII. iii. 35. ἐπεὶ ἐδεδειπνήκεσαν τὰ ἐκπώματα αὐτῷ, ἃ ἔλαβε παρὰ Κύρου, ἐμπιμπλὰς προὔπινε [καὶ ἐδωρεῖτο]. Addidit καὶ ἐδωρεῖτο nescio quis, cui non erat satis notum dicendi genus Atticorum προπίνω τί τινι, quod significat φιλοτησίαν τινὶ προπιὼν δωροῦμαί τι. Iam antea in Anabasi VII. iii. 26. reposuimus προπίνω σοι τὸν ἵππον τουτονί. Manavit haec significatio ex eo quod ὁ προπίνων more Graeco exiguum haustum ex poculo delibans quod reliquum vini inest id alteri epotandum porrigit. Locum Xenophontis ex Anab. VII. ii. 23. καὶ κατὰ τὸν Θρᾴκιον νόμον κέρατα οἴνου π ρ ο ὔ π ι ν ο ν quum laudaret Athen. XI p. 476 C. scribae προὔτεινον dederunt, quod ortum est ex veteri scriptura ΠΡΟΥΠΕΙΝΟΝ. Optime comparabis cum Xenophonteis verba Demosthenis de F. L. § 139. ἄλλα τε πολλὰ οἷον αἰχμάλωτα καὶ τοιαῦτα καὶ τελευτῶν ἐκπώματ' ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ προὔπινεν αὐτοῖς. Etiam hoc loco προὔτεινεν in quibusdam libris est. Eadem confusio apparet in eadem Orat. § 128. Ex frequenti usu huius locutionis nata est metaphorica significatio, qua προπίνω pro καταπροδίδωμι coeptum est dici, unde haec sunt apud Demosthenem audacissime translata et παρακεκινδυνευμένα in Olynthiaca tertia § 22. ἐξ οὗ δ' οἱ διερωτῶντες ὑμᾶς οὗτοι πεφήνασι ῥήτορες· »τ ί β ο ύ λ ε σ θ ε; τ ί γ ρ ά ψ ω; τ ί ὑ μ ῖ ν χ α ρ ί σ ω μ α ι;" προπέποται τῆς παραυτίκα χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα, quem locum propterea pleniorem adscripsi, ut obiter grave mendum eximere liceret. Emendandum enim sic esse censeo: τί βούλεσθε γράψω, ἵν' ὑμῖν χαρίσωμαι; Eadem audacia dicit in Orat. de Corona § 296: τὴν ἐλευθερίαν π ρ ο π ε π ω κ ό τ ε ς πρότερον μὲν Φιλίππῳ νῦν δ' Ἀλεξάνδρῳ. Προπίνειν autem pro προπιόντα δωρεῖσθαι legitur et apud Comicos nonnumquam. Damoxenus Athen. p. 468 F.

ῥυτὸν δίκρουνον,
Ἄλκωνος ἔργον. προὔπιεν δέ μοί ποτε

ἐν Κυψέλοις Ἀδαῖος.

et Stephanus ibid. p. 469 A.

τούτῳ προέπιεν ὁ βασιλεὺς κώμην τινά.

Si quis igitur ad haec omnia Xenophontis locum exegerit ἐκπώματα αὐτῷ προὔπινε [καὶ ἐδωρεῖτο], facile sentiet καὶ ἐδωρεῖτο sciolo qui addidit reddi oportere.

Hi igitur sunt in Cyropaedia loci, qui mihi sequiorum additamentis interpolati esse videntur. Multi alii supersunt aliis mendorum generibus inquinati, de quibus alio tempore erit dicendum, sed unum et alterum iam nunc delibare placet. In Cyropaed. VI. I. 31. ληφθεὶς ἔρωτι τῆς γυναικὸς ἠναγκάσθη προσενεγκεῖν αὐτῇ λόγους περὶ συνηθείας, utrum sic an συνουσίας esset legendum non satis apud me constabat antea quum viderem Xenophontem haud secus atque Platonem summo studio τὴν ἐν τῷ λέγειν εὐπρέπειαν sectari. Sed in ea re diligenter cavendum ne modum excedas et cordatis hominibus ineptire videaris. Nemo Graecorum habet aures tam inepte fastidiosas ut συνουσίας nomen ferre nequeant, neque ea res Graece συνήθεια dicitur, ut apud Romanos *consuescere cum aliqua* et *consuetudo*, sed ὁμιλία et ὁμιλεῖν. Itaque περὶ συνουσίας unice verum et recipiendum esse censeo. Est vero alius in Cyropaedia locus, ubi Xenophon prae verecundia usitatissimum Graecis vocabulum usurpare non sustinuit sed aliud honestius quaesivit VIII. VIII. 10. ἦν δὲ αὐτοῖς νόμιμον μηδὲ προχοΐδας εἰσφέρεσθαι εἰς τὰ συμπόσια. Non sustinuit id dicere de quo et Seneca dubitaverat quum scriberet de Benefic. III. 26. *Rem ineptissimam fecero si nunc verba quaesiero quemadmodum dicam illum* matellam *sumpsisse.* Ἀμίδας nominare noluit, προχοΐδας nominavit, subinepte, ut mihi quidem videtur. Et Athenaeum quidem ioculariter decepit qui προχοΐδας credidit κύλικας esse pag. 496 C. Ξενοφῶν δ' ἐν ὀγδόῳ Παιδείας προχοΐδας τινὰς λέγει κύλικας, ubi auctor Epitomes κύλικας delevit, sed Athenaeo, qui doctior multo est quam acutior, suus erat error relinquendus, ut locum inspicienti patebit. Caeterum ἀμίδας omnes suo nomine appellare solent, etiam qui oracula Deorum consulebant, vid. Photium v. Ῥοδίαν χρησμός. In Aeschyli et Sophoclis δράμασι Σατυρικοῖς appellata est ἡ κάκοσμος οὐράνη, vid. Athen. I. p. 17. Sunt qui

οὐροδόκην dixerint, quod nomen de more in *οὐροδόχην* depravatur, ut apud Clement. Alexandr. in Paedag. II. p. 162: *χλεύη δὲ καὶ γέλως πλατὺς οὐροδόχας* (scrib. *οὐροδόκας*) *ἀργυρᾶς καὶ ἀμίδας ὑελᾶς ἐπιφέρεσθαι τοὺς ἄνδρας.* *Οὐροδόκην* Photius in v. ex Xenophonte attulit per errorem, ut opinor: quod idem ex Antisthene profert *Οὔρειον βῖκον* apud Hesychium depravatum est in *Οὐριόμβικον*: *τὴν ἀμίδα ἢ οὐροδόχην* (*-όκην*). Caeterum dudum viri docti locum Hesychii: *Προχοΐδας*: *ἀμίδας*, ad Xenophontem retulerunt, qui eo vocabulo sic primus et solus usus esse videtur.

Ineptire videtur librariorum vitio Xenophon VIII. vii. 4. *οἴκαδε ἀπελθὼν ἔδοξεν ἀναπαύσασθαι κατεκλίθη*, nihili est quod docti homines reponunt *ἔδοξεν ἀναπαύσεσθαι* et significare aiunt: *placuit ei requiescere*, diversissima miscentes, ut vides. Emendandum esse arbitror: *δόξαν ἀναπαύσασθαι κατεκλίνη.*

Reperi verissimam Hemsterhusii correctionem excutiens Xenophontis editionem Stephanianam, qua vir magnus usus est, ubi annotationes quasdam, ut assolet, in ora libri aut inter versus tenuissima sed pereleganti scriptura allevit. In Cyropaed. VI. ii. 28. editur: *ὅϛις ἀλφιτοσιτεῖ ὕδατι μεμιγμένην ἀεὶ τὴν μᾶζαν ἐσθίει, καὶ ὅϛις ἀρτοσιτεῖ ὕδατι δεδευμένον τὸν ἄρτον.* Quartae literulae participii *μεμιγμένην* supra scripsit *α*, rectissime sic admonens *μεμαγμένην* veram lectionem esse. Dicitur enim *ὕδατι μάττειν*, ut *δεύειν* et *φυρᾶν*, sed perspicua res est nec verbis indiget.

Transeo ad Xenophonteam Anabasin, quem egregium librum plurimorum semper manibus versari terique solitum pessimis exemplis passim depravatum et interpolatum in Codicibus non admodum vetustis ad nos pervenisse satis inter omnes constat. Incredibile dictu est quanto magis quam Cyropaedia legentium animos moveat captosque teneat Anabasis. In Cyropaedia satias quaedam subit animum, et ubi diutius fueris immoratus fastidium quoddam suboritur et taedii nonnihil devorandum est, ut subinde loci alicuius praeclari lectione animus pascatur et recreëtur. Vera et certa legere solitis (in quibus eximium scribendi genus et lingua limpida et nitida et dulcissimae suavitatis efficiunt ut optime rerum et naturae veritas appareat) displicet argumentum nec verum nec simile

veri, ubi philosophiae Socraticae praecepta et Atticae humanitatis et elegantiae et urbanitatis lepores cum Barbarorum personis et moribus et institutis non admodum salse aut probabiliter coniunguntur et permiscentur. Quam diversa est Anabaseos ratio, in qua vivunt omnia et spirant et tamquam in oculis legentium geruntur, ut non auditor tantum sed etiam spectator esse inter legendum tibi videaris. Tanta est ἡ Ξενοφῶντος ἐνάργεια μονονουχὶ δεικνύοντος ὄψει καὶ τοῖς πράγμασιν ὡς οὐ γεγενημένοις ἀλλὰ γιγνομένοις ἐφιστάντος ἀεὶ τὸν ἀκροατὴν ἐν πάθει καὶ συγκινδυνεύοντα, ut rectissime de Anabasi iudicat Plutarchus in Artoxerxe cap. VIII. Hunc igitur librum si et emblematis compluscnlis et mendis erroribusque liberavero non male otium mihi collocasse videbor et aliquam gratiam apud omnes qui Xenophontem amant initurus. Multi iam multa acute viderunt et sequiorum putida additamenta resecari iusserunt, sed raro Editores audiunt aut hoc agunt, quo crebrius iis vellenda auris est, si forte multorum consensu moveantur et quae spuria et suppositicia sint expellere aliquando audeant: quamobrem subinde aliorum suspiciones, quae quidem admodum probabiles ac paene certae mihi videantur, commemorabo, praesertim iis in locis, quos pridem ipse adulterinos esse suspicatus deinde aliorum sententiis et argumentis pro spuriis notatos et deprehensos esse compererim. Cuiusmodi statim ab initio duo loci sunt I. i. 2. et I. i. 7. Planissime enim assentior iis, qui verba ἀποστῆναι πρὸς Κῦρον a male sedulo lectore adscripta esse monuerunt in § 7. ἀφεστήκεσαν πρὸς Κῦρον πᾶσαι πλὴν Μιλήτου. ἐν Μιλήτῳ δὲ Τισσαφέρνης προαισθόμενος τὰ αὐτὰ ταῦτα βουλευομένους [ἀποστῆναι πρὸς Κῦρον] τοὺς μὲν αὐτῶν ἀπέκτεινε τοὺς δ' ἐξέβαλεν. Qui homines docti insulsum emblema retinendum esse arbitrantur, numquam ipsi in tali re tam pueriliter scripturi fuissent, sed non satis est verba spuria resecuisse ad loci emendationem perficiendam: namque et vocabulum necessarium excidit, et aliud perperam abundat. Dicam quid mihi scribendum esse videatur, cuius correctionis argumenta si quis hoc agit non difficulter reperiet. Emendandum autem esse censeo: προαισθόμενός τ ι ν α ς ταὐτὰ βουλευομένους τοὺς μὲν α ὐ τ ῶ ν ἀπέκτεινε τοὺς δ' ἐξέβαλεν. Alterum in ipso limine emblema est § 2. in

verbis [καὶ ςρατηγὸν δὲ αὐτὸν ἀπέδειξε πάντων ὅσοι εἰς Καςωλοῦ πεδίον ἀθροίζονται], quem pannum et abs re et ab orationis forma alienum ex aliis locis apud Xenophontem scioli assuerunt, maxime ex ipsa Anabasi I. ix. 7. (ubi illius rei mentio tam necessaria est atque nunc ἄκαιρος est et supervacanea), deinde et ex Hellenicis I. iv. 1. Ex utroque loco videbis singula verba a sciolis sublecta esse, qui quum in margine libri annotassent καὶ ςρατηγὸν δὲ — ἀθροίζονται, factum est ut ea annotatiuncula in Xenophontis orationem irreperet. In § 8. mihi quidem semper iocularis scriptura visa est: ὁ Κῦρος ἀπέπεμπε τοὺς γιγνομένους δασμοὺς ἐκ τῶν πόλεων, ὧν Τισσαφέρνης ἐτύγχανεν ἔχων, ridicule enim Tissaphernes illas urbes, quae ab eo ad Cyrum defecerant, *habere* dicitur. Poterat melius Tissaphernes illud Terentianum usurpare:

Habeo. ah, quid dixi? habere me? imo habui, Chreme.

Xenophon scripsisse videtur ὧν Τισσαφέρνους ἐτύγχανεν ἔχων. Nemo dubitabit quin rectissime dicatur ὁ Κῦρος Τισσαφέρνους πόλεις εἶχεν, quemadmodum in Acharnensibus dicitur vs. 329. μῶν ἔχει του παιδίον τῶν παρόντων; et in Anabasi I. iv. 8. καίτοι ἔχω γε αὐτῶν καὶ τέκνα καὶ γυναῖκας, et passim sic loquuntur. Itaque recte dicitur τὰς πόλεις, ἃς Τισσαφέρνους εἶχεν, et ἐκ τῶν πόλεων, ὧν Τισσαφέρνους ἐτύγχανεν ἔχων, quod verum esse res ipsa clamat.

In capite II. § 2. ὑποσχόμενος αὐτοῖς μὴ πρόσθεν παύσασθαι, quamquam ridicula haec scriptura est tamen eam mordicus homines docti retinent et *propter fidem librorum* et propter similium locorum frequentiam. Temerarium videtur etiamnunc plerisque omnibus ea attrectare, quae magno veterum membranarum consensu in locis innumerabilibus stabilita certam fidem et non convellendam habere putantur. Et magni acervi, fateor, exstrui possent locorum, in quibus ὄμνυμι, ὑπισχνοῦμαι, ἐπαγγέλλομαι, ἐλπίζω, προσδοκῶ, et similia habent aoristos in libris quum quis se *facturum* aliquid aut *iurat* aut *pollicetur*. Sed nihil ea res nos movere debet, namque hoc unum inde recte colligitur recentiores Graeculos in talibus sic perpetuo errare solitos suisque erroribus certa contagione scripta Veterum opplevisse. Qui longo usu scribarum ingenium et mores observavit notavitque certa quaedam mendorum et vi-

tiorum genera cognita habebit, in quae isti sint εὐεπίφοροι et proni et proclives, ut facile negotium sit, si cuius Codicis Ms. scripturae genus et aetatem cognoveris, longam seriem discrepantium scripturarum, quae ex eo libro proditurae sint, certa coniectura assequi et praedicere, unde simul apparet quam utile sit ista omnia sedulo excutere et edere in lucem. Uno exemplo utar quia ludicrum est, si forte pertinaciter repugnantium obstinatum animum re manifesta expugnem. Quoties in Antiquorum scriptis perfectum ὑποπέπωκα legebatur toties Graeculi, quibus id vocabulum prorsus incognitum et inauditum fuisse apparet, (et permulta alia sic in desuetudinem abierant ut a nullo amplius intelligerentur, in his ἐδήδοκα, ἐδήδεσμαι, ἠδέσθην pro quibus βέβρωκα, βέβρωμαι et ἐβρώθην dicebant, et ἔδομαι, pro quo utebantur vitiosa forma φάγομαι) stulte stolideque substituebant ὑποπέπτωκα, quae forma aetatem tulerat et omnibus erat nota. Ecquid autem cogitari potest absurdius quam ὑποπεπτωκώς dicere, ubi quis *suppotus* erat dicendus idque ex ipsa re apparebat? Videbis tamen in talibus omnibus fere constanter ὑποπεπτωκώς habere libros etiam optimos et veterrimos et maximae fidei aut omnes aut longe plurimos, et perraro factum esse ut verissima scriptura ὑποπεπωκώς ex indoctorum manibus intacta elaberetur. Quos inter legendum notaveram locos complures, eorum plerosque vidi conquisivisse olim et correxisse Paulum Leopardum in praeclaro *Emendationum* opere lib. IX. cap. 23. Nemo facile in his fidem librorum implorare audebit. Duo sunt loci Xenophontis, in Anabasi alter VII. III. 29, alter in Hellen. V. IV. 40, quos Leopardus attulit: in illo libri exhibent: ἤδη γὰρ ὑποπεπτωκὼς ἐτύγχανεν, in hoc: οἱ μέντοι τῶν Θηβαίων ἱππεῖς ἐῴκεσαν ὑποπεπτωκόσι που ἐν μεσημβρίᾳ. Tertius est in Symposio IX. 2. ubi evasit sine labe ἥξει Διόνυσος ὑποπεπωκὼς παρὰ θεοῖς. Non item in Platonis Lyside p. 223 A. ubi in plerisque libris est ἐδόκουν ἡμῖν ὑποπεπτωκότες ἐν τοῖς Ἑρμαίοις ἄποροι εἶναι προσφέρεσθαι. In Plutarchi Symposiacis I. II. 1. ἐκεῖνον μὲν οὖν πολλῷ γέλωτι χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων ἐκέλευον οἱ κατακείμενοι· καὶ γὰρ ἦσαν πολλοὶ μετρίως ὑποπεπτωκότες. Leopardus primus

ὑποπεπωκότες reposuit. Convivae hilares verba Euripidea usurpabant e nobilissimo fragmento:

τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων,

quod fefellisse Editores videtur. In Comicorum festivitate saepe ὑποπεπωκέναι recurrit, saepe malesanum ὑποπεπτωκέναι substitutum risum movebit. In Lysistrata vs. 480. optimi libri Ravennas et Venetus conspirant in absurda scriptura:

ἐπαίομεν Βραυρῶνάδ' ὑ π ο π ε π τ ω κ ό τ ε ς.

Similiter in Lysistrata vs. 595. in omnibus est:

ἡ δ' ὑ π ο π ε π τ ω κ υ ῖ' ἡ γυνὴ 'πὶ τοῦ τέγους,

solus Ravennas ὑποπεπωκυῖα ἡ γυνή servavit. Caeteros omnes non sententia, non metrum retinet quominus suum πέπτωκα inferciant. In Eccles. 140. nonnulli exhibent:

καὶ λοιδοροῦνταί γ' ὥσπερ ἐ μ π ε π τ ω κ ό τ ε ς.

In Aristophanis fragmento apud Athenaeum p. 422 F. in Marciano Codice et in apographis legitur:

ὑποπεπτώκαμεν *, ὦνδρες, καὶ καλῶς ἠρίςαμεν,

et apud Apollodorum Carystium Athen. p. 280. E.

ἐξὸν ἱλαροὺς, παίζοντας, ὑ π ο π ε π τ ω κ ό τ α ς.

Haec omnia Leopardus emendavit primus. Multo etiam plura facile aliunde conquiri possent, ut apud Platonem in Sympos. 214 C. in multis libris est ἐπειδὴ ἐ κ π έ π τ ω κ α ς pro ἐκπέπωκας et in Eupolidis fragmento apud Athen. p. 502 B. Casaubonus recte προπεπωκώς substituit pro προσπεπτωκώς. Apud Alexidem Athenaei p. 226 F. καταπεπτώκασ' εὐθέως olim edebatur pro καταπεπώκασ' εὐθέως. Aristophanes in Bekkeri Anecd. 31, 27. in unico Codice dixisse narratur γαλῆν καταπέπτωκεν, et Cratinus apud Hesychium v. Μασχάλην αἴρειν in archetypo Marciano Codice traditur scripsisse:

τὴν μασχάλην αἴρωμεν ἐ μ π ε π τ ω κ ό τ ε ς.

Apud Harpocrat. v. Προπεπωκότες in libris quibusdam προπεπτωκότες exaratum est. Haec omnia et his similia nunc unusquisque ut videbit statim emendabit nihil *veterum membranarum fidem* reveritus, quam si qui tueri vellent omnibus etiam stultiores quam ipsi librarii merito viderentur.

Scribae quemadmodum πέπωκα in πέπτωκα depravare assueti sunt sic Δελφούς in ἀδελφούς, Τυρρηνούς in τυράννους summa con-

stantia solent refingere aliaque id genus perpetuo quodam errore inter se permutare. Quam crebro confundi soleant Τυρρηνοί et τύραννοι, Τυρρηνικός et τυραννικός docebit Boeckhii annotatio in Oecon. Polit. Athen. III. p. 459. Ad hanc lucem statim unusquisque emendare poterit locum antiqui historici apud Porphyrium περὶ ἀποχῆς II. 17. τῶν τυράννων μετὰ τὸ κρατῆσαι Καρχηδονίων ἑκατόμβας κατὰ πολλὴν ἔριν τὴν πρὸς ἀλλήλους ἐκπρεπεῖς παραστησάντων τῷ Ἀπόλλωνι, quis enim punctum temporis dubitabit quin ea victoria τῶν Τυρρηνῶν fuerit?

Δελφός et ἀδελφός saepe vidi ridiculum in modum confusa, cuius rei aliquot exempla ad Herod. V. 72. dabit Wesseling. Aliud vide apud Porphyrium in vicinia II. 17. p. 153. τὸν γοῦν Αἰσχύλον φασὶ τῶν ἀδελφῶν ἀξιούντων εἰς τὸν θεὸν γράψαι παιᾶνα εἰπεῖν ὅτι ἄριστα Τυννίχῳ πεποίηται. Multi viderunt verum esse τῶν Δελφῶν et lepidus est Editor exclamans: »*Utinam Codices addicerent!*" Et isti quidem δέονται βιβλίου καὶ νοῦ, ut iocabatur philosophus quum καινοῦ videretur dicere, et perinde est ac si quis diceret: *Utinam Codices mendis carerent!* Non addicunt Codices in Apollonii Lexico Homerico p. 59. v. Ἄειδε, ubi optimi choliambi hanc formam induerunt: ταῦτα δ' Αἴσωπος ὁ Σαρδινὸς εἶπεν· Ὅντιν' οἱ ἀδελφοὶ ᾄδοντα μῦθον οὐ καλῶς ἐδέξαντο, pro:

ταῦτα δ' Αἴσωπος
ὁ Σαρδιηνὸς εἶπεν, ὅντιν' οἱ Δελφοὶ
ᾄδοντα μῦθον οὐ καλῶς ἐδέξαντο,

qui versus Callimachum sapiunt. Idem mendum ex Euripidis Ione vs. 53. Reiske expulit: in libris est ἔνεγκ' ἀδελφῷ pro

ἔνεγκε Δελφῶν τἀμὰ πρὸς χρηστήρια.

et frequenter alibi eodem modo peccatum esse videbis.

Eadem est errandi constantia in aliis sexcentis. Ubi θριπήδεστος requiritur in libris comparere videbis θριπηδέστατος ridiculam formam, sed plurimorum testimoniis munitam scilicet. Ubi ἐπιβολή fuerat scriptum ἐπιβουλή legitur, ubi μακρὰ χαίρειν libri μακράν dare solent, et συναυλισθῆναι pro συγκλισθῆναι, et ἀπήλαυσα pro ἀπέλαυσα, et παρηνόμουν pro παρενόμουν, et barbarum Δημήτραν pro Δήμητρα. Ubi προστάγματα verum est in libris πράγματα conspicitur, et πράττειν ubi προστάττειν. Ἀποδράς solet in ἀποδράσας abire, et φῦναι in φυῆναι.

et *ἀμωσγέπως* in *ἄλλως γέ πως*, cuius rei multa exempla alias dedimus, quibus unum adde ex Demetrio *περὶ ἑρμηνείας* § 207. ubi vitiose *ἢ ἄλλως γέ πως διὰ βραχέος* editur. Haec omnia et alia sexcenta nata sunt aut ex ignoratione linguae antiquioris, quum nemo quid esset *θριπήδεστος* aut *ἀμωσγέπως* satis sciret, aut e scribendi compendiis neglectis. Est quoddam mendi genus in paucis frequentissimum, quod si quis semel animadverterit in plurimis locis veram scripturam aut ipse reperire poterit aut a corrupta distinguere, quamobrem id paucis aperiam. Quemadmodum enim in Codicibus plerisque *φ* et *φρ* vix discerni possunt nisi ab eo, qui hoc agat et bene Graece sciat et oculos habeat longo usu exercitatos, sic etiam utrum *φ* an *φθ* in libris scriptum sit non est cuiusvis discernere, et saepissime ut *φ* pro *φρ* sic *φ* pro *φθ* perperam scribi solet. Ubi *τάφος* pro *τάφρος* legitur Critici vigilant, sed *φατρία* pro *φρατρία* dici posse multis credibile videtur. Sic igitur perpetuo confundi videbis *φθόνος* et *φόνος*, *φθάση* et *φάση*, *ἀδιάφθορον* et *ἀδιάφορον* et sim. *Κατελήφη*, quamquam nihili est pro *κατελήφθη* occurrit, et *μὴ χαλεφῇς, ὦ πάτερ*, pro *χαλεφθῇς*, et *μὴ μεμφῇιс* in Platon. Rep. p. 266 D. pro *μή με φθῇς*. Hinc saepe *φθείρομαι* et *φέρομαι*, *περιεφθείρετο* et *περιεφέρετο*, *διαφθείρω* et *διαφέρω* permiscentur. Hinc recepta est barbara forma in Platonis Phaedrum p. 258 B. *ἐὰν δὲ ἐξαλιφῇ* pro *ἐξαλειφθῇ*: nihili forma est *ἐξαλιφῆναι* e duplici errore tralaticio nata. Utar nunc ea observatione ad unum Pseudo-Plutarchi locum sanandum, qui flagitiose corruptus circumfertur, alias multo plura daturus. In libello *de Educat. puerorum* p. 5 B. legitur: *ἤδη δέ τινες καὶ τῶν νεανικωτέρων ἅπτονται κακῶν μοιχεύοντες καὶ κιττοφοροῦντες καὶ μίαν ἡδονὴν θανάτου τιμώμενοι.* Iocularis scriptura est *κιττοφοροῦντες* et *κισσοφοροῦντες* et duplici mendo infecta, namque nihil aliud dederat Sophista quam *μοιχεύοντες καὶ οἰκοφθοροῦντες*, quod in *οἰκοφοροῦντες* olim abiit, idque solis cochleis et Scythis proprium esse rati Graeculi *κισσοφοροῦντες* et *κιττοφοροῦντες* ineptissime excogitarunt. *Οἰκοφθόρος* et *οἰκοφθορία* et *οἰκοφθορεῖν* apud Veteres ponuntur de *profligata re familiari*, apud sequiores de *adulterio*. Utriusque usus exempla apposuit Wyttenbachius.

Itaque in tanta peccandi frequentia constantiaque hoc tenebimus, quo sit certus error in libris crebrior eo esse manifestiorem eoque minorem fidem libros Mss. merere, neque ob librorum consensum pravis lectionibus esse parcendum, sed vitium sexcenties alibi commissum et correctum quotiescumque recurrat eodem iure ubique tolli oportere. Si patebit igitur et constabit non esse aliud facile mendi genus frequentius, quam ut futuri forma in aoristum corrumpatur et contra rarissime fiat, ut aoristis futura substituantur, quumque eum errorem passim apud omnes certa auctoritate et iure certo sublatum iam esse constet, nihil morabimur istos testes quo minus id quod verum esse compertum sit ubique in integrum restituamus. Dixisse Cyrum ipsum *οὐ πρόσθεν παύσομαι* nemo negat aut ambigit aut obloquitur. Ergo Xenophonti hoc sic referendum est ut dicat: *ὑπέσχετο αὐτοῖς οὐ πρόσθεν παύσεσθαι.* Qui vel in uno loco probe senserit quam sit hoc necessarium eadem medicina quidquid est ubique aegrum sanabit. Non multum is dubitabit in Anab. II. III. 20. rescribere: *καὶ περὶ μὲν τούτων ὑπέσχετό μοι βουλεύσεσθαι* pro *βουλεύσασθαι*: qui enim spatium sibi ad deliberandum sumit, eum saepe audies *βουλεύσομαι* dicentem aut *σκέψομαι*, quod est in indirecta oratione retinendum. Noti sunt versus Menandri:

οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες ὡς ἀβέλτεροι,
καὶ »σκέψομαι" λέγοντες. ἄνθρωπος γὰρ ὢν
σκέψει σὺ περί του; δυςυχής, ὅταν τύχῃ.

quos commode adhibuit Casaubonus ad Theophrasti *εἴρωνα* cap. I. § 5. *καὶ τὰ μὲν σκέψεσθαι φάσκειν, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι.* De eodem § 2. scribit: *καὶ μηδὲν ὧν πράττει ὁμολογῆσαι ἀλλὰ φῆσαι βουλεύσεσθαι*, ubi quis serio contendat aoristis locum concedi posse? Similiter in Anab. VI. v. 17. sine mora reponendum *οὐδ' ὑμεῖς ἐλπίζετε αὐτοὺς δέξεσθαι ὑμᾶς* pro inepto *δέξασθαι*, quod est *impetum sustinuisse.* Iterum necessarium futurum reponendum est I. VII. 5. *ἂν δ' εὖ γένηταί τι οὐ μεμνήσεσθαί σέ φασιν* pro *μεμνῆσθαι*, non enim *memorem esse* Cyrum negabant sed post victoriam *fore* promissorum *immemorem* dictitabant. Expelle idem prorsus vitium ex VII. VI. 38. *πατέρα με ἐκαλεῖτε καὶ ἀεὶ ὡς εὐεργέτου μεμνῆσθαι ὑπισχνεῖσθε*, imo vero *μεμνήσεσθαι*, nam talis oratio esse solet

eorum, in quos praesens beneficium confertur. Nondum verum esse desiit quod apud Menandrum est:

ἅμ' ἠλέηται καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις,
ἣν δεόμενος τότ' ἀθάνατον ἕξειν ἔφη.

Ridere mihi subit quoties incido in locum IV. v. 15. ἐκάθηντο καὶ οὐκ ἔφασαν πορεύεσθαι. Quid? *sedebant* et negabant se *ambulare*. Nemo facile dubitare poterat quin verissima dicerent. Equidem a Stephano lubens πορεύσεσθαι accipio, ne Xenophon potius quam scribae ineptire videatur. Nempe quam modo commemorabam peccandi constantiam in certis quibusdam erroribus conspicuam, huius rei novum argumentum capi potest ex iis verbis, quae in -εύω et -εύομαι exeunt, quorum ubi futurum requiritur omissa sibilante littera praesens in libris scribi solet. Στρατεύομαι scribunt pro στρατεύσομαι, βουλεύομαι pro βουλεύσομαι, μοιχεύομαι pro μοιχεύσομαι, et sic πορεύομαι pro πορεύσομαι, aliaque permulta. In Anabasi I. III. 7. corrigendum ὅτι οὐ φαίη παρὰ βασιλέα πορεύσεσθαι pro πορεύεσθαι. Ibidem II. III. 27. nunc quidem recte editur ὀμόσαι ἦ μὴν πορεύσεσθαι auctore H. Stephano, nam libri omnes in πορεύεσθαι conspirant, ut in Cyropaedia VI. II. 39. γνωστῆρας ἐμοὶ προσαγαγὼν ἦ μὴν πορεύεσθαι. Perperam scribitur in Anabasi I. III. 19. ἡμᾶς δ' ἀκούσαντας πρὸς ταῦτα βουλεύεσθαι pro βουλεύσεσθαι. In Theophrasti quoque verbis, quibus modo utebamur, libri omnes praepostere exhibent ἀλλὰ φῆσαι βουλεύεσθαι. Eodem errore apud Herodotum III. 124. παρθενεύεσθαι legitur pro παρθενεύσεσθαι, et IX. 41. ἀνακινδυνεύειν pro ἀνακινδυνεύσειν. Apud Thucydidem VI. 42. στρατοπεδεύσεσθαι corrige pro στρατοπεδεύεσθαι, et VIII. 75. ἐπικηρυκεύσεσθαι pro ἐπικηρυκεύεσθαι. Magna et apud alios est talium copia, de quibus unum tantum, quia iocularis error est, delibabo e Diodoro Siculo XII. 21. *Zaleucus legem tulit*, inquit, γυναῖκα μὴ ἐξιέναι νυκτὸς ἐκ τῆς πόλεως εἰ μὴ μοιχευομένην. Illa lex personati Zaleuci etiam sic satis absurda erit, (ut caeterae omnes, quas bonus Diodorus istic cum multa gravitate commemorat laudatque) postquam exemto scribae errore μοιχευσομένην emendaveris. Graeculis οὐκ ἔφασαν πορεύεσθαι videbatur perinde bonum et sanum atque οὐκ ἔφασαν ἰέναι I. III. 1 et I. IV. 12, et οὐκ ἔφη ἰέναι I. III. 8. et alibi, quoniam

iuxta cum ignarissimis nesciebant formas ἰέναι et ἰών compositasque omnes ἀπιέναι, ἐξιέναι, κατιέναι cet. perinde praesenti ἔρχομαι et futuro εἶμι respondere, et pro re nata modo praesentis temporis modo futuri notionem continere. Futurum est ἰέναι II. vi. 10. ubi coniunguntur φυλάξειν — ἀφέξεσθαι — ἰέναι. Ἀπιέναι futurum est II. i. 3. τῇ δὲ ἄλλῃ ἀπιέναι φαίη ἐπ' Ἰωνίας. Futurum est ἀπιών II. iii. 29. συσκευασάμενος ὡς ἀπάξων ὑμᾶς εἰς τὴν Ἑλλάδα καὶ αὐτὸς ἀπιών, et II. iv. 8. ἧκε Τισσαφέρνης ἔχων τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ὡς εἰς οἶκον ἀπιών, et passim alibi, sed fallebant haec omnia Graeculos, qui ἐλεύσομαι, ἐλεύσεσθαι et ἐλευσόμενος solebant dicere, et sic plerique omnes, qui senescente et effoeta Graecia scriptitarunt, etiam οἱ ἀττικίζοντες, qui sibi puri puti Attici esse videbantur, scribere coeperunt, ut satis in Luciano demonstravimus.

Affine mendum praesentis pro futuro a scribis suppositi latet IV. vi. 13. in verbis προσποιούμενοι προσβάλλειν, ubi προσβαλεῖν est emendandum. *Simulandi* enim verbum προσποιοῦμαι pro re nata aut praesens aut futurum requirit, prout quis aut *facere* aliquid aut *facturus esse* per simulationem vult videri. Rectissime habet praesens V. ii. 28. προσεποιεῖτο τοὺς πολεμίους πειρᾶσθαι λανθάνειν, id est: τοὺς πολεμίους, ὥς γ' ἐδόκει, λανθάνειν ἐπειρᾶτο, et I. iii. 14. προσποιούμενος σπεύδειν, id est σπεύδων ὥς γ' ἐδόκει, sed illo loco *facturos* se impetum simulabant, non *facere*.

Redeo ad libri I. cap. 1, ubi prorsus assentior Hirschigio in § 9. ἐπολέμει ἐκ Χερρονήσου ὁρμώμενος τοῖς Θραξὶ τοῖς ὑπὲρ Ἑλλήσποντον οἰκοῦσιν, quum dixit ὑπὲρ Ἑλλησπόντου emendari et οἰκοῦσιν expungi oportere. Fidem faciat locus II. vi. 2. πολεμήσων τοῖς ὑπὲρ Χερρονήσου καὶ Περίνθου Θραξίν, et VII. v. 1. πρὸς τοὺς ὑπὲρ Βυζαντίου Θρᾷκας, et § 13. κατηυλίσθησαν δ' ἐν τῷ πεδίῳ ὑπὲρ Σηλυβρίας, ubi supplendum esse suspicor: ἐν τῷ πεδίῳ (τῷ) ὑπὲρ Σηλυβρίας, quod perinde est ac si ἐν τῷ ὑπὲρ Σηλυβρίας πεδίῳ scripsisset. Simili modo et alios video scribere et Thucydidem II. 48. ἤρξατο ἐξ Αἰθιοπίας τῆς ὑπὲρ Αἰγύπτου, et alibi.

Novum emblema in I. ii. 9. deprehendo in verbis καὶ ἧκε Κλέαρχος ὁ Λακεδαιμόνιος, [φυγάς], male hoc repetitum est ex I. i. 9, ubi illius rei mentio tam opportuna est quam est in

nostro loco importuna. Ineptius etiam additamentum irrepsit in I. ii. 26. *τήν τε πόλιν [τοὺς Ταρσούς] διήρπασαν — καὶ τὰ βασίλεια τὰ ἐν αὐτῇ*, arguit fraudem etiam articulus male additus. Quis credat sanum esse I. ii. 27. *ἀφαρπάζεσθαι* in verbis *καὶ τὴν χώραν μηκέτι ἀφαρπάζεσθαι*, neque enim *ἁρπάζεσθαι ἡ χώρα* ullo pacto potest neque *ἀφαρπάζεσθαι*, sed *διαρπάζεσθαι*, ut I. ii. 19. *τὴν χώραν ἐπέτρεψε διαρπάσαι*, et passim alibi. Affine vitium est I. iii. 14. *ὧν πολλοὺς καὶ πολλὰ χρήματα ἔχομεν ἀνηρπακότες*, alienum est verbum *ἀναρπάζειν*, *repentino ac celeri impetu opprimere*, a militum rapinis agros hostium licenter depopulantium revocandumque simplex *ἡρπακότες*.

Turbarunt scioli in I. iii. 7. *λαβόντες τὰ ὅπλα ἐστρατοπεδεύσαντο παρὰ Κλεάρχῳ*, sententia loci suadente corrige *παρὰ Κλέαρχον*, *in Clearchi castra transierunt.* Compara I. viii. 5. *ἱππεῖς εἰς χιλίους παρὰ Κλέαρχον ἔστησαν*, et Thucydidem II. 2. fin. *ἀνεῖπεν ὁ κήρυξ εἴ τις βούλεται κατὰ τὰ πάτρια τῶν πάντων Βοιωτῶν ξυμμαχεῖν τίθεσθαι παρ' αὐτοὺς τὰ ὅπλα.* Insiticia verba sunt I. iii. 15. *καὶ ἄρχεσθαι ἐπίσταμαι, ὥς τις καὶ ἄλλος [μάλιστα ἀνθρώπων]*, satis superque est *ὥς τις καὶ ἄλλος* e persona veteris Ducis et imperiosi viri, *μάλιστα ἀνθρώπων* nimium est et *ἀνδραποδῶδες*. Caeterum qui addidit *μάλιστα ἀνθρώπων* ne intellexit quidem locum et duas locutiones confudit *ὥς τις καὶ ἄλλος* et *εἴ τις καὶ ἄλλος*, quae quam diversa significent notum est et colligi potest, si quis composuerit Anab. II. vi. 8. *ἱκανὸς, ὥς τις καὶ ἄλλος, φροντίζειν*, cum Anab. I. iv. 15. *ἐπίσταται δ', εἴ τις καὶ ἄλλος*, hoc demum est *μάλιστ' ἀνθρώπων.* Mendosum est I. iii. 18. *ἀλλ' ἔγωγέ φημι ταῦτα μὲν φλυαρίας εἶναι* et emendandum *φλυαρίαν*. *Res* nullius pretii appellantur *φλυαρίαι καὶ λῆροι*, *oratio* vana et nugatoria *λῆρος* aut *φλυαρία* dicitur. In § 20. non satis recte *ἢν μὲν ᾖ ἐκεῖ* et *ἢν δὲ φεύγῃ* inter se opponuntur: suspicor *ἢν μὲν μένῃ ἐκεῖ* verius esse.

Insulsa magistri interpolatio conspicitur I. iv. 2. [*ὅτι Τισσαφέρνει φίλη ἦν καὶ συνεπολέμει Κύρῳ πρὸς αὐτόν*]. Dicendi genus fraudem retegit in *φίλη ἦν* et *ὁ Ταμὼς συνεπολέμει Κύρῳ*: *puella* bene dicitur *φίλη εἶναι*, et *reges* aut *civitates* arma consociantes *συμπολεμεῖν* recte dicuntur, ut III. i. 5. *ἐδόκει ὁ*

Κῦρος προθύμως τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐπὶ τὰς Ἀθήνας συμπολεμῆσαι, et aliis locis.

Non minus inficetum est I. IV. 3. ἀποστάντες [ἦλθον] παρὰ Κῦρον [καὶ] συνεστρατεύοντο, expunge ἦλθον et καί atque Xenophonte dignam orationem habebis. In eodem loco pro οἱ παρ' Ἀβροκόμα μισθοφόροι Ἕλληνες ἀποστάντες corrigendum esse παρ' Ἀβροκόμα primus vidit Kruegerus, idque multi loci et aliorum et ipsius Xenophontis demonstrare possunt.

Multo melius I. IV. 7. Ξενίας ὁ Ἀρκὰς [στρατηγὸς] καὶ Πασίων ὁ Μεγαρεύς, in oram libri unde erepserat στρατηγός remigrabit.

Diximus iam antea formam qualis est ἐπιστάσθωσαν I. IV. 8. non esse Xenophonteae aetatis sed Macedonicam: itaque ἐπιστάσθων reponendum.

Eruditulus nescio quis tria verba de suo addidit I. IV. 9. ποταμὸν πλήρη ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, [οὐδὲ τὰς περιστεράς]. Xenophon ea tantum narrat quae ipse praesens viderat, ut imperfectorum usus declarat ἐνόμιζον et εἴων, qui *oculatis testibus* proprius est. Praeterea si *columbas* addere voluisset ὥ σ π ε ρ οὐδὲ τὰς περιστεράς dixisset. Adscripserat aliquis in ora libri οὐδὲ τὰς περιστεράς, et notissima est omnibus ista Syrorum superstitio, quam permulti commemorant, quorum testimoniis non utar, sed adiiciam illis novum emendato suavissimo loco Teletis apud Stobaeum Floril. XCVII. 31. τί διαφέρει, inquit, μὴ ἔχειν τροφὴν ἢ τοιαύτην ἔχειν ἧς οὐ μὴ γεύσηται * * * ἰχθῦς ἢ περιστέρια, ἢ Αἰγυπτίῳ κύνα, ἢ Ἕλληνι κρανίον ἀνθρώπου. Supplendum est in hunc fere modum: ἧς οὐ μὴ γεύσεταί (τις, οἷον εἴ τις Σύρῳ παραθείη) ἰχθῦς ἢ περιστέρια. In Anab. I. IV. 12. receptum oportuit τοῖς π ρ ό τ ε ρ ο ν μετὰ Κύρου ἀναβᾶσι pro προτέροις a Schneidero emendatum, et resecanda sunt verba παρὰ τὸν πατέρα τοῦ Κύρου propter ea quae statim sequuntur καλοῦντος τοῦ πατρὸς Κῦρον. Non multum vereor ne quis mihi obloquatur si dixero I. IV. 13. πρὶν δῆλον εἶναι τί ποιήσουσιν οἱ ἄλλοι στρατιῶται [πότερον ἕψονται Κύρῳ ἢ οὔ], novissima verba manifesto esse interpolata, nam praeterquam quod frigidissima sunt, non sunt haec more Graeco formata neque apte composita. Post pauca § 14. ἢν ἐμοὶ πείσθητε, non est mihi leviter de mendo suspectum πείσθητε et πίθησθε restituendum

esse arbitror. Infelix admodum est in libris forma Attica ἐπιθόμην, πιθέσθαι, πιθόμενος, ad quam expellendam librarii omnes veluti coniurarunt. Nihil frequentius est quam ut ἐπειθόμην scribatur ubi aoristus requiritur. Exemplorum plena sunt omnia et expromam complura, si quando mihi in Oratoribus Atticis emendandis operam collocare per otium licebit. Nunc unum afferam quoniam ob oculos est: nempe in § 16. male legitur: ἀκούσαντες ταῦτα ἐπείθοντο καὶ διέβησαν, dubitasne mecum ἐπίθοντο corrigere?

Puerile est nec bene Graece dictum I. iv. 17. καὶ τῶν διαβαινόντων τὸν ποταμὸν οὐδεὶς ἐβρέχθη ἀνωτέρω τῶν μαστῶν [ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ]. In ea re satis est βρέχεσθαι dicere neque ὑπὸ τοῦ ποταμοῦ (aut rectius τῷ ποταμῷ) addi potuit, quoniam nulla alia re illi tum poterant βρέχεσθαι.

Nescio quamobrem I. v. 2. discessum sit a scriptura προδραμόντες ἂν ἕστασαν, quam optime Porsonus constituerat. Perlubenter Xenophon vocula ἂν tali sensu utitur, quam ex rei natura cum imperfectis coniungit non cum aoristis, quare II. iii. 11. probaverim εἴ τις αὐτῷ δοκοίη βλακεύειν ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαιεν ἄν, non ἔπαισεν. Rectissime mihi quidem videtur Kruegerus correxisse III. iv. 22. ὁπότε δὲ διάσχοιεν αἱ πλευραὶ τοῦ πλαισίου τὸ μέσον ἂν ἐξεπίμπλασαν pro librorum lectione ἀνεξεπίμπλασαν. Nemo tamen certa emendatione utitur, quamquam forma ἀνεκπιμπλάναι non est Graeca et vocula ἂν sic frequentissime addi solet, ubi respondeat verbis εἴ τις aut ὁπότε, ut IV. vii. 16. ἀποτέμνοντες ἂν τὰς κεφαλὰς ἔχοντες ἐπορεύοντο καὶ ᾖδον καὶ ἐχόρευον, ὁπότε οἱ πολέμιοι ὄψεσθαι αὐτοὺς ἔμελλον. Feliciter emendavit Hirschigius locum Aristophanis in Pace vs. 67. ubi editur:

ἔφασκε γὰρ πρὸς αὐτὸν ἐνθαδί·

sed vidit verum esse ἔφασκε γὰρ πρὸς αὐτὸν ἂν ταδί. Facillime autem ἂν eo sensu imperfectis appositum ab indoctis librariis negligi et perire potest, non intelligebant enim quid sibi vellet ea vocula ideoque omittebant. In Aristophanis Nubibus 1367. Bekk. Codex Ravennas exhibet ἐξέφερον καὶ προὐσχόμην σε iugulato metro pro ἐξέφερον ἂν καὶ προὐσχόμην σε. Ex eius rei observatione emendari poterit et alius apud Comi-

cum locus in Equitt. vs. 416. Bekk., ubi Ravennas et Venetus hanc lectionem servant:

ἐξηπάτων γὰρ τοὺς μαγείρους λέγων τοιαυτί.

Claudicat metrum. Itaque Graeculus nescio quis τὸ κεχηνὸς τοῦ ῥυθμοῦ sarcire coepit deditque de suo ἐπιλέγων. O infelicem coniectorem! nihil est ab illo loco alienius quam ἐπιλέγων, nisi forte quis opinabitur utrum λέγων an ἐπιλέγων dicatur perinde esse. Tamen ἐπιλέγων invito poëtae obtrudunt Editores omnes. Tu mecum numeros et sententiam sic sarci ut reponas:

ἐξηπάτων γὰρ τοὺς μαγείρους ἂν λέγων τοιαυτί.

Eodem modo tribus aliis locis ἄν ita positum perierat apud Aristophanem, ut Porsonus demonstravit ad Phoenissas vs. 412, qui duos locos ipse certa emendatione in integrum restituit, alterum in Avibus 505.

χὤπόθ' ὁ κόκκυξ εἴποι κόκκυ, τότ' ἂν οἱ Φοίνικες ἅπαντες
τοὺς πυροὺς ἂν καὶ τὰς κριθὰς ἐν τοῖς πεδίοις ἐθέριζον,

ubi Ravennas τότ' οἱ Φοίνικες, caeteri τότε γ' οἱ Φοίνικες e futili correctione exhibent. Alter locus legitur in vicinia vs. 520.

ὤμνυ τ' οὐδεὶς τότ' ἂν ἀνθρώπων θεὸν, ἀλλ' ὄρνιθας ἅπαντες,

ubi in libris est τότ' ἀνθρώπων. Tertius locus est in Pace 626. ubi Codices hanc ineptam lectionem servant:

οὐδὲν αἰτίων ἀνδρῶν γε τὰς κράδας κατήσθιον.

Ravennas solus servavit manum poëtae:

οὐδὲν αἰτίων ἂν ἀνδρῶν τὰς κράδας κατήσθιον.

Praemisi haec, quo evidentiore correctione ipse sanarem locum in Avibus vs. 1286:

πρῶτον μὲν εὐθὺς πάντες ἐξ εὐνῆς ἅμα
ἐπέτονθ' ἕωθεν, ὥσπερ ἡμεῖς, ἐπὶ νομόν,
κἄπειτ' ἂν ἅμα κατῆραν ἐς τὰ βιβλία,
εἶτ' ἀπενέμοντ' ἐνταῦθα τὰ ψηφίσματα.

Poëta scripserat: ἅμα κατῆρον et εἶτ' ἂν ἐνέμοντ' ἐνταῦθα, quod si quis non ex ipso loco verum et necessarium esse perspicit ei, credo, assensum extorquebit Veteris Critici ad h. l. annotatio, quae nunc sensu vacua et a nullo intellecta volitat, sed nullo negotio et ipsa restitui potest et veram poëtae lectionem restituere. Nempe ad verba εἶτ' ἀπενέ-

μοντ' ἐνταῦθα annotatum est: *ἐνταῦθα συναληλιμμένον ἀμφίβολόν ἐστιν, ὃ καὶ ἐπιτετήδευκε. διελόντι δὲ τὸ μέν ἐστιν ἐνέμοντο, τὸ δὲ ἀπενέμοντο τουτέστιν ἀνεγίγνωσκον.* Num tu quid animadvertis in his quod sit *ἀμφίβολον*, et omnino quid tandem homo dicat intelligis? Nempe *ἀμφιβολία* inest in vera lectione *ἂν ἐνέμοντο* cum *ἀνενέμοντο* confusa, et sic corrigendum est: *διελόντι δὲ τὸ μέν ἐστιν ἂν ἐνέμοντο, τὸ δὲ ἀνενέμοντο τουτέστιν ἀνεγίγνωσκον.* Vetus loquendi usus quo *νέμω*, *ἀννέμειν*, *ἀπόνειμον*, *ἐπινειμάτω* dicebant pro *ἀναγιγνώσκω*, *ἀναγιγνώσκειν*, *ἀνάγνωθι*, *ἀναγνώτω* vel ex Hesychio cognosci potest, quem vide v. *Ἐπινειμάτω*, ibique Interpretes. *Ἀνανέμεσθαι* pro *recitare* est apud Herod. I. 173.

In I. v. 2. male scribitur: *πολλοὶ δὲ στρουθοὶ οἱ μεγάλοι*, quod non uno nomine vitiosum est. Et primum quidem *ἡ στρουθός* dicebant Veteres omnes, non *ὁ στρουθός*, neque aliter Xenophontem dixisse arguit § 3. *στρουθὸν δὲ οὐδεὶς ἔλαβεν. πολὺ γὰρ ἀπεσπᾶτο φεύγουσα — ταῖς πτέρυξιν αἴρουσα ὥσπερ ἱστίῳ χρωμένη.* Praeterea Graecum est dicere *πολλαὶ δὲ στρουθοὶ τῶν μεγάλων*, non *αἱ μεγάλαι*. Equidem dedisse Xenophontem arbitror tantummodo haec: *πολλαὶ δὲ στρουθοὶ*, deinde sciolum *αἱ μεγάλαι* addidisse, tum in genere titubatum esse et sic vulgatam esse natam. *Στρουθοί* pro *στρουθιοκάμηλοι* et alibi occurrit et apud Pollucem I. 138. *Ἄραβες δὲ καὶ στρουθῶν δοραῖς ἀντὶ θωράκων ἢ ἀσπίδων ἐφράττοντο.*

In eadem vicinia nova statim interpolatio deprehenditur in verbis: *καὶ οὐκ ἦν λαβεῖν εἰ μὴ διαστάντες οἱ ἱππεῖς θηρῷεν διαδεχόμενοι [τοῖς ἵπποις]*, quis enim exputabit quid causae sit cur *τοῖς ἵπποις* fuerit additum, et quid tandem sibi haec verba velint. Optime omittit *τοῖς ἵπποις* locum hunc laudans Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* § 93.

Solemnem ellipsin Graeculi ineleganter expleverunt I. v. 9. *δῆλος ἦν σπεύδων καὶ οὐ διατρίβων ὅπου μὴ ἐπισιτισμοῦ ἕνεκα ἤ τινος ἄλλου ἀναγκαίου [ἐκαθέζετο]*, ubi neque ullo verbo opus est et verbum *καθέζεσθαι* non est idoneum. Praeterea pro *ἀπαρασκευαστοτέρῳ* et *σχολαιότερον* rectius scribi arbitror *ἀπαρασκευοτέρῳ* et *σχολαίτερον*, et post pauca in verbis *τῷ διεσπάσθαι τὰς δυνάμεις* multo potior videtur lectio *διεσπάρθαι*, quoniam *διεσπάσθαι* bene dicuntur *τὰ πρότερον συνεστῶτα καὶ*

συνηθροισμένα postquam quacumque de causa disiecta et dissipata sunt, ut saepius *acies* vel *ordines* dicuntur διεσπάσθαι. Contra quae copiae diversis locis in late patente imperio Persarum erant dispersae διεσπαρμέναι ἦσαν, ut insulae in mari vasto. In § 10. offendo in verbo ἐπίμπλασαν χόρτου κούφου, et ex Suidae scriptura ἐμπίπλασαν elicio necessarium ἐνεπίμπλασαν. Non facile credam simplex πίμπλημι Xenophonteum verbum esse. Nemo Atticorum illo verbo utitur praeter unum Platonem, qui τὰ κατημαξευμένα ubi potest vitare solet.

Non video in § 16. cur scriptura κατακεκόψεσθαι in verbis: νομίζετε ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ἐμέ τε κατακεκόψεσθαι καὶ ὑμᾶς οὐ πολὺ ἐμοῦ ὕστερον anteponenda fuerit formae κατακόψεσθαι, id est κατακοπήσεσθαι, id quod loci sententia requirit, non κατακεκομμένον ἔσεσθαι. In seq. § 17. ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο a sciolis invectum est, qui vetus loquendi genus ἐν ἑαυτοῦ ἐγένετο mirabantur. Quemadmodum Romani dicebant *non sum apud me*, sic Atticorum consuetudo est dicere οὐκ εἰμὶ ἐν ἐμαυτοῦ, et non minus vitiosum est ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο, ac si quis pro ἐστὶν ἐν ἐμοῦ vellet ἐν ἐμοί substituere. Librariis in ea re perfacile est labi: in Vespis 642. Bekk. pro vera lectione κᾆτ᾽ οὐκ ἐν αὑτοῦ in Ravennate legitur οὐκ ἐν αὑτῷ, quod nemo recipiet. Peccari video etiam in sequioribus. Apud Xenophontem Ephesium legitur duobus locis sine vitio p. 216, 26. (in Hirschigii Eroticis) ὡς ἔδοξεν ἐν αὑτῆς γεγονέναι, et pag. 221, 12. οἱ δ᾽ ἐν ἑαυτῶν γενόμενοι: vitiose p. 205, 10. ἡ Ἄνθεια ἑαυτῆς γενομένη, et 207, 46. ἡ δ᾽ ἐν αὑτῇ γενομένη, utrobique ἐν αὑτῆς reponendum. Eodem sensu ἐντὸς ἐμαυτοῦ recte dicitur, Herod. VII. 47. Demosth. XXXIV. 20, et alibi.

In libro I. vi. 7. ἔπειτ᾽ αὖ ἔγνως τὴν σεαυτοῦ δύναμιν, poterat uno verbo dicere ἐγνωσιμάχησας, id est ἔγνως τὴν σεαυτοῦ ἀσθένειαν, sed utitur Cyrus exquisita dicendi urbanitate, ut paulo ante § 6. in verbis ἐποίησα ὥστε δόξαι τούτῳ τοῦ πρὸς ἐμὲ πολέμου παύσασθαι, mirifica εὐφημίᾳ et lenitate verborum asperitatem rei non occultans sed obumbrans.

In I. vi. 10. ἐλάβοντο τῆς ζώνης τὸν Ὀρόντην nonnullis non esse soloecum videri sane mirum est, quoniam Graeci omnes et Veteres et sequiores λαβεῖν τινὰ τῆς χειρός, et λαβέσθαι τινὸς τῆς χειρός, et similia omnia diligentissime semper

distinxerunt. Itaque etiamsi omnes libri in *ἐλάβοντο* conspirarent tamen *ἔλαβον* verum esse poterat constare. Sed *ἔλαβον* habent testes meliores et olim a Porsono repositum est. Sequiores vitiose pro *καταλαμβάνω* dicere assolent *καταλαμβάνομαι* et sexcenties apud istos recurrunt *καταλαβέσθαι τι* et *καταλαβόμενος* pro *καταλαβεῖν* et *καταλαβών*, unde vitium invectum est Herodot. VI. 55. *τὰ δὲ ἄλλοι οὐ κατελάβοντο τούτων μνήμην ποιήσομαι*, expunctis duabus litterulis, quae ex sq. ΤΟΥΤΩΝ adhaeserunt emenda *κατέλαβον*. In Lysistrata vs. 1121. ubi editur:

οὗ δ' ἂν διδῶσι πρόσαγε τούτους λαβομένη,

rem acu tetigit Dobraeus emendans *τούτου λαβομένη*, sed Editores non praebent aurem.

In § 11. *ὅπως ἀπέθανεν οὐδεὶς εἰδὼς ἔλεγεν, εἴκαζον δὲ ἄλλοι ἄλλως*, emendandum est *ἄλλος ἄλλως*, quoniam *singulorum* in tali re coniecturae esse solent. Librarii in huiusmodi locis verbi et nominis numeros discrepantes in concordiam redigunt scilicet et videntur sibi inepti vitia sustulisse et soloecismos. Adhibuerunt eandem praeclaram medicinam alii loco II. I. 15. *οὗτοι μὲν, ὦ Κλέαρχε, ἄλλος ἄλλα λέγει*, imo vero *λέγουσιν*, ut vides, sed isti verbis proximis accommodaverunt. Ad hanc lucem in IV. VIII. 19. *οἱ δὲ πολέμιοι ὡς ἤρξαντο θεῖν οὐκέτι ἔστησαν ἀλλὰ φυγῇ ἄλλος ἄλλῃ ἐτράπετο*, non diu dubitabis *ἐτράποντο* recipere.

Non est in Xenophonte ferendum I. VII. 3. *ἀντὶ ὧν ἔχω* aut similia omnia, sed *ἀνθ' ὧν* rescribendum, et passim aliae elisiones et crases eodem modo restituendae sunt, utpote quas constet et apud Athenienses perpetuo usu tritas fuisse et a scribis obscurari solitas. Turpe est retinere *παρὰ Ἀθηναίοις*, *παρὰ Ἀλεξάνδρῳ*, *οὐκ οἶδα ὅπως*, et alia sexcenta. Ne reformides membranarum fidem inspice librorum scripturas in aliquo poëta et vanus ille timor, sat scio, dissipabitur. In § 4. *ἂν δὲ ταῦτα ἀνάσχησθε τὰ ἄλλα καὶ αἰσχύνεσθαί μοι δοκῶ*, mirum ni dederit Xenophon *αἰσχυνεῖσθαι*. Emblema inest in § 5. *λέγουσί τινες ὅτι πολλὰ ὑπισχνεῖ νῦν διὰ τὸ ἐν τοιούτῳ εἶναι [τοῦ κινδύνου προσιόντος]*, si quis probe meminit quo sensu *ἐν τοιούτῳ εἶναι* dicatur, cuius locutionis supra aliquot exempla attulimus, verba additicia quae sententiam onerant mecum

resecabit. Deinde *μεμνήσεσθαι* pro *μεμνῆσθαι* et *μεμνῇο* pro *μεμνῷο* restituenda esse iam alias admonuimus.

Tralaticius scribendi error in § 9. commissus commaculavit Clearchi verba: *οἴει γάρ σοι μαχεῖσθαι, ὦ Κῦρε, τὸν ἀδελφόν;* Nempe corrigendum est *οἴει γὰρ σύ.* Hoc ipsum enim omnes ambigebant *ὁπότερον μαχεῖται βασιλεὺς ἢ οὔ.* conf. I. VII. 1. *ἐδόκει γὰρ ἥξειν βασιλέα μαχούμενον,* et § 14. *ᾤετο γὰρ ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ μαχεῖσθαι βασιλέα,* et § 17. *ταύτῃ μὲν οὖν τῇ ἡμέρᾳ οὐκ ἐμαχέσατο βασιλεύς,* et § 18. *βασιλεὺς οὐ μαχεῖται δέκα ἡμερῶν,* et iterum ibid. et in § 19. Ridiculum esset *τῷ Κύρῳ* his additum. Et necessarium est *σύ* in Clearchi verbis, qui quid *ipse* Cyrus existimaret ab eo cupiebat audire. *An tu putas,* inquit, *fratrem tuum pugnam esse commissurum?* Manifesta est origo erroris. Scribae *υ* et *οι* perinde commiscere solent atque *αι* et *ε*, *ει* et *ι*, aliaque multa, ut nihil referat ad veram ubique scripturam constituendam utrum *υ* an *οι* in Codd. Mss. sit exaratum. Isti *κοίμη* scribunt pro *Κύμη*, *πτυόδωρος* pro *Πτοιόδωρος*, *κοίημα* pro *κύημα*, *κοιοφόρος* pro *κυοφόρος*, *ἔγκοιος* pro *ἔγκυος* (tria haec apud Hesychium *κατὰ στοιχεῖον* scripta sunt), et *κοινοφθαλμίζεται* de *impudente*, vid. Kuster. ad Hesych. II. p. 382. not. 15. Apud Lucianum X. IX. 2. pro *γυναῖκες ἁβρόταται καὶ μύρα καὶ οἶνος*, in bonis Codicibus *καὶ μοῖρα* legitur. *Ἔνοιστρον* apud Hesychium pro *ἤνυστρον* scriptum est, et *Ἐριγήροις* pro *ἐρίγηρυς*, aliaque multa. In ipsa Anabasi I. VIII. 11. multas olim turbas peperit *ἀνυστόν* depravatum in *ἀνοιστόν*, *ἂν οἰστόν*, et alia. Itaque quemadmodum Doricum *τύ* in *τοι* abire solet, sic *σύ* et *σοί* saepe permutantur. Exempla pauca de multis vide in Memor. II. II. 12. ubi *βούλει σοι* et *βούλει σύ* confusa sunt, ut in Aristoph. Equitt. vs. 344. *καλῶς γ' ἂν οὖν σοι πρᾶγμα* in Ravennate est, in caeteris aut omittitur *σοι* aut in *τι* abiit, recte nunc editur *καλῶς γ' ἂν οὖν σὺ πρᾶγμα.* Contra in Vesp. 678. optimi omnes *σὺ δ', ὧν ἄρχεις — οὐδεὶς οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν τοῖς ἐψητοῖσι δίδωσιν* exhibent contra metrum et contra sententiam pro *σοὶ δ', ὧν ἄρχεις.* Apud Photium *κατὰ στοιχεῖον* scriptum est (inter Ποιήσειας et Ποῖ) *Ποίθιοι* pro *Πύθιοι*, et post pauca:

Πολὺ *δ' ἀλώπηξ ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα,*

pro *πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ*, et ubi finem inveniam?

Satis manifestum emblema est I. vii. 13. *ταῦτα δὲ ἤγγελλον οἱ αὐτομολήσαντες — πρὸ τῆς μάχης καὶ [μετὰ τὴν μάχην] οἳ ὕστερον ἐλήφθησαν τῶν πολεμίων ταὐτὰ ἤγγελλον*, vel ipsa sedes arguit fraudem. Minus etiam tueri se poterit *πρότερον* in § 18. *τῇ ἐνδεκάτῃ ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας [πρότερον] θυόμενος.* Perinde est ac si Latine diceres: *decem abhinc diebus* [antea].

In I. viii. 5. *ἱππεῖς μὲν Παφλαγόνες εἰς χιλίους παρὰ Κλέαρχον ἔστησαν ἐν τῷ δεξιῷ*, variant libri in *ἔστησαν*, *ἕστασαν* et *ἔστασαν*. Et *ἔστασαν* quidem nihili vocabulum est, inter *ἔστησαν* et *ἕστασαν* non est anceps optio, quoniam *παρὰ Κλέαρχον* additum demonstrat *constiterunt* (*ἔστησαν*) requiri, non *stabant* (*ἕστασαν*). Eadem confusio est in I. v. 13. ubi *ἕστασαν* verum est, et I. v. 2. ubi diximus *προδραμόντες ἂν ἕστασαν* rectissime a Porsono esse vindicatum, libri *ἔστασαν* et *ἵστασαν* et *εἱστήκεσαν* exhibent. Graeculi formam veterem *ἕστασαν* aut pessime corrumpunt aut ad suum usum refingunt, sicuti et in *ἐτέθνασαν* facere solent, et in *ἦσαν*, et in *ἐδέδισαν*. Hinc facile est emendare locum I. i. 6. *τότε δ' ἀφεστήκεσαν πρὸς Κῦρον πᾶσαι*, ubi meliores libri *ἀφεστήκεσαν* exhibent, plures *ἀπέστησαν*, sed genuinum est *ἀφέστασαν*.

Prorsus assentior iis, qui in I. viii. 6. verba [*λέγεται δὲ καὶ τοὺς ἄλλους Πέρσας ψιλαῖς ταῖς κεφαλαῖς ἐν τῷ πολέμῳ διακινδυνεύειν*] insiticia et spuria esse deprehenderunt. Est magistri eruditui annotatiuncula, cuiusmodi et aliae quaedam adhuc in Anabasi latitant. Non possunt umquam scioli orationem Xenophontis sic referre, ut non aliqua vitium pateat. Xenophon enim non dixisset *ἐν τῷ πολέμῳ* sed *ἐν ταῖς μάχαις.*

Non arbitror mendo vacare scripturam loci I. viii. 13. *τῷ δὲ Κύρῳ ἀπεκρίνατο ὅτι αὐτῷ μέλοι ὅπως καλῶς ἔχοι.* Quamquam apparet non aliter quam sic legisse Plutarchum in Artox. cap. VIII. (*Κῦρος Κλέαρχον ἐκέλευε τάττεσθαι κατὰ μέσον. ὁ δὲ αὐτῷ μέλειν εἰπὼν ὅπως ἕξει κάλλιστα τὸ πᾶν διέφθειρεν*) tamen suspicor non tam arroganter dixisse Clearchum: *ἐμοὶ μέλει ὅπως καλῶς ἔχῃ*, sed ut solebant in tali re dicere: *ἐμοὶ μελήσει*, quibus verbis perurbane quis utitur pro *μὴ πολυπραγμόνει*, *noli hoc agere, ego providebo*, ut in notissimo oraculo:

ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις.
ego providebo rem istam et albae virgines.

vid. Ciceron. de Divinat. I. 57. et compone Hellen. VI. iv. 30. Itaque Xenophonti reddendum esse censeo: *ἀπεκρίνατο ὅτι αὐτῷ μελήσοι.*

Tenemus sciolum in I. viii. 18. in verbis: [*λέγουσι δέ τινες ὡς καὶ ταῖς ἀσπίσι πρὸς τὰ δόρατα ἐδούπησαν φόβον ποιοῦντες τοῖς ἵπποις*]. Quomodo, quaeso, haec oculatus testis scribere umquam potuit? An Xenophontem ipsum illum armorum strepitum et fragorem non exaudivisse putemus? Praeterea nunc quoque dicendi genus impostorem arguit et suo ipse indicio sorex proditur. Quis Veterum dixit umquam *φόβον ποιεῖν τινι* pro *ἐμποιεῖν* vel *παρέχειν*. *Φόβον ποιεῖν* est *pavorem excitare, movere, φόβον ἐμποιεῖν, terrorem incutere.* Deinde quid, quaeso, est *δουπεῖν τῇ ἀσπίδι πρὸς τὸ δόρυ?* Arrianus (cuius locum Schneiderus attulit), Xenophontis imitator diligentior multo quam felicior, dixit I. vi. 7. *τοῖς δόρασι δουπῆσαι πρὸς τὰς ἀσπίδας*, et sic sequioribus loqui consuetum est, Atticis non item. Veteres quomodo in tali re loqui soleant vide IV. v. 18. *τὰς ἀσπίδας πρὸς τὰ δόρατα ἔκρουσαν*, et omnino verbum *κρούειν* de huiusmodi collisione usurpabant, non *ψοφεῖν* aut *ψόφον ποιεῖν*. Diodorus Siculus XVII. 58. in simili re dixit *ταῖς σαρίσαις τὰς ἀσπίδας τύπτειν*. Et est quidem *δοῦπος* apud Xenophontem II. ii. 19. ab Ionibus sumtum, *δουπεῖν* dixisse non facile crediderim, sed sequiores vocabula obsoleta omnia et intermortua stulte recoquebant, quod in hoc ipso verbo *δουπεῖν* facientem perineptum historiae scriptorem ridet Lucianus Quom. H. C. cap. XXII. Caeterum cave putes Graecum militem *suum* clypeum et hastam *suam* collisisse, namque sic inepte dictum erit *τὴν ἀσπίδα πρὸς τὸ δόρυ κρούειν*, sed unusquisque *τὴν ἑαυτοῦ ἀσπίδα πρὸς τὸ τοῦ παραστάτου δόρυ ἔκρουεν*, quem tantum armorum fragorem si quis ad Xenophontis aures non pervenisse suspicatur, non recuso quo minus ei videar certa et genuina inconsulto convellere voluisse. *Λέγεται* rectissime positum in iis rebus, quibus Xenophon non interfuerit ipse, vide I. viii. 24 et 28, et *ἐλέγετο* I. viii. 9 et I. x. 7. de iis rebus, quas illis ipsis diebus ex sermonibus hominum acceperat.

Excidit praepositio I. viii. 22. *νομίζοντες — εἴ τι παραγγεῖ-*

λαι χρήζοιεν, ἡμίσει ἂν χρόνῳ αἰσθάνεσθαι τὸ ςράτευμα, supple *χρήζοιεν*, (*ἐν*) *ἡμίσει ἂν χρόνῳ*.

Duplex mendum inficit locum I. viii. 26. (Cyrus Artaxerxem) *τιτρώσκει διὰ τοῦ θώρακος, ὥς Φησι Κτησίας ὁ ἰατρὸς καὶ ἰᾶσθαι αὐτὸς τὸ τραῦμά Φησιν.* Emenda: *ὁ ἰατρὸς*, (*ὃς*) *καὶ ἰάσασθαι αὐτὸς τὸ τραῦμά Φησιν.* Cur *ὅς* exciderit patet, patet etiam *ὅς* requiri. Ctesias ipse non potest alio modo scripsisse quam: *αὐτὸς ἰασάμην τὸ τραῦμα.* Compara et Plutarchi locum in Artox. cap. XVIII. *ἰάσασθαι δὲ καὶ τοῦτό Φησιν ὁ Κτησίας.* Post pauca, ubi iterum Ctesias nominatur, etiam gravius vulnus Xenophontis oratio accepit. Editur § 27. sine sensu: *ὁπόσοι μὲν τῶν ἀμΦὶ βασιλέα ἀπέθνησκον Κτησίας λέγει. παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν.* Si *λέγει* retinebis, numquam expedies verba quae adduntur. Apertum est Xenophontem hoc dixisse: si quis requirat numerum eorum, qui ex copiis regiis occisi sint, illius rei notitiam *a Ctesia esse petendam*, namque illum apud Regem tum fuisse. Hanc sententiam sic restitues ut rescribas: *Κτησίας λεγέτω, παρ' ἐκείνῳ γὰρ ἦν*, quae forma dicendi in talibus satis usitata est, ut sciunt omnes.

In § 28. *'Αρταπάτης δ' ὁ πιςότατος αὐτῷ τῶν σκηπτούχων* [*θεράπων*], inducendum esse novissimum vocabulum, siquidem *σκηπτοῦχοι* omnes sunt *θεράποντες*, perspicuum est. conf. et I. vi. 11.

In cap. IX. § 14. *ὥςε Φαίνεσθαι τοὺς μὲν ἀγαθοὺς εὐδαιμονεςάτους, τοὺς δὲ κακοὺς δούλους τούτων ἀξιοῦσθαι εἶναι*, in aliis est *ἀξιοῦν εἶναι*, sed neque *ἀξιοῦσθαι* neque *ἀξιοῦν* rei aptum est. Quid sit legendum facile colliges ex § 19. *οὐ γὰρ Φθονῶν τοῖς Φανερῶς πλουτοῦσιν ἐΦαίνετο ἀλλὰ πειρώμενος χρῆσθαι τοῖς τῶν ἀποκρυπτομένων χρήμασιν*, aut V. vii. 10. *μόνον ἀγαθόν τι ποιῶν ὑμᾶς Φαινέσθω*, aut V. vii. 33. *ἣν περὶ τὰ μέγιςα τοιαῦτα ἐξαμαρτάνοντες Φαινώμεθα*, et quis nescit quam saepe *Φαίνομαι* cum participio coniunctum legatur illo sensu, quem hic quoque locus requirit: quamobrem emendandum est *ὥςε Φαίνεσθαι — ἀξιῶν εἶναι*, nempe Cyrus *Φανερὸς* (sive *δῆλος*) *ἦν τοὺς μὲν ἀγαθοὺς εὐδαιμονεςάτους εἶναι ἀξιῶν, τοὺς δὲ κακοὺς δούλους τούτων.*

Expellendum est pronomen *αὐτῷ* ex I. ix. 15. *τοιγαροῦν πολλὴ ἦν ἀΦθονία* [*αὐτῷ*] *τῶν ἐθελόντων κινδυνεύειν, ὅπου τις*

Κῦρον οἴοιτο αἰσθήσεσθαι, est quidem αὐτῷ in optimis libris, sed ex vicinis errore natum et delendum esse arguit nomen Κῦρον in verbis quae statim sequuntur. Puerile enim et ineptum est dicere: ὁ Κῦρος πολλοὺς εἶχε πρὸς τὸ κινδυνεύειν προθύμως ἔχοντας, ὅπου τις Κῦρον οἴοιτο αἰσθήσεσθαι, contra optime habet ὅπου τις Κῦρον οἴοιτο αἰσθήσεσθαι πολλοὶ ἦσαν οἱ κινδυνεύειν ἐθέλοντες, idque ipsum habebis si αὐτῷ expunxeris.

In I. ix. 29. τεκμήριον δὲ τούτου καὶ τόδε· παρὰ μὲν Κύρου δούλου ὄντος οὐδεὶς ἀπῄει πρὸς βασιλέα, supplendum est παρὰ μὲν (γὰρ) Κύρου, constanti enim usu ubi σημεῖον δέ aut τεκμήριον δέ praecedit, videbis γάρ in ipso argumento interponi. Loquuntur Graeci omnes in tali re, ut Antiphanes apud Porphyr. de Abstin. II. 17.

τεκμήριον δ'· ὅταν γὰρ ἑκατόμβας τινὲς
θύωσιν ἐπὶ τούτοις ἅπασιν ὕστατος
(ἅπαξ ἁ)πάντων καὶ λιβανωτὸς ἐπετέθη.

Quam plurima huius rei exempla sunt, et frequentissima est ea loquendi consuetudo, praesertim Thucydidi et Oratoribus et Platoni, ubi τεκμήριον δέ, σημεῖον δέ, μαρτύριον δέ, αἴτιον δέ praecedit et interposito γάρ argumentum, indicium, causa subiungitur. Qui in his dicendi usum diu et multum observaverit dabit mihi etiam in Xenophontis loco γάρ omitti non potuisse. Recte docti homines emendarunt locum in Xenoph. Symp. IV. 17. τεκμήριον δέ· θαλλοφόρους γὰρ τῇ Ἀθηνᾷ τοὺς καλοὺς γέροντας ἐκλέγονται, ubi θαλλοφόρους δὲ τῇ Ἀθηνᾷ est in libris omnibus. Eadem opera Isaeum corrige Orat. XI. 40. τεκμήριον δέ· εἴκοσι μνᾶς ἑκάτερος ἡμῶν ἐπὶ τῇ γυναικὶ προῖκα ἔλαβε, tu supple εἴκοσι (γὰρ) μνᾶς κτέ.

In vicinia locus est unde iuniores utiliter cognoscere possint, quomodo verba insiticia in alienam sedem insinuare se soleant. Quod enim I. ix. 31. rectissime legitur πάντες οἱ περὶ αὐτὸν φίλοι καὶ συντράπεζοι μαχόμενοι ἀπέθανον ὑπὲρ Κύρου, πλὴν Ἀριαίου. οὗτος δὲ τεταγμένος ἐτύγχανεν ἐπὶ τῷ εὐωνύμῳ τοῦ ἱππικοῦ ἄρχων, videant quam absurde invectum sit hinc in Xenophontis Oeconomicum IV. 19. ἐκείνῳ (Cyro) οἱ φίλοι ἀποθανόντι συναπέθανον πάντες περὶ τὸν νεκρὸν μαχόμενοι [πλήν γε Ἀριαίου. Ἀριαῖος δ' ἔτυχεν ἐπὶ τῷ εὐωνύμῳ τεταγμένος].

Manifesta interpolatio tenetur in I. x. 1. Compone mihi ver-

ba: βασιλεὺς δὲ [καὶ οἱ σὺν αὐτῷ] διώκων εἰσπίπτει εἰς τὸ Κύρειον ϛρατόπεδον cum § 2. βασιλεὺς δὲ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τά τε ἄλλα πολλὰ διαρπάζουσι καὶ τὴν Φωκαΐδα τὴν Κύρου παλλακίδα τὴν σοφὴν καὶ καλὴν λεγομένην εἶναι [λαμβάνει], et facili negotio utriusque loci putidum additamentum deprehendes. Recte habet: βασιλεὺς διώκων εἰσπίπτει, sed nullo modo ferendum fuisset βασιλεὺς διαρπάζει τὸ ϛρατόπεδον. Itaque καὶ οἱ σὺν αὐτῷ addidit sciolus ex § 2, quae scriptura pluralem numerum εἰσπίπτουσι necessarium reddidisset, ut illic recte scriptum est βασιλεὺς δὲ καὶ οἱ σὺν αὐτῷ διαρπάζουσιν. Eodem argumento λαμβάνει mala manu arguitur additum. Zeugma, ut saepe alias, Graeculos fefellit, qui λαμβάνει de suo adiecerunt, quod neque pro αἱρεῖ poni potuit, et indecore et stulte id ipse Rex fecisse narratur.

In libro II. cap. I. § 11. turbatum est in verbis: βασιλεὺς νικᾶν ἡγεῖται ἐπεὶ Κῦρον ἀπέκτονε. τίς γὰρ αὐτῷ ἐϛὶν ὅϛις τῆς ἀρχῆς ἀντιποιεῖται; Confusa esse suspicor ἔτι et ἐϛι, ut tam saepe alias, deinde ὅϛις oscitanter additum, ut vera scriptura sit: τίς γὰρ αὐτῷ ἔτι τῆς ἀρχῆς ἀντιποιεῖται; Post pauca § 13. recipienda fuerat Dobraei emendatio καὶ λέγεις οὐκ ἀχάριτα pro ἀχάριϛα. Saepius Graeci εἰρωνευόμενοι dictitabant subridentes aut subsannantes χαρίεντα λέγεις, et Xenophon tritam locutionem scite in hanc formam convertit λέγεις οὐκ ἀχάριτα, quemadmodum urbanissime dixit VII. vi. 38. οὐδὲ τούτοις δοκεῖτε βελτίονες εἶναι pro tritissima locutione, quae saepe apud alios, saepissime apud Lysiam recurrit: καὶ τούτοις δοκεῖτε χ ε ί ρ ο υ ς εἶναι. Eodem modo dixit in Memorab. I. i. 2. καὶ μαντικῇ χρώμενος ο ὐ κ ἀ φ α ν ὴ ς ἦν, quum solerent omnes φανερὸς ἦν in tali re dicere.

Perpetuo Veterum usu εὔχαρις et εὐχάριϛος, ἄχαρις et ἀχάριϛος sic distinguuntur ut *animum gratum* et *ingratum habentes* εὐχάριϛοι et ἀχάριϛοι dicantur, sed *venustus* et *scitus* et *elegans* εὔχαρις et ἐπίχαρις nominetur, et ἄχαρις qui *venustatis* et *elegantiae* sit *expers*. Nauci non sunt formae ὁ, ἡ ἀχάριτος, εὐχάριτος et ἐπιχάριτος a Graeculis imperite fictae. Probae sunt τοῦ ἀχάριτος, οἱ εὐχάριτες, et sic τὰ ἀχάριτα, et λέγειν οὐκ ἀχάριτα pro χαρίεντα.

Venuste compositum locum magistelli elumbem reddiderunt

puerili et putida interpolatione II. I. 20. ἡμεῖς οἰόμεθα εἰ μὲν δέοι βασιλεῖ φίλους εἶναι πλείονος ἂν ἄξιοι εἶναι φίλοι [ἔχοντες τὰ ὅπλα ἢ παραδόντες ἄλλῳ], εἰ δὲ δέοι πολεμεῖν ἄμεινον ἂν πολεμεῖν ἔχοντες τὰ ὅπλα ἢ ἄλλῳ παραδόντες. Qui autem habent assidua Atticorum lectione subactam admoniti fatebuntur vulgatam scripturam Xenophonte indignam esse, qui si utrique protasi apodosin subiicere voluisset, non utique eadem verba levi traiectione mutata iteraturus fuisset.

In II. II. 1. οἱ δὲ παρ' Ἀριαίου ἦλθον Προκλῆς καὶ Χειρίσοφος. Μένων δὲ αὐτοῦ ἔμενε [παρ' Ἀριαίῳ]. Scholion vides ex illo insulsissimo genere, qualia magistelli Byzantini, stolidum genus, in ora librorum aut inter versus adscribere solebant, de qua re ad Thucydidem idoneus dabitur annotandi locus.

Vitiose abundat ὡς in II. II. 4. ἐπειδὰν δὲ σημήνῃ τῷ κέρατι [ὡς] ἀναπαύεσθαι, nec ratio nec usus loquendi sinunt voculam retinere.

In § 15. ἦν δ' αὕτη ἡ στρατηγία οὐδὲν ἄλλο δυναμένη ἢ ἀποδρᾶναι ἢ ἀποφυγεῖν, corrigendum est expuncta praepositione ἢ φυγεῖν. Notum est doctis quam saepe scribae verbi compositi praecedentis praepositionem ἔναυλον ἔχοντες eandem male verbo sequenti adiecerint. Optime inter se componuntur ἀποδιδράσκειν et φεύγειν de iis, qui aut clanculo aut propalam fuga salutem quaerunt. Inspice mihi VII. III. 11. καὶ τὰ μὲν φεύγοντα καὶ ἀποδιδράσκοντα ὑμεῖς ἱκανοὶ ἐσόμεθα διώκειν καὶ μαστεύειν, vides quam bene haec sint composita διώκειν τὰ φεύγοντα καὶ τὰ ἀποδιδράσκοντα ζητεῖν. Scribe ἀποφεύγοντα et inepte dictum erit. Qui fuga aut aperta aut clandestina *elapsi* in tuto sunt dicuntur ἀποπεφευγέναι et ἀποδεδρακέναι, confer eximium locum I. IV. 8. οὔτε ἀποδεδράκασιν — οὔτε ἀποπεφεύγασιν, et II. V. οὐκ οἶδα οὔτ' ἀπὸ ποίου ἂν τάχους οὔτε ὅποι ἄν τις φεύγων ἀποφύγοι οὔτ' εἰς ποῖον ἂν σκότος ἀποδραίη. Saepe alibi φεύγων ἀποφυγεῖν quis dicitur et in bello et in iudicio, qui vitae et capitis periculum feliciter effugit, ut discrimen sit tam perspicuum quam certum et perpetuum. Ponitur autem ἀποδιδράσκειν in utraque re, praesens de *conatu*, perfectum de *successu*, et forma simplex prorsus non est in usu. Grammatici fingunt verbum διδράσκω, Graeci non aliter dicebant quam ἀποδιδράσκω et ἐκδιδράσκω et διαδιδράσκω. In multis aliis anti-

quissimi poëtae soli usurpant formas simplices, caeteri constanter compositis utuntur, quae ratio cernitur in *ἄγνυμι*, *ὄλλυμι*, *φθείρω*, aliis, quum postea *κατάγνυμι*, *ἀπόλλυμι*, *διαφθείρω* dicerent omnes. Quis *ἵημι* dixit umquam praeter vetustissimos poëtas? et permulta sunt huiusmodi. Sed ad Xenophontem redeo. Quam sit absonum verbum *ἀποφυγεῖν* in loco, de quo diximus, etiam sic senties, si memineris *τὸ φεύγειν* viro forti turpe esse, non *τὸ ἀποφεύγειν*. Conf. II. ii. 16. *οὐ μέντοι οὐδὲ ἀπέκλινε, φυλαττόμενος μὴ δοκοίη φεύγειν.* Callicratidas in Hellen. I. vii. 12. *φεύγειν αἰσχρὸν εἶναι ἔφη*, et passim alibi, ubi *ἀποφεύγειν* absurdum esset. Sed prorsus eadem nostri loci ratio est, ubi Xenophon rei indignitatem et foeditatem notans simplici verbo uti debebat.

Evidens mendum sed perfacile ad emendandum deprehenditur II. ii. 15. *καὶ εὐθὺς ἔγνωσαν πάντες ὅτι ἐγγύς που ἐστρατοπεδεύετο βασιλεύς*, emendandum est enim una litterula exemta *ἐστρατοπέδευτο*, *castra habebat*, quod nunc legitur significat *castra ponebat*. Res est perspicua, sed saepius in libris haec inter se confusa videbis. Recte scriptum est II. iv. 1. *ἐγγὺς ἀλλήλων ἐστρατοπεδευμένοι ἡμέρας πλείους ἢ εἴκοσιν*, *vicina castra habentes*. Idem vitium insidet VI. iii. 6. *περὶ τὸν λόφον, ἔνθα οἱ Ἕλληνες ἐστρατοπεδεύοντο, ἐτάττοντο*, ubi item *ἐστρατοπέδευντο* corrigendum, vulgata enim significat: *ubi Graeci castra metabantur*. Saepius notavimus quam proclivis sit in talibus scribarum error, qui passim plusquamperfectis cum insigni sententiae detrimento substituunt imperfecta. Lubet nunc unum huius generis mendum indicare quo semel diligenter perspecto multi Veterum loci poterunt emendari. Solet *ἤγγελτο* in *ἠγγέλλετο* depravari et in simplici verbo et in compositis. In Anabasi III. iv. 3. videbis errorem nascentem, crescentem et perfectum in verbis: *παρήγγελτο δὲ τῶν τε πελταστῶν οὓς ἔδει διώκειν — καὶ τοῖς ἱππεῦσιν εἴρητο θαρροῦσι διώκειν.* Stephani emendationem vides: in omnibus libris est *παρηγγέλλετο* praeter unum sed longe optimum Vaticanum H., in quo est *παρηγγέλετο*. Eadem verae lectionis vestigia supersunt VI. v. 25. *παρηγγέλλετο δὲ τὰ δόρατα ἐπὶ τὸν δεξιὸν ὦμον ἔχειν*, ubi Codd. H. et I. *παρηγγέλετο* exhibent, in quo latet *παρήγγελτο*. Nihil praesidii in libris est Aeschini in Ctesiph. § 65. *παρηγ-*

γέλλετο δ' ἤδη ἐπ' αὐτὸν στρατεία, sed etiam sine libris emerget genuina lectio παρήγγελτο. Idem vitium Thucydidem inficit VIII. 79. ἐπειδὴ καὶ εἰσηγγέλλετο αὐτοῖς ἡ ἐν τῇ Σάμῳ ταραχή, imo vero εἰσήγγελτο, ut locum inspicienti patebit. Memorabile exemplum eiusdem erroris post pauca apud Thucydidem occurrit προσεδέχοντο τὸν Στρομβιχίδην βοηθήσειν· προὐπέπεμπτο γὰρ αὐτῷ ἄγγελος, ubi in libris omnibus est aut προὔπεμπτο aut προὐπέμπετο. Imperfectum προὐπέμπετο non minus huic loco officit atque illi εἰσηγγέλλετο, et prorsus eadem est utriusque erroris origo. Addo locum Diodori Siculi XIX. 9. ἐπηγγέλλετο γὰρ Ἀγαθοκλῆς καὶ χρεῶν ἀποκοπὰς ποιήσασθαι καὶ τοῖς πένησι χώραν δωρήσασθαι, ubi recte Dindorfius ποιήσεσθαι reposuit et δωρήσεσθαι, sed debuerat idem ἐπήγγελτο reponere. Agathocles enim tabulas novas et legem agrariam non *promittebat*, sed in concione *promiserat*. Similia plura alibi nemo diu frustra quaeret.

Novam fallaciam struxerunt interpolatores II. ii. 20. Κλέαρχος δὲ Τολμίδην Ἠλεῖον ἀνειπεῖν ἐκέλευσε σιγὴν κατακηρύξαντα· [ὅτι προαγορεύουσιν οἱ ἄρχοντες] ὃς ἂν τὸν ἀφέντα τὸν ὄνον εἰς τὰ ὅπλα μηνύσῃ ὅτι λήψεται [μισθὸν] τάλαντον ἀργυρίου, quae verba a caeteris distinximus prorsus otiosa sunt et a veritate rei pariter et usu dicendi deflectunt. Ipsum κήρυγμα erat: ὃς ἂν — μηνύσῃ λήψεται τάλαντον ἀργυρίου. In talibus μισθόν non addebant, cuius rei exemplum unum ex Aristophane afferam ut obiter corrigam. Editur in Avibus 1076.

ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Φιλοκράτη τὸν Στρούθιον
λήψεται τάλαντον, ἢν δὲ ζῶντά γ' ἀγάγῃ τέτταρα.

in fine loci τις male desideratur, quod non potest ex praecedentibus repeti, et ἄγῃ requiritur pro ἀγάγῃ. Quid igitur facilius est quam hanc lectionem restituere: ἢν δὲ ζῶντ' ἄγῃ τις τέτταρα. Sed multo etiam minus quam μισθόν addi potuit: Προαγορεύουσιν οἱ ἄρχοντες, quoniam nullum erat τῶν ἀρχόντων collegium et Clearchus solus erat cum imperio, et quia verbum προαγορεύω ab huiusmodi re prorsus abhorret. Ponitur προαγορεύειν aut de eo qui *imperat* aliquid, aut malum aliquod aut poenam minatur, si quis secus fecerit. Xenophon προλέγω et προαγορεύω eo sensu promiscue usurpat cum futuro προερῶ et aoristo προεῖπον, et perfecto προείρηκα, ut in VII.

VII. 3. *προλέγομεν ὑμῖν ἀπιέναι ἐκ τῆς χώρας*, et post pauca § 13. *καλεῖ αὐτοὺς προερῶν ἀπιέναι ἐκ τῆς χώρας*, et I. II. 7. *οἱ δὲ ταῦτα προεῖπον τοῖς ϛρατιώταις.* Saepe legitur *προαγορεύειν τινὶ θάνατον, πόλεμον, δεσμόν*, eodem sensu apud Demosthenem est p. 719, 25. *οἱ νόμοι δεσμὸν προλέγουσιν.* Sic dicitur *προεῖπεν ὅτι ὡς πολεμίοις χρήσεται, ὅτι πάντες ἀποθανοῦνται* et sim. sed nemo umquam illo verbo utitur, ubi cui *praemium* aut *merces* proponitur. Credo irrepsisse emblema ex § 21. *ἔγνωσαν οἱ ϛρατιῶται ὅτι κενὸς ὁ Φόβος εἴη καὶ οἱ ἄρχοντες σῷοι*, recte id illi quidem ex ipso *κηρύγματι* colligebant: *Ὃς ἂν — μηνύσῃ, λήψεται τάλαντον ἀργυρίου.*

In II. III. 16. verissima lectio *ἐξῃυαίνετο* a Porsono commendata nescio quomodo repudiata est in verbis: *ὁ δὲ Φοίνιξ ὅθεν ἐξαιρεθείη ὁ ἐγκέφαλος ὅλος ἐξῃυαίνετο.* Recte Porsonus: »*Tardus sit oportet qui quantam vim addat praepositio non sentiat.*" In libris est *ἐξηραίνετο*, de quo et ipse, sicuti Porsonus, dubito »*glossane sit an verae lectionis depravatio.*" Potest esse glossa, quemadmodum ubi affertur Heracliteum: *Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη* scribae dant: *αὔη ξηρὴ ψυχή.* Sed potest esse librarii hallucinatio, quia Υ et Ρ tam crebro confunduntur.

Male Suidam secuti homines docti vitium invexerunt in II. III. 18. *ἐπεὶ ὑμᾶς εἶδον εἰς πολλὰ [κακὰ] καὶ ἀμήχανα ἐμπεπτωκότας*, ubi *κακά* resecueris locus sanissimus erit.

Ludimagistro et discipulis digna annotatiuncula ex ora libri insinuavit sese in II. III. 19. *συνέμιξα βασιλεῖ ἐν τῷ ὑμετέρῳ ϛρατοπέδῳ [ἔνθα βασιλεὺς ἀφίκετο ἐπεὶ Κῦρον ἀπέκτεινεν]*, quae nemo facile desiderasset eorum, qui tum Tissaphernem audiebant, aut nunc desiderabit quisquam qui legerit libri I. cap. X.

Intercidit nescio quomodo vocabulum ad sensum prorsus necessarium II. IV. 5. *ἐγὼ ἐνθυμοῦμαι μὲν καὶ ταῦτα πάντα*, corrige *καὶ (αὐτὸς) ταῦτα πάντα*, quemadmodum omnes in tali re et Graece et Latine solent dicere.

Immemor patrii sermonis Xenophon fuit quum scriberet II. IV. 25. *καὶ ἐπιϛήσας τὸ ἑαυτοῦ ϛράτευμα παρερχομένους τοὺς Ἕλληνας ἐθεώρει.* Nemo enim Atticorum dicebat *παρερχόμενος* sed *παριών* omnes, neque *ἔρχεσθαι* aut *ἠρχόμην, ἔρχου, ἐρχοίμην* aut *ἔρχωμαι*, et nihil praeter ipsum *ἔρχομαι* cum

compositis iis erat in usu. Nota in vulgus res est et annotavimus et ipsi in priore parte. Quam sit ea certa lex facile est unicuique ad cognoscendum et explorandum in verbo uno omnium frequentissimo. Quod debuerat Xenophon dicere παριόντας, videbis ab eo alibi semper recte poni solere, veluti III. ii. 35 et IV. ii. 15. et alibi. Insignis in hanc rem locus est IV. vii. 12. παρέρχεται πάντας. ὁ δὲ Καλλίμαχος ὡς ἑώρα αὐτὸν παριόντα. Quandoquidem Xenophontem semel in ea re lapsum esse constat diligenter videndum quid statuendum sit de duobus aliis locis IV. 6. 22. ubi quatuor optimi libri H. Eton. D. F. exhibent οἱ μὲν ταχθέντες ἀπήρχοντο pro ᾤχοντο, et I. viii. 17. ubi in Eton. et D. F. scriptum est καὶ προήρχοντο ἀντίοι ἰέναι, in optimo Vaticano H. καὶ προῆρχον ἀντίοι ἰέναι, sed nemo diu ambiget quin ista mendosa sint, quum ne Iones quidem umquam ἠρχόμην pro ᾔα dixisse satis constet. Sequiores demum Graeculi fallacem analogiam certo veterum usui substituentes ἠρχόμην pro ᾖα scribunt vitiosissime. In locum Thucydidis IV. 120. mirifica ratione tam foedum vitium irrepsit. In libris est: περὶ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας αἷς ἐπήρχοντο, et Scholion ad ἐπήρχοντο in Codicum ora apponitur: εἰς ἀλλήλους ἑκάτεροι. Scilicet dimidia pars insulsae annotatiunculae verbis Thucydidis male adhaesit reliquis in marginem ablegatis. Thucydides haec sola scripserat περὶ δὲ τὰς ἡμέρας ταύτας, adscripsit nugator aliquis Constantinopoli (quorum homuncionum quisquilias turpe est ad hunc usque diem Thucydidi agglutinari, quum contemtu et oblivione istas ineptias deleri fuisset satius) αἷς ἐπήρχοντο εἰς ἀλλήλους ἑκάτεροι, deinde casu factum est quod dicebam, αἷς ἐπήρχοντο in Thucydidis orationem irrepsit, et εἰς ἀλλήλους ἑκάτεροι pro integro Scholio habuerunt. Sic illa nunc, ὦ Μοῦσαι φίλαι, pro Thucydideis leguntur.

In II. iv. 28. οἱ βάρβαροι διῆγον ἐπὶ σχεδίαις διφθερίναις ἄρτους, τυροὺς, οἶνον. Equidem crediderim barbaros id fecisse ἐν σχεδίαις, quae erant δερμάτιναι ἐξ ἀσκῶν, ut ex Arriani (qui dicitur) Periplo Schneiderus docuit. Res satis manifesta est praesertim de vino. Praeterea loquendi usus hanc emendationem confirmabit: ἐπὶ σχεδιῶν dicitur ut ἐπὶ πλοίων, ἐφ' ἵππου, ἐπὶ τοῦ καταστρώματος, alia permulta, in quibus nullus

est dativo locus. Eliminanda est II. v. 2. molesta vocula in verbis ἔδοξεν οὖν τῷ Κλεάρχῳ συγγενέσθαι τῷ Τισσαφέρνει [καὶ] εἴπως δύναιτο παῦσαι τὰς ὑποψίας, copula expuncta oratio et colorem Atticum et sanitatem habebit. Quid autem tritius quam εἴπως, ἐάνπως, ἤνπως in talibus? Saepe mihi inter legendum subnata suspicio est eandem loquendi formam in § 4. a Xenophonte usurpatam esse: ἔδοξέ μοι εἰς λόγους σοι ἐλθεῖν εἴπως δυναίμεθα ἐξελεῖν ἀλλήλων τὴν ἀπιςίαν, deinde confusis ut passim εἴπως et ὅπως hanc lectionem esse natam: ὅπως εἰ δυναίμεθα ἐξέλοιμεν.

Nescio inutiliorne an ineptior sit annotatiuncula II. v. 9. ἄνευ δὲ σοῦ πᾶσα μὲν διὰ σκότους ἡ ὁδός [οὐδὲν γὰρ αὐτῆς ἐπιςάμεθα], πᾶς δὲ ποταμὸς δύσπορος. Cui tandem ista interpretatione opus esse potuit, quae concitatae orationis impetum frangit? neque satis bene Graece dicitur οὐδὲν τῆς ὁδοῦ ἐπίςασθαι. Vitiosum est in § 10. κατακτείναιμεν et κατακτείναντες: dicebant in oratione pedestri ἀποκτείνω, ἀπέκτεινα et ἀπέκτονα, quibus respondent pro passivis ἀποθνήσκω, ἀπέθανον et sine praepositione τέθνηκα. Poëtae τὰ κατημαξευμένα vitantes utuntur forma κατακτείνω et κατέκτανον. Praeterea Xenophon perlubenter utitur verbo κατακαίνω et aoristo κατέκανον, ut supra diximus. Eiusdem verbi perfectum κατακέκονα in priore parte reponendum esse ostendimus in Anabasi VII. vi. 36. ἢν δὲ ποιήσητε ἃ λέγετε (id est: ἤν δέ με κατακάνητε) ἴςε ὅτι ἄνδρα κατακεκονότες ἔσεσθε, ubi in optimis libris est κατακεκανότες, quae non est Graeca forma. Eadem est necessitudo inter κατέκανον et κατακέκονα atque inter ἀπέκτανον et ἀπέκτονα. Si quis autem cum hoc Xenophontis loco composuerit alium, qui legitur VI. vi. 24. et vitium in eo inesse optime perspiciet et quid sit necessarium ac verum eadem opera videbit. Editur νόμιζε δὲ, ἐὰν ἐμὲ νῦν ἀποκτείνῃς, δι' ἄνδρα δειλόν τε καὶ πονηρὸν ἄνδρα ἀγαθὸν ἀποκτείνων. Non est Graecum νόμιζε ἀποκτείνων, quod male componitur cum ἴσθι μέντοι ἀνόητος ὤν et sim. Requirit verbum νομίζω infinitivum, requirit loci sententia perfecti futurum. Si in Codd. lacuna esset certa coniectura expleri potuisset: itaque spretis librorum scripturis nihil aliud scribi potuisse patet quam: νόμιζε — ἄνδρα ἀγαθὸν ἀπεκτονὼς ἔσεσθαι. In loco, de quo dicere coepimus,

idem compositum restituendum esse censeo *ἀποκτείναιμεν* et *ἀποκτείναντες*. In § 12. *ἀλλὰ μὴν ἐρῶ γὰρ καὶ ταῦτα* corrigendum esse *ἐρῶ γε καὶ ταῦτα* olim Leonclavius perspexit sed nemo optime monenti paruit. In II. v. 13. *Αἰγυπτίους δὲ — οὐχ ὁρῶ ποίᾳ δυνάμει συμμάχῳ χρησάμενοι μᾶλλον ἂν κολάσεσθε*, soloecum esse *ἂν κολάσεσθε* certum est. Pauci, credo, supersunt, quibus *ἂν* cum futuris recte coniungi posse videatur, *ἄνυσις δ' οὐκ ἔσσεται αὐτῶν*, qui sola librorum auctoritate freti cum naturae veritate pugnant. Equidem *ἂν* expunxerim: forma *κολάσεσθε* antiqua est admodum et sequioribus inusitata, qui omnes *κολάσω* dicebant pro Attico *κολάσομαι* et *κολῶμαι* (ut *ἀναβιβῶμαι*, *ἐξετῶ*, *κατασκιῶ*, alia). Κολᾷ et *κολωμένους* apud Aristophanem exstant Equitt. 456. *χὤπως κολᾷ τὸν ἄνδρα*, ubi vetus forma intacta evasit, et in Vesp. 244. *ὡς κολωμένους ὧν ἠδίκησεν*, ubi *καλουμένους* in Ravennate est, *χολούμενος* in Veneto, sed superscripto *κολῶ*. Apud Hesychium *ἐκ τῆς Κωμικῆς λέξεως* superest: Κολωμένους: *κολώσαντας* (*κολάσοντας*). Κολάσομαι aetatem tulit apud Theopompum Comicum in Bekk. Anecd. 461, 19.

κολάσομαί σ' ἐγὼ | καὶ τὸν σὸν Ἄττιν.

Quod apud Hesychium est Κολῶ: *κολάσω*, nusquam mihi lectum, sed periculosum est Hesychio credere. Imposuit Dindorfio quum scriberet: Κολάζειν: *περαίνειν*, *ὀγκᾶσθαι*. Bona fide credidit *castigandi* verbum posse nonnumquam *περαίνειν* significare et ex Alciphrone I. 38. *κολάσματα* »*simili sensu dicta*" comparavit.

Equidem incipiam credere *κολάζειν* ita posse usurpari postquam unus et alter locus repertus erit, ubi *κολάζειν* (quod Hesychius primus et solus docuit) significet *ὀγκᾶσθαι*. Haeccine in Graecis Litteris patienter ferri et concoqui posse! Equidem istam rationem iis relinquendam esse censeo, qui tabulas Eugubinas et alia similia interpretantur, ubi quum nemo unam linguae syllabam intelligat, perfacile est interpretandi negotium, si quis quae mecum ignorat solus vult scire videri. Quid? si quis *castigare* in Romanorum libris nonnumquam significare diceret *paedicari*, nonnumquam *rudere*, delirare hominem aut insanire putaremus, sed non minus absurdum est *κολάζειν* sic interpretari. Facile apparet *περαίνειν* interpre-

tamentum esse verbi spurcissimi *κολεάζειν* q. d. *εἰς κολεὸν ὠθεῖν*, sicuti Sotades Ptolemaeo Philadelpho occinit sororem Arsinoen in matrimonio habenti:

εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς,

apud Athen. p. 621 A. Hinc parata est Hesychio medicina ubi nunc editur:

Κολεάζοντες: ὠθοῦντες.

Κολύοντες: περαίνοντες.

Κολεάμος: ματαιόφρων.

Κολεασμός: τὸ περαίνεσθαι. πεποίηται δὲ ἀπὸ τοῦ κόλου, καὶ ἀπὸ τοῦ καθιέναι εἰς τὸ κόλον. τοῦτο δὲ κολεάζειν ἔλεγον.

Haec omnia *ἐκ τῆς Κωμικῆς λέξεως* sumta sunt et sic emendanda: *Κολεάζοντες: ὠθοῦντες εἰς κολεόν, περαίνοντες.* Tum *Κοάλεμος: ματαιόφρων* genuinum est, sed qui haec collegit et *κατὰ στοιχεῖον* disposuit grammaticus et ipse *κοάλεμος*, si quis alius, vitiose scriptam glossam in ordinem recepit. Praeterea scribendum esse patet *ἀπὸ τοῦ κολεοῦ* et *καθιέναι εἰς τὸν κολεόν.* Apud Alciphronem emendandum est: *διανυκτερεύσει τοῖς ἡδίστοις ἐκείνοις ἀκολαστάσμασι* pro *κολάσμασι.* Nulla tibi de ea re superesse poterit dubitatio, ubi perpenderis perdocti Grammatici annotationem in Bekk. Anecd. p. 367, 18. emendatam a Dobraeo ad Aristoph. Lysistr. vs. 399. *Ἀκόλαστος ὄχλος Εὐριπίδης ἔφη, ἀκόλαστον δὲ σῶμα Σοφοκλῆς. ἀκολαστάσματα δὲ λέγουσι κατακόρως οἱ Ἐπικούρειοι. πλὴν καὶ Ἀναξανδρίδης κέχρηται τῇ λέξει καὶ Ἀριστοφάνης.* Notissimus est Euripidis locus in Hecuba vs. 607.

ἀκόλαστος ὄχλος ναυτική τ' ἀταξία.

Sophoclem *ἀκόλαστον στόμα* (non *σῶμα*) dixisse suspicor, quemadmodum Euripides in Oreste dixit:

ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον,

et in Bacchis:

ἀκολάστων στομάτων — τὸ τέλος δυστυχία.

Apud Aristophanem vetus scriptura ΑΚΟΛΑΣΤΑΣΜΑΤΑ inter scribarum manus abiit in *ἀκόλαστ' ᾄσματα* in Lysistrata vs. 399.

τοιαῦτ' ἀπ' αὐτῶν ἐστὶν ἀκόλαστ' ᾄσματα,

cui tandem Dobraeus *ἀκολαστάσματα* reddidit, eadem opera

apud Grammaticum Bekkeri nihili vocabulum *ἀκολαςάματα* in *ἀκολαςάσματα* emendans, rectissime omnia, ut vides. Grati ab eodem magistro docemur *ὅτι οἱ Ἐπικούρειοι κατακόρως ἔλεγον ἀκολαςάσματα*, quod in illis nemo mirabitur. Hinc igitur Alciphron sua mutuatus est. Videmus autem *ἀκολάςασμα*, quum olim multorum usu tritum vocabulum fuisset, nunc nusquam integrum in libris exstare, quo magis mihi sunt de mendo suspecti loci, ubi nunc *ἀκολαςήματα* legitur et *ἀκολαςητέον*. Nemo enim Graecorum *ἀκολαςεῖν* dixit umquam, sed ex *ἀκόλαςος* formarunt *ἀκολαςαίνω*, quemadmodum ex *μωρός*, *ἄγριος*, *χαλεπός*, *δύσκολος*, *δυσχερής*, *δυσμενής* derivarunt *μωραίνω*, *ἀγριαίνω*, *χαλεπαίνω*, *δυσκολαίνω*, *δυσχεραίνω* et *δυσμεναίνω*, quae omnia, ut vides, habent reprehensionem et a vitiis ducta sunt. Antiquius est *ἀφραίνω* apud Homerum, sequiorum verbum est *ἀνοηταίνω*, veteribus inauditum. *Ἀκολαςαίνειν* apud Aristophanem iam occurrit in iocoso Avium loco vs. 1225.

δεινότατα γάρ τοι πεισόμεσθ', ἐμοὶ δοκεῖ,
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρχομεν, ὑμεῖς δ' οἱ θεοί
ἀκολαςανεῖτε, κοὐδέπω γνώσεσθ' ὅτι
ἀκροατέον ὑμῖν ἐν μέρει τῶν κρειττόνων.

adscripsi locum integrum, ut obiter duo vitia ex eo eximerem. Requiritur enim futurum *ἄρξομεν* et *ἀκροατέ' ὑμῖν*. Memorabilis forma visa est Grammatico Bekk. Anecd. p. 368, 26. *Ἀκολαςανεῖτε Ἀριςοφάνης εἶπεν ὁμοίως τῷ σημανεῖτε*, quasi vero ea res quidquam haberet admirationis, sed solent Graeculi permulta cum magna gravitate annotare, quae levissima et puerilia sunt. Idem docet Platonem quoque *ἀκολαςαίνειν* dixisse. Docet idem Antatticista p. 80, 31. Et saepius quidem apud Platonem recurrit aliosque, sed *ἀκολαςεῖν* nullum testem habet et forma est nihili, quamobrem in Plutarchi Crasso cap. XXXII. reposuerim *τῶν Μιλησιακῶν ἀκολαςασμάτων* pro *ἀκολαςημάτων*, caeterisque locis, quos Stephani Editores indicaverunt, et apud Clementem Alexandr. in Paedag. II. p. 194 D. correxerim: *οὐ μὴν οὐδ' ὡς ἐν σκότῳ νύκτωρ ἀκολαςαςέον* pro librorum scriptura *ἀκολαςητέον* vel *ἀκολαςευτέον*. Sed ad Anabasin revertendum.

In Anabasi II. v. 14. *εἰ δέ τίς σε λυποίη ὡς δεσπότης ἀνα-*

ϛρέφοιο, tam necessarium est *ἂν ἀναϛρέφοιο* quam perspicuum quomodo *ἄν* exciderit. Qui opinantur ex antecedentibus *εἰ μὲν βούλοιό τῳ φίλος εἶναι, ὡς μέγιϛος ἂν εἴης* cogitando *ἄν* repeti posse, locos diversi generis per *τε — καί, καὶ — καί*, vel *οὔτε — οὔτε* compositos permiscent cum illis, ubi duplex protasis per *μέν* et *δέ* opposita in utraque apodosi additum *ἄν* requirit.

Non est Attici nitoris in § 15. *τίς ἐϛιν οὕτω δεινὸς* [*λέγειν*], *ὥϛε σε πεῖσαι λέγων*, tam invenuste *λέγειν* et *λέγων* consociare. Additum *λέγων* facit ut *λέγειν* sit otiosum et inelegans, potuitque facillime a sciolo adscribi, qui *δεινός* solum non putaverit esse satis.

Ut modo *ἄν* necessarium revocavimus sic male abundans expellendum est II. v. 18. *ἀλλὰ χωρίων ἐπιτηδείων ὑμῖν ἐπιτίθεσθαι ἀπορεῖν* [*ἂν*] *σοι δοκοῦμεν*; Nullus est hic particulae locus. Non sumit hoc Tissaphernes aut cogitando fingit *οὐκ ἂν ἀποροίημεν*, sed id quod res est dicit, *οὔ φησιν ἀπορεῖν*, et eius rei copiam et facultatem non *esse posse* commemorat sibi aut *fore*, sed *esse* affirmat.

In § 27. mihi quoque vehementer placet Schaeferi coniectura *δῆλος ἦν πάνυ φιλικῶς οἰόμενος διακεῖσθαι αὐτῷ Τισσαφέρνην* pro *διακεῖσθαι τῷ Τισσαφέρνει*, quae lectio risum movet, namque *φιλικῶς διάκειται* non qui *diligitur*, sed qui alterum *diligit*, quemadmodum *ἐχθρῶς* et *ἀλλοτρίως διακεῖσθαι*, non *odio esse* sed *odisse* significat. Sic *οἰκείως διακεῖσθαι* ponitur pro *φιλεῖν*, non pro *φιλεῖσθαι*, sed *οἰκείως ἔχειν* quemadmodum *φίλον εἶναι* promiscue dicitur *ἐπί τε τοῦ φιλοῦντος καὶ τοῦ φιλουμένου*. Passive apud Demosthenem Orat. X. 52. *Olim*, inquit, *Persarum regem Graeci omnes oderant: νῦν δὲ — ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν οἰκείως ἔχει*. Hinc Theophrasti locus restitui poterit in Charactt. XXIV, ubi in optimo Palatino Codice est: *δεινὸς λέγειν ὡς μ ε τ α ε ὐ ά ν δ ρ ο υ* (sic) *ἐϛρατεύσατο κ α ὶ ὡ ς αὐτῷ εἶχεν*, sed scripsisse Theophrastum suspicor: *ὡς μ ε τ' Ἀ λ ε ξ ά ν δ ρ ο υ ἐϛρατεύσατο καὶ ο ἰ κ ε ί ω ς αὐτῷ εἶχεν*.

In Anab. II. v. 33. pro *ἠμφιγνόουν* rescribendum est *ἠμφεγνόουν*, sic enim, sicuti et *ἠμφεσβήτουν*, constanter Athenienses solebant dicere, sed scribae in illis refingendis conspirant, quemadmodum et in *ἠντεδίκουν*, quod in *ἠντιδίκουν* de more

depravant. Eadem est peccandi frequentia in παρηνόμουν pro παρενόμουν, et ἀπήλαυσα pro ἀπέλαυσα et quibusdam aliis.

Quod Ariaeus ad minuendam rei invidiam et atrocitatem rei verbis elevandam εὐφήμως dixerat, scioli addito frigido interpretamento commacularunt II. v. 38. Κλέαρχος μὲν — ἐπεὶ ἐπιορκῶν τε ἐφάνη καὶ τὰς σπονδὰς λύων ἔχει τὴν δίκην [καὶ τέθνηκεν]. Servata est illa ipsa εὐφημία in verbis Xenophontis (quamquam nihil causae ei erat cur verborum lenitate uteretur, quae Ariaeo et barbaris erat gravissima) in § 41. Κλέαρχος μὲν τοίνυν εἰ παρὰ τοὺς ὅρκους ἔλυε τὰς σπονδὰς τὴν δίκην ἔχει, ipsa verba Ariaei, ut vides, reponit omisso emblemate. Praeterea ne verum quidem erat καὶ τέθνηκεν. Clearchus erat in vincula coniectus, ut ad regem mitteretur. Quid autem necatum iam esse attinebat mentiri? In § 39. nisi ὡς deleveris in verbis τούς τε ἄνδρας αὐτοὺς οἷς ὤμνυτε [ὡς] ἀπολωλέκατε locus ex aperto et facili erit inextricabilis.

Levia menda sunt in II. vi. 18 et 19. μετὰ ἀδικίας et καλῶν καὶ ἀγαθῶν, pro μετ' ἀδικίας et κἀγαθῶν, sed menda esse satis constat et aurem offendunt. Scribae vel in Isocrate, qui cane peius et angue τὴν τῶν φωνηέντων σύγκρουσιν vitabat, et in versibus omnium poëtarum eosdem passim errores fundunt, et tamen sunt qui illis aliquid putent esse tribuendum.

In § 21. corrige τοῖς μέγιστον δυναμένοις pro μέγιστα, habent libri meliores scripturam deteriorem, μέγιστον recte legitur in caeteris. In § 22. ἐνόμιζε ab optimis libris omissum spurium est, legendumque τὸ δὲ ἁπλοῦν καὶ [τὸ] ἀληθὲς τὸ αὐτὸ τῷ ἠλιθίῳ εἶναι, alterum τό insiticium est. Unum et idem esse dicitur ἁπλοῦν καὶ ἀληθές, repetitus articulus duas rei diversas esse denotat. Cf. III. i. 17.

Invitis libris omnibus in § 27. scribendum: ὁπότε τις αὐτοῦ ἀφίσταιτο pro ἀφίστατο, quod soloecum esse patet. In § 28. a Schaefero accipiendum παρ' Ἀριστίππου — διεπράξατο pro Ἀριστίππῳ, deinde expunge ἔτι ὡραῖος ὤν insulse repetita in verbis Ἀριαίῳ δὲ βαρβάρῳ ὄντι ὅτι μειρακίοις καλοῖς ἥδετο οἰκειότατος [ἔτι ὡραῖος ὤν] ἐγένετο. In § 29. dele στρατηγῶν, quod a mala manu insertum esse vel ipsa sedes indicat μετὰ δὲ τὸν τῶν ἄλλων θάνατον [στρατηγῶν].

In libro III. i. 2. εὔδηλον ἦν ὅτι νικῶντες μὲν οὐδένα ἂν κα-

τυγχάνοιεν, ἡττηθέντων δὲ [αὐτῶν] οὐδεὶς ἂν λειφθείη, nemo Veterum in huiusmodi oppositione pronomen addit, sed magistelli raro continent sese quo minus adscribant de suo. Saepius talia in Xenophonte notavimus.

Ibid. § 9. εἶπε δὲ ὅτι, ἐπειδὰν τάχιστα ἡ στρατεία λήξῃ, εὐθὺς ἀποπέμψειν αὐτόν, abutuntur viri docti multis multorum locis ad demonstrandum: εἶπεν ὅτι ἀποπέμψειν nihil offensionis habere. Acervos annotationum cumulant ubi »*plenissime de ὅτι infinitivum regente actum esse*" affirmant. Si res auctoritatibus testimoniisque conficienda esset iniquum mihi certamen foret, namque nemo mihi auxilio est, et cum omnibus etiam cum Valckenaeriis Heindorfiisque, quibus ego plurimum tribuo, video mihi esse pugnandum. Sed si sana ratione et iudicio contendendum est secernendi primum erunt loci scriptorum minimi pretii et solis classicis permittendum testimonia dicere. Quod ubi feceris et singulos locos probatissimi cuiusque scriptoris diligenter excusseris bonam partem vitiis mendisque infectam esse comperies, caeterosque aut per multas ambages longius extractos intricatosque, aut artificiose et laboriose compositos, in quo genere τὰ ἀνακόλουθα pullulant et amphora coepit institui currente rota exiit urceus, id est alia forma instituta oratio alia post longiorem verborum ambitum absoluta est. Sed in his quidem nihil est quod quisquam miretur. Hoc est mirabile et portenti instar, si quis serio credet recte dictum esse: εἶπεν ὅτι, ἐπειδὰν τάχιστα ἡ στρατεία λήξῃ, εὐθὺς ἀποπέμψειν αὐτόν, id est in tam simplici brevique sententia, ubi nullus sit ἀνακολουθία locus, istam rationem ferri posse. Qui locos a viris doctis indicatos singulos examinabit deprehendet vitium ubicumque non est aliquod ἀνακόλουθον. Valckenaerius affert duos locos ex Hellenicis II. ɪɪ. 2. et V. ɪv. 35. In hoc legitur ὁ δὲ εἰπὼν ὅτι οὐδὲν ἄν, ὃ τῇ πόλει δοκοίη, ἀντειπεῖν παρεσκευάζετο εἰς τὴν ἔξοδον, compendium non intellectum peperit absurdam scripturam. Ἀντιλέγειν πρός τι dicitur de eo, *qui non est dicto audiens*, et πρὸς οὐδὲν ἀντιλέγειν, si quis *per omnia obsequitur* et *obtemperat*, sed οὐδὲν ἀντειπεῖν dicitur is, qui ad ea quae audivit quacumque de causa *tacuit*. Itaque redde Xenophonti: ὁ δὲ εἰπὼν πρὸς οὐδὲν ἄν, ὃ τῇ πόλει δοκοίη, ἀντειπεῖν.

Alter Xenophontis locus, ubi ὅτι cum infinitivo coniunctus occurrit, in Hellenicis legitur II. ii. 2. εἰδὼς ὅτι ὅσῳ ἂν πλείους συλλεγῶσιν εἰς τὸ ἄςυ καὶ τὸν Πειραιᾶ θᾶττον τῶν ἐπιτηδείων ἔνδειαν ἔσεσθαι, sed manifestum in his vitium deprehenditur. Nempe ne ἀνακολουθία quidem haec est, quoniam εἰδὼς ὅτι ἔνδεια ἔσοιτο Graece dicitur, sed εἰδὼς ἔνδειαν ἔσεσθαι non item, sed turpis est soloecismus pro εἰδὼς ἔνδειαν ἐσομένην. Sequiores saepe istiusmodi soloecismum committunt, Veteres talia non peccant, neque in frequentissimo usu verbi εἰδέναι cum participio coniuncti poterat iis huiusmodi quid imprudentibus excidere. Quis eorum, qui aliquot scriptores Atticos non indiligenter lectitarunt, impelli umquam poterit ut credat in noto Anabaseos loco: ἀλλὰ φιλοσόφῳ μὲν ἔοικας, ὦ νεανίσκε, ἴσθι μέντοι ἀνόητος ὤν, sine foedissimo soloecismo ἀνόητος εἶναι dici potuisse? Itaque in Xenophontis loco verba εἰδὼς ὅτι — ἔσεσθαι mendosa esse constat: quid sit genuinum non exputo, sed et alia quaedam insunt suspiciosa, ut omissum τοσούτῳ ad θᾶττον, quamobrem vehementer corruptum esse locum et interpolatum ex reliquiis antiquae lectionis suspicor, in quibus reconcinnandis Critici operam perdimus. Satis erit si nemo vitiosa scriptura ad falsam opinionem stabiliendam abutetur. In Cyropaedia I. vi. 18. λέγεις σύ, ἔφη, ὦ πάτερ, ὅτι ὥσπερ οὐδὲ γεωργοῦ ἀργοῦ οὐδὲν ὄφελος οὕτως οὐδὲ ςρατηγοῦ ἀργοῦ [οὐδὲν ὄφελος εἶναι], scioli frequentem et elegantem ellipsin sic expleverunt ut soloecismum inveherent. Non minus mendosus est locus in Alcibiade I. p. 105 E. ubi nunc quidem satis constat verba: [ἐνδείξασθαι ὅτι αὐτῇ παντὸς ἄξιος εἶ, ἐνδειξάμενος δὲ [ὅτι] οὐδὲν ὅ τι οὐ παραυτίκα δυνήσεσθαι], mala manu addita esse et in ipsa interpolatione ὅτι vitio natum esse meliores testes demonstrant. Mendosus est locus Platonis in Legibus X. p. 892 D. εἶπον ὅτι πρῶτον ἐμὲ χρῆναι πειραθῆναι, qui non uno modo corrigi potest, sed sic a Platone scriptus esse non potest. Suspicor ὅτι — χρείη verum esse et in forma χρείη, ut solent, Graeculos turbas dedisse. Mendosus est locus in Cyrop. V. iv. 1. ἐνόμισεν [ὅτι] εἴ τι οὗτος πάθοι αὐτὸς ἂν λαβεῖν πάντα, sed ὅτι ex dittographia natum inducendum est. Nihilo sanius est in eadem §. κελεύει λέγειν τῷ Ἀσσυρίῳ ὅτι εἰ βούλοιτο ἐνεδρεῦσαι λαβεῖν ἂν τὸν Γαδάταν, neque

enim certam librorum auctoritatem habet lectio *λαβεῖν ἄν*, neque recte procedit oratio etiam si *ὅτι* removeris. Non est enim Graecum *λέγω σοι λαβεῖν ἄν, εἰ βούλοιο ἐνεδρεῦσαι* pro *ὅτι λάβοις ἂν εἰ ἐνεδρεῦσαι βούλοιο*, quod unusquisque statim sentiet. Non plus praesidii est in Platonis Charmide p. 164 D. *καὶ οὐκ ἂν αἰσχυνθείην ὅτι μὴ οὐχὶ ὀρθῶς φάναι εἰρηκέναι μᾶλλον ἢ κτἑ.* nam et loci sententia clamat pro *ὅτι* reponendum esse *ὁτιοῦν* et certum est *αἰσχυνθείην ἂν ὅτι ἔφασκον* dici non posse pro *αἰσχυνθείην ἂν φάναι.*

Haec erant igitur fundamenta, quibus Valckenaerii et Heindorfii opinio nitebatur, quibus eversis corruet. Magna est locorum copia apud sequiores Graeculos, ubi ea scribendi negligentia certissimam habet fidem: vide modo quae ad Diodorum Siculum I. p. 272. Stephanus et Wesselingius congesserunt: sed in Diodorum caeterosque istiusmodi scriptores omnes Comici verbis utemur:

ἐξῆν ὅ τι βούλοιντ', ὦ κράτισϛ', αὐτοῖς λέγειν,
ἀλλὰ τί πρὸς ἡμᾶς τοῦτο, πρὸς τῆς Ἑϛίας;

Istorum enim oratio tot vitiis erroribusque inquinata est, ut nihil sit magis temerarium quam Veteris linguae puritatem et sinceritatem, sicubi labem passa sit, aequo animo corruptam ferre et errores scribarum scriptoribus ipsis imputare, quoniam Diodorum Siculum aliosque id genus in talibus impingere solere constat. Melius sequiorum *τὴν παρεφθορυῖαν λέξιν* notabimus ad demonstrandum, qui factum sit ut monumenta capitalium ingeniorum tot maculis conspergerentur, quam colorem quemdam ex istorum comparatione librariorum hallucinationibus quaeremus. Itaque Xenophonti reddemus: *εἶπε δὲ ὅτι, ἐπειδὰν τάχιϛα ἡ ϛρατεία λήξῃ, ἀποπέμψει αὐτόν.*

Ex his satis apparet quid sentiam de Dindorfii coniectura in Anab. VII. v. 8. reponentis: *καὶ τέως μὲν ἀεὶ ἐμέμνητο ὡς, ἐπειδὰν ἐπὶ θάλατταν ἀπέλθῃ, παραδώσειν αὐτῷ Βισάνθην·* nempe *μέμνημαι παραδώσειν* eodem morbo laborat atque *εἰδὼς ἔσεσθαι*, et omnino Graecum non est: quemadmodum enim *εἰδώς*, sic *μέμνημαι* quoque infinitivum non admittit, nisi quum *memini* significat, veluti III. ɪɪ. 39. *ὅϛις ὑμῶν τοὺς οἰκείους ἐπιθυμεῖ ἰδεῖν μεμνήσθω ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι.*

In libro III. ɪ. 11. *ἔδοξεν αὐτῷ βροντῆς γενομένης σκηπτὸς*

πεσεῖν εἰς τὴν πατρῴαν οἰκίαν καὶ ἐκ τούτου λάμπεσθαι πᾶσαν, certa emendatione repone πᾶσα. Ne ulla dubitatio superesse possit compara IV. III. 8. ἔδοξεν ἐν πέδαις δεδέσθαι, αὗται δὲ αὐτῷ αὐτόμαται περιρρυῆναι, et Thucydid. II. 11. εἴ τῳ καὶ δοκοῦμεν πλήθει ἐπιέναι καὶ ἀσφάλεια πολλὴ εἶναι, ubi libri aliquot et Vossianus, qui mihi haec scribenti ante oculos est, exhibent ἀσφαλείᾳ πολλῇ (Voss. de more ἀσφαλεία πολλῆ), perperam, ut apparet. Eadem opera intelliges in § 12. ἀπὸ Διὸς μὲν βασιλέως τὸ ὄναρ ἐδόκει αὐτῷ εἶναι, κύκλῳ δὲ [ἐδόκει] λάμπεσθαι τὸ πῦρ, scioli te additamentum tenere.

Video nunc L. Dindorfium, cuius editionis secundae nuper mihi copia facta est, in eandem suspicionem incidisse, et πᾶσα recepisse in textum. Miror tamen quod adscribit: »*Quamquam ne πᾶσαν quidem falsum.*" quum facile appareat soloecismum esse.

In III. I. 15. plane assentior Schneidero ὑβριζομένους expellenti, cuius rationes vide. In § 20. ὅτου δ' ὠνησόμεθα ᾔδειν ἔτι ὀλίγους ἔχοντας, ἄλλως δέ πως πορίζεσθαι τἀπιτήδεια [ἢ ὠνουμένους] ὅρκους ἤδη κατέχοντας ἡμᾶς. In optimo Cod. Vaticano H. ἢ ὠνούμενοι scriptum est. Magistelli verba sunt, quae puerulis relinquenda. Eodem modo § 26, ubi Codd. variant in ἀρχηγοί et λοχαγοί, utrumque spurium est, scribendumque οἱ δὲ ἀκούσαντες ταῦτα. In § 27 verissima lectio nequidquam servata est in egregio Codice H. σὺ δέ γε οὐδὲ ὁρῶν γιγνώσκεις κτέ. Notissimum est δέ γε usurpari solere quum duae res ita inter se componuntur, ut altera plus habeat ponderis, quapropter in iurgiis frequentissimum est, ubi δέ γε responsantis est et maledicto maledictum, convicio convicium gravius reponentis, cuius rei sexcenta passim exempla occurrunt. Apud Ephippum Athenaei p. 359 A. in libris est ὡς μικρολόγος εἶ. σὺ λέγε λίαν πολυτελής. Optime Casaubonus:

A. ὡς μικρολόγος εἶ. B. σὺ δέ γε λίαν πολυτελής.

Plenus est exemplorum Aristophanes, quibus non utor, sed dabo emendatos eius versiculos duos, ubi illud dicendi genus scribarum oscitantia obscuratum est. Lege in Acharn. 79.

ἡμεῖς δὲ λαικαστάς γε καὶ καταπύγονας.

pro λαικαστάς τε. et in Equitt. 1168.

ἐγὼ δὲ μυςίλας γε μεμυςιλημένας,

ubi *γε* vulgo deëst. Si quis volet scripturas Codicis Ravennatis et Veneti excutere, comperiet quam saepe contra sententiam et contra metrum *γε* ex libris exciderit. Satis est indicare Equitt. vs. 1150 et 1167. Bekkeri. Eadem igitur est loci Xenophontei ratio. Dixerat homo nequissimus *ὅτι φλυαροίη ὅςις λέγοι κτέ.* Excandescit ad haec Xenophon et ita hominem interpellat: *σὺ δέ γε οὐδὲ ὁρῶν γιγνώσκεις κτέ.* Recte Dindorf. III. i. 35. recepit *ἡμῖν δέ γε οἶμαι πάντα ποιητέα.*

In § 30. *μήτε προσίεσθαι εἰς ταὐτὸ ἡμῖν αὐτοῖς* corrigendum est *εἰς ταὐτὸν ἡμῖν*, ut solent Attici scribere ante vocalem. Exime obiter vitium idem ex Aesch. Ctesiph. § 219. *εἴ γε μὴ ταὐτὸ ἐνύπνιον ἐγὼ καὶ Δημοσθένης εἴδομεν*, imo vero *ταὐτὸν ἐνύπνιον.* Eadem est ratio in *τοιοῦτον* et *τοσοῦτον.* Emenda igitur Demosth. XIX. 98. *τοσοῦτ' ἀπέχω τοῦ συκοφαντεῖν*, ubi verum est *τοσοῦτον ἀπέχω.*

Saepius eodem modo apud Demosthenem peccatum est, veluti in Midiana § 134. *εἰς ταὐτὸ ἡμεῖς τούτοις διέβημεν* et in Androtion. § 2. *εἰς ταὐτὸ ὡς πεποιηκότι ταῦτα*, ubi Codicis S. auctoritas deserenda est et *ταὐτόν* rescribendum. Eodem iure *τὸ τοιοῦτον ἀσέβημα* corrige in Androtion. § 2. pro *τοιοῦτο*, et repone *τοσοῦτον ἀπέχει* in eadem orat. § 75. et in Timocratea § 183, et *τοσοῦτον ἀπέχουσιν* in Aristocratea § 108. Ne scrupulum iniiciat optimi Codicis nimium celebrata fides inspice Timocrateae § 3. ubi *τοσοῦτον ἀπέχουσι* recte editur, quamquam *τοσόυτ'* (sic) in S. scriptum est. Peccatur nonnumquam et contra, ut in Midiana § 65. *ὥςε τοιοῦτόν τι ποιεῖν* pro *τοιοῦτό τι.*

In § 32. *σῶος* aut *σῷος*, ut multis aliis locis Atticorum, in *σῶς* corrigendum est, quae forma in iis scriptoribus, quorum sunt vetusti et boni Codices, saepissime aetatem tulit, in caeteris ut quisque liber est recentior, ita rarius comparet. Verissima de ea re annotavit Dindorfius in praefat. pag. ix sq.

In § 34. *ἡμῖν — ἔδοξε καὶ αὐτοῖς συνελθεῖν καὶ ὑμᾶς παρακαλέσαι*, mirum ni Xenophon *αὐτοὺς συνελθεῖν* scripserit, ut in tali re fere solent Attici infinitivis accusativos addere. In Aristoph. Equitt. vs. 1310.

ἣν δ' ἀρέσκῃ ταῦτ' Ἀθηναίοις καθῆσθαί μοι δοκεῖ
εἰς τὸ Θησεῖον πλεούσαις ἢ 'πὶ τῶν σεμνῶν θεῶν,

sine dubitatione reponendum πλεούσας. Exemplorum ubique magna est copia. In vicinia legitur III. II. 1. ἔδοξεν αὐτοῖς φυλακὰς καταστήσαντας συγκαλεῖν τοὺς στρατιώτας, et I. II. 1. Ξενίᾳ ἥκειν παραγγέλλει λαβόντα τοὺς ἄνδρας. Obiter emenda II. I. 2. ἔδοξεν οὖν αὐτοῖς συσκευασαμένους ἃ εἶχον καὶ ἐξοπλισαμένους προϊέναι, pro συσκευασαμένοις et ἐξοπλισαμένοις.

In § 42. pro ταῖς ψυχαῖς ἐρρωμενέστεροι scribendum est τὰς ψυχάς. Graecum enim est ἐρρωμένος τὸ σῶμα, non τῷ σώματι, quemadmodum ἀσθενὴς τὸ σῶμα, multaque similia dicuntur.

Periit venustae compositionis artificium III. I. 43. ὁπόσοι μὲν — οὗτοι μέν —, ὁπόσοι δὲ — τούτους ὁρῶ μᾶλλόν πως εἰς τὸ γῆρας ἀφικνουμένους, inserta vocula scribendum τούτους δ' ὁρῶ κτέ. Exemplorum affatim est et apud caeteros Atticos et apud Demosthenem potissimum et Isocratem. Nemo autem mirabitur nonnumquam δέ in apodosi sic positum a scribis ut inutile resectum aut negligentia omissum esse. Duo apud Demosthenem exempla vide: in Orat. XV. § 33. τῶν δὲ πολιτευομένων οὓς ἴστε σαφῶς τοὺς τῆς πόλεως ἐχθροὺς ᾑρημένους τούτους πιστοτάτους ἡγεῖσθε, imo vero τούτους δὲ πιστοτάτους ἡγεῖσθε. Multo etiam gravius peccatum esse videbis in Orat. VII. 17. εἰ μὴ ὑμῶν μὲν κατεφρόνει, οὓς δ' ἐνθάδε προῄρηται φίλους κεκτῆσθαι τούτοις διεπίστευεν. Confusa sunt ut passim alibi δ et δι legendumque τούτοις δ' ἐπίστευεν. Compara et Demosthenem in Orat. XXVIII. 6.

Utiliter cum Xenophonteo loco comparabis Isocrateum in Busiride § 24. ὅσοι μὲν γὰρ — οὗτοι μὲν βλάπτουσιν — ὅσοι δὲ — οἱ δὲ τοιοῦτοι — ὠφελοῦσιν, et similem alium in Panathen. § 132 sq. Si quis autem inter legendum semel animadverterit quam diligenter hanc rationem Isocrates observare soleat, inspectis et inter se comparatis his locis: in Panegyr. § 176, in Areopagit. 47 et 63, de Pace 53 et 125, Busir. 2, adv. Sophist. 17. et Antid. 303, certa emendatione duos locos apud eundem in integrum restituet, alterum in Panathen. § 262. ταῦτα μὲν ἐάσω, περὶ ὧν δὲ παρακληθῆναί με σὺ φῄς, περὶ τούτων ἀποφανοῦμαι, imo vero περὶ τούτων δ' ἀποφανοῦ-

μαι, alterum in Orat. κατὰ τῶν σοφιστῶν § 5. ὃ δὲ πάντων καταγελαστότατον, ὅτι [παρ' ὧν δεῖ λαβεῖν αὐτοὺς] τούτοις μὲν ἀπιστοῦσιν, οἷς μέλλουσι τὴν δικαιοσύνην παραδώσειν, ὧν δ' οὐδεπώποτε διδάσκαλοι γεγόνασι, παρὰ τούτοις τὰ παρὰ τῶν μαθητῶν μεσεγγυοῦνται, ubi primum expunge ineptum emblema [παρ' ὧν δεῖ λαβεῖν αὐτούς], quod nemo, credo, admonitus retinebit. Abhorret ille pannus aliunde assutus et ab Isocratis ingenio, qui illud ipsum perurbane significavit magis quam dixit, et ab elegantissima loci compositione: deinde corrige παρὰ τούτοις δὲ τὰ παρὰ τῶν μαθητῶν μεσεγγυοῦνται· constanter enim videbis in talibus, ubi pronomen relativum praecedit et demonstrativum sequitur, voculam δέ relativo appositam ad demonstrativum iterari, quemadmodum loci supra indicati monstrabunt, quibus adde ex Orat. πρὸς Καλλίμαχον § 58. τὰς μὲν ἄλλας πάσας παραλείψω λειτουργίας, ἧς δέ — ταύτης δὲ μνησθήσομαι. Sed e diverticulo in viam.

In § 46. ἔπειτ' ἐκεῖ συγκαλοῦμεν τοὺς ἄλλους στρατιώτας, quid miramur Graeculos in huiusmodi formis errare, quum ipse Stephanus aliud agens συγκαλέσομεν Xenophonti obtrudebat. Veteres nulla alia futuri forma utuntur quam καλῶ, συγκαλῶ, ἐγκαλῶ, caeterisque compositis, et ubicumque καλέσω legitur aut coniunctivi aoristus est (ut apud Sophoclem Philoct. 1452.

Φέρε δὴ στείχων χώραν καλέσω,

quod dictum est, ut φέρ' ἴδω, φέρ' εἴπω, et sim.), aut scribarum mendum aut sciolorum παραδιόρθωσιν tenemus. Eadem est ratio in ἐπικαλέσομαι (quod sicubi occurrit in ἐπικαλοῦμαι emendandum est) et τελέσω, διατελέσω et sim. De ea re nonnumquam breviter admonuimus. Nunc exempla quaedam nova apponemus. Non intellexerunt Graeculi futurum esse apud Demosth. V. 8. δεινὸν εἴ τις ἐγκαλεῖ τοῖς ἐκεῖθεν ἐνθάδε τὰς εὐπορίας ἄγουσιν, itaque elapsum est. Patebat omnibus futurum requiri in Orat. VIII. 14. itaque in libris est καὶ οὔτε παρακαλέσειν ὑμᾶς οὔτε βοηθεῖν αὐτοῖς ἀξιώσειν, ubi sine mora παρακαλεῖν est rescribendum. Patebat in Orat. XVII. 19. itaque vitiose editur οὐδεὶς ὑμῖν ἐγκαλέσει — ἀλλὰ καὶ χάριν ἕξουσιν, tu ἐγκαλεῖ restitue. Eadem medicina utendum in Orat. XIX. 133. καὶ τίς σὺ δικαίως ὑμῖν ἐγκαλέσει τῶν

ἄλλων πολιτῶν, imo vero ἐγκαλεῖ. Elapsa est vetus forma ibid. § 176. τῶν ἄλλων πρέσβεων ἕκαστον καλῶ καὶ δυοῖν θάτερον ἢ μαρτυρεῖν ἢ ἐξόμνυσθαι ἀναγκάσω. Futurum χέω incolume ad nos pervenit ibid. § 215. σὺ γὰρ ἐγὼ κρίνομαι τήμερον οὐδ' ἐγχεῖ μετὰ ταῦθ' ὕδωρ οὐδεὶς ἐμοί. Servatum est futurum προκαλοῦμαι in Orat. XX. 5. πολλοὺς εὖ ποιεῖν προκαλεῖσθ' ὑμᾶς — πάντας ἀπείρξετε τοῦ φιλοτιμεῖσθαι. Non item διατελῶ in Orat. XXI. 66. πρῶτον μὲν ἀφαιρεθήσομαι τὴν νίκην — ἔπειτα — προπηλακιζόμενος διατελέσω, sed nulla est dubitatio quin διατελῶ Demosthenes scripserit. Ibid. § 119. futurum καλῶ superest et ἐλῷ § 151, quod saepissime in ἐλάσει solet refingi. Superest καλῶ futurum et in Orat. XLIX. 18, et LVIII. 34, et LIX. 24 et 28. Recurrit forma vitiosa in Orat. XXIII. 125. δικαίως ἐγκαλέσουσιν οἱ μὴ τυχόντες, pro ἐγκαλοῦσιν. Recte habet in Orat. XXIV. 159. τεθαύμακα τὴν ἀναισχυντίαν — τοῦ μὲν εἰ καλεῖ, τοῦ δὲ εἰ πάρεισι καὶ συναπολογήσεται. Etiam ἐγκαλεῖ futurum aetatem tulit in Orat. LV. 17. ὁ μετὰ τοῦτόν μοι γεωργῶν τῶν γειτόνων ἐγκαλεῖ, et προσκαλοῦμαι LVIII. 29. σχετλιάζων περιῄει καὶ φάσκων εἰς Ἄρειον πάγον Δημοχάρην προσκαλεῖσθαι. Futurum ἐγκαλῶν incolume evasit in Isocratis Orat. πρὸς Καλλίμαχον § 56. ἦλθον συκοφαντήσων καὶ ψευδεῖς αὐτῷ παρακαταθήκας ἐγκαλῶν. In eiusdem Archidamo § 87. quum Urbinas διατελοῦμεν obtulerit, turpiter servant διατελέσομεν Editores, qui libri eximii vitiosas scripturas tam multas inconsulto receperunt.

Ad haec exempla reliqui loci emendari debent et, ut paucis defungar, ἐκκαλεῖσθαι reddendum Aeschini in Timarchea § 174. et bis ἐπικαλεῖται Lycurgo in Leocratea § 17 et 143, similiaque apud alios. Sequiores in talibus perpetuo peccant; neque eos curamus, modo suos secum errores habeant. Eruditi magistri sedulo admonent de Antiquorum usu. Moeris Atticista p. 126. Καλῶ καὶ ἐπὶ τοῦ καλέσω Ἀττικῶς. ἐπὶ δὲ τοῦ ἐνεστῶτος μόνου Ἑλληνικῶς, nam sic fere scripsisse hominem existimo. Festinanter ad hunc locum nonnihil annotans Piersonus, contra ac solet, in gravissimum errorem se implicuit huc trahens Φέρε νυν καλέσω καταβᾶσά σοι e Lysistr. 864. et ex Pluto 964.

Φέρε νυν ἐγὼ τῶν ἔνδοθεν καλέσω τινά.

Emenda obiter Lysistr. vs. 851.

πρὸς τῶν θεῶν νυν ἐκκάλεσόν μοι Μυρρίνην.

B. *ἰδού, καλέσω 'γὼ Μυρρίνην σοι. σὺ δὲ τίς εἶ;*

nam facile dabis mihi *ἰδού, 'κκαλέσω 'γώ* verum esse. Quod Photius ex aliquo Atticista descripsit: Καλοῦμεν: *ἀντὶ τοῦ καλέσομεν,* referendum est ad Aristoph. Aves vs. 204. ubi quas turbas olim imperiti Graeculi dederint, vide apud Interpretes.

Pervulgato errore scribitur III. II. 1. *ἀνέστη πρῶτον μὲν Χειρίσοφος*, ubi *πρῶτος* rescribendum.

Manifestum mendum tenemus III. II. 3. *ὅμως δὲ δεῖ ἐκ τῶν παρόντων ἄνδρας ἀγαθούς τε ἐλθεῖν καὶ μὴ ὑφίεσθαι·* namque alienissimum est ab loci sententia verbum *ἐλθεῖν*, cui nihil aliud substitui potest quam *εἶναι* ex perpetuo et ipsius Xenophontis et reliquorum omnium usu. Satis est exemplorum vel in ipsa Anabasi, ut omnis dubitatio ex animis elabatur. Si *ἐλθεῖν* ex omnibus libris excidisset, unusquisque ad primam statim lectionem *εἶναι* supplevisset. *'Ανὴρ ἀγαθός* eo sensu dictum cum nullo alio verbo quam cum *εἶναι* et *γενέσθαι* coniungitur, idque dicendi genus per omnes Graecitatis aetates permansit. Sequiores pariter et antiquiores dicebant *γένεσθε ἄνδρες ἀγαθοί*, et *ἀνὴρ ἀγαθὸς γενόμενος ἀπέθανε* pro *fortiter pugnans occubuit.* In hac ipsa re paulo ante Xenophon ipse dixerat III. I. 44. *καὶ ἡμᾶς δεῖ — αὐτούς τε ἄνδρας ἀγαθοὺς εἶναι καὶ τοὺς ἄλλους παρακαλεῖν.* Infelix admodum mihi quidem esse videtur Dindorfii coniectura *ἄνδρας ἀγαθοὺς τελέθειν*, quod verbum ab oratione Xenophontis (quamquam Ionica multa Atticis vocabulis admiscere soliti, ut supra ostendimus) tam alienum est, ut mihi ad haec veniat in mentem Galli hominis, qui Gallice pereruditus quum verba Menandri: *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*, Graece vellet dicere, cum multa gravitate dixit: *Ἄνθρωπος πέλω.* Quae apud Xenophontem Ionica et Dorica occurrunt, ea omnia ex frequentissimo commilitonum et sodalium usu, ita uti fit, paulatim et ipse subinde usurpare coepit, cuiusmodi sunt *πέπαμαι* pro *κέκτημαι*, aut *μαστεύω* pro *ζητῶ*, aut *ἀντίος* pro *ἐναντίος* et alia multa, quae omnibus erant passim in ore. Sed quis credat *τελέθειν* pro *εἶναι* tam tritum fuisse, ut Xenophon pro *ἄνδρας*

ἀγαθοὺς εἶναι semel potuerit dicere *ἄνδρας ἀγαθοὺς τελέθειν.* Si Xenophon in Cyropaed. II. ii. 15. *ἀναισιμώκας* dixit pro *ἀνήλωκας*, non movet ea res tantam admirationem, quoniam Iones omnes constat sexcenties *ἀναισιμοῦν* pro *ἀναλίσκειν* sive *δαπανᾶν* dicere solere. Semel dixit *ἀπημείφθη* pro *ἀπεκρίνατο*, sed illo usu aures ei in Ionia personabant. *Τελέθω* vero pro *εἰμί* positum eiusdemmodi est, ac si quis Menandrum pro *ἄνθρωπός εἰμι*, ut ille Gallus, *ἄνθρωπος πέλω* induceret dicentem.

Quod statim apud Xenophontem sequitur, *ἀλλὰ πειρᾶσθαι ὅπως ἢν μὲν δυνώμεθα [καλῶς] νικῶντες σωζώμεθα, εἰ δὲ μή, ἀλλὰ καλῶς γε ἀποθνήσκωμεν*, non una difficultate impeditum est. Et primum quidem satis apparet in *καλῶς νικῶντες* adverbium absurde abundare. Omnia sunt *ἐν τῷ νικᾶν*. Adscripsit aliquis in ora libri admirabundus *καλῶς*, quod saepe fieri solere norunt quibus Codices complures versare contigit. Addam iis, quae de ea re alias annotavi, novum exemplum. Apollonius Tyanensis offensus Ionibus, qui civitate Romana donati Romana nomina sumserant, eos his verbis increpat in Epistol. LXXI. p. 407. Olear. (III. p. 55. Kays.) *ἀλλ' ὑμῶν γε οὐδὲ τὰ ὀνόματα μένει τοῖς πολλοῖς, ἀλλ' ὑπὸ τῆς νέας ταύτης εὐδαιμονίας ἀπολωλέκατε τὰ τῶν προγόνων σύμβολα [καλῶς], οὐδὲ τοῖς τάφοις ἐκεῖνοι δέχοιντ' ἂν ἅτε ἀγνῶτας αὐτοῖς γενομένους.* Plausus ille, ut vides, ex ora libri tollitur. Praeterea mirer Iones nomina sumsisse *Λουκούλλων τε καὶ Φαυρικίων*, sed tu scribe *Φαβρικίων*, confusis, ut passim, *β* antiquiore forma (*u*) scripto et *υ*.

Praeterea in loco Xenophontis quid sibi velit *ἀλλὰ πειρᾶσθαι* nescio, sed hoc scio *πειρῶμαι ὅπως σώζωμαι* non esse Graecum. Itaque si molestissima verba *ἀλλὰ πειρᾶσθαι* de medio sustuleris hanc Xenophontis stilo dignam orationem habebis: *ὅμως δὲ δεῖ ἐκ τῶν παρόντων ἄνδρας ἀγαθούς τε εἶναι καὶ μὴ ὑφίεσθαι, ὅπως ἢν μὲν δυνώμεθα νικῶντες σωζώμεθα, εἰ δὲ μή, ἀλλὰ καλῶς γε ἀποθνήσκωμεν*, in quibus *ἢν μὲν δυνώμεθα* significat illud ipsum quod *μάλιστα μέν*, quo plerique omnes et Xenophon ipse saepius in tali re utuntur, *ὅπως μάλιστα μὲν νικῶντες σωζώμεθα, εἰ δὲ μή, ἀλλὰ καλῶς γε ἀποθνήσκωμεν.*

Post pauca § 7. editur: *νομίζων — τὸν κάλλιστον κόσμον τῷ νικᾶν πρέπειν*, sed, si quid iudico, *victori* magis quam *victo-*

riae ὁ κάλλιςος κόσμος πρέπει, quamobrem scripsisse Xenophontem suspicor *τῷ νικῶντι πρέπει.* Postquam ΤΙ ob Π sequens intercidit, nata est lectio *τῷ νικᾶν.*

In § 8. *εἰ μὲν οὖν β ο υ λ ε υ ό μ ε θ α πάλιν αὐτοῖς διὰ Φιλίας ἰέναι*, facile omnes, qui meminerint sexcenties *βούλομαι* et *βουλεύομαι* in Codd. Mss. cuiuslibet aetatis confundi, reponendum esse intelligent *βουλόμεθα.* In § 10. *ἱκανοί εἰσιν (οἱ θεοί) καὶ τοὺς μεγάλους ταχὺ μικροὺς ποιεῖν, καὶ τοὺς μικροὺς, κἂν ἐν δ ε ι ν ο ῖ ς ὦσι, σώζειν εὐπετῶς ὅταν βούλωνται*, claudicat sententia in *δεινοῖς*, in quo non satis est ponderis. Nemo enim *σώζεται* qui non sit *ἐν δεινοῖς*, itaque neque *κἂν* neque *εὐπετῶς* recte habebunt priusquam *ἐν δεινοτάτοις* erit emendatum. Cf. § 11. *σώζονται σὺν τοῖς θεοῖς καὶ ἐκ π ά ν υ δ ε ι ν ῶ ν οἱ ἀγαθοί.* In § 11. *ἐλθόντων Περσῶν — παμπληθεῖ ςόλῳ ὡς ἀφανιούντων [αὖθις] τὰς Ἀθήνας*, quoniam haec de Darii expeditione dicuntur, ut apparet ex § 13, *αὖθις* est removendum. Quod sequitur ita scribendum: *ὑποςῆναι αὐτοὺς Ἀθηναῖοι τολμήσαντες ἐνίκησαν.* In libris est *ὑποςῆναι αὐτοῖς* et *ἐνίκησαν αὐτούς.* *Impetum alicuius sustinere* dici *ὑφίςαμαί τινα*, certum est, *ὑφίςαμαί τινι* dici posse colligunt ex paucis quibusdam locis sublestae admodum fidei. In Hellen. VII. v. 12. *τοῖς ἀπονενοημένοις οὐδεὶς ἂν ὑποςαίη·* quam facile potuit ea lectio nasci ex vera *τοὺς ἀπονενοημένους.* In eadem re Pericles apud Thucyd. I. 144. *οἱ πατέρες ἡμῶν ὑποςάντες Μ ή δ ο υ ς — ἐς τάδε προήγαγον αὐτά.* In § 12. *εὐξάμενοι τῇ Ἀρτέμιδι ὁπόσους κατακάνοιεν τῶν πολεμίων τοσαύτας χιμαίρας καταθύσειν [τῇ θεῷ]*, quoniam *Ἀρτέμιδι* pendet ex infinitivo *καταθύσειν*, nullo pacto *τῇ θεῷ* servari potest. Dicebant autem *εὔχεσθαι ἱερεῖον τῷ Διί*, et *εὔχεσθαι θύσειν τῷ Διὶ ἱερεῖον ἢ θυσίαν*, ut in § 9. *ἐπεὶ — οἰωνὸς τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος ἐφάνη (δοκεῖ μοι) εὔξασθαι τῷ θεῷ τούτῳ θύσειν σωτήρια*, et passim.

Intercidit vocabulum sententiae necessarium in § 15. *καὶ τότε μὲν δὴ περὶ τῆς Κύρου βασιλείας ἄνδρες ἦτε ἀγαθοί· νῦν δ' ὁπότε περὶ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ὁ ἀγών ἐςι κτἑ.*, requiro enim *τῆς ὑμετέρας (αὐτῶν) σωτηρίας*, quia sic demum haec bene componuntur *de Cyri imperio — de vestra* ipsorum *salute.*

In § 16. potior est lectio *σὺν τῷ π α τ ρ ί ῳ Φρονήματι* quam *πατρῴῳ.* Nempe *π α τ ρ ῷ ο ν* significat *τὸ τοῦ πατρός*, *π ά τ ρ ι ο ν*

τὸ τῶν προγόνων, et perspicuum est hoc loco melius *avitos animos* quam *paternos* commemorari eorum, quorum *avi* et *proavi* Barbaros olim vicissent.

In § 17. pro ἔφευγον γοῦν rescribendum est ἔφυγον. Et φεύγειν quidem et φυγεῖν perpetuo inter se permutantur, sed nusquam fere difficilis aut anceps optio est: tantum non ubique statim sententia loci palam facit utrum ἔφυγον an ἔφευγον, φυγόντες an φεύγοντες sit genuinum ac verum. Saepe *exsules* in Codd. appellantur οἱ φυγόντες, saepe quos *fugisse* dici apparet φεύγειν dicuntur. Non maior in his omnibus corrigendis est dubitatio quam in ἔβαλλον et ἔβαλον, προσέβαλον et προσέβαλλον, βάλλων et βαλών, caeterisque, quae ubique susque deque habentur. Saepe vidi πέφευγεν et ἀπέφυγεν inter se mutare locum; stultissime, namque quomodo perfectum et aoristus salva loci sententia possint, quaeso, permutari, et diversissima significatio verborum φεύγειν et ἀποφεύγειν? Tamen aliquoties doctos homines ea res fefellit. In Vespis vs. 997. Codex Ravennas exhibet ὄντως πέφευγε; pro ὄντως ἀπέφυγε; prorsus sine sensu, id quod senserunt omnes. Sed nemo sensit idem mendum Aeschini adhaesisse in Ctesiphontea § 194. ἐτόλμα δ' ἐν ὑμῖν ποτὲ σεμνύνεσθαι Ἀριστοφῶν ἐκεῖνος ὁ Ἀζηνιεὺς λέγων ὅτι γραφὰς παρανόμων πέφευγεν ἑβδομήκοντα καὶ πέντε: ineptissime, ut vides, pro ἀπέφυγεν. Quid autem Editoribus facias, qui veram lectionem in quatuor optimis libris *ehkl* repertam temere spreverunt? Iterum peccarunt in sqq. Κέφαλος — ἐπὶ τοῖς ἐναντίοις ἐφιλοτιμεῖτο λέγων ὅτι πλεῖστα πάντων γεγραφὼς ψηφίσματα οὐδεμίαν πώποτε γραφὴν π έ φ ε υ γ ε παρανόμων. Non sensisse autem doctos homines quam absurdum esset in tali re perfecto uti: οὐδεμίαν πώποτε γραφὴν π έ φ ε υ γ α. Quatuor optimi libri iidem unam litterulam omittunt ἔφευγε servantes: duas exemtas oportuit scriptumque ἔφυγε, quemadmodum quisque facile perspiciet. Quamquam haec gravissima vitia sunt, tamen gravius etiam et foedius Herodoti libros obsidet omnes VII. 154. § 4. τῶν δὲ εἶπα πολίων τούτων πλὴν Συρηκουσέων οὐδεμία π έ φ ε υ γ ε δουλοσύνην πρὸς Ἱπποκράτεος. Quid opus est verbis ad demonstrandum absurde perfectum in ea re poni et ἀπέφυγε verum esse? Si Herodotus est in manibus, eadem opera φυγεῖν pro φεύγειν duobus locis

repone. Primum in IV. 12. § 2. *Φαίνονται δὲ οἱ Κιμμέριοι φεύγοντες ἐς τὴν Ἀσίην τοὺς Σκύθας καὶ τὴν χερσόνησον κτίσαντες, ἐν τῇ νῦν Σινώπη πόλις Ἑλλὰς οἴκισαι.* Non minus vitiosum est *φεύγοντες*, ac si quis in sqq. *κτίζοντες* pro *κτίσαντες* vellet legere. Itaque *φυγόντες* repone, et in fine loci *οἴκηται* pro *οἴκισαι*, conf. I. 193. Alter locus est VII. 140. in oraculo:

Ὦ μέλεοι, τί κάθησθε, λιπὼν φεῦγ' ἔσχατα γαίης
δώματα καὶ πόλιος τροχοειδέος ἄκρα κάρηνα.

Si in superiore loco *φυγόντες τὴν Ἀσίην* pro *φυγόντες ἐς τὴν Ἀσίην* legeretur eadem esset utriusque loci absurditas. Perspicuum est igitur in hunc modum emendari oportere: *λιπὼν φύγ' ἐς ἔσχατα γαίης δώματα.* Sed ad Xenophontem revertor. In § 19. pro *οἱ μὲν γὰρ ἐφ' ἵππων κρέμανται* corrigendum est *ἀφ' ἵππων*, quemadmodum dicitur *ἀφ' ἵππων μάχεσθαι*, non *ἐφ' ἵππων.* Praeterea perapposite in rem suam Xenophon usus est verbo *κρέμασθαι*, lubricam et instabilem sedem verbo depingens, unde quis facile praeceps dari possit. Verbum autem *κρέμασθαι* suapte natura *ἀπό* vel *ἐκ* requirit, et *ἐπί* respuit. Quemadmodum enim *κρέμασθαι ἀπὸ παττάλου* vel *ἐκ παττάλου* dicebant et similia, et Demades dixit Graecos *ἀπὸ σαπροῦ καὶ παλαιοῦ σήμονος (λέγων τὸν Ἀντίπατρον) ἠρτῆσθαι*, teste Plutarcho in Demosth. cap. XXXI., sic *ἀφ' ἵππων κρέμασθαι* Xenophon dixit, ut Virgilius pendentes *de rupe* capellas. Vitii suspectum mihi est, quod in Aristophanis Pluto legitur vs. 312.

τὸν Λαρτίου μιμούμενοι τῶν ὄρχεων κρεμῶμεν,

nam prorsus necessaria praepositio est, quare correxerim: *μιμούμενοι 'κ τῶν ὄρχεων.* Diogenes Laërtius VI. 51. *ἀκούσας ποτὲ (ὁ Διογένης) ὅτι Διδύμων ὁ μοιχὸς συνελήφθη, ἄξιος, ἔφη, ἐκ τοῦ ὀνόματος κρέμασθαι.* Negligenter et improprie Laërtius loquitur, ut solet, pro *μοιχὸς ἐλήφθη* vel *μοιχεύων ἐλήφθη*, et scurrili ioco philosophus pro *ἐκ τῶν διδύμων*, id est *ἐκ τῶν ὄρχεων*, maluit *ἐκ τοῦ ὀνόματος* dicere.

In eadem § miror, quomodo docti homines concoquere possint haec verba: *ἑνὶ δὲ μόνῳ προέχουσιν οἱ ἱππεῖς ἡμᾶς· φεύγειν αὐτοῖς ἀσφαλέστερόν ἐστιν ἢ ἡμῖν.* Fieri enim nullo modo potest ut *προέχουσιν ἡμᾶς* Graecum sit. Graecum est *προέχου-*

στιν ἡμῶν, id quod et ex natura verbi προέχειν necessarium est, et omnium Graece scribentium perpetuo usu stabilitur. Tenetur, credo, Xenophon eadem lege qua omnes, ut ridiculum sit suspicari collubuisse ei semel προέχουσιν ἡμᾶς dicere. Quid si διαφέρειν cum accusativo iungere quis vellet? quis patienter ferret neque eum qui sic scriberet pro stulto stolidoque haberet? Permulta sunt quae venuste sciteque possunt solentque novari, in his nonnulla audaciora, sed διαφέρειν τινός et προέχειν τινός, similiaque omnia ratione et usu confirmata novare velle insanientis est. Sed non satis est προέχουσιν ἡμῶν correxisse, pro ἐνὶ δὲ μόνῳ emendandum est ἓν δὲ μόνον προέχουσιν ἡμῶν, cui emendationi aliquid praesidii affert Priscianus, (cuius locum Intt. apposuerunt) ἓν μόνον προέχουσιν ἱππεῖς ἡμᾶς e Xenophonte laudans, sed absque Prisciano fuisset, poterat idem ex diligenti Graecitatis observatione reperiri. Nempe dicitur quidem προέχειν πλήθει, οὐσίᾳ, δυνάμει, ἀξιώματι, δόξῃ, ἐμπειρίᾳ, εὐδαιμονίᾳ, τόλμῃ, ῥώμῃ, ἡλικίᾳ, aliaque permulta, sed est quoddam vocabulorum genus, quod cum huiusmodi verbis compositum certo perpetuoque omnium usu in accusativo poni solet, cuiusmodi sunt οὐδέν, τί, et indefinitum τι, πολύ πλεῖον πλεῖστον, ὀλίγον ἔλαττον ἐλάχιστον, sic et πολλά et ὀλίγα et ὀλίγ᾽ ἄττα, ἕν et ἓν μόνον, τοῦτο, ταῦτα, τοσοῦτον, τοσοῦτον μόνον, μέγα, σμικρόν, βραχύ τι, et alia quaedam, quae facile est animadvertere, quia tam saepe apud omnes occurrunt. In verbo διαφέρειν experimentum sumi poterit: habet dativum significantem, *quo* quid ab alio differat: sed istae voculae, quas diximus, in accusativo apponuntur: οὐδὲν διαφέρει, τί διαφέρει, πολὺ διαφέρει, ἓν μόνον διαφέρει etc. Eadem est ratio in προέχειν. Dicebant οὐδὲν προέχειν, τί προέχει, πολὺ προέχουσι, τοσοῦτον προέχει, itaque eodem modo ἓν μόνον προέχειν solebant dicere, idque ipsum Xenophonti restituendum esse censeo.

In § 23. ἐπιστάμεθα γὰρ Μυσούς, οὓς οὐκ ἂν ἡμῶν φαίημεν βελτίους εἶναι, οἳ [βασιλέως ἄκοντος] ἐν τῇ βασιλέως χώρᾳ πολλάς τε καὶ εὐδαίμονας καὶ μεγάλας πόλεις οἰκοῦσιν. In his acute perspexit Dindorfius interpolata esse verba βασιλέως ἄκοντος, idque etiam Codicum meliorum indicio confirmari docuit. Rectissime. Sed fugit eum aliud loci vitium: corrigen-

dum enim est: ἐπιςάμεθα γὰρ Μυσοὺς, οὓς οὐκ ἂν ἡμῶν φαίημεν βελτίους εἶναι, ὅτι ἐν τῇ βασιλέως χώρᾳ πολλὰς — καὶ μεγάλας πόλεις οἰκοῦσιν, planissime ut in iis, quae statim sequuntur: Λυκάονας δὲ καὶ αὐτοὶ εἴδομεν ὅτι — τὴν τούτων χώραν καρποῦνται, et quid est usitatius quam illa dicendi forma in ὁρᾶν, ἀκούειν, εἰδέναι, ἐπίςασθαι et γιγνώσκειν? In hac ipsa vicinia tria exempla sunt § 22, 23 et 29. Sic demum oratio bene procedet et nitorem Xenophonteum habebit.

In § 32. male excusant viri docti scripturam πάντες γὰρ κοινῆς σωτηρίας δεόμεθα, quum κοινῇ sit necessarium et tam liquido appareat quid pepererit errorem. Similis error in Isocrate commissus est in Areopagit. § 68. ἔδοξε τῷ δήμῳ κοινὴν ποιήσασθαι τὴν ἀπόδοσιν, ubi κοινῇ verum esse arbitror. Admonent me haec loci cuiusdam apud Dionysium Halic. A. R. VI. 42. p. 1135. Reisk. εἰς μάχας οὐ προήεσαν τάς τ' ἀποχωρήσεις ὅπῃ ἐδύναντο δι' ὀρῶν ἢ δρυμῶν κορυφῶν ἐποιοῦντο, ubi pro ridicula scriptura κορυφῶν Chisianus liber κούφας exhibet, Urbinas κορυφαῖς, unde Sintenis elicuit in Specim. Emend. Dionysiac. p. 19. κρυφαίας ἐποιοῦντο, me nondum poenitet emendasse κρύφᾳ ἐποιοῦντο, ut Dionysio aliisque solemne est dicere. Planum est quomodo ΚΡΥΦΑΙ ϵΠΟΙΟΥΝΤΟ abire potuerit in κορυφαῖσ ἐποιοῦντο vel κούφασ ἐποιοῦντο.

Neque ἔλθοιμι ἂν in III. iii. 2., neque similia alibi sana sunt, sed reponenda ubique est necessaria elisio ἔλθοιμ' ἄν.

Attica forma ex optimis libris recipienda est III. iii. 7. εἴσω τῶν ὅπλων κατεκέκληντο, nisi quod libri H. A. κατεκέκληντο de more exhibent: in aliis pervulgatus error κατεκέκλιντο eandem veterem et optimam scripturam intus continet. Veteres Attici dicebant κλήω, ἔκλησα, κέκλημαι, sequiores κλείω, ἔκλεισα et κέκλεισμαι. Hinc in libris perpetuum inter formas Veteres et novitias certamen est: saepe vetus lectio emergit, sat saepe in pervetustis scribendi vitiis κέκλημαι et κέκλιμαι vera scriptura pellucet, frequentissime nova forma irrepsit. Accedit his forma vitiosa, qua neque Veteres neque recentiores usi sunt umquam, κέκλειμαι, quam scribae passim invexerunt, et, quamquam est plane nihili, tamen hodieque plurimis locis aut retinetur aut etiam reponitur, ut in hoc loco Xenophontis, ubi

quum olim omnes κατεκέκλιντο haberent, duo infelices coniectores Abresch et Larcher correxerunt κατεκέκλειντο, idque Zeune et Weiske receperunt, quos et ipsos parum idoneos iudices sequuntur caeteri, etiam, quod miror, Dindorfius. Est apud Photium locus v. Σέσωται καὶ σεσωμένος: οἱ παλαιοὶ ἄνευ τοῦ σ. καὶ διεζωμένοι φησὶ Θουκυδίδης. οἱ δὲ νεώτεροι σέσωσμαι. ἐπ' ἐνίων ἁπλῶς παραλείπουσι τὸ σ, κεκλειμένον καὶ πεπρημένον, qui ostendit quam nihil istiusmodi magistris credi possit. Locus perturbatus est et sic constituendus videtur: οἱ παλαιοὶ ἐπ' ἐνίων ἁπλῶς παραλείπουσι τὸ σ, κεκλειμένον (λέγοντες καὶ) πεπρημένον. καὶ διεζωμένοι φησὶ Θουκυδίδης. In quibus omnibus nihil veri est, et corruptae librorum scripturae homini inerudito imposuerunt. Quis facile credet σέσωσμαι *recentiorum* esse et ex σώζω umquam σέσωται et σεσωμένος nasci potuisse? Ἔρρωμαι dicebant omnes, sed ἔζωσμαι, κέχρωσμαι, κέχωσμαι. Nihili forma est πέπρημαι, omnes constanter πέπρησμαι et ἐμπέπρησμαι solebant dicere, quemadmodum πέπλησμαι, διαπέπλησμαι, ἐμπέπλησμαι. Κίχραμαι habebat κέχρησμαι, unde διακεχρησμένον reddendum Demostheni est pag. 817. 1, quamquam in vulgata conspirat Harpocrat. v. Διακεχρημένον. Διεζωσμένοι genuina forma in omnibus libris Thucydidis exstat I. 6. Nihilo igitur sanior est forma κεκλειμένον, sed in ea quoque scribarum error hominem est ludificatus. Qui libris etiam contra rationem et usum inepti credunt, delabuntur in istas formas, quibus equidem nullas vidi magis mirificas quam quales Eustathius compluribus locis corrasit ad demonstrandum reduplicationem verborum omitti posse. Serio docet ἐβούλευκε Graecum esse et ἐξεπίακεν et ἐχάλκευται et προσεπατταλευμέναι pag. 759, 31. (662, 41). Idem alio loco 1165, 25 (1222, 24) docuit ἐνωγάλισαι Attice dici pro νενωγάλισαι· sic alii nugantur ἀπεδημηκότος dixisse Veteres pro ἀποδεδημηκότος, aliaque eiusdem farinae, quibus multa alia portenta verborum adiecit Hemsterhusius in Miscellan. Observatt. IV. p. 289 sqq. κατέτηκτο, κατέλειπτο, ἐνέδεικτο, ὑπεξέδυπτο et ipsum nostrum verbum κατακλήω in forma ridicula κατέκλειστο. Unde igitur ista monstrosa soboles propagata est? Nempe ex ea superstitione, qua quidquid in aliquo Graeco Codice scriptum est bene Graecum esse opinan-

tur, etiam menda omnia et vitia, quae incuria fudit et homuncionum aliud agentium oscitantia. Apud Eubulum Athen. p. 622 E. in archetypo Marciano scriba dormitans dedit *ἐνωγάλιϛαι σεμνὸς ἀλλᾶντος τόμος*, idem mendum in Epitomen translatum est, qua sola Eustathium usum esse constat. Quid igitur? nullius iudicii homo arripit cupide mendum pro sincera forma, unde collegit scilicet Atticos *ἐνωγάλιϛαι* dixisse, quemadmodum *κατεγλωττισμένος*, *ἐξεγλυμμένος*, *ἐβλαϛηκότες*, *κατεβλακευμένως* et alia dicebant, quae vides quam recte cum *ἐνωγάλιϛαι* componantur. Alterum exemplum est in Cratino Athen. p. 138 E.

ἐν δὲ ταῖς λέσχαισι φύσκαι προσπεπατταλευμέναι,

Eustathius in sua Epitome legit *προσεπατταλευμέναι*, lectionis errorem esse ne suspicatur quidem, metrum ruere multo etiam minus, et suum *προσεπατταλευμέναι* cum *ἐκτῆσθαι* comparat et in paucis *'Αττικώτατον* esse stulte opinatur. Eodem pacto ei imposuit vitiosa scriptura *ἐχάλκευται* et *ἐβούλευκεν* et *ἐξεπίακεν* (*ἐξίπωκεν*, credo, alicubi sic erat depravatum) et magna cum gravitate nobis istas ineptias apponit. Caeterum nihilo sunt his saniora quae Hemsterhusio placebant, et Photius quoque tot hallucinationes et deliramenta in suam *λέξιν* recepit, ut fatuum esse oporteat qui isti testi aliquid credi posse opinetur. Itaque *κεκλειμένον* et *κατέκλειϛο* plane eiusdem sunt pretii, ac tenebimus hoc in antiquioribus Atticis *κέκλημαι* cett. ubique esse restituendum, *κέκλεισμαι* sequiorum esse, et *κέκλειμαι* in Graeculorum cerebris esse natum. In terminatione perfectorum in *-μαι* et *-σμαι* usus dominatur, sed certus et stabilis. Dicitur *ἔρρωμαι*, *ἐρρωμένος*, *ἐρρωμενέϛερος* ubique, semper, ab omnibus, sed eadem constantia *ἄρρωϛος*, *ἀρρωϛία*, *ἀρρωϛεῖν*. Dicitur *ἔζωσμαι*, *παρέζωσμαι*, *διέζωσμαι*, *περιέζωσμαι*, sed *ζῶμα*, *περίζωμα*, *διάζωμα*, sed *ἄζωϛος* et *ζωϛήρ*. Dicitur *κέχρωσμαι*, *συγκέχρωσμαι*, sed *χρῶμα*, sed *χρωϛός*: similiter *κέχωσμαι*, *χῶμα*, *χωϛός*. Dicitur *σέσωσμαι*, sed *σωτήρ* et *ἄσωτος*. Dicitur *ἔγνωσμαι*, *γνῶμα*, *γνωϛός*, sed *τέτρωμαι*, *τρῶμα*, *τρωτός*, et *βέβρωμαι*, *βρῶμα*, *βρωτός*, *ἄβρωτος*. Dicitur *κέκρουσμαι*, *κροῦμα*, *κρουϛός*, sed *κεκόλουμαι* et *λέλουμαι* et *ἄλουτος*. Dicitur *πέπαυμαι*, *ἐπαύσθην*, *ἄπαυϛος* (sed librariis placet *ἐπαύθην* passim vitiose

scribere), dicitur *κέκαυμαι* et *κέκλαυμαι* sed *ἄκαυστος* et *ἄκλαυστος*. Verba in *-εύω* habet *-ευμαι*, *πεπαίδευμαι*, *ἐστράτευμαι*, *βεβούλευμαι*, sed *κεκέλευσμαι* et *καταλέλευσμαι* sola in usu sunt, et *αὐτοκέλευστος* et *κατάλευστος* et *κέλευσμα*, quod saepe in *κέλευμα* depravatur, recte ubique scribitur *κελευστής*. *Γέγευμαι*, *γεῦμα* habet et *ἄγευστος*. *Κναίω* et *ῥαίω* habent *κέκναισμαι* et *ἔρραισμαι*. *Σείω* *σέσεισμαι* habet et *διάσειστος*. Athenienses *κέχριμαι* dicebant et *χρῖμα*, sed *χριστός*. In his et caeteris, quae forma in usu sit, inter legendum comperies: eam autem formam apud Veteres quidem et probatos scriptores omnium consensu ubique confirmatam videbis, donec tandem firmiter tibi et *ἀδαμαντίνως* erit persuasum non singulorum locorum scripturam ex cuiusque loci discrepantibus Codicum lectionibus constitui aut posse aut oportere, sed ex ipsius linguae Graecae interiore notitia et intelligentia, quam ex Codicibus quamplurimis diligentissime collegeris, quid quoque loco sincerum ac genuinum sit esse constituendum. Nunc unde digressa est oratio ad Anabasin revertatur, ubi III. III. 12. retinere debebat Dindorf. *ἀντιποιεῖν δ' οὐδὲν δυναμένους*, pro *οὐ δυναμένους*, quae est bonorum Codd. mala lectio, cuius origo perspicua est.

Inutile fulcrum verbis Xenophontis suppositum est in § 16. *ἀκούω δ' εἶναι ἐν τῷ στρατεύματι ἡμῶν Ῥοδίους, ὧν τοὺς πολλούς [φασιν] ἐπίστασθαι σφενδονᾶν*, ab iisdem utrumque audiverat, et Rhodios in exercitu esse, et eorum plerosque bonos esse funditores, itaque *φασίν* expungendum.

In III. IV. 5. *τοὺς δὲ ἀποθανόντας αὐτοκέλευστοι οἱ Ἕλληνες ᾐκίσαντο, ὡς ὅτι φοβερώτατον τοῖς πολεμίοις εἴη ὁρᾶν*, veram lectionem esse suspicor *ὡς ὅτι φοβερώτατοι — εἶεν ὁρᾶν*. Interfecti hostes foedum in modum dilaniati, et sic terrorem adspicientibus incutientes, optime dicuntur *φοβεροὶ ἰδεῖν* vel *ὁρᾶν*. Illo ipso fere modo saevierunt librarii in locum vicinum § 8, ubi nunc supersunt pauca quaedam vocabula sensu prorsus vacua: *ἥλιος δὲ νεφέλην προκαλύψας ἠφάνισε μέχρις ἐξέλιπον οἱ ἄνθρωποι*, quae neque intelligi possunt neque emendari. In § 9. non concoquo *ἀποπεφευγότες*: in optimo Cod. est *ἀποφεύγοντες*, fortasse *καταπεφευγότες* genuinum est, ut in § 11. *καταφυγεῖν*.

In § 21. sciolus de suo addidit *οἱ λοχαγοί* in verbis: *οὗτοι δὲ πορευόμενοι [οἱ λοχαγοί]*, admodum infeliciter, namque omnia, quae ibi commemorantur, *οἱ λόχοι* faciebant, non *οἱ λοχαγοί*, quod ubi semel probe animadverteris idem putidum emblema expelles ex § 23. *οὐκ ἐταράττοντο ἀλλ' ἐν τῷ μέρει [οἱ λοχαγοὶ] διέβαινον.*

In § 25. *ἀνέβησαν ἐπὶ τὸν πρῶτον γήλοφον καὶ κατέβαινον ὡς ἐπὶ τὸν ἕτερον [ἀναβαῖεν]*, pro *ἀναβαῖεν* meliores Codd. *ἀναβαίνειν* et *καταβαίνειν* praebent. Omnia sunt perinde spuria: *ὡς ἐπὶ τὸν ἕτερον* dictum est ut *ὡς ἐπὶ τὴν θάλατταν* et sim.

Duae litterulae exciderunt in § 30. *οἱ μὲν τῇ ὁδῷ*, imo vero *οἱ μὲν (ἐν) τῇ ὁδῷ*, ut solet Graece dici.

Elapsa copula est in § 32. *πολλοὶ γὰρ ἦσαν ἀπόμαχοι οἱ τετρωμένοι καὶ οἱ ἐκείνους φέροντες καὶ οἱ τῶν φερόντων τὰ ὅπλα δεξάμενοι*, supple *οἵ (τε) τετρωμένοι καὶ οἱ ἐκείνους φέροντες.*

In III. iv. 41. *ἀλλ' εἰ βούλει μένε ἐπὶ τῷ στρατεύματι, ἐγὼ δ' ἐθέλω πορεύεσθαι· εἰ δὲ [χρῄζεις], πορεύου ἐπὶ τὸ ὄρος, ἐγὼ δὲ μενῶ αὐτοῦ.* Expleverunt Graeculi notissimam et perelegantem Atticam ellipsin, cuius multa apud Platonem exempla sunt. Vide Euthydem. p. 285 C. *εἰ μὲν βούλεται ἑψέτω, εἰ δ', ὅ τι βούλεται τοῦτο ποιείτω*, ubi multos locos similes adscripsit Stallbaumius, ex quibus omnibus necessariam particulam Xenophonti restituendam esse animadvertes: *ἀλλ' εἰ (μὲν) βούλει μένε.* Eiecto igitur emblemate in sequentibus scribe: *πορεύου (σὺ) ἐπὶ τὸ ὄρος, ἐγὼ δὲ μενῶ αὐτοῦ.* Praecedens syllaba in ΠΟΡΕΤΟΥ sequentem CΥ absorpsit.

In § 49. *ἔστε ἠνάγκασαν λαβόντα τὴν ἀσπίδα πορεύεσθαι*, res ipsa docet *ἀναλαβόντα* verum esse. Palam est cur praepositio interciderit.

In III. v. 2. *ἐξαπίνης οἱ πολέμιοι ἐπιφαίνονται [ἐν τῷ πεδίῳ] καὶ τῶν Ἑλλήνων κατέκοψάν τινας τῶν ἐσκεδασμένων ἐν τῷ πεδίῳ καθ' ἁρπαγήν*, verba per se plane otiosa *ἐν τῷ πεδίῳ* propter ea quae statim sequuntur nullo pacto retineri possunt.

Impedita oratio est III. v. 5. propter additamentum, quo male recepto unius vocabuli forma mutata est. In libris est: *ἃ γὰρ ὅτε ἐσπένδοντο διεπράττοντο μὴ καίειν [τὴν βασιλέως χώραν], νῦν αὐτοὶ καίουσιν ὡς ἀλλοτρίαν*, expuncto emblemate vera lectio *ὡς ἀλλότρια* ultro emerget et locus expeditus erit.

In § 7. pro συνῆλθον optimi libri ἐνῆσαν exhibent, in quo συνῆσαν latere videtur. Tamen συνῆλθον, me iudice, melior scriptura est. Conf. § 14.

In III. v. 15. οἱ πολέμιοι οὐ προσήλαυνον ἀλλ' ἐθεῶντο καὶ ὅμοιοι ἦσαν θαυμάζειν ὅποι ποτὲ τρέψονται οἱ Ἕλληνες. Optimi omnes θαυμάζειν servant, caeteri θαυμάζοντες. Neutra scriptura vera esse potest. Foede corrupta erat Graecitas et desipiebant Graece scribentes quum ἔοικα ἡδόμενος, ἔοικα ἐλεῶν et sim. coeperunt dicere. Ne tum quidem dicebat quisquam ὅμοιός εἰμι θαυμάζων. Necessarius est in talibus participii dativus. Et ἔοικα quidem sic positum apud Xenophontem saepissime legitur. Elegans exemplum est IV. VIII. 20. οἱ μὲν ὀλίγον ἐδηδοκότες σφόδρα μεθύουσιν ἐῴκεσαν, οἱ δὲ πολὺ μαινομένοις, οἱ δὲ καὶ ἀποθνήσκουσιν. Quod Porsonus iuvenis admodum coniecit οἷοι ἦσαν θαυμάζειν, est illud quidem Graecum, sed non significat id quod rei natura postulat. Non video quid aliud rei conveniat quam ὅμοιοι ἦσαν θαυμάζουσιν. Plutarchus in Artoxerxe cap. VIII. de Clearcho: ὅμοιος ἦν ὑπὸ δέους τῶν παρόντων ἐκβεβληκότι τοὺς περὶ τῶν ὅλων λογισμούς, et saepe ita loquuntur, ut Latine *ridenti similis*, *similis moerenti*, alia, pro *ridentis speciem praebens* dici solet. Quod Plutarchus in Artox. XXIII. scribit, κύψας παρέσχε δόξαν προσκυνοῦντος, a Veterum usu abhorret, et Latinum magis quam Graecum est, pro ὅμοιος ἦν προσκυνοῦντι vel προσκυνοῦντι ἐῴκει. Quod supra ostendimus pro ἐῴκει Atticos antiquiores ᾔκει et ᾔκειν ante vocalem dixisse, et in Avibus 1298. καὶ γὰρ ᾔκειν ὄρτυγι unice verum esse pro ἧκεν, quod Ravennas, et ἧκεν, quod Venetus liber exhibet, confirmatur disertissimo antiqui Critici testimonio, cuius notitiam Photio debemus, apud quem haec leguntur:

Ἠΐκειν: ὅμοιος ἦν.

inter Ἦϊα et Ἤισμεν interpositum, deinde post Ἠϊόνα et Ἥκειν nova glossa haec subiungitur:

Ἤκειν: τὸ ἐῴκειν ἐπὶ τρίτου προσώπου. οὕτως Ἀριστοφάνης.

manifestum est utrobique ᾔκειν ex hoc ipso Comici loco sumtum genuinam scripturam esse. Quod in eadem vicinia apud

Photium legitur: Ἤλεγχον: ἀνέκρινον, ὡς Ξενοφῶν, sumtum est ex Anabasi III. v. 14.

In III. v. 17. ἐδόκει δὲ τοῖς ϛρατηγοῖς εἰς Καρδούχους ἐμβάλλειν. τούτους γὰρ διελθόντας [ἔφασαν] εἰς Ἀρμενίαν ἥξειν. — ἐντεῦθεν δ' εὔπορον [ἔφασαν] εἶναι ὅποι τις ἐθέλοι πορεύεσθαι. Abiice manifestam interpolationem duplicem. Refert Xenophon ex sua ipsius persona quid in Praetorum consilio sit actum, et quibus de causis placuerit sententia quae vicit.

In sequentibus § 18. ἐθύσαντο ὅπως ὁπηνίκα [καὶ] δοκοίη [τῆς ὥρας] τὴν πορείαν ποιοῖντο, iam antea aperuimus cur καί et τῆς ὥρας spuria esse viderentur. Audi nunc et Photium v. Ἡνίκα: — σημαίνει δὲ τὸ μὲν ἡνίκα καθ' ἣν ὥραν, τὸ δὲ τηνικαῦτα κατ' ἐκείνην τὴν ὥραν — τὸ δὲ ὁπηνίκα καθ' ὁποίαν ὥραν, quae verissima sunt. Itaque ὁπηνίκα τῆς ἡμέρας rectissime dicitur, et ὁπηνίκα τῆς νυκτός, sed ὁπηνίκα τῆς ὥρας ridiculum est.

In libro IV. i. 14. τὰ μέν τι μαχόμενοι, τὰ δὲ καὶ ἀναπαυόμενοι haud scio an τὸ μέν τι sit necessarium. In § 23. κατεσφάγη in ἀπεσφάγη emendandum est: dicebant enim ἀποσφάττειν in tali re, et passim in Anabaseos Codd. ἀπό et κατά videbis permisceri, confusis siglis antiquioribus, de quibus multa ad Lucianum annotavimus.

Putida emblemata complura insunt in IV. i. 27. Ἀριϛώνυμος Μεθυδριεὺς [Ἀρκὰς] καὶ Ἀγασίας Στυμφάλιος [Ἀρκάς], ἀντιϛασιάζων δὲ αὐτοῖς Καλλίμαχος Παρράσιος [Ἀρκὰς καὶ οὗτος] ἔφη ἐθέλειν πορεύεσθαι. Sub uno conspectu ponam caeteros locos eadem labe affectos: IV. ii. 21. Εὐρύλοχος Λουσιεὺς [Ἀρκάς] et VII. vi. 40. Εὐρύλοχος Λουσιάτης [Ἀρκάς]. Quibus tandem haec Xenophontem scripsisse putemus? Non hercle iis, qui, si quis esset Μεθυδριεύς aut Στυμφάλιος aut Παρράσιος, nesciebant eos esse omnes ex Arcadia. Non erat τὸ Μεθύδριον magnum et nobile Arcadiae oppidum, sed nemini tamen ignotum nomen erat. Apponam Theopompi de eo oppidulo locum ut mendum eximam. Legitur apud Porphyr. de Abstin. II. 16. pag. 129. ἀφικομένου οὖν ταχέως εἰς τὸ Μεθύδριον πρῶτον μὲν καταφρονῆσαι μικροῦ καὶ ταπεινοῦ ὄντος τοῦ μεγέθους τοῦ χωρίου, tu corrige τὸ μέγεθος, quod scribae aliud agentes ad vicina accommodarunt. Noli autem putare Xenophontem Ἀρ-

κὰς addere potuisse, ut urbes cognomines distingueret. Neque enim erat opus, neque sic Athenienses in tali re loquebantur, sed *Ἀρκὰς ἐκ Μεθυδρίου* vel *Μεθυδριεὺς ἐκ τῆς Ἀρκαδίας* dicebant, ut *Μάγνης ἐκ τῆς Ἀσίας* aut *Μεγαρεὺς τῶν ἐν Σικελίᾳ.* Omnem scrupulum evellet tibi locus Aeschinis in Ctesiphontea § 138. plane eodem modo interpolatus *πολλὰς πρεσβείας ἐπρέσβευσαν εἰς Θήβας οἱ μάλιστ' οἰκείως ἐκείνοις διακείμενοι, πρῶτος μὲν [οὗτος στρατηγὸς] Θρασύβουλος ὁ Κολλυτεύς —, Λεωδάμας ὁ Ἀχαρνεὺς οὐχ ἧττον Δημοσθένους λέγειν δυνάμενος ἀλλ' ἔμοιγε καὶ ἡδίων, [ῥήτωρ καὶ οὗτος] Ἀρχέδημος ὁ Πήληξ καὶ δυνατὸς εἰπεῖν καὶ πολλὰ κεκινδυνευκὼς ἐν τῇ πολιτείᾳ διὰ Θηβαίους, [δημαγωγὸς] Ἀριστοφῶν ὁ Ἀζηνιεύς —, [ῥήτωρ] Πύρρανδρος ὁ Ἀναφλύστιος κτέ.* Nemo potest esse tam tardus et bardus ut ista ferre possit, et tamen in vetustissimis membranis saeculi IX an X, multisque aliis comparent. Sine mendo legitur IV. VI. 20. *Ἀριστώνυμος Μεθυδριεὺς ἔρχεται*, et IV. VII. 8. *Καλλίμαχος Παρράσιος*, et § 9. *Ἀγασίας δὲ Στυμφάλιος καὶ Ἀριστώνυμος Μεθυδριεύς*, et § 11. *Εὐρύλοχον τὸν Λουσιέα (Λουσιᾶ)*, et VII. IV. 16. *Σιλανὸς Μακέστιος*, ad quam rationem expunctis magistellorum annotatiunculis revocandi sunt loci, quos supra apposuimus.

Ipsum nomen *Ἀγασίας*, quamquam Arcadis est, videtur Spartanorum more ex *ἀγαθός* esse formatum sic, ut ex forma Laconica *ἀγασός* produceretur *Ἀγασίας* et *Ἀγασιάδας.* Apud Diodorum Siculum VIII. 21. commemoratur *Ἀγαθιάδας ἐραστὴς γεγονὼς τοῦ Φαλάνθου*, qui coloniam Tarentum deduxit. Vera forma Laconica erat *Ἀγασιάδας*, quam si non retinuit ipse Diodorus, at certe Ephorus retinuerat, quem ille in hac parte historiae sequi solet.

In IV. II. 4. *ἐπεὶ δὲ ᾤοντο ἀφανεῖς εἶναι ἀπιόντες*, inserta particula scribe *ἀφανεῖς ἂν εἶναι*, id est *ᾤοντο λαθεῖν ἂν* sive *λήσειν ἀπιόντες*, et in § 8. *ἄλλοι δὲ — ἐπορεύοντο ᾗ ἔτυχον ἕκαστοι ὄντες καὶ ἀναβάντες ὡς ἐδύναντο ἀνίμων ἀλλήλους τοῖς δόρασιν*, a Xenophonte sic esse scriptum arbitror: *ἐπορεύοντο ᾗ ἔτυχεν ἕκαστος καὶ ἀναβάντες κτέ.* sic et in § 12. lege *ἀναβαίνοντας ὅπῃ ἐδύνατο ἕκαστος* pro *ἐδύναντο.* Compara III. I. 3. *ἀνεπαύοντο δὲ ὅπου ἐτύγχανεν ἕκαστος*, et VI. VI. 18. *σῴζοισθέ τε ἀσφαλῶς ὅποι θέλει ἕκαστος.* Ex his facile est emendare locum

VI. iv. 9. *καὶ τοὺς μὲν νεκροὺς τοὺς πλείστους ἐνθάπερ ἔπεσον ἑκάστους ἔθαψαν*, imo vero *ἐνθάπερ ἔπεσεν ἕκαστος*, ut illud Sallustianum: *quem quisque pugnando locum ceperat eum amissa anima corpore tegebat.* In eadem re emendata scriptura est in I. v. 8. *ὅπου ἔτυχεν ἕκαστος ἑστηκὼς ἵεντο*, sed emendanda in II. ii. 17. *ὡς ἐτύγχανον ἕκαστοι ηὐλίζοντο*, ubi *ἐτύγχανεν ἕκαστος* reponendum esse censeo.

In IV. ii. 9. vera lectio est *καὶ οὗτοι μὲν πρῶτοι συνέμιξαν.* Solet *μέν* in *μόνον* abire, cuius rei multa exempla ad Euripidem expromemus, deinde *μόνον*, *μόνος* et *μόνοι* inter sese permutantur. In § 13. expunge molestam copulam in verbis [*καὶ*] *πάλιν λαβόντες* et locus ex impedito erit expeditissimus. Inficetum Graeculorum emblema vide in § 16. *τοὺς δὲ ἄλλους ἐκέλευσεν ὑπάγειν — καὶ ἐν τῷ ὁμαλῷ θέσθαι τὰ ὅπλα* [*εἶπε*]. In § 17. miror quomodo Dindorfius *ἀλόμενοι* tueri potuerit, quae barbara forma est. Attulit locos quosdam, ubi in Codd. legatur. Poterat facili negotio multo plures conquirere, namque solent Graeculi, quemadmodum *ἀφειλάμην* et *εὑράμην* passim invehunt, contrario errore *ἡλόμην* pro *ἡλάμην* substituere. Quod est in § 20. (cf. 3 et 4.) *ἐκυλίνδουν πέτρας*, quamquam saepissime in libris forma *κυλινδεῖν* legitur, non videtur tamen Xenophontea esse, cuius aetate *κυλίνδω* solum (*κυλίσω*, *ἐκύλισα*, *κεκύλισμαι*, *ἐκυλίσθην*) in usu erat et *καλινδεῖσθαι.*

In IV. iii. 7. additamentum magistelli concinnitatem loci plane perdidit; *ὁρῶσι δὲ τοὺς διαβαίνειν κωλύσοντας*, *ὁρῶσι δὲ τοῖς διαβαίνουσιν ἐπικεισομένους* [*τοὺς Καρδούχους*] *ὄπισθεν.* Detegit fraudem articulus inepte additus participio *διαβαίνουσιν.* *Omnes* enim flumen erant traiecturi. Expuncto emblemate *τοὺς Καρδούχους* emenda: *ὁρῶσι δὲ τοὺς διαβαίνουσιν ἐπικεισομένους ὄπισθεν.* Non minus puerile erat significare *τίνες ἦσαν οἱ ἐπικεισόμενοι ὄπισθεν*, quam in praecedentibus *τίνες ἦσαν οἱ διαβαίνειν κωλύσοντες.*

In § 26. *παρ' ἀσπίδας παραγαγόντες τὴν ἐνωμοτίαν*, corrige sodes *παρ' ἀσπίδα*, quod dici solebat eodem pacto atque *ἐπὶ δόρυ* et *ἐπ' ἀσπίδα* et *ἐπ' οὐράν* aliaque similia in militaribus imperiis, ut statim § 29. *ἀναστρέψαντας ἐπὶ δόρυ* et passim alibi.

In § 52. bis corrige ἔφυγον pro ἔφευγον et supple οἱ δ' Ἕλληνες (εἰς) τἀναντία στρέψαντες ἔφυγον. Peius etiam habet imperfectum IV. iv. 21. οὐχ ὑπέμειναν ἀλλ' ἔφευγον.

Soloecismus fraudem aperit IV. iv. 11. ἡ χιὼν ἀπέκρυψε καὶ τὰ ὅπλα καὶ τοὺς [ἀνθρώπους] κατακειμένους. Transposuissent modo ultima; sed optimum factu est emblema resecare. Ibid. IV. iv. 13. non χρῖσμα sed χρῖμα scribendum esse alibi diligenter ostendimus. Sequiorum est χρίσμα, ut πρίσμα, κύλισμα, ξύσμα et omnino terminatio -σμα praecedentem vocalem habet correptam, et ubi longa vocalis est σ non additur. Κέχριμαι habet χρῖμα, ut μήνιμα, sed ἔζωσμαι ζῶμα, κέχρωσμαι χρῶμα, κέχωσμαι χῶμα, ἔγνωσμαι γνῶμα, κέκρουσμαι κροῦμα. Cur κρῖμα et κλῖμα habeant priorem productam, alibi accurate ostendam. Nunc obiter unum de genere hoc attingam, quoniam in vicino loco Xenophontis legitur corrupta forma. Nempe IV. v. 27. in omnibus libris est καὶ μάλα ἡδὺ τὸ πόμα ἦν. Sed Xenophon, ut Veteres summa constantia omnes, scripsit τὸ πῶμα. Certa Graecitatis analogia, certus loquendi usus postulant ut ubique vitiosa Graeculorum forma τὸ πόμα in τὸ πῶμα emendetur. De qua re quum obiter dixissem aliquid ad Alciphronem, non probavi hoc Meinekio, qui ad Moschi Idyll. III. 78. πῶμα dixisse Atticos concedens »*nec tamen ideo*, inquit, πόμα *Graeculorum tantum esse dicere debebat Cobetus, nisi forte etiam Pindarus Nem.* III. 133. *in Graeculis habendus est. Sed Cobetus* δείνωσιν *amat.*" Nullam esse in hac re δείνωσιν, sed eam observationem veram et certam esse dabo operam ut venerabili seni demonstrem, quum primum mihi περὶ παρεφθορυίας λέξεως quod in animo est per otium scribendi copia dabitur. In Pindari loco:

κιρναμένα δ' ἐέρσ' ἀμφέπει | πόμ' ἀοίδιμον,

Bergkius non formam πόμα improbans, sed quid sententiae aptum esset quaerens acute σόμ' ἀοίδιμον coniecit. Graeculi quia πόμα dicebant ipsi, vitium hoc ubique etiam iugulato metro obtrudunt Veteribus, ἔκπωμα quia non amplius erat in usu nusquam quod sciam in ἔκπομα corrumpitur. Sed dicam de his explicate alias.

In IV. iv. 17. ἐρωτώμενος δὲ ποδαπὸς εἴη. Scriptura multorum librorum, τὸ ποδαπός, intus continere videtur veram lectio-

nem δ' ὁποδαπὸς εἴη, quae forma quam saepe depravari soleat ad Herodotum ostendemus. In § 21. καὶ οἱ ἀρτοπόποι καὶ [οἱ] οἰνοχόοι φάσκοντες εἶναι, assentior iis qui alterum articulum expungi iusserunt. Deinde nonnulla exciderunt, quo ταῦτα in verbis ἐπεὶ δὲ ἐπύθοντο ταῦτα referebatur.

Turbas dederunt correctores IV. v. 14. in verbis: καὶ γὰρ ἦσαν, ἐπειδὴ ἐπέλιπε τὰ ἀρχαῖα ὑποδήματα, καρβατίναι πεποιημέναι ἐκ τῶν νεοδάρτων βοῶν, alii αὐτοῖς inseruerunt καρβατίναι αὐτοῖς πεποιημέναι, ut significaret εἶχον καρβατίνας. Xenophon scripserat ἦσαν — καρβατίνας πεποιημένοι, novos *sibi ipsi* calceos *confecerant*: sed fefellit Graeculos hic usus verbi ποιεῖσθαι Veteribus admodum usitatus.

Vetus sed insanabile vitium est in IV. v. 27. in verbis καὶ μάλα ἡδὺ συμμαθόντι τὸ πῶμα ἦν. Quocumque te vertes numquam poteris συμμαθόντι quid sit expedire, neque quidquam probare ex iis quae docti homines, ut in tali re solent, de suo comminiscuntur. Συμμαθόντι, si Suidae credis, est συνεθισθέντι, id quod et per verbi naturam fieri non potest, et etiam si quam maxime posset nihil nos iuvaret, namque de Graecis hoc dici palam est nunc primum τὸν κρίθινον οἶνον gustantibus. Nequidquam igitur certas loquendi leges violant qui hoc gratuito finxerunt. Male etiam Stephanus Gallicum dicendi genus cum Graeco composuit, quod fortasse aliquem usum habere potest ubi quis Graecitatis rationem sibi notam et optime perspectam minus erudito vult aperire, sed in obscuri loci aut vocabuli sententia indaganda prorsus vanum et irritum hoc artificium est. Quod ab Gallis sumebat Stephanus, poterat ab ipsis Graecis sumere. Quis enim ignorat Theocriteum:

> Βουκόλος ὢν ἐθέλεις με κύσαι, τάλαν; οὐ μεμάθηκα
> ἀγροίκως φιλέειν ἀλλ' ἀςυκὰ χείλεα θλίβειν,

et passim μανθάνειν sic solet usurpari: quamobrem vehementer mihi quidem arridet et probatur Geelii suspicio in Euripidis Phoenissis 522. reponentis:

> ἐκεῖνο δ' οὐχ ἑκὼν μαθήσομαι
> ἄρχειν παρόν μοι τῷδε δουλεῦσαί ποτε.

pro librorum scriptura μεθήσομαι. Verum nihil prorsus haec facere ad Xenophontis locum aperiendum neminem fugere po-

test. Equidem locum *ἀνηκέστως ἔχειν* arbitror et ab eius interpretatione abstinendum.

In IV. v. 33. *καὶ διακονοῦντας παῖδας σὺν ταῖς βαρβαρικαῖς στολαῖς* vitiosa est praepositio *σύν* et emendandum est *ἐν ταῖς — στολαῖς*. Perinde est apud Athenienses dicere *ἱμάτιον ἔχων* et *ἐν ἱματίῳ*, *ἔχων χιτῶνα* et *ἐν χιτῶνι*, *χλανίδ' ἔχων*, *χλαμύδ' ἔχων* et *ἐν χλανίδι*, *ἐν χλαμύδι*, et similiter in aliis sexcentis, ubi *cultus* corporis aut *vestitus* aut *ornamenta* commemorantur. Itaque *σκευὴν ἔχων* dicebant et *στολὰς ἔχοντες* et *λαμπρὰ ἱμάτια ἔχοντες* et eodem sensu *ἐν σκευῇ*, *ἐν στολαῖς*, *ἐν λαμπροῖς ἱματίοις*, et alia his similia leguntur passim. Veteres Graeci, qui quid dicerent accurate cogitare solebant, praepositione *ἐν* de iis tantum utebantur, quibus quis *indutus* esset, sequiores inconsulto loquentes in omnibus sequebantur rationem eandem et dicebant *ἐν ῥάβδῳ ἦλθεν* aut *ἐν ῥομφαίᾳ*, ubi Athenienses *βακτηρίαν ἔχων ἦλθεν* aut *ξίφος ἔχων* dicturi fuissent.

Dissentiunt libri IV. v. 36. *περὶ τοὺς πόδας τῶν ἵππων σακία περιειλεῖν*, sic enim quatuor meliores *περιειλεῖν*, caeteri cum Suida *περιδεῖν* exhibent. Veram scripturam esse credo *περιίλλειν*, quod in ΠΕΡΙΙΛΕΙΝ depravatum deinde duplicem errorem peperit, leviorem *περιειλεῖν*, graviorem *περιδεῖν*. Vetus et Atticum ΙΛΛΩ cum compositis in *εἰλῶ* refingi solere notum est. Recte Phrynichus Bekk. Anecd. p. 19, 14: *Ἀνίλλειν βιβλίον: οἱ μὲν ἄλλοι περισπῶσι τὴν λέξιν καὶ δι' ἑνὸς λ γράφουσιν, οἱ δὲ Ἀττικοὶ παροξύνουσι καὶ διὰ δυοῖν λλ γράφουσιν, οὕτω καὶ τὸ ἐξίλλειν.* Quia in *ἴλλω* productum *ι* est scribae *εἴλλω* dare solebant et nota negligentia alterum *λ* omittere. Itaque *ἴλλω*, *εἴλλω*, *εἴλω* et *εἰλῶ* in libris occurrunt, quarum formarum prima genuina et vetus est, quarta sequioribus usitata, secunda tertiaque vitio natae. Facillimum igitur est quid sit ubique legendum constituere. Fac periculum in Bekk. Anecd. p. 395, 29. *Ἀνείλεσθαι: συστρέφεσθαι*, et vs. 31. *Ἀνείλλεται: ἀνειλεῖται. Συνίλλεται* leviter in *συνίλλεσται* depravatum exstat apud Eubulum Athen. p. 679 B. Alia multa apud Hesychium aliosque supersunt *Ἀνίλλω*, *ἐνίλλω*, *ἐξίλλω*, *κατίλλω*, *προσίλλω*, *περιίλλω*, *ὑπίλλω*, de quibus quia alibi exposuimus, nunc satis est Xenophonti suum *περιίλλειν* restituisse.

Perperam novissimi Editores in IV. vi. 10. eliminarunt ὡς in verbis ὅπως (ὡς) ἐλάχιςα μὲν τραύματα λάβωμεν, ὡς ἐλάχιςα δὲ σώματα ἀνδρῶν ἀποβάλωμεν, in aprico est cur plane necessaria vocula ex libris interciderit. Alia particula periit in § 13. μένοιεν γὰρ αὐτοῦ μᾶλλον ἀθρόοι οἱ πολέμιοι, non poterunt enim haec verba intelligi donec suppleveris μένοιεν γὰρ (ἄν); saepissime γάρ pro γὰρ ἄν in libris occurrit, etiam in poëtis. Si quis in Aristophane animadverterit saepe eum errorem correctum esse, ubi metrum omnibus omnem dubitationem eximit, in Xenophonte etiam libris invitis quod dicendi usus postulat restituere audebit. Recurrit idem mendum V. ii. 31. ἁλίσκεσθαι γὰρ ἔφασαν τῷ δρόμῳ, imo vero γὰρ ἂν ἔφασαν.

Otiosum additamentum onerat IV. vi. 18. ἐπειδὰν ὁρῶσιν ἡμᾶς ἐν τῷ ὁμοίῳ [ἐπὶ τῶν ἄκρων], illud ipsum significat ἐν τῷ ὁμοίῳ, idque tam apertum est ut interpretatio omnis inepta sit et nullo modo ferenda.

Dindorfius male recepit IV. vi. 22. ἀπήρχοντο ex optimis libris pro ᾤχοντο, sed nemo umquam Veterum ea forma usus est pro ἀπῆα, et Xenophontis aetate ἠρχόμην (*ibam*) cum compositis omnibus barbarum est. Eiusdem farinae est in eadem § ἐγρηγόρησαν pro ἐγρηγόρεσαν, quod Porsonus restituit. Sero nati Graeculi et ἠρχόμην et γρηγορῶ dicebant, Veteres omnes summa constantia ᾖα et ἐγρήγορα.

Nescio quomodo quis risum tenere possit in IV. vi. 25. οἱ μὲν πελταςαὶ τῶν Ἑλλήνων δρόμῳ ἔθεον —, Χειρίσοφος δὲ βάδην ταχὺ ἐφείπετο σὺν τοῖς ὁπλίταις. Haud vidi magis. Adversis enim frontibus βάδην et ταχύ inter se concurrunt. Reponenda est locutio militaris Χειρίσοφος δὲ θᾶττον ἢ βάδην ἐφείπετο, *citato gradu*. Nota est multis exemplis certa in his progressio βάδην, θᾶττον ἢ βάδην, δρόμῳ. Menander apud Etymol. M. v. Βάδην.

τὸ δὴ λεγόμενον τοῦτο θᾶττον ἢ βάδην.

et saepius hoc occurrit, imprimis in bello et proelio de iis qui *gradum accelerant*. Quum omnes summa ope in iugum montis eniterentur οἱ πελταςαὶ leves et expediti δρόμῳ ἔθεον, armorum pondere graves ὁπλῖται quam possunt celerrime *citato gradu* sequuntur. Multa exempla huius locutionis ad Aeliani

H. Anim. II. 38. οὐκ ἂν αὐτὴν θᾶττον ἢ βάδην προϊοῦσαν θεάσαιτό τις, adscripsit Iacobsius. In § 26. repone ἐν τῇ ὁδῷ pro ἐπὶ τῇ ὁδῷ, quod eo sensu non est Graecum.

In IV. vii. 3. τῇ γὰρ ϛρατιᾷ οὐκ ἔϛι τἀπιτήδεια εἰ μὴ ληψόμεθα τὸ χωρίον, facile mihi dabis οὐκ ἔϛαι requiri. Non peccant in talibus Attici. Qui sequentia diligenter perpenderit vitium inesse sentiet in § 2. ἀλλὰ ποταμὸς ἦν κύκλῳ et probabilis admodum videbitur sententia eorum, qui ἀλλ' ἀπότομον ἦν κύκλῳ corrigebant.

In § 8. pro ἀπῆλθον ὑπὸ τὰ δένδρα scripsisse Xenophontem existimo ὑπῆλθον, quod verbum in ea re tam proprium est atque ἀπιέναι est alienum. Corrige accentum in § 13. ῥίπτουσαι τὰ παιδία ἑαυτὰς ἐπικατερρίπτουν, imo vero ῥιπτοῦσαι. Eadem opera μυζεῖν rescribe IV. v. 27. pro μύζειν, sed contra male κυλινδοῦσι λίθους est IV. vii. 4. pro κυλίνδουσι. Deprensi sunt scribae in Simonidis carmine apud Stob. Floril. LXXIII. 61. vs. 4. ubi recte Meinekius edidit:

τῇ πάντ' ἀν' οἶκον βορβόρῳ πεφυρμένα
ἄκοσμα κεῖται καὶ κυλίνδεται χαμαί,

pro vulgata κυλινδεῖται. Confer scholia Veneta ad Iliad. P. 688. Nicophonti Comico apud Athen. p. 269 E. redde:

ζωμὸς διὰ τῶν ὁδῶν κυλινδέτω κρέα,

pro librorum scriptura κυλινδείτω. Apud Xenophontem in vicinia § 6. Codex omnium vetustissimus servat vestigia verae lectionis κυλινδομένων pro κυλινδουμένων.

Quod Dindorfius IV. vii. 7. ex optimis libris recepit εἰς τὸ δασὺ προσιέναι pro παριέναι, debebat ex ea lectione pervulgatum mendum eximere et προϊέναι scribere.

In § 22. multum arridet Pluygersii coniectura in verbis καὶ γέρρα ἔλαβον [δασειῶν βοῶν] ὠμοβόεια ἀμφὶ τὰ εἴκοσιν expungentis δασειῶν βοῶν interpretamentum adiectivi ὠμοβόεια.

Tralaticium mendum obsidet locum in IV. viii. 12. οἱ κράτιϛοι ἡμῶν πρῶτον προσίασιν, requirit sententia, ut vides, πρῶτοι. Conf. § 18. καὶ οὗτοι πρῶτοι ἐπὶ τὸ ὄρος ἀναβαίνουσιν, et passim.

Ibid. § 25. ἀποθῦσαι τῷ Διὶ τῷ σωτῆρι καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἡγεμόσυνα καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἃ εὔξαντο, emendandum est τῷ Διὶ τὰ σωτήρια καὶ τῷ Ἡρακλεῖ ἡγεμώσυνα. Postulat hoc

verbi *ἀποθύειν* natura *θυσίαν ἀποδιδόναι* significantis, et requiritur nomen quod recte servatum est VI. i. 1. Praeterea *ἡγεμώσυνα* scripsi quoniam longam vocalem terminatio *-όσυνος* et *-οσύνη* sequi solet, brevem *-ωσύνη*, ut *ἱερωσύνη*, et sequiorum *ἁγιωσύνη*, *μεγαλωσύνη* et *ἀγαθωσύνη*.

In IV. viii. 25. *ὃς ἔφυγε παῖς ὢν οἴκοθεν παῖδα ἄκων κατακανὼν ξυήλῃ πατάξας.* Photius v. *Ξυήλην* ex Anabasi haec affert: *παῖς ἔτι ὢν ἀποκτείνας ξυήλῃ Λακωνικῇ παῖδα*, sed ridiculum est h. l. *Λακωνικῇ* additum, quod rectissime habet IV. vii. 16. *μαχαίριον ὅσον ξυήλην Λακωνικήν.* Caeterum doctus Grammaticus, quem Photius exscribit, mirifico errore *τὴν ξυήλην* opinatur fuisse *τυροκνήστιδα*, nempe *ξύειν* Dorice dici pro *κνῆν*. Facile apparet *cultrum* ita dici. Praeterea quod Xenophon scripserat *κατακανών* tandem reperit Dindorfius: in libris est *κατακτανών, κατακτένων*, apud Photium *ἀποκτείνας*. Quod optimi omnium libri exhibent Vaticanus H (A apud Dindorf.) et Parisinus C *ἠλίδα κατακτένων* apparet *ἠλίδα* ex ΠΑΙΔΑ natum esse et saepius deprehendes hos Codices ex pervetusto libro litteris uncialibus exarato per indoctum scribam esse propagatos, confusis litteris omnibus, quae in illa scriptura parum figura discrepant Π — Η, Η — Ν[1], Α — Δ — Λ, similibus. Sic IV. v. 28. pro *στρατεύματι ἐξηγησάμενος* quatuor optimi testes *στράτευμα πεζῇ ἡγησάμενος* exhibent, quod e *στρατεύμα*ΤΙΕΞΗ*γησάμενος* natum esse optime monuit Bornemannus.

Huiusmodi vitium deturpat etiamnunc Diodorum Sic. XV. 2. *ἐκυρίευε δὲ κατὰ μὲν τὴν Κύπρον τῶν πόλεων σχεδόν τι τὸ πλέον*, omittit *τό* Cod. optimus: rectissime, nam in ΠΛΕΟΝ latet ΠΑCΩΝ, *τῶν πόλεων σχεδόν τι πασῶν.*

In § 27. non dubito quin verissime emendatum sit *ἅτε θεωμένων τῶν ἑταιρῶν* pro *ἑταίρων.* Praeterquam quod res ex se ipsa satis est perspicua, animadvertendum est *ἑταίρους* non esse *συστρατιώτας*, sed *φίλους καὶ συνήθεις*, vide IV. vii. 11. et alibi. Itaque quae sit illa causa cur *πολλὴ φιλονικία* excitata

---

[1]) Hinc *ὀκτώ* (*H*) et *πεντήκοντα* (*N*) confusa videbis et alibi et in Anabasi VII. i. 23.

esse dicatur dictu difficile est. Ἑταίρας in exercitu complures fuisse passim apparet, vid. IV. III. 19 et V. IV. 33. Iterum confusa ἑτέρων, ἑταίρων et ἑταιρῶν vide IV. III. 30.

In libro V. I. 3. Χειρίσοφος ἀνέστη καὶ εἶπεν ὧδε· Φίλος μοι ἐστίν, ὦ ἄνδρες, Ἀναξίβιος, ναυαρχῶν δὲ καὶ τυγχάνει, nescio quid verba novissima sibi velint. Res ipsa suadere videtur ut scribatur Ἀναξίβιος, ὃς νῦν ναυαρχῶν τυγχάνει, vel simile quid. Eximi obiter e Diodoro Siculo mendum poterit XIV. 30. ἐκεῖθεν δὲ Χειρίσοφον μὲν ἀπέστειλαν εἰς Βυζάντιον ἐπὶ πλοῖα καὶ τριήρεις· ἐλέγετο γὰρ εἶναι φίλος Ἀναξιβίῳ τῷ Βυζαντίων ναυάρχῳ, statim enim videbis ἐλέγετο γάρ in ἔλεγε γάρ emendari oportere.

Insulsum emblema expelle ex V. I. 9. ἐὰν οὖν κατὰ μέρος [μερισθέντες] φυλάττωμεν καὶ σκοπῶμεν, quod monstrasse satis est. Contra inserenda vocula videtur in § 10. ὑπαρχόντων (καὶ) ἐνθάδε, causa rei manifesta est.

Non habet Graecam formam oratio in V. II. 11. οἳ πάντα τὸν χρόνον ἀλλήλοις περὶ ἀνδραγαθίας ἀντεποιοῦντο. Quid dicendum sit patet, sed id nullo modo ex his verbis extundi potest, neque ἀντιποιεῖσθαι περί τινος Graecum est. Ἀρετῆς ἀντιποιεῖσθαι de iisdem optime dictum IV. VII. 12. In indaganda vera scriptura operam perdidi. Quaerant acutiores.

In V. II. 24 μαχομένων δὲ αὐτῶν καὶ ἀπορουμένων θεῶν τις [αὐτοῖς] μηχανὴν σωτηρίας δίδωσιν, egregie Graece sciens Schneiderus sensit αὐτοῖς abesse oportere, cui nemo paruit. Ludimagistri annotatio est pueris non inutilis, sed iis, qui Atticorum lectione aurem habent subactam, intolerabilis.

In libro II. IV. 24. διαβαινόντων μέντοι ὁ Γλοῦς [αὐτοῖς] ἐπεφάνη pro αὐτοῖς in duobus optimis libris αὐτῶν scriptum est, sed utraque scriptura interpolata est. Recte paullo ante legitur ἐξήγγελλόν τινες — ὡς διαβαινόντων μέλλοιεν ἐπιθήσεσθαι.

In V. III. 3. καὶ ἐγένοντο ὀκτακισχίλιοι καὶ ἑξακόσιοι. οὗτοι ἐσώθησαν ἐκ τῶν ἀμφὶ τοὺς μυρίους corrige ἑξακόσιοι. τοσοῦτοι ἐσώθησαν. Iterum paucae litterulae perierunt in § 12. στήλη ἕστηκε παρὰ τὸν ναὸν γράμματα ἔχουσα, supple ἔχουσα (τάδε)· Ἱερὸς ὁ χῶρος κτέ.

Quod legitur V. IV. 12. παλτὸν ὡς ἑξάπηχυ non videtur esse genuinum, sed ἕξπηχυ: nondum enim Xenophontis aetate

exolevisse Atticam in his componendis consuetudinem, qua πεντέπους, ἕξπους, ὀκτώπους, ἑκατογκέφαλος, ἑκατόγχειρ et similia dicebant, non πεντάπους, ἑξάπους, ὀκτάπους, caetera. Scribae in his formis etiam facilius quam in multis aliis erant εἰς τὴν συνήθειαν εὐεπίφοροι.

Graeculorum ingenio digna sed Xenophonte indigna scriptura conspicitur V. iv. 15. ᾠκεῖτο δὲ τοῦτο πρὸ [τῆς πόλεως] τῆς μητροπόλεως καλουμένης αὐτοῖς, nempe Attici ut hoc ipsum dicerent πρὸ τῆς μητροπόλεως καλουμένης eleganti brevitate dicebant.

Tenui sed certo indicio fraudem tenemus V. iv. 18. ἤχθοντο ὅτι τούς τε πολεμίους ἐπεποιήκεσαν θρασυτέρους καὶ [ὅτι] οἱ ἐξελθόντες Ἕλληνες σὺν αὐτοῖς ἐπεφεύγεσαν. Nempe insiticium et spurium esse alterum ὅτι arguit vocula τε praecedens.

In § 19. ἴςε γὰρ ὅτι καὶ ἀγαθὸν οὐ μεῖον τοῦ κακοῦ γεγένηται, supple καὶ ἀγαθόν τι, non esse enim Graecum ἀγαθὸν γεγένηται sed τι necessario addendum saepius ostendimus.

In § 21. boni libri pravam lectionem ut saepe exhibuerunt, quae propter testium auctoritatem nunc male recepta est. Rectissime edebatur ὅπως δόξετε — καὶ δηλώσετε, nunc deterrima scriptura δόξητε et δηλώσητε probatur. Quam nihil sit libris etiam optimis in talibus credendum saepius demonstravimus. Soloecum est in § 22. quod Dindorfius edidit μεταξὺ τῶν λόχων ὀρθίων, resecandum esse ὀρθίων demonstrabunt ea quae statim praecedunt ὀρθίους τοὺς λόχους ποιησάμενοι.

In § 29. ἄκρατος μὲν ὀξὺς ἐφαίνετο —, κερασθεὶς δὲ εὐώδης τε καὶ ἡδύς, Xenophon a civium usu descivit et hospitum in Ionia consuetudinem secutus est. Κέκραμαι et ἐκράθην dicebat Atheniensis. In Ionia nonnumquam pro κέκρημαι et ἐκρήθην ponebantur κεκέρασμαι et ἐκεράσθην, quemadmodum ἐκπεπέτασμαι et ἀναπεπέτασμαι aliquoties pro ἀναπέπταμαι et ἐκπέπταμαι occurrunt. Eodem modo Diodorus Sic. XVII. 10. dixit: λεπτὸν ἀράχνης ὕφασμά τι διαπεπετασμένον ὤφθη pro διαπεπταμένον.

In § 31. pro ἀλλήλων ξυνήκουον, quod est in tribus optimis pro συνήκουον, alibi docuimus ἐξήκουον emendandum. Dicitur enim ἐξακούειν is, ad cuius aures pervenit sonus *ex longinquo* editus.

In § 52. ἐπεδείκνυσαν αὐτοῖς παῖδας τῶν εὐδαιμόνων σιτευτοὺς [τεθραμμένους] καρύοις ἑφθοῖς. Emblema ab aliis expulsum pertinaciter retinent alii. Quod Pollux duobus locis I. 235 et VI. 56. ita haec affert ut τεθραμμένους in suis libris non invenisse videatur, est certe aliquid, sed maximum est quod post σιτευτούς participium τεθραμμένους ineptum in modum abundat. Quod sequitur καὶ οὐ πολλοῦ δέοντας ἴσους τὸ μῆκος καὶ τὸ πλάτος εἶναι admonet me loci Lysiaci, quem olim tentavi οὐδὲν δέον, in Orat. XXIV. 1, namque optime dici οὐ πολλοῦ δέω χάριν ἔχειν Xenophontis locus demonstrat.

In V. v. 22. certa corruptela deprehenditur in verbis: ἂν δὲ δοκῇ ἡμῖν, καὶ φίλον ποιήσομεν τὸν Παφλαγόνα. *Amicitiam, hospitium cum aliquo inire* Graece dicitur φίλον, ξένον ποιεῖσθαί τινα, non ποιεῖν, id quod ratio Graecitatis ostendit et confirmat usus. Supra § 12. ἀνάγκη ἡμῖν Κορύλαν φίλον ποιεῖσθαι, et V. vi. 3. ὡς τὸν Παφλαγόνα φίλον ποιήσοιντο, et in Hellen. IV. i. 39. ξένον σε, ὦ Ἀγησίλαε, ποιοῦμαι, et passim alibi. Itaque φίλον ποιησόμεθα verum est. Vitium concepit locus Herodoti VII. 29. ubi Xerxes ad Pythium ita dicit: ξεῖνόν τέ σε ποιεῦμαι [ἐμόν], nullo enim pacto ἐμόν addi potuit et expungendum est.

In V. vi. 4. Αὕτη γὰρ ἡ ἱερὰ ξυμβουλὴ λεγομένη [εἶναι] δοκεῖ μοι παρεῖναι, emendandum est Αὐτὴ γάρ, ut Pluygersius nuper docuit et alia comparans et Terentianum: *Ipsa si cupiat Salus | servare prorsus non potest hanc familiam.* Praeterea εἶναι spurium est: λεγομένη significat καλουμένη, ut nullus sit infinitivo locus. Eiusdemmodi interpolatio in vicinis apparet: ἂν μὲν εὖ ξυμβουλεύσας φανῶ πολλοὶ ἔσεσθε οἱ ἐπαινοῦντές με, ἂν δὲ κακῶς πολλοὶ [ἔσεσθε] οἱ καταρώμενοι, non tantum venusta et elegans ellipsis est, sed necessaria ut Attico scriptore compositio loci digna videatur.

In § 5. ἣν δὲ κατὰ γῆς σέλλησθε dici potest ad eos, qui ad inferos descendere parant, quod requiritur κατὰ γῆν dudum Dobraeus commendavit.

Xenophonti quoque reddendum, quod omnibus Atticis commune fuisse satis constat, sed a scribis tantum non ubique obscuratur, et alibi et in § 9. πλεῖν ἢ δώδεκα pro lectione librorum πλεῖον et πλέον.

Recurrunt interpolatores V. vi. 11. *οἱ μὲν ὑπώπτευον Φιλίας ἕνεκα τῆς Κορύλα λέγειν —, οἱ δὲ καὶ ὡς δῶρα ληψόμενον —, οἱ δὲ [ὑπώπτευον] καὶ [τούτου ἕνεκα λέγειν], ὡς μὴ πεζῇ ἰόντες τὴν Σινωπέων τι χώραν κακὸν ἐργάζοιντο*, pueris fortasse aliud agentibus ea possunt aliquam utilitatem habere, caeteri neque indigent talibus et malent carere. Durissimum est *τὴν Σινωπέων τι χώραν κακὸν ἐργάζοιντο*, quae est illa absurda verborum traiectio et quis umquam sic loquitur? Retrahe *τι* in suam sedem *κακόν τι* reponens. In § 12. articulus periit *οἱ ἄνδρες ᾕρηνται πορείαν, ἣν ὑμεῖς ξυμβουλεύετε*, intelligisse *τὴν πορείαν* requiri? Deinde *ὡς μηδένα καταλείπεσθαι ἐνθάδε* rescribendum videtur pro *ὡς ἕνα μή*. In § 20. *καὶ [ὡς] οἴκαδε ἀπελθόντας ὀνῆσαί τι τοὺς οἴκοι*, si *ὡς* expunxeris locus expeditus erit. Corruptum est in § 21. *προςατεῦσαι*, et omnino *προςατεύω* non est verbum Graecum, sed quod probabiliter reponam non habeo. Praepositionem mala manus addidit V. vi. 24. *διὰ τὸ ξυνεςρατεῦσθαι ἐν αὐτῇ [σὺν] Κλεάρχῳ καὶ Δερκυλίδᾳ*, in talibus nonnumquam *μετά* ponitur ut in Pluto vs. 504. *μετὰ σοῦ τε τὰ πλεῖςα σύνεισιν* et alibi, sed numquam *σύν* repetitur.

In § 25. speciosa admodum Naberi suspicio est locum sic esse supplendum: *ὥςε (ἐξεῖναι) τῷ (μὲν) βουλομένῳ ἐνοικεῖν, τῷ δὲ μὴ βουλομένῳ ἀπιέναι οἴκαδε.*

In § 27. *δεινὸν ἰδίᾳ μὲν Ξενοφῶντα πείθειν τε καταμένειν καὶ θύεσθαι ὑπὲρ τῆς μονῆς [μὴ κοινούμενον τῇ ςρατιᾷ], εἰς δὲ τὸ κοινὸν μηδὲν ἀγορεύειν περὶ τούτων*, puerile est in tam luculenta oppositione *ἰδίᾳ μέν — εἰς δὲ τὸ κοινόν* addere *μὴ κοινούμενον τῇ ςρατιᾷ*, neque Xenophon hoc verbo nisi composito uti solet.

In § 29. *ἔλεξε δὲ ὅτι ἐν τοῖς ἱεροῖς Φαίνοιτό τις δόλος καὶ ἐπιβουλὴ ἐμοί, ὡς ἄρα γιγνώσκων ὅτι αὐτὸς ἐπεβούλευε διαβάλλειν με πρὸς ὑμᾶς*, numquam expedies *ὡς ἄρα γιγνώσκων*. Locus et corruptus et interpolatus est. In *ἐμοὶ ὡς* latet *εἰδώς* et *εἰδὼς ἄρα ὅτι αὐτὸς ἐπεβούλευε* dixerat Xenophon eodem modo atque Aristophanes in Equitt. 652.

ὁ δ' ὑπονοήσας ὁ Παφλαγών, εἰδὼς ἄρα
οἷς ἥδεθ' ἡ βουλὴ μάλιςα ῥήμασι,
γνώμην ἔλεξεν.

ubi male spreverunt Editores ἄρα, quod in Marciano libro servatum est, et Ravennatis Codicis mendum τἄμα in θ' ἅμα refictum receperunt. Quanto melius in Ecclesiaz. vs. 91.

τί γὰρ ἂν χεῖρον ἀκροῴμην ἄρα
ξαίνουσα; γυμνὰ δ' ἐςί μοι τὰ παιδία.

admisissent Dobraei correctionem ἅμα ξαίνουσα. Apud Xenophontem postquam εἰδώς erat obscuratum aliquis de suo γιγνώσκων addidit.

Apertum sententiae vitium in V. vi. 31. librorum corruptelam arguit in turbis: καλόν μοι δοκεῖ εἶναι σωζομένους ἔνθα βουλόμεθα μισθὸν τῆς σωτηρίας λαμβάνειν. Optime senties vitium, si cum hac lectione illam compones, quae mihi vera esse videtur μισθὸν τῇ σωτηρίᾳ προσλαμβάνειν. Postquam neglecta praepositionis sigla λαμβάνειν scriptum est nihil aliud supererat nisi ut μισθὸν τῆς σωτηρίας refingeretur, quamquam ea scriptura prorsus est sensu vacua. Simillimus locus est VII. iii. 13. εἰ δὲ μισθὸν προσλήψοιντο εὕρημα ἐδόκει εἶναι. Μισθὸν προσλαμβάνειν apud Xenophontem comparari utiliter potest cum Diphili loco apud Athen. p. 292 B.

ἐῶ βοᾶν. πληγὰς γὰρ ἔνι προσλαμβάνειν.

Eadem opera alius locus persimilis mendo liberari poterit VII. vi. 30. εἰ δὲ δὴ ὁ συμπαρέχων ὑμῖν ταύτην τὴν ἀσφάλειαν μὴ πάνυ πολὺν μισθὸν προσετέλει τῆς ἀσφαλείας τοῦτο δὴ τὸ σχέτλιον πάθημα; Μισθὸς τῆς ἀσφαλείας non minus inepte dicitur quam τῆς σωτηρίας μισθός. Si τῇ ἀσφαλείᾳ scriptum esset aliquid minus esset ineptiarum, tu vero expunge τῆς ἀσφαλείας ac scribe πολὺν μισθὸν πρὸς ἐτέλει, ut in Platonis Apolog. p. 20 A. τοὺς νέους πείθουσι σφίσι ξυνεῖναι χρήματα διδόντας καὶ χάριν πρὸς εἰδέναι. Non est enim Graecum πρόσοιδα, sed pro πρὸς τούτοις vel προσέτι in talibus usitatum est πρός ponere, de qua re plura dicemus ad Demosthenem, cuius nunc unum tantum locum adscribo ex Orat. XXVII. 68. καὶ πρὸς ὑπὸ τούτων ὑβριζομένους.

In § 32. quam molestum sit πολλοί in verbis ὁμοῦ μὲν ὄντες [πολλοὶ] —, διασπασθέντες δέ admonitus senties: si quid esset addendum πάντες potius quam πολλοί adderetur: sed nihil opus: in ὁμοῦ ὄντες sunt omnia.

In § 36. non est Xenophontis manus ἐ δ ε δ ο ί κ ε σ α ν τὴν

ϛρατιάν, sed ἐδέδισαν, in qua forma ubique depravanda et obscuranda scribae omnes veluti coniurasse videntur. Veteres qua solent constantia dicebant omnes δέδιμεν, δέδιτε, δεδίασιν, et ἐδέδιμεν, ἐδέδιτε et ἐδέδισαν, et in imperativo δέδιθι, δεδίτω, δέδιτε. Iisdem formis utuntur poëtae antiquiores sic ut in reduplicatione *semper* diphthongus sit δείδιμεν, δείδιτε, ἐδείδιμεν, ἐδείδιτε, ἐδείδισαν, δείδιθι et δείδιτε. Δειδίτω nusquam mihi apud poëtam lectum est et δεδίασι in extremo hexametro ponitur: μάλα δὲ Τρῶες δεδίασι. Graeculi igitur haec omnia passim corrumpunt in δείδομεν aut δεδίαμεν pro δέδιμεν, aut δεδίατε pro δέδιτε, aut δεδιέτω pro δεδίτω, vel δείδετε pro δείδιτε, aut ἐδεδίεσαν vel ἔδεισαν vel ἐδεδοίκεσαν pro ἐδέδισαν. Ridet Phrynichus Lollianum, cui ἐδεδίεσαν exciderat pag. 180. Lob. Ἐδεδίεσαν: καὶ τοῦτο τῆς Λολλιανοῦ μούσης. σὺ δὲ λέγε τετρασυλλάβως ἄνευ τοῦ ε ἐδέδισαν, ad quem locum utilissima annotavit Lobeck, quem in ea re nescio quomodo laudant assidue omnes, sed nemo fere verissima praecipienti obtemperat. Adhuc commaculat Lysiam scriptura οὐκ ἐδεδίεσαν βασανισθῆναι in Orat. XIII. 27. Adhuc Isocratem inquinat οὐ γὰρ ἐδεδίεσαν in Areopag. § 33. In Hellenicis IV. ɪv. 16. οἱ πελταϛαὶ ἐδεδίεσαν emendavit Dindorf. ex Prisciano οἱ πελταϛαὶ ὤκνουν Xenophonteo more dictum. Apud Thucydidem quid designaverint scribae indicavit Lobeck, et est operae pretium diligenter spectare. Codices Mss. omnes V. 14. conspirant in τοὺς ξυμμάχους ἅμα ἐδεδίεσαν, et IV. 55. in ἐδεδίεσαν μή ποτε αὖθις ξυμφορά τις αὐτοῖς περιτύχῃ. In III. 52. in uno est δεδίαμεν, sed genuina forma δέδιμεν in sqq. semel et iterum incolumis evasit. Locum hunc adscribens Dionysius Halic. δεδίαμεν exhibet (vid. Lobeck.) non suo sed scribarum errore. Tertius est Thucydidis locus IV. 117, ubi in duas partes libri discedunt. Alii Λακεδαιμόνιοι δὲ ταῦτα τοὺς Ἀθηναίους ἡγούμενοι ἅπερ ἐδεδίεσαν φοβεῖσθαι, alii ἅπερ ἔδεισαν φοβεῖσθαι servant, mendosum utrumque. Genuinum est ἅπερ ἐδέδισαν, id est ἅπερ ἐφοβοῦντο, atque hoc (non ἐφοβήθησαν) postulat necessario loci sententia. Eadem confusio in Anabasi mihi observata est VI. ɪv. 7. ἔδεισαν δὲ καὶ τῶν τριηριτῶν πολλοὶ καὶ ἔφευγον, requiritur ἐφοβοῦντο, ut ex sqq. etiam facile colliges, et pro ἔδεισαν antiqua forma ἐδέδισαν unde

eiecta est restituatur. Praeter Lobeckium de ea re prudentissime Buttmannus scripsit, Grammaticorum princeps, sed huic quoque Editores non sunt satis dicto audientes. Adhuc Bergkius in Epigrammate, quod Simonidi tribuitur (Anthol. Palat. IX. 147), turpe mendum retinuit in Poët. Lyr. p. 797.

Ὦ ἴτε Δημητρὸς πρὸς ἀνάκτορον, ὦ ἴτε, μύςαι,
μηδ' ὕδατος προχοὰς δείδετε χειμερίους,

quum olim Buttmannus δείδιτε correxisset. Foedissimum idem mendum e Dionysio Halic. eluit Antiq. Rom. VI. 52, ubi πόλεμον δ' οὐ δείδομεν legitur sed δέδιμεν est sine ulla controversia, Buttmanno auctore, legendum. Prudenter idem iudicat de Platonis loco in Phaedro p. 251 A. ubi ridiculam formam et prorsus barbaram δεδιείη Bekkerus recepit. Sententia loci postulat εἰ μὴ ἐφοβεῖτο (non φοβοῖτο), itaque scribendum est: εἰ μὴ ἐδεδίει τὴν τῆς σφόδρα μανίας δόξαν θύοι ἂν ὡς ἀγάλματι καὶ θεῷ τοῖς παιδικοῖς. Sed desidero Buttmanni prudentiam in duobus aliis locis. Miror primum quomodo ferre potuerit in Pempeli fragmento apud Stobaeum Floril. LXXIX. 52. πᾶς δὴ νόον ἔχων τιμάτω καὶ σεβέτω καὶ δεδιέτω γονέων εὐχὰς ἢ κατάρας, quoniam satis perspicuum est δεδιέτω meram esse barbariem pro δεδίτω, et eiusdem farinae esse atque εἰσιέτω, ἀπιέτω sim., de quibus Phrynichus annotavit et Lobeck. p. 15 sq. Alter locus est Apollonii Rhodii III. 753.

πολλὰ γὰρ Αἰσονίδαο πόθῳ μελεδήματ' ἔγειρε
δειδυῖαν ταύρων κρατερὸν μένος.

ubi multa laboriose molitur Buttmannus ut δειδυῖαν recte habere videatur, quamquam et ipse mox barbarae formae taedio motus εἰδυῖαν coniecit. Sed neque correctione neque tenuissima philosophorum subtilitate ad caliginem offundendam opus est. Apollonius ipse turpiter impegit, quemadmodum alibi saepe in gravissimos errores implicare se solet et Graecitatis certam rationem et metri corrumpere. Quid eo homine facias qui II. 65. ᾔδειν dixit pro *sciebant:*

τῷ δ' αὖτ' Ἄρητός τε καὶ Ὄρνυτος, οὐδέ τι ᾔδειν
νήπιοι ὕςατα κεῖνα κακῇ δήσαντες ἐν αἴσῃ.

et II. 320. ἐνήρεινται formavit ab ἐνερείδω:

οὐ γάρ τε ῥίζῃσιν ἐνήρεινται νεάτῃσιν.

et ἡρήρειντο III. 1398, et (ut uno defungar) non dubitavit scribere ἐξεαγεῖσα IV. 1686.

πρυμνόθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν.

ut faex populi loquebatur. In eo non miramur I. 1001. εἴσόκε — ἐδάϊξαν qui potuit IV. 288. ὁπόταν ἐπιβήσεται scribere. Nec magis mirabimur III. 28. τὸν δ' ἂν οἴω — ἀνάξειν, sed sic ut eum testem Graecitatis ut minime idoneum recusemus, iudicemque prorsus imperitum reiiciamus. Idem cadit in permultos alios, quorum testimoniis et alibi passim et in hac quoque causa video Lobeckium et alios perlubenter utentes. Ridiculum est, ut dicam libere quod sentiam, Flavium Iosephum testem et auctorem producere, ubi de Graecitatis usu et ratione quaeritur. Perlegi nuperrime diligenter omnia eius quae exstant. Pessime Graece scribere et scatere erroribus vitiisque sermonis turpissimis vidi hominem in hac quoque re placentem sibi et perbene Graece scire se opinantem, ut nihil sibi desit praeterquam ἡ περὶ τὴν προφορὰν ἀκρίβεια, quam se Iudaeum hominem negat assequi potuisse, in libro XX. Antiq. Iudaic. circa finem. Complures alios sero natos Graeculos melius silentio praeteribis et contemnes, Iustiniani aequales et etiam seriores. Sed nollem Arrianum et Dionem Cassium in hac colluvie a Lobeckio collocatos mistosque videre. Subineptus homo Arrianus est, fateor, et difficile est non subridere ad eius vanitatem, qui sibi alter Xenophon esse videtur, utiturque oratione Graeca ex Atticis Ionicisque scriptoribus mirifico artificio mixta et composita, laciniis Xenophonteis et Herodoteis distincta, sed plebeiis tamen τῶν ἰδιωτῶν sordibus non inquinata. Sapit totus ex Veterum libris, nihil est in eo nativum, contexit lepide λέξεις sed antiquas et probatas. Itaque ἐδεδίεσαν ei I. I. 14. eximendum esse censeo, scribendumque θαρσήσαντες ὅτι ἀβλαβεῖς αὐτοῖς, ἃς μάλιςα ἐ δ έ δ ι σ α ν, αἳ ἅμαξαι ἐγένοντο. Quod autem sibi ipse primas in Graece scribendi facultate defert I. XII. 9. οὐκ ἀπαξιῶ ἐμαυτὸν τῶν πρώτων (melius τῶν πρωτείων) ἐν τῇ φωνῇ τῇ Ἑλλάδι, est ea non illepida ἀλαζονεία, qualis neminem magnopere movere solet aut fallere, et saepe me delectat homo bellulus et perelegans, quum sibi ipse inter scribendum egregie satisfacit et vix potest admirationem sui continere. Atque is

tamen Xenophontem se totum referre opinabatur! Nullas tamen in eius dictione deprehendo sordes aut errores ex vitiosa aequalium συνηθείᾳ susceptos, itaque quod Lollianus deliquit aliquis aut Flavius Iosephus in oratione nitida et scitula Arriani locum non habet. Eadem est Dionis Cassii ratio, qui dicendi apparatum et copiam optimorum scriptorum lectione collegerat, et non sectatur quidem dictionis venustatem aut nitorem, sed immunis est tamen tam foedi erroris, ut ἐδεδίεσαν potuerit scribere, quamobrem corrige XXXVII. 44. πάντες τὸν Πομπήϊον ἐδέδισαν, et XLI. 8. τὰ αὐτὰ ἐδέδισαν, et sicubi alibi occurrit.

Memorabilis admodum et animadversione digna est suspicio, quae Dindorfio ad Steph. Thes. venit in mentem *»in prosa Atticorum vix reperiri δέδια, δεδοίκαμεν, δεδοίκασιν et δεδοικέναι, sed dici δέδοικα, δέδιμεν, δεδίασιν* et *δεδιέναι, alia autem promiscue usurpari,"* quae mihi quidem verissima esse videtur observatio. Notarunt Veteres magistri δεδιυῖα ab Eubulo semel dictum. Idem semel usurpavit Plato, sed in oratione grandiloqua τὰ κατημαξευμένα vitans in Phaedro pag. 254 F. Coniunctivum δεδίῃ afferunt e Xenoph. Rep. Athen. I. 11. ἂν δὲ δεδίῃ ὁ σὸς δοῦλος ἐμέ, ubi quae praecedunt οὐκέτι ἐνταῦθα λυσιτελεῖ τὸν ἐμὸν δοῦλον σὲ δεδιέναι (ἐν δὲ τῇ Λακεδαίμονι ὁ ἐμὸς δοῦλος σὲ δέδοικεν), Dindorfii observationem egregie confirmant.

Concludam hanc annotationem emendatione Attici Oratoris, apud quem δεδίαμεν vitiose scriptum est. Est locus Isaei in Orat. V. 22. δεδίαμεν γὰρ μὴ ὄφλωμεν δίκας, cui δέδιμεν sine mora reddendum.

De imperativi forma δέδιθι et δείδιθι media longa apud Babrium et Nicandrum in priore parte satis diximus. Brevem esse oportere ratio docet, quam in δείδιθι Homerus, in δέδιθι Aristophanes usu comprobarunt. Apud Hesychium et alia monstra leguntur, quae huc pertinent, et Δείληθι: φοβοῦ, suo loco recte scriptum Δείδιθι. Quae Dindorfio *obscura* videtur glossa inter Δεδιώς et Δέδεξο media posita Δεδεκώς: δείσας, vellem reliquas non esse obscuriores. Luce enim clarius est Δεδεκώς: δήσας esse emendandum. Δέδεκα Graecum esse obliti sunt Editores Aeschinis in Orat. de F. L. § 134. ἀπέ-

φηναν Φωκέας — τοὺς δεῦρο ἐληλυθότας πρέσβεις δεδηκότας. Barbara haec forma est, cui tu δεδεκότας substitue.

Saepius Graeculi formam δέδεκα corruperunt; vide scripturas Codicum in Demosthenis Orat. XXIV. p. 764, 18, οὓς δέδεκε τὰ δικαςήρια, et in Epistola III. p. 1477, 27, περὶ ὧν τὸν πατέρα αἰτιῶνταί τινες τοὺς υἱεῖς δεδέκατε, ubi δεδέχατε nihili formam exhibent libri ad unum omnes.

De manifesta interpolatione in V. vii. 5. καὶ ἐὰν μὲν ἐγὼ φαίνωμαι ἀδικεῖν οὐ χρή με ἐνθένδε ἀπελθεῖν πρὶν ἂν δῶ δίκην· ἂν δὲ [ὑμῖν φαίνωνται ἀδικεῖν] οἱ ἐμὲ διαβάλλοντες οὕτως αὐτοῖς χρῆσθε ὥσπερ ἄξιον, iam alibi diximus φαίνωμαι ἀδικῶν emendandum (vel potius ex omnibus libris praeter unum H. revocandum), et delenda quae uncinis inclusimus, nihil enim innocentiam reis prodesse, si damnari ius erit ὅςις ἂν φαίνηται ἀδικεῖν. Est in vicinia locus non simplici interpolatione intricatus in re omnium simplicissima § 6. ἔςιν οὖν ὅςις τοῦτο ἂν δύναιτο ὑμᾶς ἐξαπατῆσαι ὡς ἥλιος ἔνθεν μὲν ἀνίσχει δύεται [δ' ἐνταῦθα], ἔνθα δὲ δύεται ἀνίσχει [δ' ἐντεῦθεν], his demum vinculis laxata oratio bene procedet. In § 8. πῶς ἂν οὖν ἐγὼ ἢ βιασαίμην ὑμᾶς — ἢ ἐξαπατήσας ἄγοιμι, concinnitas Attica ἀγάγοιμι requirit. In § 9. καὶ δὴ [καὶ] ἀποβαίνομεν εἰς τὴν χώραν, etiamsi omnes libri in καί addendo fideliter conspirarent tamen ea vocula retineri non potuisset. Nunc in optimis omissa est et nihilominus servatur. Ipsa natura locutionis καὶ δή notissimo usu positae, ubi quid fieri aut factum esse ponimus, non admittit alteram copulam. In § 10. ἀλλ' οὗτοί εἰσιν οἱ λόγοι ἀνδρῶν ἠλιθίων prorsus assentior Pluygersio ἀλλ' οὗτοί εἰσι λόγοι corrigenti. Non est *grata* quam appellant orationis negligentia sed inepta loquendi socordia, quae cernitur in § 13. δοκοῦσι δέ μοι καὶ ὑμῶν τινες — ἀγοράσαντές τι πάλιν ἀπῆλθον. Suspicor δοκεῖν δ' ἐμοί, quod dicendi genus non intellectum turbas dedit. Eadem de causa titubatum in § 18. ἐπεὶ μέντοι σφᾶς λέγειν [ἔφασαν] ὅτι οὐκ ἀπὸ κοινοῦ γένοιτο τὸ πρᾶγμα ἥδεσθαί τε αὐτοὺς καὶ μέλλειν πλεῖν δεῦρο. Veterem corruptelam vides. In quatuor optimis est: ἐπεὶ μέντοι ἔφασαν omissis σφᾶς λέγειν, in plerisque aliis ἐπεὶ μέντοι σφεῖς λέγειν ἔφασαν. Vera scriptura, me iudice, haec est: ἐπεὶ μέντοι σφᾶς λέγειν ὅτι, expuncto ἔφασαν, quod postquam irrepsit, sciolus ne so-

loeca esset oratio σφεῖς correxit scilicet. Recta oratio est: *ἐπεὶ μέντοι ἡμεῖς ἐλέγομεν ὅτι — ἥδοντό τε καὶ δεῦρο πλεῖν ἔμελλον*, quae quum in orationem indirectam converteretur haec necessario debuit forma exire: *ἐπεὶ μέντοι σφᾶς λέγειν ὅτι — ἥδεσθαί τε αὐτούς κτέ.* Quae imperitos Graeculos fefellit compositio *ἐπεὶ σφᾶς λέγειν* hodie neminem paulo doctiorem fallit. Exemplo uno utar ad locum emendandum. In Platonis Symposio p. 174 D. *ἐπειδὴ δὲ γενέσθαι ἐπὶ τῇ οἰκίᾳ τοῦ Ἀγάθωνος ἀνεῳγμένην καταλαμβάνειν τὴν θύραν*, pronomen necessarium intercidisse suspicor scribendumque *ἐπειδὴ δέ ἕ γενέσθαι*, circumspice in vicinia eiusdem loci, quam facile vetus illud *ἕ* et *οἷ* a scribis obscurentur.

Adde locum Demosthenis in Orat. XXIV. p. 766, 1. plane similem: *ἐπερωτήσας δὲ εἰ δίκαιος αὐτοῖς — ὁ νόμος φαίνεται, ἐπειδὴ φῆσαι τοὺς δικαστὰς, εἰπεῖν ὅτι αὐτὸς ἡγεῖται κτέ.*

Puerile additamentum deprehenditur in § 19. *καὶ οἱ ἄνδρες ἀποθνήσκουσι τρεῖς ὄντες [οἱ πρέσβεις] καταλευσθέντες.* In proximis aliud tenemus § 29. *δείσας μὴ [ἀδίκως] ἄκριτος ἀποθάνῃ*, pessime enim abundat *ἀδίκως*. Est ea ipsa summa iniuria si quis quem *ἄκριτον ἀποκτείνει*, itaque *δικαίως ἀποκτείνειν τινὰ ἄκριτον* absurdum est ac fieri omnino non potest. Exempla passim obvia: est unum ante oculos in § 28. In § 30 scribe *σὺν κηρυκείῳ* pro *κηρυκίῳ*. In § 31. scribendum esse *φυλακὴν ἰδίᾳ ποιήσηταί τις* pro *ποιήσῃ τις* alibi monuimus, praeterea in verbis *τὰ [ἐρυμνὰ] ὑπερδέξια ἔχων* fugit, credo, Dindorfium a Dobraeo *ἐρυμνά* eiectum esse. Res manifesta est et quid tritius quam *τὰ ὑπερδέξια* eo sensu? In § 32. *πῶς ἢ θεοῖς θύσομεν ἡδέως — ἢ πολεμίοις [πῶς] μαχούμεθα*, ea verba sic conformata sunt ut alterum *πῶς* insiticium esse appareat.

Nemo facile dixerit quid sit in § 33. *ἀγορὰν δὲ τίς ἄξει θαρρῶν*, sed nullo negotio quicumque Anabasin lectitavit reperiet nihil aliud quam *τίς παρέξει* verum esse. Mox *παρὰ πάντων* requiro pro *πάντων*. Denique in § 34. *πάντες ἔλεγον τοὺς μὲν τούτων ἄρξαντας δοῦναι δίκην* supplendum arbitror (*δεῖν*) *δοῦναι δίκην.*

In V. vii. 4. miror quomodo tamdiu Criticos vitium fugerit in verbis *ἐπεί μοι οὐκ ἐδίδως* namque etiamsi pueri sedulo didicimus *ἐδίδων, ἐδίδως* et *ἐδίδω* Graece dici, tamen certum est

non alias formas quam ἐδίδουν, ἐδίδους et ἐδίδου umquam fuisse in usu, quamobrem ἐδίδους est reponendum. Periit vocabulum ad sententiam necessarium in § 7. διέδωκα ἄλλοις ἄγειν, supple διέδωκα ἄλλα ἄλλοις, atque hoc demum est διαδιδόναι. In § 21. ἔχοντες ξίφη οὐ ψήφους παρέστητε καὶ ἐξῆν ὑμῖν ἐπικουρεῖν αὐτοῖς εἰ ἐβούλεσθε. Sententia postulat *adstabatis*, non *adstetistis*, quod vel solum ἐβούλεσθε arguit. Itaque corrigendum παρέστατε pro παρέστητε. Eodem ducit vulgata scriptura παρειστήκειτε. Compara quae adnotavimus ad I. VIII. 5, et vide IV. VII. 7. ὑφέστασαν optime a Schaefero emendatum pro ὑφίστασαν.

In § 22. τοιγαροῦν ἐξουσίαν ἐποιήσατε τοῖς κακοῖς αὐτῶν ὑβρίζειν [ἐῶντες αὐτούς], spuria sunt duo ultima vocabula, quorum sententia multo melius vocabulo τοιγαροῦν significatur. Praeterea ἐξουσίαν ποιεῖν τινί nihil significat nisi infinitivus accesserit unde appareat cuius rei potestatem vel licentiam alicui fecisse quis dicatur: ubi autem ὑβρίζειν huc retraxeris ἐῶντες αὐτούς stare loco nequeunt.

Insigne exemplum interpolationis in § 24. iunioribus operae pretium est animadvertere. Dederat Xenophon, ut Porsonus optime demonstravit, τοὺς κύνας τοὺς χαλεποὺς τὰς μὲν ἡμέρας διδέασι, τὰς δὲ νύκτας ἀφιᾶσι. Vide in quanto periculo illa scriptura fuerit: in omnibus libris praeter duos apparet δεσμεύουσι, compone cum his Hesychianum Διδείασι: δεσμεύουσιν et rem tenebis. In optimo teste δεδίασι scriptum est. Verbum δεσμεύειν pro δεῖν quamquam et alibi apud Xenophontem comparet; tamen non videtur Atticis antiquioribus fuisse usitatum, et si quando occurrit non meliore iure obtinere locum atque in Anabasi τὰς μὲν ἡμέρας δεσμεύουσι, sed de ea re alias dabitur annotandi locus.

In Anabaseos libro VI. I. 3. nunc tandem video Dindorfium ἐπὶ δὲ ξένια ἐδέχοντο αὐτούς emendasse, sed ita ut dicat »ἐπὶ ξένια *potius quam* ἐπὶ ξενίᾳ *probandum esse apud antiquiores.*" Sed ἐπὶ ξενίᾳ nil nisi ridiculus Graeculorum error est. Satis enim nunc inter omnes constat Veteres, si quis civem vocaret ad coenam ἐπὶ δεῖπνον καλεῖν solitos dicere, si quis hospitem καλεῖν ἐπὶ ξένια. Quam saepe in inscriptionibus et aliorum populorum et Atticis recurrit καλέσαι δὲ καὶ τοὺς πρέσβεις ΕΠΙ-

ΞΕΝΙΑ, ut res certa sit. Scribae solent *ἐπὶ ξενίᾳ* aut *ἐπὶ ξενίαν* de suo dare, sed nemini amplius imponere nunc debent.

Ne quis libris etiam optimis nimium tribuat animadvertito quod ex iis affertur in § 3. *κατακείμενοι δὲ ἐν σκίμποσιν ἐδείπνουν* pro *ἐν στιβάσιν*. Si quis eorum, qui ob fidem librorum *σκίμποσιν* probarunt et receperunt, huius rei experimentum sumere voluisset, quid esset *ἐν σκίμποδι κατακεῖσθαι* pro *ἐπὶ σκίμποδος καθῆσθαι* cito, credo, ad meliorem mentem rediisset.

Vehementer suspicor aliquam fallaciam nobis struxisse sciolos in § 5. *τέλος δὲ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον παίει, ὡς πᾶσιν ἐδόκει* [*πεπληγέναι τὸν ἄνδρα*], *ὁ δ' ἔπεσε τεχνικῶς πως*. Libri variant: alii *πεπληγέναι τὸν ἄνδρα*, alii *πεπληχέναι τὸν ἄνθρωπον* exhibent. Utrumque suppositicium esse arbitror: ubi ea expunxeris demum oratio optime procedet. Si enim *πεπληγέναι* retinendum esset *ὥστε πᾶσι δοκεῖν* fuisset scribendum. Caeterum non heri aut nudius tertius interpolatus locus est, ut patebit inspicienti Athenaeum p. 15 B.

In § 8. male obtemperatur libris melioribus resecto *ὅδε*, quod necessarium est in verbis: *ὁ δὲ τρόπος τῆς ὀρχήσεως ἦν* (*ὅδε*)· *ὁ μέν κτἑ.* Caeterum multo meliores lectiones equidem ex Athenaeo reciperem hasce: in § 8. *ὁ δ' ἐπειδὰν προΐδηται* [*ἀπαντᾷ*] *ἁρπάσας τὰ ὅπλα* [*καὶ*] *μάχεται πρὸ τοῦ ζεύγους* [*καὶ οὗτοι ταῦτ' ἐποίουν*] *ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν αὐλόν*, et in § 10. *τὸ Περσικὸν ὠρχεῖτο καὶ κρούων τὰς πέλτας ὤκλαζε καὶ ἐξανίστατο* pro *ὠρχεῖτο κρούων τὰς πέλτας καὶ ὤκλαζε*. Quod apud Athenaeum est *κροτῶν* natum est ex errore pervulgato ΚΡΟΤΩΝ pro ΚΡΟΥΩΝ. Passim enim in libris vetustis Υ et Τ confundebantur. Hinc apud Hesychium legitur *'Αλτεῖ* pro *ἀλύει*, *'Υρεῖ, Φοβεῖται* pro *τρεῖ*, *'Οτρέα* pro *οὐρέα*, et duplici mendo *"Ατματα, καθάρματα* pro *λύματα* ex Homerico versu:

οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.

Sic ΑΤΗΝ pro ΔΥΗΝ (*ἄτην* pro *δύην*) scriptum est apud Aelian. H. Anim. XVI. 24. et similia multa alibi reperiuntur. In § 11. ferri non potest *ἐπιόντες οἱ Μαντινεῖς — ἀναστάντες — ἦσαν ἐν ῥυθμῷ*, quid tandem, quaeso, est *ἐπιόντες*? In aliis est *ἐμπίνοντες* nullo sensu: ne *ἐμπιόντες* quidem pla-

cet. Ridiculum est enim hoc addere, quasi vero caeteri sobrii saltavissent. Omittit plane Athenaeus idque *ἐκ τῶν παρόντων* factu optimum.

In § 11. *οἱ λοχαγοὶ ἔλεγον προσιόντες — καὶ εὔνοιαν ἐνδεικνύμενος ἕκαστος ἔπειθεν αὐτόν*, corrigenti mihi *ἔπειθον* egregiam opem fert Aristophanes in Pluto vs. 758. ita scribens:

νύττουσι γὰρ καὶ Φλῶσι τἀντικνήμια
ἐνδεικνύμενος ἕκαστος εὔνοιάν τινα.

Perperam addita est praepositio in VI. I. 24. *μήτε προσδεῖσθαι τῆς ἀρχῆς μήτ' εἰ αἱροῖντο ἀποδέχεσθαι*, imo vero *δέχεσθαι*: si quis quid offert quod placet *δεχόμεθα*, audientes quod probamus *ἀποδεχόμεθα*. Etiam *ἀποδιδόναι* et *δέχεσθαι* sibi inter se respondent, ut VII. VII. 40. *ὄμνυμι δέ σοι μηδὲ ἀποδιδόντος δέξασθαι ἄν*, et aliis locis. Discrimen certum et perpetuum est, usus apud omnes frequentissimus. Contrario errore peccatum est apud Aeschinem de F. L. § 49. *ὁρῶν ἐπισημαινόμενον τὸν δῆμον καὶ δεδεγμένον τοὺς παρ' ἐμοῦ λόγους*, intelligisne *ἀποδεδεγμένον* necessario requiri?

In § 27. *ἐποίησαν [πᾶσαν] τὴν πόλιν ὁμολογεῖν Λακεδαιμονίους καὶ αὐτῶν ἡγεμόνας εἶναι* rectissime optimus liber H. omittit *πᾶσαν*. In rebus privatis omnibusque, quae privato consilio aguntur, *πᾶσα ἡ πόλις* rectissime dicitur, non item in publicis consiliis decretisque, ubi *ἡ πόλις* dici et debet et solet. Festive admodum Comicus Euripidis versiculum *παρῳδῶν* dixit:

ἡ πόλις ἐβούλεθ', ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει,

quum Euripides *ἡ Φύσις* dixisset. Sed quid exemplis opus est in re tritissima?

Facile apparet *ἄν* excidisse in § 32. *ὁ δ' ἔφη νομίζειν αὐτὸν Τιμασίωνι μᾶλλον συνάρχειν ἐθελῆσαι Δαρδανεῖ ὄντι*, imo vero *συνάρχειν ἂν ἐθελῆσαι*, si enim *ἄν* omisisset Xenophon non *ἐθελῆσαι* sed *ἐθέλειν* scriptum oportebat.

In VI. II. 1. primum restitue *ἀναγαγόμενοι* pro *ἀναγόμενοι*, cuius correctionis perspicua ratio est. In § 2. *ἔνθα λέγεται ὁ Ἡρακλῆς ἐπὶ τὸν [Κέρβερον] κύνα καταβῆναι*, bellissime dictum est, ut vides, *ὁ Κέρβερος κύων*. Quum alterutrum insiticium esse appareat non potest esse difficilis optio. Ibid. § 10. *ὡς αἰσχρὸν εἴη ἄρχειν [ἕνα] Ἀθηναῖον Πελοποννησίων καὶ Λακεδαιμονίων* vicinae syllabae *ἕνα* pepererunt, quod loci sententia re-

spuit. Omittunt et tres optimi testes, sed res ipsa tam perspicua est ut nihil testibus sit opus. Ἕνα Ἀθηναῖον sic dicitur quasi minus molesta res futura fuisset, si *plures* Athenienses cum imperio essent. Non sentiunt hoc Graeculi, quibus εἷς pro τις usitatum erat dicere.

Turpius etiam vitium in eadem § 10. delitescit in verbis καὶ τοὺς μὲν πόνους σφᾶς ἔχειν, τὰ δὲ κέρδη ἄλλους. Xenophon scripserat σφεῖς ἔχειν quasi praemisisset οἱ δὲ ἔλεγον pro οἱ δὲ λόγοι ἦσαν αὐτοῖς, sic enim in tali re Atheniensibus mos est dicere. Mirari haec Graeculi assolent, et non capiunt, unde temerariae nascuntur παραδιορθώσεις, de quibus saepius diximus.

Ibid. in § 15. non exputo quid sit Ξενοφῶν δὲ ἔτι μὲν ἐπεχείρησεν ἀπαλλαγεὶς τῆς ϛρατιᾶς ἐκπλεῦσαι, nihil enim significat ἔτι μέν et ἐπεχείρησεν ἐκπλεῦσαι verum non est. Suspicor antiquam scripturam fuisse: Ξενοφῶν δ' ἐπεθύμει μὲν ἀπαλλαγεὶς — ἐκπλεῦσαι, deinde Codice lacero aut perroso quum ΔΕΠΕ * * * ΜΕΝ superesset levem correctorem vulgatam commentum esse de suo. In iis quae statim sequuntur: θυομένῳ δὲ αὐτῷ τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ [καὶ κοινουμένῳ] πότερα λῷον καὶ ἄμεινον εἴη ϛρατεύεσθαι κτἑ. qui de suo inseruit καὶ κοινουμένῳ sciolus neque θυομένῳ quid esset recte cepit neque quam ineptum esset in tali re κοινοῦσθαι satis intellexit.

In VI. III. 2. receptum oportuit ἦγεν ἕκαϛος ὁ ϛρατηγὸς τὸν ἑαυτοῦ λόχον pro τὸ ἑαυτοῦ λάχος, idque nunc Dindorfium fecisse video. In § 12. articulum restitue οὕτω μὲν πολλῶν ὄντων (τῶν) πολεμίων, οὕτω δὲ τεθαρρηκότων. Eodem modo μέν excidit § 18. τοὺς (μὲν) μεγαληγορήσαντας ὡς πλέον φρονοῦντας ταπεινῶσαι βούλεται, ubi quod fideliores testes ὥϛε πλεῖον exhibent continere videtur veram lectionem ὥς τι πλέον φρονοῦντας. Non contemno in § 19. οἱ δὲ ἱππεῖς διασπειρόμενοι ἐφ' ὅσον καλῶς εἶχεν ἔκαιον ᾗ ἐβάδιζον indicium interpolationis ex Cod. H. ubi verba ᾗ ἐβάδιζον omissa sunt: rectissime. Quam inepte equites dicuntur βαδίζειν.

Recte Dindorfius in § 22. scripsit γρᾴδια. Libri ex antiqua scriptura ΓΡΑΙΔΙΑ aut γραίδια exhibent aut γραΐδια. Habent omnia ὑποκοριϛικά in -διον exeuntia in praecedenti syllaba Ι, quod cum praecedenti vocali coalescit in unum. Et ι

quidem atque *υι* in longum *ι* et *υ* abeunt, ut in *οὐσίδιον*, *οἰκίδιον*, *ἀργυρίδιον* et *ἰχθύδιον*, *βοτρύδιον*. In caeteris *-ᾴδιον* scribendum non *-άδιον*, et *-ῴδιον* non *-ώδιον*, ut in *κρεᾴδιον*, *κῴδιον*, *ζῴδιον*, aliisque, in quibus olim I periit ex analogia certa revocandum.

In § 24. vitiose omnes scribunt *συμμίξαι* et passim sic erratur. Est autem *ι* productum et scribendum *μῖξαι*, *συμμῖξαι*, *μεμῖχθαι* etc. In antiquissimis libris *μεῖξαι*, *συμμεῖξαι*, *μεμεῖχθαι*, *ἄμεικτος* et sim. saepe occurrunt. In Euripidis fragmento apud Stob. Floril. LXXXIII. 3.

ὅςις δ' ἀμείλικτον πατέρ' ἔχει νεανίας
ςυγνόν τ' ἐν οἴκοις μεγάλα κέκτηται κακά.

recte corrigunt *ἄμικτον πατέρ' ἔχει*. Natum est vitium ex AMEIKTON, quae scriptura aliquoties mihi visa in Papyris Herculanensibus. Praeterea verior scriptura esse videtur *ἀφίκοντο εἰς ταὐτόν*. conf. VI. IV. 9. et post pauca § 25. *τὸ αὐτὸ δείσαντες ἀπῆλθον* pro *τοῦτο δείσαντες*.

In VI. IV. 2. putidum additamentum est in verbis *καὶ οὓς ἂν λάβωσι τῶν Ἑλλήνων ἢ ἐκπίπτοντας ἢ ἄλλως πως δεινὰ ὑβρίζειν λέγονται* [*τοὺς Ἕλληνας*]. Num tu, qui haec legis, tam pueriliter *τοὺς Ἕλληνας* addidisses? Muretus et Schneiderus delenda censuerunt, sed Bornemannus *nihil hac omissione vidisse se audacius* clamat. Non vidit igitur multa Bornemannus. Omissa praepositio addenda est in § 3. *τὸ δ' ἐντὸς τοῦ αὐχένος χωρίον ἱκανὸν μυρίοις ἀνθρώποις οἰκῆσαι*, necessarium est *ἐνοικῆσαι*, quoniam sententia est *μυρίοι ἄνθρωποι ἐν τῷ χωρίῳ οἰκῆσαι δύνανται*. Non potest in tali re praepositio abesse. Exemplorum plena sunt omnia et paucissimi quidam loci sunt, ubi scribarum errores nobis corrigendi supersunt. Facetissime Aristophanes in Avibus vs. 38. Athenas appellat *πόλιν μεγάλην κεὐδαίμονα*

καὶ πᾶσι κοινὴν ἐναποτῖσαι χρήματα.

omissa praepositione *ἐν* oratio non fuisset Graeca. Emenda obiter Herodotum VII. 59. *ἔδοξε ὦν τῷ Ξέρξῃ ὁ χῶρος εἶναι ἐπιτήδεος ἐνδιατάξαι τε καὶ ἐξαριθμῆσαι τὸν ςρατόν*, cui *ἐναριθμῆσαι* reddendum. Optime Dindorfius in Anabasi VII. VII. 8. restituit *οὐδ' ἐναυλισθῆναι ὅσον δύνασαι ἐπιτρέπεις*.

In § 8. *οἱ δὲ καὶ ἄνδρας ἄγοντες, οἱ δὲ καὶ προσανηλωκότες*

χρήματα, miror quomodo non omnium consensu probatum sit προανηλωκότες χρήματα, quod mihi quidem solum rei convenire videtur. Προαναλίσκειν enim is dicitur, qui ita sumtus fecerit et erogaverit de suo, ut eos nummos *postea* cum lucro recipiat. Hac ipsa spe allectos facile intelligimus nonnullos χρήματα προανηλωκέναι quum ad Cyrum proficiscerentur, sed nemo credet quempiam Graecorum, ut cum Cyro militaret, *fecisse* rei familiaris *iacturam.*

In § 9. ἐπειδὴ δὲ ὑστέρα ἡμέρα ἐγένετο τῆς εἰς ταὐτὸν συνόδου, emendandum esse censeo ἐπεὶ δὲ δευτέρα ἡμέρα ἐγένετο, quoniam sic Graecis est consuetum dicere, qui numquam τὴν ὑστέραν ἡμέραν neque τὴν προτέραν ἡμέραν dicebant, sed omisso nomine τὴν ὑστεραίαν et τὴν προτεραίαν.

Iure Dindorfio in VI. iv. 9. in verbis: ἐπειδὴ τὰ ἱερὰ [καλὰ] ἐγένετο additum καλά *suspectum* esse videbatur. Non est parcendum manifesto sciolorum emblemati, et nusquam apertius quam in hac parte Anabaseos intelligitur *litantibus* dici γίγνεσθαι τὰ ἱερά. Inspice VI. iv. 13, 14, 16, 17, 18, 19, 22, 25, VI. v. 2. Multis aliis locis eadem locutio recurrit, et apud Thucydidem crebro legitur τὰ διαβατήρια ἐγένετο similiaque, ut in haruspicina ea vocabula concepta et solemnia appareat fuisse: γίγνεται τὰ ἱερά et τὰ ἱερὰ οὐ γίγνεται. Scioli in his turbare solent et de suo addere καλά aut χρηστά aut αἴσια, aut aliquid huiusmodi, ut in hoc ipso loco factum esse videmus. Eadem fraus Codicum meliorum indicio arguitur VI. iv. 13. ubi plures libri exhibent οὐκ ἐγίγνετο τὰ ἱερὰ [καλά], meliores manifestum emblema omittunt. Etiam manifestius additamentum tenemus VI. iv. 22. [καλὰ τὰ ἱερὰ δηλονότι], cuius in quatuor optimis nullum vestigium est. Iidem Codices in VI. v. 2. soli servant veram lectionem γίγνεται τὰ ἱερά, caeteri omnes fraude apertissima γίγνεται τὰ ἱερὰ καλά exhibent. Idem vitium supra ex Cyropaedia sustulimus. Utilissime cum his conferes locum Thucydidis V. 55. τὰ διαβατήρια αὐτοῖς ἐγένετο, ubi Graeculus scholiasta annotavit: καλὰ δηλονότι. Alius in Leidensi Codice ad διαβατήρια adscripsit in margine: τὰ ἱερεῖα εἰς διάβασιν, qui certe ἱερά dederat, non ἱερεῖα. Longe antiquissimum scholion exstat in ipsius Thucydidis oratione V. 116. ὡς αὐτοῖς τὰ διαβατήρια [ἱερὰ ἐν τοῖς

ὁρίοις] *οὐκ ἐγίγνετο*, nam quis est Thucydidis lector assiduus, qui non statim admonitus fatebitur verba *ἱερὰ ἐν τοῖς ὁρίοις* e scholio irrepsisse? *Τὰ διαβατήρια ἐγένετο* saepe in Hellenicis recte legitur, vide III. v. 7; IV. vii. 2; V. i. 33; V. iii. 14; V. iv. 37; VI. v. 12.

Ibid. VI. iv. 12. *τὴν μὲν πορείαν, ὡς ἔοικε,* [*δῆλον ὅτι*] *πεζῇ ποιητέον· οὐ γὰρ ἔςι πλοῖα.* Festivi ingenii Graeci est in re tam manifesta *ὡς ἔοικε* ponere, et saepe *ὡς ἔοικε* in ore est *τοῖς εἰρωνευομένοις.* Coniungere autem *ὡς ἔοικε δῆλον ὅτι* tam insanum est ac si quis vellet dicere: *apparere videtur.* Qui factum sit ut ab aliquo adscriberetur facile intelligitur.

In § 18. *ὡς γὰρ ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου χθὲς ἥκοντος πλοίου ἤκουσά τινος,* [*ὅτι*] *Κλέανδρος — μέλλει ἥξειν*, quis importunam voculam servari posse putat? Satis perspicuum est *ὅτι* ad *ἤκουσα* referri nullo modo posse. Poterat haec etiam sic disponere Xenophon ut diceret: *Κλέανδρος γὰρ μέλλει ἥξειν, ὡς ἐγώ τινος ἤκουσα*, quid igitur molesta particula fiet?

In § 22. *ἀνέκραγον ὡς οὐδὲν δέον εἰς τὸ χωρίον ἄγειν ἀλλὰ θύεσθαι ὡς τάχιςα.* Pro *δέον* requiritur *δέοι*, quam necessariam correctionem olim a Schneidero repertam miror recepisse neminem. In § 24. *ἀποκτείνουσι τῶν ἀνδρῶν οὐ μεῖον πεντακοσίους* in libris est, idque probari a plerisque video, quasi vero haec esset Graeca oratio. Graecum est *οὐκ ἐλάττους* (vel, ut Xenophon lubenter scribit, *οὐ μείους*) *τῶν πεντακοσίων*, vel *οὐκ ἔλαττον* (*οὐ μεῖον*) *ἢ πεντακοσίους*, quod hoc loco reponendum.

In § 26. *καὶ ἐξαπίνης διὰ τῶν λασίων τῶν Βιθυνῶν τινες ἐπιγενόμενοι τοῖς προφύλαξι τοὺς μὲν κατέκανον τοὺς δὲ ἐδίωξαν*, quid est, quaeso, *ἐπιγενέσθαι τοῖς προφύλαξι?* Nihil, ut opinor, et ne Graecum quidem. Qui repente *exoritur* dicitur *ἐπιφαίνεσθαι*, qui necopinato aliquem *adoritur* *ἐπιθέσθαι* dici solet. Itaque *ἐπιθέμενοι τοῖς προφύλαξι* reponendum esse censeo.

In VI. v. 2. ridicula lectio est *πρωῒ δ' ἀνας ὰς Ξενοφῶν ἐθύετο ἐπεξόδια*, dudum veram scripturam Schneiderus reperit, sed surdis cecinit auribus. Rectissime emendavit *ἐπ' ἐξόδῳ*, quemadmodum paulo ante sine labe scriptum est in VI. iv. 9. *ἐπ' ἐξόδῳ ἐθύετο Ξενοφῶν*, et § 13. *θυομένοις δὲ ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ οὐκ*

ἐγίγνετο τὰ ἱερά, et § 16. θυομένων δὲ πάλιν εἰς τρὶς ἐπὶ τῇ ἀφόδῳ, et aliis locis. Ἐπεξόδια omnino Graecum non est: εἰσιτήρια et ἐξιτήρια et κατιτήρια et διαβατήρια in tali re dicebant pro ἐπ' εἰσόδῳ, ἐπ' ἐξόδῳ, ἐπὶ καθόδῳ, ἐπὶ διαβάσει, non ἐπεισόδια aut ἐπεξόδια, aut ἐπικαθόδια aut quidquam huiusmodi. Leviter corruptus Hesychius est v. Κατικτηρία: ἡ ἐπὶ καθόδῳ θυσία, vera lectio est: Κατιτήρια. Immani errore apud eundem scribitur:

Κάππεσε: κατέπεσεν.

Καπητήρια: καταβατήρια.

imo vero κατιτήρια. ΤΙ in Π depravatum fuit. Foedius etiam paulo ante:

Κάππει: κατῆλθεν.

Καππεδίον: κατὰ τὸ πεδίον.

Nempe ΚΑΤΗΙΕΙ, κατήει, stolide in ΚΑΠΠΕΙ mutaverunt. Agnosces stupidum genus et apud Photium.

Καντήρια: καταβατήρια.

Κανοῦν: κανίσκιον.

viden κατιτήρια confusis ΤΙ et Ν in ΚΑΝΤΗΡΙΑ abiisse? Aliter in simili vocabulo peccatum apud Hesychium v. Εἰσηγητήρια: ὅταν ἄρχηται βουλεύειν ἢ θύειν. Corrigendum: Εἰσιτήρια ὅταν ἄρχηταί τις βουλεύειν θύει, ex Demosthene p. 400, 24. ἡ βουλὴ τὰ ἐσιτήρια ἔθυσεν. Plura dabit Pierson ad Moeridem p. 222, qui Κατιτήρια Hesychio et Photio occupavit reddere aliaque optimae notae aliunde collegit. Levi errore labitur Pierson in Polyaeni loco I. 10. Ἡρακλεῖδαι ἔθυον τῇ Ἀθηνᾷ τῶν ὀρείων ὑπερβατήρια, quum ὁρίων corrigendum esse putaret. Διαβαίνειν τὰ ὅρια dicebant et τὰ ἐν τοῖς ὁρίοις ἱερά constanter διαβατήρια appellantur, sed ὑπερβαίνειν τὰ ὄρη, quamobrem τῶν ὀρέων ὑπερβατήρια censeo esse emendandum. Itaque pro ἐπ' ἐξόδῳ optime ἐξιτήρια dici potest, ἐπεξόδια non potest. Hesychius: Ἐξιτηρία: ἡμέρα ἐν ᾗ τὰς ἀρχὰς ἀπετίθεντο Ἀθήνησιν. Optime Alberti vidit Ἐξιτήρια veram formam esse, falliturque Grammaticus, qui *diem* sic appellari putat: est enim ἡ ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς θυσία, et ἐξιτήρια θύειν eo sensu dicebatur. Apud Xenophontem non est difficile reperire unde vitium natum sit: nempe ἐπεξό (with δ written above) in Codd. scribi solet, (praepositione cum

nomine in unum coalescente, ut in καθοδόν pro καθ' ὁδόν, παροῖνον pro παρ' οἶνον, aliisque sexcentis) et terminatione a tachygraphis de more omissa. Hinc VI. iv. 9. quatuor optimi testes ἐπ' ἐξόδου exhibent pro ἐξόδῳ, veterem scripturam ἐξό^δ male explentes. Quicumque Codices paulo antiquiores versavit aut inspexit recordabitur quam sit hoc genus compendiorum frequens et in aliis et in nominibus ex ὁδός compositis. Itaque explosa scriptura, quam sola peperit scribarum inscitia, ἐπ' ἐξόδῳ in pristina sede aliquando reponatur.

Video nunc Dindorfium aliam loci emendandi rationem excogitasse et suam infelicem coniecturam recepisse in textum ἐθύετο ἐπ' ἐξοδείᾳ, quam formam comparat cum περιοδεία et ἐφοδεία, quod et ipsum in ἐφοδία depravari solere. Sed non animadvertit verbi ὁδεύω composita omnia (praeter unum ἐφοδεύω) esse Graecitatis senescentis et decrepitae adeoque nova nomina hinc formata esse omnia τοῦ πονηροῦ κόμματος. Veteribus, ut semel et iterum breviter indicavimus, nomen ὁδός sic respondet verbo ἔρχομαι (ἰέναι), ut οὐσία verbo εἶναι, caeterisque verbis fere omnibus nomen respondet aut ex se natum aut certe cognatum, diciturque ἰέναι ὁδόν, ut νόσον νοσεῖν, λόγον λέγειν, στρέφεσθαι στροφήν, aliaque sexcenta. Itaque verbo ἀπιέναι nomen ἄφοδος respondet, verbo παριέναι πάροδος, et sic nomina μέθοδος, περίοδος, ἔφοδος, σύνοδος, ἔξοδος, δίοδος cet. verbis μετιέναι, περιιέναι cet. ita respondent, ac si ex iis formata nataque essent. Ἄφοδος igitur est idem atque ἀπέλευσις, si esset hoc vocabulum in usu. Sic igitur ποιεῖσθαι ἔξοδον significat ἐξιέναι, ποιεῖσθαι πάροδον aut πρόσοδον est plane idem atque παριέναι et προσιέναι, et eadem est in caeteris omnibus ratio.

Veteres igitur quum verbo uti vellent quod nomini ἔξοδος responderet non aliter quam ἐξιέναι solebant dicere, ut περιιέναι pro ποιεῖσθαι περίοδον. Sequiores, qui nesciebant nominibus ex ὁδός compositis certum verbum iam suppetere, novas verborum formas ex iis male procudere coeperunt in -εύω exeuntes, pervulgato vitio labentis et morientis Graecitatis formis antiquis et simplicibus substituentes formas ineleganter productas. Quemadmodum enim Graeculi ex τροφή stulte forma-

runt novum verbum τροφεύω, ubi antiqua forma τρέφω fuerat utendum, sic διοδεύω et παροδεύω et συνοδεύω et περιοδεύω et ἐξοδεύω coeperunt dicere pro δίοδον, πάροδον, σύνοδον, περίοδον, ἔξοδον ποιοῦμαι, quum debuissent uti formis antiquioribus διέρχομαι, παρέρχομαι, συνέρχομαι, περιέρχομαι et ἐξέρχομαι. Hinc etiam simplici forma ὁδεύω crebro utebantur Graeculi pro ὁδὸν ποιοῦμαι, ἔρχομαι sive βαδίζω. Eadem ratio in aliis cernitur quam plurimis. Sequiores ex ἄροτρον procuderunt verbum novum ἀροτριᾶν pro ἀροῦν, quo solo utebantur antiquiores, et magna est talium copia. Hinc sequitur, si quis τροφεύω dicit aut ἀροτριῶ aut quidquam huiusmodi, statim apparere eum sequioris aetatis esse et vitiose loqui κατὰ τὴν τῶν νεωτέρων συνήθειαν. Ezechiel Tragicus (si Musis placet) apud Clem. Alexandr. Strom. I. p. 344 sq. inducit Mosen ita dicentem:

εἶπεν δὲ θυγάτηρ βασιλέως· τοῦτον, γύναι,
τρόφευε, κἀγὼ μισθὸν ἀποδώσω σέθεν.

nempe sic Alexandrini Graece loquebantur. Eodem modo si quis διοδεύω dicit aut παροδεύω aut ἐξοδεύω statim intelligimus eum scriptitasse postquam Graecia effoeta consenuisset. Eiusdem igitur monetae sunt nomina ex novis verbis propagata, veluti περιοδεία pro περίοδος. Ergo quam sit ἐξοδεία pro ἔξοδος a Xenophontis oratione alienum unicuique statim erit perspicuum: vivo Xenophonte praeter ἐξέρχομαι et ἔξοδος et ἔξοδον ποιοῦμαι nihil erat in usu. Facile erit iam cuivis ad explorandum ἐξοδεύω et διοδεύω et caetera composita nusquam apud veteres et probatos scriptores exstare, sed Polybium demum et Diodorum Siculum et Dionysium Halic. et Strabonem et Plutarchum caeterosque his similes perfrequenter istis verbis noviciis uti solere. Iidem soli utuntur nomine ἐξοδεία hinc nato, unde etiam de forma constat (in libris enim de more passim ἐξοδία scribitur), et ridiculum est istam formam Veteribus obtrudere, quamobrem redde Herodoto VI. 56. ἐν τῇσι ἐξόδοισι, id est ὁπότε ἔξοδον ποιοῖντο, pro ἐξοδίῃσι vel (quod in aliis est) ἐν τοῖσι ἐξοδίοισι.

Unum excepimus verbum ἐφοδεύω, quod probum et antiquum est de circuitoribus, qui in bello aut obsidione excubias vigilesque obeunt. Nempe ὁ τὰς φυλακὰς ἐπιὼν appellabatur ὁ ἔφοδος, qui proprie ἐφοδεύειν dicitur, et sic duae res diver-

sissimae diligenter suo utraque nomine distinguebantur. Ἐπιέναι, ἔφοδος, et ἔφοδον ποιεῖσθαι dicuntur de iis qui impetum in hostes faciunt, sed ὁ ἔφοδος *circuitor*, quum vigilias omnes obit, dicitur ἐφοδεύειν, quo militari vocabulo Xenophon in Hellenicis nonnumquam utitur, et diu ante Aristophanes in Avibus vs. 1160. Hinc nomen ἐφοδεία et ipsum probum et legitimum est pro munere et officio τοῦ ἐφοδεύοντος.

Hoc addo pro ἀπόπατος, ἀποπατεῖν et ἀποπάτημα, quibus solis utebantur Graeci antiquiores, circa Alexandri tempora ἄφοδος et ἀφοδεύω et ἀφόδευμα in usu esse coepisse: ἀφοδεύω vero pro ἀπέρχομαι faex Graeculorum dicebat.

Denique hoc tenendum: ὁδός cum praepositionibus omnibus componitur, quibuscum et verbum ἰέναι, et sic pariuntur substantiva singulis verbis compositis respondentia, διέξοδος, ἐπείσοδος, παρείσοδος, ἐπάνοδος, alia, quae per Graecitatis ingenium nullo modo possunt adiectivorum naturam induere, sed adiectiva sunt ea omnia, in quibus ἀ — et εὐ — et δυσ — inest. Itaque ἄνοδος, εὔοδος et δύσοδος adiectiva sunt, unde propagantur nova substantiva ἀνοδία, εὐοδία et δυσοδία. Diodorus Siculus utitur nomine παλινοδία XIII. 19. π α λ ι ν ο δ ί α ν δὲ καταναγκάσαντες ποιήσασθαι pro ἀναχωρῆσαι εἰς τοὐπίσω. Ἄνοδος quod verbo ἀνέρχομαι respondet quam diversum sit vides. Ergo εὐδίοδος, ἀνέξοδος, εὐέξοδος, δυσέξοδος, δυσδιέξοδος, εὐπρόσοδος, δυσπρόσοδος et alia quaedam adiectiva sunt significatione certa. Δυσπρόσοδος enim est πρὸς ὃν χαλεπόν ἐστι π ρ ο σ ι έ ν α ι, et ita in caeteris. Admoneo hoc ad arguendum errorem eorum, qui ἔφοδος adiectivum esse posse opinantur, cuius rei duo exempla afferunt, alterum ex Polyaeno I. 49. 3, cui pro ἔφοδον εἶναι τὸν λόφον ex ipsa Anabasi III. ɪv. 41. reddendum est ἔφοδον εἶναι (ἐπὶ) τὸν λόφον, alterum ex Thucydide VI. 66. παρά τε τὰς ναῦς σταύρωμα ἔπηξαν καὶ ἐπὶ τῷ Δάσκωνι ἔρυμα, ᾗ ἐ φ ο δ ώ τ α τ ο ν ἦν τοῖς πολεμίοις, cui pro ridicula lectione ex parte librorum restitue, quod etiam sine libris poterat ab unoquoque reperiri, εὐεφοδώτατον. Opponuntur inter se ἐχυρὰ χωρία et εὐέφοδα in Cyropaed. II. ɪv. 13, et passim εὐέφοδος eo sensu occurrit. Sed iam tempus est ad Anabasin ποιεῖσθαι τὴν ἐπάνοδον.

Librarii qui negandi particulam modo inepte omittunt modo

praepostere *οὐδὲν πρὸς ἔπος* adiiciunt de suo et utroque modo sententiam iocularem in modum pervertunt, voculam *οὐ* pessime inseruerunt VI. v. 15 *λέγει Σοφαίνετος ὅτι βουλῆς [οὐκ] ἄξιον εἴη εἰ διαβατέον — τὸ νάπος*. Quid? *ἕστησαν ἀγνοοῦντες εἰ διαβατέον εἴη τὸ νάπος* (§ 12). Ambigentibus quid sit factu optimum Xenophon cum aliis supervenit. Conferunt consilia quid sit agendum. Quis credat dicere potuisse Sophaenetum: *non esse operae pretium* de ea re deliberare? Imo vero dixit *ὅτι β ο υ λ ῆ ς ἄ ξ ι ο ν εἴη*, *εἰ διαβατέον τὸ νάπος*, *etiam atque etiam esse videndum*, an tam formidolosum facinus esset suscipiendum. Dissuadentis haec oratio est et caute dehortantis: itaque summa ope Xenophon contra nititur, sine cunctatione prorumpendum esse demonstrans, in qua oratione eximie emendavit Naberus locum in § 17. *ἐγὼ γοῦν ἥδιον ἂν σὺν ἡμίσεσιν ἐ π ο ί μ η ν ἢ σὺν διπλασίοις ἀποχωροίην*. Acute enim vidit in ΕΠΟΙΜΗΝ latere ΕΠΙΟΙΗΝ, *ἥδιον ἂν σὺν ἡμίσεσιν ἐ π ι ο ί η ν*, ut statim inter se opponuntur *ἐ π ι ό ν τ ω ν μὲν ἡμῶν — ἀπιόντων δέ*. *Ἕπεσθαι* et *ἀκολουθεῖν τοῖς πολεμίοις* non est *persequi* et *instare* hostibus *fugientibus*, sed *sequi* et idem iter ex aliquo intervallo emetiri.

Praeterea in verbis *καὶ τούτους οἶδ' ὅτι ἐπιόντων μὲν ἡμῶν οὐδ' ὑμεῖς ἐλπίζετε [αὐτοὺς] δ έ ξ α σ θ α ι ἡμᾶς*, *ἀπιόντων δὲ πάντες ἐπιστάμεθα ὅτι τολμήσουσιν ἐφέπεσθαι*, et *δέξεσθαι* rescribendum est et *αὐτούς* expungendum. Est enim *τούτους* non cum *οἶδ' ὅτι* coniungendum, quae *διὰ μέσου* sunt posita, sed cum *ἐλπίζετε* et *ἐπιστάμεθα*.

In § 24. *ἡδύ τοι ἀνδρεῖόν τι — ποιήσαντα μνήμην ἐν οἷς ἐθέλει παρέχειν ἑαυτοῦ* vitiose additum esse *ἐν* nonnulli viderunt, sed non minus vitiose *τις* abest, quod prorsus est necessarium, et sic est legendum: *μνήμην οἷς τις ἐθέλει παρέχειν ἑαυτοῦ*. Neque enim *ἐθέλει* subiecto carere potest neque aliud subiectum admittit quam *τις*, *ἕκαστος*, *ἕκαστός τις*, *εἷς ἕκαστος*, ut apud poëtam:

ἥδιστον δὲ τυχεῖν, οὗ τις ἕκαστος ἐρᾷ.

facillime autem *τις* excidere potuit, quoniam in libris ΟΙΣ, ЄΙΣ et ΤΙΣ passim confunduntur et saepius *εἷς* pro *τις* irrepit, nonnumquam *τις* apparet ubi *εἷς* requiritur. Hinc certa emendatione restitui poterit locus Dionis Chrysostomi Orat.

LXV. p. 601 M. ubi Emperius edidit de Pflugkii coniectura *ἔςι δὲ ἄτοπον· αὐτὸς μὲν ἕκαςος οὐ δύναται φέρειν ἐνίους τῶν εὐτυχούντων — τὴν δὲ τύχην θεὸν οὖσαν ἀξιοῖ τοῖς αὐτοῖς τούτοις συζῆν ἄχρι παντός.* Libri exhibent *ἄτοπον εἴ τις μὲν ἕκαςος οὐ δύναται φέρειν*, ubi ΤΙΣ ex ΕΙΣ natum est, nam Dio scripserat: *ἔςι δὲ ἄτοπον εἰ εἷς μὲν ἕκαςος οὐ δύναται φέρειν.* Contra in Aeschinis Timarchea § 164. *ἀνὴρ εἷς τῶν πολιτῶν (τὸ δ᾽ ὄνομα οὐ λέξω) — λέγεται κατὰ συνθήκας ἡταιρηκέναι*, Graeculorum est *εἷς* pro *τις* dicere (vide Iacobsium ad Aelian. de Nat. Anim. p. 174, 2), et Oratori reddendum: *ἀνήρ τις τῶν πολιτῶν.* Redde obiter Diodoro Siculo X. xv. 3. *εἷς γέ τις* pro *εἷς γε* in verbis *καὶ γὰρ ἂν μὴ πάντες, εἷς γέ τις τῶν εὖ πεπονθότων — ἀπέδωκε χάριν.* Apud eundem VIII. 20. *φάσκειν κατὰ τὴν ἀποδημίαν * πόλιν ἐλευθέραν ἑωρακέναι τὴν τῶν Μιλησίων*, nihil est facilius quam lacunam explere sic: *κατὰ τὴν ἀποδημίαν (μίαν) πόλιν ἐλευθέραν.* Passim qui veteres libros uncialibus litteris exaratos describebant literas bis repetitas aliud agentes omittebant, ut in ΑΠΟΔΗΜΙΑΝΜΙΑΝ. In vetusto oraculo apud Diod. Sic. VIII. 25.

*ἐλθόντες Σικελὴν * χθόνα ναίετον ἄμφω*,

tu supple: *ἐλθόντες Σικελὴν (καλὴν) χθόνα.* Similiter apud eundem XII. 17. *τὸν μὲν ἀντεκκόψαι τὸν δράσαντα ἔλαττον ὑπέλαβε*, tres litterulae perierunt ex *τὸν μὲν* ΕΝΑ *ἀντεκκόψαι* legendumque *τὸν μὲν ἕνα ἀντεκκόψαι*, et magna passim est talium copia. Non teneo me quin his unum adiiciam in Pseudo-Plutarchi libello *de vita et poësi Homeri* p. 1080, ubi Atticorum proprium esse scribit *τὸ τοῖς θηλυκοῖς ἀρσενικὰ ἄρθρα ἢ μετοχὰς ἢ ἐπίθετα συντάσσειν, ὡς τὼ χεῖρε, τὼ γυναῖκε, καὶ παρὰ Πλάτωνι δὲ, ἄγοντε καὶ φέροντε.* In antiquo libro fuerat scriptum ΠΛΑΤΩΝΙΙΔΕΑΑΓΟΝΤΕ id est *καὶ παρὰ Πλάτωνι· ἰδέα ἄγοντε καὶ φέροντε*: respicit notissimum Platonis locum in Phaedro p. 237 D.

In libro VI. vi. 3. vitiosum est *κατῆγον* in verbis *καὶ οἱ παραπλέοντες ἄσμενοι κατῆγον* et corrigendum est *κατήγοντο.* *Κατάγεσθαι* enim dicuntur qui appellunt et portum subeunt, sicuti *ἀνάγεσθαι* qui solvunt ex portu et altum petunt. *Ἀνάγειν* dicitur is qui naves ex portu educit, *κατάγειν* qui in portum deducit, et tritissimum est *κατάγειν* de eo, qui naves prae-

ternavigantes aut in alto deprensas per vim retinet et captas deducit in portum. Nota res est, de qua vid. Harpocrat. v. Κατάγειν τὰ πλοῖα, ibique Interpretes. Illud ipsum, auctore Xenophonte, Graeci fecerunt Anab. V. I. 11. et passim Graeci etiam sequiores sic loqui solent, ut ridiculum sit κατάγειν et κατάγεσθαι inter se permutare. Rectissime Schneiderus in § 5. καί expunxit in verbis καὶ ἐπὶ λείαν τινὲς οἰχόμενοι — [καὶ] εἰλήφεσαν πρόβατα πολλά, sed nemo praebet aurem.

Non credo Xenophontis esse in § 9. ἦρχον δὲ τότε πάντων τῶν Ἑλλήνων οἱ Λακεδαιμόνιοι, neque necessaria ista sunt nec habent colorem orationis antiquae. *Romani* postea πάντων τῶν Ἑλλήνων ἦρχον, Lacedaemonii § 12. τῆς Ἑλλάδος dicuntur προεστάναι, et § 13. καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ ἐν τῇ θαλάττῃ ἄρχειν, sed satis perspicuum est quam sit diversum προστάτας εἶναι τῶν Ἑλλήνων et τὴν ἡγεμονίαν τῶν Ἑλλήνων ἔχειν, ab illis, quae spuria esse contendimus.

In § 10. εἰ μή τις ἐκδώσει τὸν ἄρξαντα βάλλειν articulus excidit τὸν ἄρξαντα τοῦ βάλλειν, ut I. IV. 15. ἄρξαντες τοῦ διαβαίνειν, et aliis locis. Deinde optime Schaefer ὃν ἐξῄτει emendavit pro ἐζήτει, solent haec in libris confundi et respondent sibi inter se ἐξαιτεῖν et ἐκδιδόναι. In § 13. ἀποκλῄσει pro ἀποκλείσει recipiendum ex optimis libris ἀποκλῄσει servantibus, et alibi saepius veteres formae κλῄω, κέκλῃμαι cet., ut supra diximus, Xenophonti reddendae.

Male abundat pronomen in § 14. καὶ γὰρ αἱ πόλεις [ἡμῶν], ὅθεν ἐσμέν, πείθονται αὐτοῖς, et in § 15. requiro ἂν αὐτὸς Ἀγασίας φῇ pro φήσῃ, et in § 18. suppleverim τούτου (οὖν) ἕνεκα, saepe vidi post -ου excidisse OΥ (οὖν). Eodem modo corrige VII. I. 6. τούτου (οὖν) ἕνεκα μηδὲν τελείτω. Frigidissime Graeculi necessariam ellipsin suppleverunt in § 22. τοῦτον μὲν γὰρ οἶδα ἄνδρα ἀγαθὸν ὄντα, Δέξιππον δὲ [οἶδα] αἱρεθέντα ὑπὸ τῆς στρατιᾶς — [καὶ] ἀποδράντα [Δέξιππον] καὶ προδόντα τοὺς στρατιώτας, haeccine Xenophontem ita scripsisse putabimus?

Agnosco stilum interpolatoris in § 24. εἰ δὲ σὺ ἦγες ἢ ἄλλος τις τῶν παρὰ σοῦ [καὶ μὴ τῶν παρ' ἡμῶν ἀποδράντων], εὖ ἴσθι ὅτι οὐδὲν ἂν τούτων ἐποίησα, inducenda sunt verba otiosa nec bene cum caeteris coniuncta et male Graeca καὶ μὴ τῶν παρ' ἡμῶν ἀποδράντων, quasi vero multitudo esset eorum, qui clam

e castris se surripuissent. Vitiose autem dictum est *παρ' ἡμῶν ἀποδράντες*: Veteres dicebant: *οἱ ἡμᾶς ἀποδράντες*, *ὁ παῖς μ' ἀπέδρα*, *ἀποδιδράσκουσιν αὐτὸν οἱ οἰκέται*, et sim. In § 25. *βίαν χρῆναι πάσχειν αὐτόν* corruptum esse video, nam quis quaeso *βίαν πάσχω* Graecum credat esse? sed quid emendandum sit non video. In § 34. *ἐγὼ περὶ ὑμῶν ἐνίων ἤκουον ὡς τὸ ϛράτευμα ἀφίϛατε ἀπὸ Λακεδαιμονίων*, vera lectio est *ἀφίϛαιτε*, nam sic et alibi passim videbis Xenophontem in tali re scribere solere, et prorsus necessarius est optativus, ubi quis ex aliena persona ea refert, quae sibi *falsa* videri significat. Cleander quum dicit *ἤκουον ὡς τὸ ϛράτευμα ἀφίϛαιτε* palam facit se istis iam fidem nullam habere.

In § 38. *ἔδοξεν αὐτοῖς τοὔμπαλιν ὑποϛρέψαντας ἐλθεῖν* et hoc loco *εἰς τοὔμπαλιν* reponendum esse censeo et aliis compluribus apud Xenophontem locis.

In libro VII. cap. I. 4. *Ξενοφῶν δὲ εἶπεν αὐτῷ ὅτι ἀπαλλάξοιτο ἤδη ἀπὸ τῆς ϛρατιᾶς*, admonuimus iam antea *ἀπαλλαξείοι* reponendum esse videri, quo reposito praepositio *ἀπό* inducenda erit.

Quod in § 6. meliores libri addunt *ἀσφαλές*, deteriores omittunt, factum est (ut nonnumquam alias), ut emblema in solos meliores irrepserit. Ἀσφαλές in margine annotatum est ab aliquo, cui cautum Xenophontis responsum placebat. Nihil erat Seuthae a Graecis metuendum, quos multa pollicitando in interiorem Thraciam secum abducere volebat. Itaque *ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ συμφέρειν* dicere Xenophon poterat, sed optimum dictu erat *ὡς ἂν αὐτῷ δοκῇ*. In § 8. *οὐ ταχὺ ἐξέρπει τὸ ϛράτευμα*, Doricum verbum est *ἕρπω*, *ἀφέρπω*, *προσέρπω*, *ἐξέρπω*, pro *ἔρχομαι* aut *βαδίζω*, *ἀπέρχομαι* etc. Igitur ipsa Cleandri verba servasse Xenophon videtur. Vitiose admodum Hesychius: Ἐξερπετεῖν: *ἐξεῖναι* pro Ἐξέρπειν: *ἐξιέναι*. In § 10. *ἐγώ σοι συμβουλεύω ἐξελθεῖν μὲν ὡς πορευσόμενον* recipienda est Hirschigii correctio *ὡς συμπορευσόμενον*, et in § 11. *καὶ προσανειπεῖν* divisim scribendum *καὶ πρὸς ἀνειπεῖν*, sexcenties in talibus peccatur.

In § 14. *τῶν λοχαγῶν τις διαγγέλλει εἰς τὸ ϛράτευμα*, mirum ni Xenophon *ἐξαγγέλλει* dederit, ut solet de iis rebus; quae *evulgantur*. Quoties *δι* et *εξ* ostendimus permutari?

Apud Achillem Tatium IV. 15. aequo animo ferunt editores: *σὺ δὲ διηγητὴς γενοῦ τῶν θείων μηνυμάτων.* Satin perspicuum est *ἐξηγητής* scribi oportere? Tum *Διηγητής* obiter exime e Lexicis, nam hoc solo loco nihili vocabulum nititur.

In § 20. *οὐ γὰρ ἱκανοὶ ἐδόκουν εἶναι οἱ ἐν τῇ ἀκροπόλει σχεῖν τοὺς ἄνδρας*, speciosa admodum est Naberi suspicio *ἴσχειν* reponentis. Palam est unde vitium sit natum.

In § 22. Graeculus ad verba *θέσθε τὰ ὅπλα ἐν τάξει ὡς τάχιστα* adscripsit: [*βουλόμενος αὐτοὺς κατηρεμίσαι*], et idem statim ad *ἐπεὶ δὲ ἔκειτο τὰ ὅπλα* addidit [*καὶ κατηρεμίσθησαν*], est autem ea puerilis interpretatio in re, quae luce clarior est omnibus, qui quidem intelligant quid sit *θέσθαι τὰ ὅπλα* et *τὰ ὅπλα ἔκειτο*, praeterea verbum *κατηρεμίζω* multis demum post Xenophontem aetatibus natum est. In § 24. *τὸ δὲ χωρίον οἷον κάλλιστον ἐκτάξασθαί ἐστιν* emenda *ἐντάξασθαι*, de quo genere loquendi supra nonnulla diximus. Quod legitur in § 27. *ἡμεῖς γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι ἤλθομεν εἰς τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Λακεδαιμονίους καὶ τοὺς συμμάχους ἔχοντες τριήρεις μέν κτἑ.* egregie facit ad vindicandam verissimam scripturam in Thucydidis prooemio *ἀκμάζοντές τε ἦσαν ἐς αὐτὸν* (*τὸν πόλεμον*) prae futili lectione *ἦσαν*. Ter *ἰέναι εἰς τοὺς πολέμους* in libro I. Thucydidis recurrit cap. 78 et 118 et 123. et *ἤλθομεν εἰς τὸν πόλεμον* solum controversiam dirimere posset. Post pauca Xenophon ita dicit § 27. *ὑπαρχόντων δὲ πολλῶν χρημάτων ἐν τῇ πόλει*, sed in ea quidem re popularium dicendi morem retinere debuit et *ἐν πόλει* dicere, id est *ἐν τῇ ἀκροπόλει*, non *ἐν τῇ πόλει*, id est *Ἀθήνησιν*. Athenienses Veteres sine articulo *ἐν ἄστει*, *ἐξ ἄστεως*, *ἐν πόλει*, *ἐκ πόλεως*, *εἰς πόλιν* et sim. dicebant, quod diu tenuit et post Xenophontis aetatem demum mutari coeptum est. Novum emblema in vicinia conspicitur *ἔν τε τῇ Ἀσίᾳ πολλὰς ἔχοντες πόλεις καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἄλλας τε πολλὰς καὶ αὐτὸ τοῦτο τὸ Βυζάντιον ὅπου νῦν ἐσμὲν* [*ἔχοντες*], non tantum invenuste sed putide repetitum participium est, in quo expungendo Hirschigium mecum sentire video. In § 28. *Λακεδαιμονίων μὲν καὶ τῶν Ἀχαιῶν συμμάχων ὑπαρχόντων, Ἀθηναίων δὲ καὶ ὅσοι ἐκείνοις τότε ἦσαν σύμμαχοι πάντων προσγεγενημένων κτἑ.* mirifica haec est *Achaeorum* mentio, quos expulit Dobraeus eximia

emendatione, quam supra commemoravimus: *Λακεδαιμονίοις μὲν καὶ τῶν ἀρχαίων συμμάχων ὑπαρχόντων*, ubi eandem nuper a Badhamo repertam esse vidimus, quem Dobraei annotatio fefellerat. Sic aliae complures palmariae emendationes in Dobraei Adversariis verbo tantum indicatae Editores fugiunt, qui saepe frugibus repertis glandibus vescuntur.

Dindorfius neque Dobraei neque Badhami immemor verissimam correctionem recepit.

In § 29. *βάρβαρον μὲν πόλιν οὐδεμίαν ἠθελήσαμεν κατασχεῖν, Ἑλληνίδα δὲ εἰς ἣν πρώτην* [*πόλιν*] *ἤλθομεν ταύτην ἐξαλαπάξομεν* tam ineleganter et praeter veterum morem repetitum est *πόλιν*, ut prorsus Hirschigio assentiar importunum vocabulum inducenti. Praeterea inserta vocula *δέ* scribendum *ταύτην δ' ἐξαλαπάξομεν* ea de causa, quam supra multis exposuimus. Novum exemplum suppeditat Demosthenes in Orat. 48. § 39. *ἃ δ' ἐγὼ ἐρῶ πρὸς ὑμᾶς — ταῦτα δὲ ὑπόνοια οὐδεμία ἔϛαι.*

In § 33. *οὐ φεύγων τὴν Ἑλλάδα περιήει ἀλλὰ ϛρατηγιῶν*, monstrum lectionis *περιήεισιν*, quod nonnulli libri habent, verae scripturae *περιήειν* vestigia servat, idque Xenophonti reddendum. Satis demonstravimus antea in quanto periculo illae formae soleant versari. Non habebant Graeculi Atticam aurem et quid mirabimur istos *περιήει ἀλλά* ferre posse, quum statim § 34. *παρὰ Ἀναξιβίου*, et alibi *παρὰ Ἀριαίῳ, παρὰ Ἀριϛίππῳ, μετὰ ἀδικίας* et alia huiusmodi sexcenta aequissimis ferant auribus, quae omnia bona fide retinent Editores. Nemo tamen nescit scribarum hos esse errores, qui elisas vocales passim etiam apud poëtas addunt de suo. Putidum esset huius rei exempla afferre, nisi perridiculum exemplum esset ad manum. Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* § 70. scribit: *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα ἐν συναλοιφῇ μὲν λεγόμενα δύσφωνα ἦν, διαιρεθέντα δὲ καὶ συγκρουσθέντα εὐφωνότερα, ὡς τό· πάντα μὲν τὰ νέα καὶ καλά ἐϛιν, εἰ δὲ συναλείψας εἴποις· καλά ἐϛιν δυσφωνότερον ἔϛαι.* Ergo neque scribae neque editores quid diceret Rhetor cogitaverunt sed aliud agentes *εἰ δὲ συναλείψας εἴποις καλά ἐϛιν* pro *κάλ' ἐϛίν* substituerunt et oscitantiae memorabile documentum dederunt. Eat nunc aliquis et in tali re credat librariis.

Articulus perperam adhaesit § 37. τῇ δ' ὑστεραίᾳ [ὁ] Κοιρατάδης μέν, nam sic ὁ μὲν Κοιρατάδης fuerat scribendum. Se meì occurrit in Graecorum libris vocabulum δάσμευσις, quo Xenophon in eadem § utitur καταθέμενος ὡς ἐπὶ δάσμευσιν. Hesychius Δάσμευσις: διαίρεσις, quod ex hoc ipso loco sumtum. Melius pro διαίρεσις dixisset διανομή, namque δαίομαι est διανέμω, διαμερίζω, unde τὸ δάσμα, quod apud solum Hesychium exstat Δάσματα: διαμερίσματα. Hinc δασμεύειν, quod nusquam comparet, et δάσμευσις. Hoc quoque vocabulum Atticis inusitatum ab Ionibus aut Doribus sumsit Xenophon.

Delenda est molesta copula minime coniungenda coniungens in § 41. ἀναλαβὼν τὰ ἱερεῖα ἀπῄει [καὶ] τὴν στρατηγίαν ἀπειπών, id est ἀπεῖπε τὴν στρατηγίαν καὶ ἀπῄει. Sine vitio legitur I. I. 7. ὑπολαβὼν τοὺς φεύγοντας συλλέξας στράτευμα ἐπολιόρκει Μίλητον, id est ὑπολαβὼν συνέλεξε — καὶ ἐπολιόρκει. Saepissime vidi καί praeter sententiam a scribis interpolatum.

Nusquam vidi καί infelicius et cum maiore sententiae detrimento additum quam apud Diodorum Siculum XIV. 101. οἱ δὲ Θούριοι — διά τινων στενῶν καὶ ἀποκρήμνων ὁδῶν ἐπορεύθησαν βουλόμενοι λαὸν [καὶ] πόλιν εὐδαίμονα πολιορκῆσαι. Quod in eo loco certa emendatione reponendum esse animadverteram a Dindorfio quoque repertum esse video, nempe Λᾶον πόλιν εὐδαίμονα. Λᾶος oppidum in ea vicinia non est ignobile. Non minus manifestum est eandem voculam importune insertam esse in oratione prima κατ' Ἀριστογείτονος § 47 βοῶν καὶ κεκραγὼς [καὶ] ἰοὺ ἰού, πάντ' ἄνω τε καὶ κάτω ποιῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις. Coniungenda esse κεκραγὼς ἰοὺ ἰού, et per se satis perspicuum est et confirmabit Aristophanes in Pace vs. 345.

In VII. II. 5. οἱ μὲν τὰ ὅπλα ἀποδιδόμενοι ἀπέπλεον, rescribe ἀποδόμενοι, proficiscebantur enim, ut opinor, armis venditis, non *arma vendentes*. Praeterea in aoristo forma ἀπεδόμην utuntur boni scriptores, in perfecto πέπρακα, in praesenti et futuro πωλῶ et πωλήσω. In § 6. legitur ἐπιστέλλει — ἀποδόσθαι. ὁ δὲ Κλέανδρος οὐδένα ἐπεπράκει, et VII. III. 5. οὔτε

πωλήσειν ἔτι ὑμᾶς φησὶν ὥσπερ ἐν Βυζαντίῳ, et sic passim eam rationem constare videbis.

Idem error commissus est in § 25. *ὑπισχνούμενος εἰ ἄγοιμι τὸ ςράτευμα πρὸς σέ, τἄλλα τέ σε φίλῳ μοι χρήσεσθαι κτέ.* ubi aoristus *ἀγάγοιμι* restituendus est, compara § 24. *ὑπισχνούμενός μοι εἰ ταῦτα πράξαιμι εὖ ποιήσειν*, et alibi passim.

Contra futurum pro praesenti vitiose legitur VII. III. 10. *ὁπόσα δ' ἂν ἁλίσκηται ἀξιώσω αὐτὸς ἔχειν*, ubi *ἀξιῶ* dixisse regem, non *ἀξιώσω*, perspicuum est. Quidquid esset bello captum ut ad se referatur nunc maxime *postulat*, quum de conditionibus agit, quibus Graecis sit stipendium daturus. Rectissime autem in vicinis futura leguntur, ubi aut novis sociis pollicetur aliquid § 10. *τιμήσω — ἕξετε*, aut quomodo eorum opera usurus sit declarat § 11. *πειρασόμεθα* et § 12. *ἀξιώσεις*. Haec ipsa scribas oscitantes impulerunt ut pro *ἀξιῶ* futurum *ἀξιώσω* substituerent.

In § 14. *εἴ τις ἀντιλέγει λεγέτω, εἰ δὲ μή, ἐπιψηφιζέτω ταῦτα.* Ridicula lectio est *ἐπιψηφιζέτω*, quasi vero quilibet *ἐπιψηφίζειν*, *in suffragium mittere*, potuisset. Ipsius Xenophontis hoc erat, idque se facturum dicit si nemo contra diceret: *εἰ δὲ μή, ἐπιψηφιῶ ἐγὼ ταῦτα*, atque ita factum est: *ἐπεὶ δὲ οὐδεὶς ἀντέλεγεν ἐπεψήφισε καὶ ἔδοξε ταῦτα.* Compara V. I. 14. *ὁ δὲ* (Xenophon) — *ἐπεψήφισε μὲν οὐδέν*, et V. VI. 35. *ἔγνωσαν ὅτι — Ξενοφῶν αὐτὸς ἐπεψηφικὼς εἴη.* Deinde pronomen *ταῦτα* male abundans et auribus molestissimum expunge in verbis: *εὐθὺς δὲ Σεύθῃ εἶπε [ταῦτα] ὅτι συςρατεύσοιντο αὐτῷ.*

In § 24. *ἐπεὶ παρ' αὐτὸν φέρων τὸ κέρας ὁ οἰνοχόος — ἠρώτα τὸν οἰνοχόον τί λέγοι· ὁ δὲ οἰνοχόος εἶπεν.* Multum placet et arridet Pluygersii coniectura, qui bis *ὁ οἰνοχόος* a sciolis interpolatum esse putat et ipsum Xenophontem sic scripsisse: *ἐπεὶ παρ' αὐτὸν ὁ φέρων τὸ κέρας ἧκεν*, et *ἤρετο τὸν οἰνοχόον τί λέγοι· ὁ δὲ εἶπεν*, quae certe multo digniora Xenophonte sunt quam vulgata scriptura.

In § 27. *ἄλλος παῖδα εἰσαγαγὼν οὕτως ἐδωρήσατο [προπίνων] καὶ ἄλλος ἱμάτια τῇ γυναικί, καὶ* Τιμασίων *[προπίνων ἐδωρήσατο] φιάλην τε ἀργυρᾶν καὶ τάπιδα ἀξίαν δέκα μνῶν.* In his *προπίνων* inseruit nescio quis *οὕτως ἐδωρήσατο* quid esset interpretans, quod interprete non egebat: deinde *ἐδωρήσατο* omit-

tit Athenaeus p. 151 C. hunc locum afferens, neque hoc solum sed προπίνων quoque insiticium esse Porsonus dudum perspexit. Nempe uno tenore haec fuerant a Xenophonte continuata ἄλλος — παῖδα ἐδωρήσατο καὶ ἄλλος ἱμάτια τῇ γυναικὶ καὶ Τιμασίων φιάλην. Quum haec perperam in partes dissecta essent orationi fulcra supposita sunt.

In § 33. αὐτὸς Σεύθης ἀναστὰς ἀνέκραγέ τε πολεμικόν lubens a Pluygersio repertum accipio τὸ πολεμικόν, quo nomine *classicum* Graece dici sciunt omnes.

In § 44. tralaticio errore ὅπως ἀλέξησθε in libris est pro ἀλέξεσθε.

In VII. IV. 1. ὅπως φόβον ἐνθείη καὶ τοῖς ἄλλοις οἷα πείσονται, speciosa admodum et probabilis mihi videtur Naberi coniectura φόβον ἐνείη, nam *terrorem incutere* optime dicitur φόβον ἐνιέναι, non ἐντιθέναι, quo verbo utuntur de iis, quae animo firmiter inhaereant et non elabantur, ἐντιθέναι νοῦν, φρένας, ἐπιστήμην, λόγον, ψυχήν, sim. In quibus autem *celeritatis* quaedam notio inest, quae repentino impetu animum feriat, in iis ἐνιέναι poni solet. Μένος καὶ θάρσος ἐνιέναι, et sic φόβον ἐνιέναι dicitur, quemadmodum venenatae bestiae ἰὸν ἐνιᾶσιν. Apud Charitonem pag. 133, 23. Dorville edidit: τοσοῦτον ἵμερον πᾶσιν ἀνέθηκε, sed in unico Codice ἐνέθηκε scriptum est, quod in ἐνῆκε mutandum. Apud Plutarchum de defectu Oracul. p. 436 F. τὰ μὲν ἐνιέντας ἐν καιρῷ, τὰ δ' ἐπιτείνοντας vitiosum est: requiritur ἀνιέντας, perpetuo enim ἀνιέναι et ἐπιτείνειν, ἄνεσις et ἐπίτασις inter se opponuntur. Quod autem in Aeschyli fragmento apud Plutarchum T. II. p. 1087 E.

οὐ γὰρ δράκων ἀνῆκεν, ἀλλ' ἐνῴκισε
δεινὴν στομωτὸν ἔκφυσιν,

Valckenaerius reponebat ἐνῆκεν longe postponendum Hirschigii coniecturae οὐ γὰρ δακὼν ἀνῆκεν feliciter emendantis.

In VII. IV. 3. δῆλον ἐγένετο οὗ ἕνεκα οἱ Θρᾷκες τὰς ἀλωπεκίδας ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φοροῦσι καὶ τοῖς ὠσίν. Corruptum est ἀλωπεκίδας. Ἀλωπεκίδες sunt *vulpeculae* et Xenophon *pelles vulpinas* dixerat, τὰς ἀλωπεκᾶς, notissima analogia formatum vocabulum, ut παρδαλῆ, κυνῆ, λυκῆ, λεοντῆ, et de humana pelle ἀνθρωπῆ. Pollux V. 16. τὸ μὲν τοῦ λέοντος δέρμα λεοντῆ καλεῖται καὶ δορὰ λέοντος, ἡ δὲ τῆς παρδάλεως παρδαλῆ, ἡ δὲ

τῆς ἄρκτου ἀρκτῆ, καὶ ἀλωπεκῆ ἡ τῆς ἀλώπεκος, καὶ λυκῆ ἡ τοῦ λύκου, καὶ μοσχῆ ἡ τοῦ μόσχου, ὡς Ἀναξανδρίδης εἴρηκεν·

ἀρκτῆ, λεοντῆ, παρδαλῆ, μοσχῆ, κυνῆ.

et apud Homerum βοέη, et βοείη, παρδαλέη, κυνέη. Ἀνθρωπέη Herodoto reddendum V. 25. ἀπέδειρε πᾶσαν τὴν ἀνθρωπηΐην, σπαδίξας δὲ αὐτοῦ τὸ δέρμα ἱμάντας ἐξ αὐτοῦ ἔταμε καὶ ἐνέτεινε τὸν θρόνον ἐς τὸν ἵζων ἐδίκαζε, quod enim Pollux II. 5. hinc affert τὸ δὲ ἀνθρώπου δέρμα ἀνθρωπῆν Ἡρόδοτος καλεῖ ad Ionicae dialecti rationem revocandum erat et ἀνθρωπέην utrobique rescribendum. Apposui plura Herodoti ut obiter Diodori Siculi locum de simili re scribentis emendare liceret. Editur apud Diod. XV. 10. δικαςαὶ δόξαντες κακῶς κρίνειν ζῶντες ἐξεδάρησαν καὶ ὑπὲρ τῶν δικαςικῶν δίφρων περιτεθέντων τῶν δερμάτων ἐπὶ τούτων ἐδίκαζον οἱ δικαςαί, etiam hic ut nonnumquam alibi ταθῆναι in τεθῆναι depravatum est emendandumque περιταθέντων τῶν δερμάτων. Ἀλωπεκῆ, quod Xenophonti reddendum esse censemus, notissimum est vel ob Lysandri dictum: ὅπου μὴ ἐφικνεῖται ἡ λεοντῆ προσραπτέον εἶναι τὴν ἀλωπεκῆν, et illud ipsum vocabulum usurpat Herodotus eadem de Thracibus referens VII. 75. Θρήϊκες ἐπὶ μὲν τῇσι κεφαλῇσι ἀλωπεκέας ἔχοντες ἐςρατεύοντο, περὶ δὲ τὸ σῶμα κιθῶνας, ἐπὶ δὲ ζειρὰς περιβεβλημένοι ποικίλας, quae Xenophonteis simillima sunt. Itaque aut statuendum est ἀλωπεκίδας pro ἀλωπεκᾶς recte dici posse (quod neminem facile probaturum opinor), aut proclivi errore haec inter se confusa fuisse, ut λέοντα et λεοντῆν, λεοντᾶς et λέοντας apud Lucianum confusa esse ostendimus. Idem error in Demosthene commissus p. 1377, 11, ubi Codex S. exhibet: οἱ τὰς κοινας τὰς βοιωτίας ἔχοντες, caeteri τὰς κύνας servant, unde tandem τὰς κυνᾶς elicuit Taylorus.

In § 5. ἔλεγεν ὅτι, εἰ μὴ καταβήσονται οἰκήσοντες καὶ πείσονται, [ὅτι] κατακαύσει καὶ τούτων τὰς κώμας, non potest ὅτι sic iterari, sed frequentem hunc scribarum errorem esse saepius declaravimus.

In VII. IV. 15. iterum zeugma interpolationem peperit in verbis: καὶ Ξενοφῶντα ὀνομαςὶ καλοῦντες ἐξιόντα ἐκέλευον ἀποθνήσκειν ἢ αὐτοῦ [ἔφασαν] κατακαυθήσεσθαι [αὐτόν]. Nempe isti ita dicebant: ὦ Ξενοφῶν, ἐξιὼν ἀπόθνησκε ἢ αὐτοῦ κατακαυθή-

σει, quae in orationem indirectam ab Attico scriptore sic convertuntur ut neque αὐτόν addatur, neque ἔφασαν, quod in ἐκέλευον iam inest. Mendosum est in vicinia § 16. ἐτῶν ἤδη ὡς ὀκτωκαίδεκα ὤν, quasi haec inter adolescentulos gererentur, quorum unus *iam* decimum octavum aetatis annum ageret. Vera scriptura indaganda erit ex optimo Codice Vaticano II. μακέσιος ἐκ τῶν ἤδη ὡς ὀκτωκαίδεκα σημαίνει, in quibus quid lateat non perspicio, hoc unum video nil facere ad rem, quot annos tum Silanus natus fuerit. Tum ὄπισθεν περιβαλόμενοι τὰς πέλτας rescribe pro περιβαλλόμενοι.

Manifesta imprimis est antiquae lectionis interpolatio VII. v. 2. ἐξαγαγὼν ζεύγη ἡμιονικὰ τρία, nempe sic sequiores Graeculi loquebantur, non Veteres, qui summa constantia ὀρικὰ ζεύγη pro ἡμιονικά dicebant. Verissime Moeris p. 273. Ὀρικὸν ζεῦγος Ἀττικῶς. ἡμιονικὸν Ἑλληνικῶς.

Eximium usum in re Critica habet et Moeridis Ἀττικιστής, (quod *libri* nomen est, non *scriptoris*) et caeteri libelli id genus, si quis iis sollerter utatur ad deprehendendum et demonstrandum, quomodo passim vitiosae scripturae natae sint et in Veterum monumenta invectae. Moeridem ipsum minimi facio neque doctum neque acutum hominem, qui plurima levissima et futilissima corrasit, multa falsa tradidit, saepius in errores se implicans, quorum nonnulli turpissimi sunt. Praeterea in minutioribus et singularibus haerere solitus quum totum dicendi genus et late patentem analogiam certam aperire debuisset, unum exemplum ponit, quasi in hoc uno vocabulo Atticae dialecti proprietas cerneretur. Hinc factum est ut passim eiusdem rei observatio diversis locis alibi alio exemplo inutiliter annotaretur. Praeterea librorum corruptis scripturis nonnumquam iocularem in modum deceptus est, ut acutioribus debeat risum. Nova ei vitia librarii affricuerunt, quae nimis saepe Piersonus intacta reliquit aut libris nimium tribuens aut ad eximias et aureas suas animadversiones expromendas properans. Confirmabo primum haec veluti crimina paucis quibusdam argumentis et exemplis, deinde quid sit in Moeride praesidii ad scriptores Atticos emendandos et vitiosas Codicum nostrorum lectiones arguendas aperiam.

Ante omnia indicabo scripturas vitiosas, quibus Moeridis

observationes commaculantur, quarum pleraeque scribis imputandae sunt hallucinantibus, nonnullae ipsi Grammatico. P. 21. Ἀχθέσεται emenda pro ἀχθήσεται. p. 23. Ἀείνων pro ἀεὶ νῶν. p. 28. Ἀποκτιννύναι pro ἀποκτειννύναι. p. 36. Αἰέλουρος pro αἰαίλουρος. p. 50. corrige: Ἀμηγέπη καὶ ἀμωσγέπως, Ἀττικῶς. ὁπήποτε καὶ ὁπώσποτε Ἑλληνικῶς. p. 72. scribe Ἀγαθοῦ δαίμονος πῶμα pro πόμα. p. 77. Ἀνάκειον pro ἀνάκιον. p. 86. Ἀνοκωχή pro ἀνακωχή. p. 88. Αὔλειος θύρα pro αὐλία. p. 93. Βλαβεῖμεν κτὲ. pro βαλεῖμεν. p. 111. Γήτεια pro γήτη. p. 122. Δῶ pro δέω et δεσμεύω pro δεσμῶ. p. 161. Ἐλινύων pro ἐλιννύων, p. 171. Ἤιδησθα pro ᾔδεισθα, p. 172. Ἦ pro ἦν, p. 182. δφον (quod quid esset nescire se Piersonus fatetur) est pervulgatum scribendi compendium pro δίφθογγον. p. 211. scribe κρούει δέ pro κροτεῖ δέ, p. 220. Κατοκώχιμα pro κατακώχιμα, p. 226. Κεκλήσεται pro κεκλείσεται, p. 234. Κνῆν pro κνεῖν, p. 272. scribe: Ὁμόσε, ὁμοῦ, ὁμόθεν τόπου δηλωτικά. τὸ μὲν γὰρ ὁμοῦ ἐν τῷ αὐτῷ δηλοῖ κτὲ., p. 285. corrige Ὄστρεια pro ὀστρία, p. 318. Πρανές pro πρανεύς, p. 326. Περιδέραια pro περιδέρρεα, p. 360. Σχινδάλαμος pro σχινδαλμός, p. 381. Ὑδρορρόη pro ὑδρορόη, p. 397. Φερσέφαττα pro Φερέφαττα, p. 419 scribe ψωρᾶν et ψωριᾶν pro ψῶραν et ψωρίαν et p. 426. Ὦφλε δίκην pro ὤφειλε. In his nonnullos inesse ipsius Moeridis errores facile credet qui hominem bene noverit. Tenemus eum p. 171 Ζώσαντες ἀντὶ τοῦ ζήσαντες Πλάτων Νόμων β', quamquam Piersono imposuit, qui hinc in Platonis locum de Legg. II. p. 793 D. εἰσί τινες ἄνθρωποι πονηροὶ μὲν ἡδέως δὲ ζῶντες invehere ζώσαντες volebat. Ζώσαντες est, ut pueri sciunt, a ζώννυμι, et in Platonis loco ζῶντες sanissimum est. Eiusdem monetae est annotatio p. 148 Ἔζην Ἀττικῶς, ἔζων Ἑλληνικῶς. Graeculorum formae sunt ἔζην, ζῆθι et ζῆναι vitio natae ex probis et antiquis ἔζης, ἔζη et ἐζῆτε quae sunt imperfecti ἔζων, ut praesentis ζῶ sunt ζῇς, ζῇ et ζῆτε. Infinitivi forma apud veteres est ζῆν et imperativi ζῆ. Aoristo et perfecto Veteres abstinent, quibus ἐβίων et βεβίωκα substituebant, unde τὰ βεβιωμένα sunt τὰ ἐν τῷ βίῳ πεπραγμένα. De eadem re plura infra dicam. Istiusmodi autem erroribus scatere Moeridem videbis. De ingenti copia hos mihi locos inspice v. Αἴτιαι,

'Αγυιᾶ, 'Αντίγραφα, 'Ανακοινῶσαι, 'Ανασχήσεται, 'Απεῖπα, 'Απόλλω, 'Απέδραν, "Αξομαι, 'Απαγέσθω, 'Ανύσας λέγε, Βλαφθέντες, Γραψάμενος, Διωκάθειν, Διέφθορεν, Εἰκάθοιμεν, 'Επιτηδείους, 'Ιέρεια, Κνισσᾶν, Κάθησο, Μονομάχης, Μάντεων, Μασχάλη, Μέταυλος, Πεπραγάς, Παρασχήσομαι, Τιμώρια, Τέρα, Φθῶσιν, alia. In his omnibus certos et manifestos hominis errores statim deprehendes alios aliis foediores. Quid eo magistro facias, ut hoc utar, qui serio doceat: Γραψάμενος 'Αττικῶς, γράψας 'Ελληνικῶς, aut 'Απεῖπα 'Αττικῶς, ἀπεῖπον 'Ελληνικῶς, aut 'Ανύσας λέγε 'Αττικῶς. συνελὼν λέγε 'Ελληνικῶς, aut Γήτεια 'Αττικῶς, κρόμμυα 'Ελληνικῶς, aut Διωκάθειν κοινὸν Δωριέων καὶ 'Ιώνων· διώκειν 'Ελληνικῶς, aut Διέφθορεν 'Αττικῶς. διέφθαρκεν 'Ελληνικῶς. Nihil scire apparet eum qui Atticum et communem dicendi usum sic distinguit. Omnia haec Atticis perinde usitata sunt, sed pleraque certo discrimine diremta. 'Ανύσας λέγε est παραχρῆμα λέγε, sed συνελὼν λέγε significat λέγε διὰ βραχέων. Διώκειν praesens est, διωκαθεῖν aoristus Atticorum, cui similes sunt aoristi ἀμυναθεῖν, εἰργαθεῖν, εἰκαθεῖν (ὑπεικαθεῖν, παρεικαθεῖν) et ἀλκαθεῖν, quarum formarum veram rationem acutissime perspexit Elmsleius ad Medeam vs. 186. Memor antiqui moris Iulianus scripsit p. 257 A. μὴ ὑπεικάθῃς. In Platonis Sophista p. 254 D. libri omnes conspirant in ἐὰν ἄρα ἡμῖν πῃ παρεικασθῇ, unde veterem scripturam παρεικάθῃ feliciter Boeckhius eruit.

Dicebant Athenienses ἀπεῖπον et ἀπεῖπε et ἀπείπομεν, sed in secunda persona ἀπεῖπας et ἀπείπατε, quemadmodum ἤνεγκον sed ἤνεγκας, ut supra ostendimus. Γράψασθαι autem et γράψαι confundere quantae imperitiae est! Praeterea vide quam futilia magister doceat: Βήττειν 'Αττικῶς. βήσσειν 'Ελληνικῶς. Poterat spissum librum scribere si talia cumulare voluisset, cuiusmodi sunt:

Ξυμφώνως 'Αττικῶς. συμφώνως 'Ελληνικῶς καὶ κοινῶς.

Ξυνωρίς 'Αττικῶς, συνωρίς 'Ελληνικῶς.

Ξύμμαχοι * 'Ελληνικῶς καὶ κοινῶς.

ubi palam est excidisse 'Αττικῶς, σύμμαχοι. Turpiter labitur in seqq.

Ξυρὸν μακρῶς 'Αττικῶς. βραχέως 'Ελληνικῶς.

nam satis constat ξυρόν apud omnes Graecos penultimam perpetuo corripere. Quod autem dicebam eum eandem observationem compluribus exemplis iterare, quum certam perpetuamque in omnibus analogiam demonstrare debuisset, uno exemplo defungar. Athenienses non utuntur futuris in — έσω exeuntibus praeterquam in disyllabis ξέσω et σβέσω, κατασβέσω, aut si syllaba longa praecedit ἀρκέσω, αἰνέσω, αἰδέσομαι et ἀχθέσομαι, in caeteris omnibus elisa sibilante formas contrahunt καλῶ, τελῶ, ἀλῶ, γαμῶ, ὀλῶ, κορῶ, μαχοῦμαι. Eadem ratione dicebant σπάσω et πάσω et βαςάσω, ἁρπάσομαι sed ἐλῶ, βιβῶ, κρεμῶ, πετῶ, ἀναπετῶ, κερῶ, διασκεδῶ, alia. Non animadverterunt Veteres magistri hanc analogiam et singula exempla afferunt: vide Moeridem v. Ἀλεῖς, Διαβιβῶ, Ἐλῶ, Καλῶ.

Quam faceret operae pretium si quis Moeridem ad severum Critices tribunal vocatum ita cogeret singularum observationum rationes reddere, ut omnes optimi scriptores soli testimonia dicerent, recusatis aut in aliud tempus reiectis sequioribus omnibus testibus, qui Atticos imitari sategerunt, in quo genere etsi alius alio felicius versatus est, tamen isti omnes aequalium et popularium sordes et errores cum Attica oratione negligenter permiscuerunt. Sic enim in quaque annotatione primum definiri poterit verane an falsa sit, certane et utilis an levis et futilis, sitne loquendi usus stabilis et perpetuus an lapsu temporis mutatus novatusque. Describentur certae quaedam aetates et certi denique fines constituentur, quibus vocabuli cuiusque forma et significatio et usus contineantur. Apparebit quemadmodum sensim loquendi ratio antiquior et sincerior in negligentiorem et mendosiorem sequiorum συνήθειαν abierit, et eadem opera cognoscetur, qui factum sit ut Veterum litterarum monumenta paulatim infecta sit mendis erroribusque e novitia Graecorum lingua susceptis. In eam rem praeclarum est in Moeridis Ἀττικιςῇ praesidium et adiumentum, ubi incorruptus Veterum sermo cum vitiosa Graeculorum συνηθείᾳ componitur. Ἀπηλάθη, inquit, Ἀττικῶς, ἀπηλάσθη Ἑλληνικῶς. Quis nesciebat ἐλήλαμαι et ἠλάθην Attica esse, idque et ratione et analogia et usu confirmari? Sed Graeculi ἀπηλάσθην dicebant fallacem analogiam indocte secuti in ἐπλάσθην, ἠράσθην, ἐσπά-

σθην, ἐγελάσθην, ὠνομάσθην et aliis sexcentis obviam. Ergo hinc factum est ut toties in Codd. ἀπηλάσθη occurrat. Quod dicebant ipsi proclivi errore in libros transferebant. Itaque sicubi ἀπηλάσθην scriptum est revocabimus antiquam formam, quae quo pacto sit depravata veluti oculis cernimus. Ἀιδόντων Ἀττικῶς, Moeris inquit, ᾀδέτωσαν Ἑλληνικῶς. Nihil novi addiscimus, sed nunc perspicuum fit, cur forma novicia tam saepe legatur apud eos, quos ea numquam usos esse liquido constet. Ἀκροᾷ Ἀττικῶς, inquit, ἀκροᾶσαι Ἑλληνικῶς, non eramus docendi αἰτιᾷ et ἁμιλλᾷ et πειρᾷ et sim. dici, sed nunc intelligimus cur istiusmodi formae ineptae, qualis est ἀκροᾶσαι, in Codd. legantur, de qua re ad Alciphronem nonnulla diximus. Sequitur Ἄπεισιν — ἀπελεύσεται, Ἀλεῖς — ἀλέσεις, et post pauca Ἀχθέσεται — ἀχθεσθήσεται, quam saepe vidimus haec inter se male permisceri, et Ἀπόδυθι — ἀπόδυσαι, Ἄχρι — ἄχρις. Moeris Ἀπέδραν et ἀπέδρων componit. Non memini me legere ἀπέδρων, sed in libris passim confunduntur ἀπέδραν et ἀπέδρασα, ἀποδρᾶναι et ἀποδρᾶσαι, saepissime ἀποδράς et ἀποδράσας, nonnumquam ἀποδραίη et ἀποδρῴη. Nempe Graeculi ἀπέδρασα dicebant. Deinde Ἄισομαι ostendit in ᾄσω depravatum esse, et Βοήσομαι — βοήσω, et Δοίημεν — δῴημεν, et Δέκετες — δεκαετές, Ἕλξει — ἑλκύσει, Εἴξασιν — ἐοίκασιν, Εἰκώς — ἐοικώς, Ἱστάναι — ἱστάνειν, Καλῶ — καλέσω, Κατεκαύθη — κατεκαύσθη, Κατορώρυκται — κατώρυκται, Λῆμα — λῆμμα, Λοῦται — λούεται, Λογιεῖται — λογίσεται, Ξενοδοκῶ — ξενοδοχῶ, Ὀσφρόμενος — ὀσφρησάμενος, Πεπραγώς — πεπραχώς, Πέτομαι — πέταμαι, Ποῖ — ποῦ, Πεντετηρίς, Πεντέκλινον et alia — πενταετηρίς, πεντάκλινον, Πίομαι — πιοῦμαι, Ῥιγῶντος — ῥιγοῦντος et Ῥιγῶν — ῥιγοῦν, Σᾶ — σῶα, Τιμήσεται — τιμηθήσεται, Ὑγιᾶ — ὑγιῆ, Ὑγίεια — ὑγεία, Χαλκοῦς — χάλκεος, Χαμᾶθεν — χαμόθεν, Ψυχῆναι — ψυγῆναι, aliaque permulta, quae in omnibus Codd. inter se confundi permiscerique sciunt omnes, et in multis ipsi saepe demonstravimus, veluti in ἀχθέσομαι, δέκετες, καλῶ, λοῦται, ξενοδοκῶ, ποῖ, πεντετηρίς, ῥιγῶντος, ὑγίεια, χαλκοῦς, χαμᾶθεν. Quam saepe in Codd. leguntur formae, qualis est λογίσεται, veluti ψηφίσεσθε, χαρίσεται, quas tamen sequiorum sordes esse constat inter omnes.

Verba disyllaba sola *σ* retinent, *κτίσω, σχίσω.* Sic et *βλίττειν* habet *βλίσω* et *πτίττειν πτίσω*, caetera omnia *-ιῶ* habent et *-ιοῦμαι.* In fragmento Platonis Comici apud Photium v. *Φάλαγξ* scribitur: *ἐοίκασιν ἡμῖν οἱ νόμοι τουτοισὶ τοῖσι λεπτοῖσιν ἀραχνίοις ἃ τοῖσι τοίχοισιν ἡ Φάλαγξ ὑφαίνει*, sed poëta dederat:

Εἴξασιν ἡμῖν οἱ νόμοι τούτοισι τοῖσι λεπτοῖς
ἀραχνίοις, ἂν τοῖσι τοίχοις ἡ Φάλαγξ ὑφαίνει.

intelligisne unde *ἐοίκασιν ἡμῖν* sit natum? Emenda obiter Aristophanis versiculum in Nubibus 151.

κᾆτα ψυγείσῃ περιέφυσαν Περσικαί.

quum *ψυγῆναι* sit *Ἑλληνικόν* reponemus Atticam formam *ψυχείσῃ*, dicebant enim *ἐψύχην* et *παραψυχή* penultima brevi, ut *ἐτρίβην* et *διατριβή.* Itaque eodem indicio fraus apud Xenophontem deprehenditur. *Ὀρικὸν ζεῦγος*, inquit, *Ἀττικῶς. ἡμιονικόν Ἑλληνικῶς.* Verissimam hanc observationem esse communi Atticorum scriptorum consensu constat. Itaque simul ipsam Xenophontis scripturam recuperabimus et unde vulgata orta sit intelligemus.

In eodem loco Anab. VII. v. 2. *καλέσας Ξενοφῶντα ἐκέλευε λαβεῖν, τὰ δὲ ἄλλα διανεῖμαι τοῖς ϛρατηγοῖς*, suspicor legendum esse *ἐκέλευεν ἓν λαβεῖν.* Saepius sic *ἕν* periisse vidi.

In § 6 cuius aures non offendit haec compositio: *οἱ μὲν δὴ ϛρατιῶται Ξενοφῶντι ἐνεκάλουν ὅτι οὐκ εἶχον τὸν μισθόν. Σεύθης δὲ ἤχθετο αὐτῷ ὅτι ἐντόνως τοῖς ϛρατιώταις ἀπήτει* [*τὸν μισθόν*]?

Ibid. VII. v. 13 *οἱ Θρᾷκες οἱ κατὰ ταῦτα οἰκοῦντες ϛήλας ὁρισάμενοι τὰ καθ' αὐτοὺς ἐκπίπτοντα ἕκαϛοι λήζονται. τέως δὲ ἔλεγον* [*πρὶν ὁρίσασθαι*] *ἁρπάζοντας πολλοὺς ὑπ' ἀλλήλων ἀποθνήσκειν*, emendandum est *ϛήλαις ὁρισάμενοι*, utebantur enim columellis (*ϛήλαις*) ad fines constituendos, idque *ϛήλαις ὁρίζεσθαι* dicitur. Praeterea ita inter se opponuntur *ϛήλαις ὁρισάμενοι* et *τέως δέ*, ut puerile additamentum *πρὶν ὁρίσασθαι* facile sentias ludimagistro reddi oportere.

Memorabilis est scripturae varietas in § 9. *ὅτι οὐδὲν ἂν ἧττον σφεῖς ἀγάγοιεν τὴν ϛρατιὰν ἢ Ξενοφῶν*, in Cod. H uno omnium optimo est *σφᾶς ἀγάγοιεν* turpi soloecismo, sed vides novo exemplo quam temere *σφεῖς* ab indoctis Graeculis contrectari corrumpique soleat.

In § 16 *πρὸς δὲ τὸν Ξενοφῶντα οἱ ϛρατιῶται παγχαλέπως εἶχον*

ex tribus tantum sed optimis libris παγχαλέπως servatum est. Nempe in vetustis libris ΠΑΝΧΑΛΕΠΩΣ scribi solet, unde πάνυ χαλεπῶς imperiti correctores dederunt. Παγχάλεπον in Thucydide reprehendit Marcellinus in vita Thucyd. § 52, quae forma adhuc in aliqua corruptela delitescit. In Anab. V. II. 20 revocandum est ἄλλως δὲ παγχάλεπον ἐδόκει εἶναι ἀπελθεῖν pro πάνυ χαλεπόν. Differunt haec ut πάγχρηστον et πάνυ χρηστόν, πάνδεινον et πάνυ δεινόν, similiaque. Tenemus sciolos in VII. v. 16, ubi pro ΠΑΝΧΑΛΕΠΩΣ de suo πάντες χαλεπῶς substituerunt.

Ex eo scribendi more, qui in antiquis Codd. et lapidibus solemnis est ut N pro Γ scribatur et contra, multi errores suscepti sunt, sed nullus foedior quam apud Flavium Josephum contra Apionem Vol. VI. p. 210 Bekkeri, ubi legitur ὅπως ἐργάζοιντο καὶ τῶν ἄλλων Αἰγυπτίων οἱ ἐγκεχωρισμένοι, sed sine controversia verum est εἶεν κεχωρισμένοι. Vulgata nata est ex scriptura ЄΙЄΓΚεχωρισμένοι. Sed levi brachio in Flavio Iosepho recognoscendo profligavit negotium Bekkerus, in quem nunc quidem ea fere conveniunt, quae de Bothii *diligentia et celeritate* scripsit Peerlkampius in Bibl. Crit. Nova I. p. 151. Summa ope properans et alia multa menda intacta reliquit et vol. VI. p. 211 ineptissimam παραδιόρθωσιν retinuit χειρίστην φαίνεσθαι pro optima lectione librorum omnium χρυσὸν φαίνεσθαι. Sed plura de his alias per otium proferam.

Scriptores ipsos nonnumquam, non scribas, in talibus N pro Γ ponere declarat locus Artemidori, qui in Onirocr. III. 34. ἰσόψηφα quaedam componens (vid. Mureti Var. Lect. XIV. 15) docet ΑΝΓΕΛΙΑ et ἑκατόν esse ἰσόψηφα: non erunt si ἀγγελία scripseris. Ex eodem indicio colligitur Artemidorum πεζῇ non πεζῇ scribere, quia ἑκατόν et πεζῇ quoque ἰσόψηφα esse affirmat.

In VII. vi. 2. λέγει τῷ Σεύθῃ ὅτι κάλλιστον γεγένηται, emenda κάλλιστα. Scimus enim omnes quid sit ἔσται καλῶς, γίγνεται καλῶς et sim., sed quis umquam καλόν in talibus pro καλῶς positum vidit?

In Anab. VII. vi. 3 tandem καλεῖ τε αὐτοὺς ἐπὶ ξένια receptum est pro ἐπὶ ξενίᾳ, quo vitio nihil est in libris frequentius. Ad eandem rationem omnes omnium Veterum locos, ubi

ἐπὶ ξενίαν aut ἐπὶ ξενίᾳ legitur, emendandos esse saepius iam demonstravimus.

In § 7. ἢν οὖν ἴητε σὺν ἡμῖν τόν τε ἐχθρὸν τιμωρήσεσθε καὶ δαρεικὸν ἕκαςος οἴσει τοῦ μηνὸς ὑμῶν. Mirificum hoc est hyperbaton pro ἕκαςος ὑμῶν οἴσει τοῦ μηνός, et quis inducet in animum ita haec a Xenophonte formata esse? Levis error in ΟΙΣΕΤΕ commissus ab iis qui ἕκαςος οἴσετε mirabantur futile additamentum peperit. Emenda: καὶ δαρεικὸν ἕκαςος οἴσετε τοῦ μηνός expuncto emblemate ὑμῶν, cui iam nullus locus superest.

In § 9. ςρατευόμενοι — οὐδὲν πεπαύμεθα, recte asseruit Dindorfius οὐδὲν παύομαι et οὐδὲν πέπαυμαι. Saepissime haec apud Athenienses leguntur: οὐ παύεται et οὐδὲν παύεται sic differunt ut Latine: *finem* non *facit* et *finem* nullum *facit*. Aristophanes in Vesp. 1478.

ὀρχούμενος τῆς νυκτὸς οὐδὲν παύεται.

Ad haec etiam melius patet fraus scioli apud Lysiam Orat. XVI. 20. τῶν προγόνων ἐνθυμούμενος ὅτι οὐδὲν πέπαυνται τῶν τῆς πόλεως πράττοντες, apparet enim τὰ τῆς πόλεως esse emendandum et simul apparet quid homuncionem in errorem impulerit. Apposite Dindorfius laudat Anab. IV. ii. 4, ubi correctores antiquam lectionem: οὐδὲν ἐπαύσαντο δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κυλινδοῦντες (κυλίνδοντες) τοὺς λίθους, quam servant quatuor optimi testes, ultro depravarunt in οὐδ' ἐπαύσαντο.

Inepte abundat μέν VII. vi. 10: ὥςε ὅ γε πρῶτος λέγων ἐγὼ[μὲν], εἰ τοῦτον ἴδοιμι καταλευσθέντα καὶ δόντα δίκην ὧν ἡμᾶς περιεῖλκε — τὸν μισθὸν ἄν μοι δοκῶ ἔχειν.

In § 11 ἐγὼ νῦν ὑφ' ὑμῶν αἰτίας ἔχω revocandum est αἰτίαν, coll. § 15 πῶς ἂν ἔτι δικαίως ὑφ' ὑμῶν αἰτίαν ἔχοιμι; et passim αἰτίαν ἔχειν legitur, ubi verbi αἰτιᾶσθαι forma passiva requiritur. Αἰτίαν ἔχειν enim dicitur ut ἔπαινον ἔχειν pro ἐπαινεῖσθαι, ψόγον ἔχειν pro ψέγεσθαι, τιμὴν ἔχειν pro τιμᾶσθαι, ὄνομα ἔχειν pro ὀνομάζεσθαι, ut apud Comicum Anaxandridem Athen. p. 255 A:

τὸ γὰρ κολακεύειν νῦν ἀρέσκειν ὄνομ' ἔχει.

et multa alia sunt huiusmodi. Luculentum imprimis exemplum est apud Demosthenem in Orat. XL. § 51 ὥςε πολὺ μᾶλλον προσήκειν ἐμὲ τούτοις ἐγκαλεῖν ἢ αὐτὸν ἐγκλήματ' ἔχειν

ὑπὸ τούτων. Hinc factum est ut αἰτίαν ἔχειν ὑπό τινος diceretur. Plato Rep. VIII. 565 B. αἰτίαν δὴ ἔσχον ὑπὸ τῶν ἑτέρων — ὡς ἐπιβουλεύουσι τῷ δήμῳ, et passim. Quemadmodum autem τιμὴν ἔχειν ὑπό τινος et τιμὰς ἔχειν dicitur pro *in honore esse apud aliquem* et *ab aliquo* honoribus *affici*, sic αἰτίαν ἔχειν et ἔχειν αἰτίας differre putaveris prout quis aut *uno* crimine aut *pluribus* urgeatur. Sed neque αἰτίας ἔχειν dici solet et uno tantum crimine Xenophontem insimulabant, ita ut αἰτίας ἔχω quamquam est in libris melioribus tamen appareat esse deterius.

In § 16 revocandum est οὐκοῦν δῆλον τοῦτό γε ὅτι, ubi Dindorfius perperam pro ὅτι ex libris melioribus ἐστίν recepit, praeterea in verbis: ἀλλ', οἶμαι, εἰ ἐδίδου ἐπὶ τούτῳ ἂν ἐδίδου ὅπως ἐμοὶ δοὺς μεῖον μὴ ἀποδοίη ὑμῖν τὸ πλεῖον. Adversis frontibus concurrunt εἰ ἐδίδου — ἐδίδου ἄν, neque aliter haec possunt in concordiam redigi nisi ut importunum ἄν removeatur, ut paulo ante rectissime dicitur: δῆλον τοῦτό γε ὅτι εἴπερ ἐμοὶ ἐτέλει τι Σεύθης οὐχ οὕτως ἐτέλει δήπου κτέ. Adde ἄν et absurda erit oratio οὐχ οὕτως ἂν ἐτέλει δήπου. Non est tamen ἄν resecandum sed emendandum. Factum est enim hoc loco quod tam saepe alibi ut ΔΗ a scribis in AN refingeretur, itaque emendandum est: εἰ ἐδίδου ἐπὶ τούτῳ δὴ ἐδίδου. Quis est in hoc genere studiorum aliquamdiu versatus, qui non crebro viderit ἄν in libris esse scriptum, ubi δή requiratur: etiam contra peccatur sed rarissime. In Euripidis Phaëthonte pro:

Ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων
κῆρυξ θ' ἱερὸς καὶ παῖς Φαέθων
βαίνουσι τριπλοῦν ζεῦγος· ἔχειν χρὴ
στόμ' ἐν ἡσυχίᾳ.

in vetustissimo Codice palimpsesto, unde pars fabulae servata est, diserte scriptum est:

ΑΛΛΟΔΕΓΑΡΑΝΒΑΣΙΛΕΥΣ.

Idem mendum in Herodoto inveteravit VI. 124. οὕτω οὐδὲ λόγος αἱρέει ἀναδεχθῆναι ἔκ γε ἂν τούτων ἀσπίδα, tu corrige ἔκ γε δὴ τούτων. Addam duos locos ex Platonis Symposio: p. 199 A. editur: ὅπως ἂν φαίνηται ὡς κάλλιστος καὶ ἄριστος, δῆλον ὅτι τοῖς μὴ γιγνώσκουσιν· οὐ γὰρ ἄν που τοῖς γε εἰδόσι, dubitasne

an *οὐ γὰρ δήπου* verum sit? Similiter p. 221 E. *τοιαῦτα καὶ ὀνόματα καὶ ῥήματα ἔξωθεν περιαμπέχονται Σατύρου ἄν τινα ὑβριςοῦ δοράν*, qui Platonem bene novit statim amplectetur *Σατύρου δή τινα ὑβριςοῦ δοράν.*

Notabilis lectionis discrepantia in libris est VII. vi. 17, nam praeter tres optimos exhibent omnes: *ἐὰν μὴ βεβαιῶ τὴν πρᾶξιν αὐτῷ, ἐφ' ᾗ ἐδωροδοκούμην.* Tenemus *ἐπ' αὐτοφώρῳ* sciolos, qui antiquam scripturam *ἐδωροδόκουν* sic depravarunt, quoniam ipsi *δωροδοκεῖν* dicebant pro *δεκάζειν* sive *χρήμασι διαφθείρειν* et locos Veterum, ubi *δωροδοκεῖν* significabat *δῶρα δέχεσθαι* non *διδόναι δῶρα* mirabantur primum, deinde interpolabant, de qua re multa in priore parte notavimus.

Ostendimus sequiores omnes turpi errore verbum *δωροδοκεῖν* usurpare pro *χρήμασι διαφθείρειν*, unde factum est ut *δωροδοκεῖσθαι* dicerentur *οἱ χρήμασι διαφθειρόμενοι.* Diodorus Sic. XVI. 53. *καὶ μάλιςα τοὺς προεςηκότας ἐδωροδόκει*, eoque sensu *διὰ τῆς δωροδοκίας*, *largiendo*, legitur XVI. 54, et XIX. 19 *τούτους πεῖσαι ἢ δωροδοκεῖν ἀγεννὲς ἡγεῖτο. Δωροδοκεῖσθαι* pro *διαφθείρεσθαι χρήμασιν* et alibi legitur et apud Polybium VI. 56. (*παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις*) *οὐδὲν αἴσχιον τοῦ δωροδοκεῖσθαι.* Sic igitur factum est, ut quod olim *δωροδοκεῖν* dicebatur postea diceretur *δωροδοκεῖσθαι*, et deprehendimus indoctos correctores in re manifesta, ubi *ἐδωροδοκούμην* pro *ἐδωροδόκουν* conspicitur.

In § 18 *ἀλλὰ πολλοῦ μοι δοκῶ δεῖν τὰ ὑμέτερα ἔχειν* editur, sed non est haec sana oratio. *Δοκῶ μοι* ab huiusmodi negotio prorsus abhorret, quae verba tum demum recte ponuntur ubi quis *opinari* se aliquid dicit aut *suspicari*, ita ut eum ea opinio aut suspicio fallere possit. Ponitur etiam ironice si quis quod certo sciat nolit certo scire videri. Nihil horum cadit in hunc locum. Bonum factum quod optimi Codices ferunt opem. Egregius liber H. et F. omittunt *μοι δοκῶ*, itaque uno vocabulo correcto hanc esse Xenophontis manum arbitror: *ἀλλὰ πολλοῦ δέω τὰ ὑμέτερα ἔχειν*, pro *ἀλλὰ πολλοῦ δεῖν.* Similiter *δέω* in *δεῖ* abiisse videtur in Platonis Apologia p. 35 D. *κατηγοροίην ἂν ἐμαυτοῦ ὡς θεοὺς οὐ νομίζω. ἀλλὰ πολλοῦ δεῖ οὕτως ἔχειν. νομίζω τε γὰρ ὡς οὐδεὶς τῶν κατηγόρων*, quoties hunc locum relego *πολλοῦ δέω οὕτως ἔχειν* vera mihi lectio esse videtur.

In iis quae statim sequuntur: ὀμνύω γὰρ ὑμῖν θεοὺς ἅπαντας καὶ πάσας emendandum est πάντας καὶ πάσας, sive aurem consules sive constantem omnium usum respicies sive ipsius rei naturam. Genus tantum non formam quoque mutari oportet ut *Dii deaeque omnes* recte Graece dicatur. Deinde expellenda copula est in verbis: πάρεστι δὲ [καὶ] αὐτός, ex duobus libris calidius recepta. Etiam in vicinia § 20 magna auctoritas quatuor optimorum Codicum effecit ut deterior scriptura longe meliori anteponeretur, nempe ᾤμην — ὅσῳ μᾶλλον συμφέροιμι τούτῳ τὴν τότε πενίαν τοσούτῳ μᾶλλον αὐτὸν φίλον ποιήσεσθαι ὁπότε δυνασθείη, ubi etiam sine libris emendari potuisset αὐτὸν φίλον μοι ἔσεσθαι ὁπότε δυνασθείη, sed id ipsum est in libris omnibus, praeterquam quod quatuor meliores φίλον ποιήσεσθαι vitiose exhibent, ut multae aliae scripturae manifesto mendosae in iisdem libris solis feruntur. Additum ὁπότε δυνασθείη satis demonstrat φίλον μοι ἔσεσθαι verum esse. Dici optime potest ᾤμην αὐτὸν ὁπότε δυνασθείη φίλον ἕξειν, sed non ποιήσεσθαι φίλον ὁπότε δυνασθείη.

In § 20. Ναὶ μὰ Δία, ᾐσχυνόμην μέντοι, imo vero *puderet me*, ᾐσχυνόμην μέντἄν. Duplex mendum inficit § 22. ἐπεί, εἴγε πρὸς φίλους ἐστὶ φυλακή. πᾶσαν οἶδα ὑμᾶς φυλαξαμένους ὡς μὴ παρασχεῖν τούτῳ πρόφασιν δικαίαν μὴ ἀποδιδόναι ὑμῖν ἃ ὑπέσχετο. Emendandum est ἥ γε πρὸς φίλους ἐστὶ φυλακὴ pro εἴ γε, deinde expuncto ὡς legendum πᾶσαν οἶδα ὑμᾶς φυλαξαμένους μὴ παρασχεῖν τούτῳ πρόφασιν, nam Graecum est φυλάττομαι μὴ παρασχεῖν et πᾶσαν φυλακὴν φυλάττομαι μὴ παρασχεῖν, ubi quomodo ὡς inseri possit nemo docebit. Cur ἥγε scribendum sit pro εἴγε perspicuum est: non ambigitur enim ecqua sit φυλακὴ πρὸς φίλους, sed haec ipsa esse πρὸς φίλους φυλακὴ rectissime dicitur impigre officio fungi et in nulla re amicis deesse. In § 23 ὡς μηδ᾽ εἰ ἐβούλετο ἐδύνατο ἐξαπατᾶν non cepit huius loci rationem Corrector, qui ἐδύνατο ἂν ταῦτα ἐξαπατᾶν restituit scilicet et Codicem Etonensem interpolavit. Saepe ἂν in talibus a Graeculis inseri solere alibi ostendimus. In § 24 inextricabilis est mihi difficultas in verbis οὐκ εἰς μὲν Πέρινθον προσίητε πόλιν, Ἀρίσταρχος δ᾽ ὑμᾶς — οὐκ εἶα εἰσιέναι, ex hac scriptura optimi Codicis H. eliciant alii Xenophontis manum. Hoc solum video nihil esse sani in

coniecturis Interpretum et Editorum. Novum mendum conspicitur in § 24 *σπάνια μὲν ὁρῶντες τὰ ὤνια, σπάνια δ' ἔχοντες ὅτων ὠνήσεσθε*, Stephani coniectura infelix admodum est *ὅτων*, quam tamen omnes probatam receperunt. In libris melioribus est *ὅταν ὠνῆσθε*, in deterioribus *ὅτου ὠνήσεσθε*, quod unice verum est. Quod demonstrant docti homines *ὅτων* Atticam formam esse, nihil facit ad rem, sed *ὅτων ὠνήσεσθε* pro *ὅτου* dici posse nemo demonstrabit umquam. Non aliter Graece dici potest quam *ὅτου ὠνήσομαι* et *ὁπόθεν ὠνήσομαι*. Latet alibi vitium, quod sic eximendum est ut scribatur *σπάνια μὲν ὁρῶντες τὰ ὤνια, σπάνιοι δ' ἔχοντες ὅτου ὠνήσεσθε*, et rerum venalium erat penuria et eorum qui unde emerent haberent. Simillimus locus est III. I. 20: *ὅτου δ' ὠνησόμεθα ᾔδειν ἔτι ὀλίγους ἔχοντας*. Cur maluerit nostro loco *σπάνιοι* quam *ὀλίγοι* dicere perspicuum est, neque obscurum quomodo factum sit ut vulgata lectio nasceretur.

Evidens emblema est in § 30 *εἰ δὲ δὴ ὁ συμπαρέχων ὑμῖν ταύτην τὴν ἀσφάλειαν μὴ πάνυ πολὺν μισθὸν προσετέλει [τῆς ἀσφαλείας]*, absurde enim dicitur *μισθὸς τῆς ἀσφαλείας*, et si *τῇ ἀσφαλείᾳ* emendaveris et insulse admodum additum erit neque id ipsum bene Graecum est *μισθὸν προστελεῖν τῇ ἀσφαλείᾳ* pro *τῇ ἀσφαλείᾳ καὶ μισθὸν προσθεῖναι*. Recte dicitur *ἀργύριον τελεῖν καὶ χάριν πρὸς εἰδέναι*, ubi *τῷ ἀργυρίῳ* addi non potest, quoniam *εἰδέναι ἀργύριον* tam absurdum est atque *τελεῖν ἀσφάλειαν*. Praeterea suspicor Xenophontem pro *πάνυ πολύν* scripsisse *εἰ — μὴ πάμπολυν μισθὸν προσετέλει*, quod vocabulum *εἰρωνευομένῳ* optime convenit. Vidimus supra quam facile *παγχάλεπος*, *πάγχρησος* et sim. in *πάνυ χαλεπός* cet. depravarentur. Et persaepe *πάμπολυς* in Anabasi legitur, v. c. VII. VII. 55. *Ἡρακλείδη πάμπολυ δοκεῖ τοῦτο τὸ ἀργύριον εἶναι.* Post pauca novas turbas scribae dederunt in verbis: *καὶ διὰ τοῦτο οὐδαμῇ οἴεσθε χρῆναι ζῶντα ἐμὲ ἐᾶν εἶναι*, alii *ζῶντά μ' ἂν εἶναι, ἐμὲ ἂν εἶναι, ἐμὲ ἀνιέναι, ἐμὲ ἀνεῖναι*, unus H. *ἐμὲ ἐᾶν εἶναι*, quod Dindorfius recepit. Sed Graeci dicebant *ἐῶ ζῆν, πατέρα δ' ἔα ζῆν*, non *ζῶντ' εἶναι*. Melius est aliquanto *ζῶντ' ἐμὲ ἀνεῖναι* nisi quod *ἀνεῖναι* non satis certam habet fidem pro *ἀφεῖναι* positum. Unus tantum est locus in Hellen. II. III. 51. *εἰ ἀνήσομεν ἄνδρα* pro *ἀφήσομεν*, cuius usus

nusquam alibi volam aut vestigium vidi, quum ἀφιέναι et ζῶντ' ἀφιέναι passim legatur, unde est etiam illud ioculariter dictum in garrulos odio aliquem enecantes ζῶντ' ἄφες pro μὴ ἀποκτείνῃς, μὴ ἀποκναίσῃς λαλῶν καὶ φλυαρῶν, apud Theocritum V. 78.

Εἶα λέγ', εἴ τι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις
ζῶντ' ἄφες. ὦ Παιάν, ἦ σωμύλος ἦσθα, Κομάτα.

Itaque Xenophontem suspicor dedisse οὐδαμῇ οἴεσθε χρῆναι ζῶντά μ' ἀφεῖναι, id est πάντως οἴεσθε δεῖν μ' ἀποκτεῖναι. Quod in hoc loco confusa sunt ἄν, ἐάν et ἐᾶν admonet me loci apud Strabonem, quem Critici ita curaverunt ut malum auxerint. Editur nunc XIII. p. 623 Casaub. σκώπτεται δὲ καὶ ὁ Ἔφορος διότι τῆς πατρίδος ἔργα οὐκ ἔχων φράζειν ἐν τῇ διαριθμήσει τῶν ἄλλων πράξεων οὐ μὴν οὐδ' ἀμνημόνευτον αὐτὴν εἶναι θέλων οὕτως ἐπιφωνεῖ· κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν Κυμαῖοι τὰς ἡσυχίας ἦγον. In libris est: οὐ μὴν οὐδ' ἂν ἀμνημόνευτον αὐτὴν εἶναι θέλων, latet in οὐδ' ἄν, οὐδὲ ἂν nihil aliud quam οὐδ' ἐᾶν quo recepto ultro excidet εἶναι, quod Graeculus olim ruenti orationi fulcrum supposuerat et haec est vera scriptura: οὐ μὴν οὐδ' ἐᾶν ἀμνημόνευτον αὐτὴν θέλων. Quid est in tali re usitatius quam ἐᾶν ἀμνημόνευτον et sim.?

Ex alia quadam corruptela εἶναι natum est apud Diodorum Sic. XII. 6. ἠναγκάσθησαν ἀφεῖναι τὰς πόλεις ἁπάσας τὰς κατὰ τὴν Βοιωτίαν αὐτονόμους εἶναι ἐὰν τοὺς αἰχμαλώτους ἀπολάβωσιν, in ΕΙΝΑΙ tres mediae litterae continent veram lectionem et expuncto ἐάν corrigendum est ἀφεῖναι — αὐτονόμους, ἵνα τοὺς αἰχμαλώτους ἀπολάβωσιν.

Iuvat ὁδοῦ πάρεργον Strabonem alio immani scribarum vitio liberare I. p. 65 Cas. Ἐρατοσθένης οὐχ ὁρᾶν φησι πῶς ἂν εἰς πράγματα καταστρέφοι ἡ ζήτησις αὕτη ἀλλὰ μόνον ἔριν διαιτώντων μᾶλλον κατὰ Δημόκριτον εἶναι. Insanabile fuisset vitium nisi aliunde lux affulsisset, cuiusmodi multae sunt emendationes palmariae, in quas nemo umquam potuisset incidere aut numquam cuiquam probasset, nisi aliqua huiusmodi πειθανάγκη accessisset. Quis non ambabus manibus arripiat in Themistii Orat. XV. p. 196: πολλὴ ῥᾳστώνη βαίνοντι διαφόρους κελεύθους κατὰ δίκην τὰ θνητῶν ἄγειν emendationem Toupii ad Suidam v. Δίκης ὀφθαλμός corrigentis βαίνοντι δι' ἀψόφου

κελεύθου ex Euripidis Troad. 887. unde et τὰ θνήτ' ἄγειν pro τὰ θνητῶν reposuerim. Eodem modo quid Strabo scripserit colligemus ex Plutarchi Symposiac. I. i. 5. § 2. τὰς ψυχὰς αἱ μὲν ἐλαφραὶ ζητήσεις ἐμμελῶς καὶ ὠφελίμως κινοῦσιν, ἐριδαντέων δὲ κατὰ Δημόκριτον καὶ ἱμαντελικτέων λόγους ἀφετέον. Nonne luce clarius est apud Strabonem in ἔριν διαιτώντων latere ἐριδαντέων? Quod qui certissimum esse videt facile intelliget Eratosthenem plane eadem Democriti verba, quae Plutarchus attulit, usurpasse et ita scripsisse: ἀλλὰ μόνον ἐριδαντέων καὶ ἱμαντελικτέων κατὰ Δημόκριτον εἶναι, et in praecedentibus πῶς ἂν εἰς πρᾶγμά τι (non πράγματα) καταςρέφοι. Immani errore in his ipsis Democriti verbis Clemens Alexandrinus et ipse lapsus est et alios secum traxit quum scriberet in Stromatum libr. I. p. 279 D. Sylb. οἱ δέ τινες σφᾶς αὐτοὺς ἐπαίροντες διαβολὰς τοῖς λόγοις ἐξευρίσκειν βιάζονται ζητήσεις ἐριςικὰς ἐκπορίζοντες »λεξειδίων θηρητῆρες, ζηλωταὶ τεχνυδρίων, ἐριδαντέες καὶ ἱμαντελικτέες," ὥς ὁ Ἀβδηρίτης ἐκεῖνός φησιν. Hinc homines docti, si Musis placet, monstra et portenta vocabulorum ἐριδαντεύς et ἱμαντελικτεύς in Graecitatis gazam incautissime receperunt. Quid enim erit barbarum umquam si ἐριδαντεύς non erit? Ex prisca forma ἐριδαίνω nascitur ἐριδάντης, ut ἱεροφάντης et συκοφάντης ex φαίνω, ὑφάντης ex ὑφαίνω, aliaque multa. Utitur forma ἐριδάντης pro ἐριςικός Timon in Sillis apud Diogenem Laërt. II. 107.

Ἀλλ' οὔ μοι τούτων φλεδόνων μέλει — οὐδ' ἐριδάντεω
Εὐκλείδου, Μεγαρεῦσιν ὃς ἔμβαλε λύσσαν ἐρισμοῦ.

nec debebat dubitare Dindorfius, quin apud Hesychium pro Ἐριδανάτας Ἡρακλῆς παρὰ Ταραντίνοις emendandum esset Ἐριδάντας. Decepit Clementem forma ἐριδαντέων et ἱμαντελικτέων: non animadvertit Ionica esse ἐριδάντης, ἐριδάντεω et ἐριδάνται, ἐριδαντέων et similiter ἱμαντελίκτης, ἱμαντελίκται, ἱμαντελικτέων, et aliud agens ex illis genitivis elicuit ἐριδαντέες et ἱμαντελικτέες, pessime, ut vides. Ἱμαντελίκτης optime comparari potest cum Φοινικελίκτης, quod servavit Hesychius in v. integrum senarium describens, qui mihi quidem colorem Archilochicum habere videtur:

Φοινικελίκτην καὶ λόγων ἀλαζόνα.

Pervulgato errore in Plutarchi loco Codices exhibent ἐριδανταίων et ἱμαντελικταίων, quae olim emendata sunt. Exturbabis igitur ex Lexicis Ἐριδαντεύς et Ἱμαντελικτεύς et notabis etiam in talibus Graecos pereruditos gravissime impingere posse, cuius rei quum mihi compluscula exempla in promtu sint uno utar ex Bekkeri Anecd. 347, 8 ubi Grammaticus in verbis Comici incerti:

γλῶττάν τέ σοι δίδωσιν ἐν δήμῳ φορεῖν
καλῶν λόγων ἀείνων,

coniunxit γλῶτταν ἀείνων et annotavit: τὸ δὲ γλῶττα ἀείνως πάνυ καινὸν καὶ ἐναργῶς εἴρηται, et est illud quidem hercle πάνυ καινόν, ab illo ipso demum magistro excogitatum; ἀείνων genitivus est cum λόγων coniungendus. Notum est quam immani errore lapsus sit Stephanus περὶ πόλεων in verbis Herodoti I. 125 ἔστι δὲ τάδε, ἐξ ὧν ὧλλοι πάντες ἀρτέαται Πέρσαι· Πασαργάδαι, Μαράφιοι, Μάσπιοι, qui ex ΑΡΤΕΑΤΑΙ elicuit Ἀρτεᾶται, γένος Περσικόν. Ἡρόδοτος πρώτῃ, eundem errorem repetens v. Ἀρταία et Μάσπιοι. Similia quaedam et ab aliis peccata sunt, sed ad Anabasin revertendi tempus est.

In Anab. VII. vi. 33 pro ἀπῆρα οἴκαδε ex optimis libris ἀπῆα revocandum. ΑΠΗΙΑ in ἀπῆρα abiit, quemadmodum ΗΙΞΑ (ἧξα) nonnumquam in ἧρξα corrumpitur, aliique errores ex I adscripto nasci solent. Imperfectum non aoristum flagitat sententia et inter se opponuntur ὅτε μὲν πρότερον ἀπῆα et νῦν δὲ ἀπέρχομαι.

In § 37 ἡγεμόνες δὲ ἥκουσιν [Λακεδαιμόνιοι] οἱ κράτιστοι νομιζόμενοι εἶναι, non est difficile ad intelligendum non Xenophontem sed sciolum aliquem Λακεδαιμόνιοι addidisse.

In VII. vii. 7. ἐξελαύνετε ἡμᾶς ἐκ τῆσδε τῆς χώρας ἣν παρ' ἡμῶν ἐχόντων κατὰ κράτος παρελάβετε, emenda ἑλόντων κατὰ κράτος. Quid sit ἔχειν κατὰ κράτος scire arbitror neminem, κατὰ κράτος αἱρεῖν novimus omnes, idque huic loco unice convenire palam est.

In § 10. pro ὦ θαυμαστότατοι Atheniensium more ὦ θαυμασιώτατοι est rescribendum. Qui vulgatam concoquere possunt etiam ὦ θαυμαστέ pro ὦ θαυμάσιε Graece dici posse debent concedere: quod quidem concedet nemo.

In eadem § aliud mendum inveteravit in verbis οὐδὲν ἐμὲ

παρακαλέσαντες — ὅπως ὥσπερ ἀπηχθανόμην αὐτοῖς ὅτε πρὸς ὑμᾶς ἦγον οὕτω καὶ χαρισαίμην νῦν ἀποδιδούς, nempe requiritur indicativus οὕτω καὶ ἐχαρισάμην. Loquitur enim Xenophon de ea re quae *facta fuisset*, si Thraces erga se servassent fidem: ἔδει γὰρ ὑμᾶς δι' ἐμοῦ παραδοῦναι τὸ ϛράτευμα τοῖς Λακεδαιμονίοις, ὅπως ἐχαρισάμην ἀποδιδοὺς ὥσπερ τότε ἀπηχθανόμην πρὸς ὑμᾶς ἄγων τοὺς ἄνδρας. Nemo dubitabit quin in hac forma orationis ὅπως ἐχαρισάμην legitima et necessaria constructio sit, et ὅπως χαρισαίμην vitiosa et soloeca. Sed prorsus idem alia loquendi forma dicere Xenophontem manifestum est. Continent enim verba οὐδὲν ἐμὲ παρακαλέσαντες hanc ipsam exprobrationem neglecti erga se officii fideique violatae, et significationem illius rei quam fieri debuisse ait ὅπως ἐχαρίσατο τοῖς Λακεδαιμονίοις, ut gratificari Lacedaemoniis potuisset. Quam saepe ὅπως, ἵνα et ὡς cum indicativis coniuncta ab indoctis Graeculis corrupta aut interpolata fuerint multis exemplis alibi demonstravimus.

Expunxerim articulum in § 11 κατὰ [τῆς] γῆς καταδύομαι ex dittographia natum, ut saepe, et in § 18 ἐπειδὴ Φίλους φατὲ εἶναι ὑμῖν revocaverim pro ἔφατε, et post pauca ubi editur εἴθ' ὑμᾶς προσῆκεν ἐκ τῆς χώρας ἀπιέναι εἴτε ἡμᾶς emendandum esse censeo προσήκει, nullus enim in talibus imperfecto locus est, sed χρή, δεῖ, προσήκει in huiusmodi controversia aut optione poni solent.

Iterum futurum in praesentis formam abiit VII. vii. 31. ἐὰν οἱ μὲν ϛρατιῶται ὑπισχνῶνται προθυμότερον συϛρατεύεσθαι, imo vero συϛρατεύσεσθαι.

Emblema inest in § 36 τὰ παρόντα πάντα [ἃ ἐκέκτησο], adscripsit sciolus quoniam rariore usu dictum est τὰ παρόντα pro τὰ ὑπάρχοντα. Eodem modo παρουσία ab Atticis usurpabatur. Harpocration v. Παρουσία e Cratete affert:

ἔχοντες εὐπαθῆ βίον | παρουσίαν τε χρημάτων.

et e Platone Comico Photius v. Παρουσία.

ὡς καὶ νῦν ἔχομεν παρουσίας.

unde optime Dindorfius antiquam scripturam ὡς ἑκάτερος χρείας καὶ παρουσίας ἔχουσιν intellexit fuisse apud Demosth. p. 166, 11 non καὶ περιουσίας. Simili sensu ἐκ τῶν παρόντων pro ἐκ

τῶν ὑπαρχόντων dicunt omnes, et Xenophon dixit τὰ παρόντα πάντα pro πάντα ἃ ἐκέκτησο.

In VII. VIII. 3 ἰδὼν δὲ τὰ ἱερεῖα ὁ Εὐκλείδης εἶπεν ὅτι πείθοιτο αὐτῷ μὴ εἶναι χρήματα, obscurarunt Graeculi Atticam loquendi consuetudinem quam non satis intelligebant: ὅτι πείθοιτο αὐτῷ μὴ ἔχειν χρήματα. Πείθομαί σοι μὴ ἔχειν χρήματα significat πείθομαί σοι ὅτι χρήματα οὐκ ἔχεις. Sequiores aut λέγοντι addebant aut alio modo talia omnia formabant. Antiquioribus solis usitatum est sic dicere, ut Xenophontem dixisse suspicamur. Exempla pauca de multis proferam. Axionicus apud Athen. p. 442 A.

γυναικὶ δὴ πίστευε μὴ πίνειν ὕδωρ.

Xenophon Hellen. V. II. 1 λέγοντες ὅτι οὐκ ἂν πιστεύσειαν ἄλλως αὐτοῖς μὴ σὺν τοῖς πολεμίοις γενέσθαι. In Demosthenis quae fertur Epistola II. 22 εἰκότως δ' ἄν μοι πιστεύοιτε ταύτην τὴν διάνοιαν ἔχειν καὶ μὴ νῦν μάτην θρασύνεσθαι. Lysias XIX. 54 καὶ πιστεύετε τούτοις ἀληθῆ λέγειν, οἳ ἂν — ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ παρέχωσι σώφρονας σφᾶς αὐτούς. Eadem dicendi forma Lysiae reddenda esse mihi videtur XXXI. 34 ubi editur: ἀλλὰ πιστεύω ὑμᾶς καὶ ἄνευ τούτων αὐτοὺς τὰ συμφέροντα τῇ πόλει γνώσεσθαι, edendum est, ut ego arbitror, ἀλλὰ πιστεύω ὑμῖν, quod quam facile ob sequens αὐτούς corrumpi potuerit satis perspicuum est.

In § 18 ὅπως τὰ ὅπλα ἔχοιεν πρὸ τῶν τοξευμάτων vera lectio esse videtur πρὸς τῶν τοξευμάτων, id est *in eam partem obversa unde tela coniiciebantur.* Saepissime πρός eo sensu usurpatum in πρό depravari solet. Sic in Aristophanis Vespis 1236 in optimo libro Ravennate legitur πρὸ ποδῶν κατακείμενος iugulato metro et contra sententiam, quae πρὸς ποδῶν postulant.

Unus denique locus in Anabasi superest, cuius scriptura nondum satis stabilita est in § 23 ἐνταῦθα τὸν θεὸν οὐκ ᾐτιάσατο Ξενοφῶν, in libris est τὸν θεὸν ἠσπάσατο aut τὸν θεὸν ᾐτιάσατο. Editores aut ἠσπάσατο interpretari nituntur, aut (οὐκ) ᾐτιάσατο coniecerunt esse emendandum. Qui ἠσπάσατο sanum esse iudicant ei verbo significationem affingunt inauditam et commenticiam, quod et Dindorfius fecit, qui: »*non de* salutando *deo*, inquit, *sed de* laudando *dictum*" quasi vero

ἀσπάζεσθαι esset ἐπαινεῖν. Deinde attulit ex Charitone locum, quasi Xenophontis oratio ex tam inepto scriptore illustrari posset. Ἀσπάζομαι est δέχομαι ἄσμενος, pro quo olim ἀσπάσιος dicebant, et sic Euripides dixit τὴν μὲν συμφορὰν ἀσπάζομαι πατέρα σ' ἀνευρών, et ipse Chariton τὴν μετάνοιαν ἠσπάζετο et multi passim sic loquuntur. Sed quid, quaeso, est τὸν θεὸν ἄσμενος ἐδέξατο in loco, de quo dicimus? Requiritur id ipsum quod Dindorfius volebat ἐπήνεσε τὸν θεόν, sed bene Graece et Attico more dictum. Sunt autem inter se contraria ἐπαινῶ et μέμφομαι sive αἰτιῶμαι: itaque οὐκ ἐπαινῶ urbane et clementer dicitur pro μέμφομαι et contra οὐ μέμφομαι et οὐκ αἰτιῶμαι pro ἐπαινῶ ponuntur, praesertim in futuro οὐ μέμψει, οὐκ αἰτιάσει, *contentus eris*, quo sensu dicitur δῶρον δ' ὅ τι δῷ τις ἐπαίνει pro *contentus esto*. Xenophon igitur quum ἐπήνεσε τὸν θεόν vellet dicere eleganter dixit τὸν θεὸν οὐκ ᾐτιάσατο, deinde ΗΙΤΙΑΣΑΤΟ in ἠσπάσατο corruptum est et οὐκ, ut saepe, negligentia periit. Itaque revocanda est vetus emendatio ἐνταῦθα τὸν θεὸν οὐκ ᾐτιάσατο Ξενοφῶν, quippe qui opimam praedae partem abstulerit.

Saepius factum est ut οὐκ excideret et sententia sic absurda fieret. Dedimus aliquot exempla et alibi, quibus unum addam ex Demetrio περὶ ἑρμηνείας § 288 τοὺς μὲν ἀμφὶ τὸν Ἀρίστιππον λοιδορῆσαι ἴσως ἀκινδύνου ὄντος ἐν σχήματι ὁ Πλάτων ἐλοιδόρησε, sentisne οὐκ ἀκινδύνου ὄντος requiri?

Ad finem Anabaseos pervenimus sed nondum eximium librum de manibus ponere iuvat. Semel etiam relegam ut et spicas pauculas colligam et, quemadmodum subinde feci, ex Anabaseos locis quibusdam incorruptis opem et medicinam depravatis aliorum locis afferam.

Quod in Anabasi legitur I. I. 8. ἀμφὶ τὰ στρατεύματα δαπανᾶν sine Xenophontis nomine descripsit Phrynichus in Bekkeri Anecd. I. p. 27, 32. Ἀμφὶ τὰ στρατεύματα δαπανᾶν: εἴποις δ' ἂν καὶ περὶ ἀθλητὰς δαπανᾶν καὶ περὶ ἵππους. Dicendi genus est rarum et exquisitum: ἀμφί pro περί positum est more Ionum, quo Xenophon plurimum utitur, et usitatum est plerisque omnibus dicere δαπανᾶν εἴς τι. Eodem modo scriptum est in Rep. Athen. IV. 8. οἱ ἄνδρες — ἀμφὶ ὅπλα τε

καλὰ καὶ ἵππους ἀγαθοὺς — βούλονται δαπανᾶν, et *ἡ περὶ τὸ τεῖχος δαπάνη* in Hellen. VI. v. 5.

Alterius Grammatici indicio manus Xenophontis nonnusquam restitui poterit; duae sunt locutiones *ἀνὰ κράτος* et *κατὰ κράτος* a scribis permisceri solitae, ab ipsis scriptoribus certo discrimine perpetuo distinctae. *Ἀνὰ κράτος* est *omnibus viribus, summa ope*, imprimis *φεύγειν* et *διώκειν*, saepe *θεῖν* et *ἐλαύνειν ἀνὰ κράτος* apud Xenophontem legitur. *Κατὰ κράτος* est *vi, pugnando* v. c. *urbem capere πόλιν αἱρεῖν κατὰ κράτος*, cui contrarium est *καθ' ὁμολογίαν*. Reddidimus Xenophonti *ἑλόντων κατὰ κράτος* in Anab. VII. vii. 4. Sciolorum fraude ea verba irrepserunt in Demosthenis orationem de F. L. § 61 *ἔτι τοίνυν τὸ μηδεμίαν τῶν πόλεων τῶν ἐν Φωκεῦσιν ἁλῶναι πολιορκίᾳ μηδ' ἐκ προσβολῆς [κατὰ κράτος], ἀλλ' ἐκ τοῦ σπείσασθαι κτέ.* Nil enim nisi interpretamentum est verborum, quae praecedunt, *ἐκ προσβολῆς*, ut tu vides. Non possunt igitur haec inter se permutari quin statim sententia verborum absurda fiat. Itaque in Anab. I. viii. 1 recte nunc editur ex quatuor optimis libris et Suida *ἐλαύνων ἀνὰ κράτος ἱδροῦντι τῷ ἵππῳ*, pro *κατὰ κράτος*, quod exhibent caeteri omnes. Eiusdem confusionis plura exempla collegit Schneiderus ad Cyrop. I. iv. 23, quo minus dubitabis in Anab. I. viii. 19 rescribere *ἐδίωκον μὲν ἀνὰ κράτος οἱ Ἕλληνες* pro librorum omnium lectione *κατὰ κράτος*, similiterque in Agesilao II. 3 *διώκειν ἀνὰ κράτος*. Iam vero Xenophon etiam in illa locutione Ionicam et veterem quamdam dicendi formam retinuisse videtur, cuius rei indicium certum faciunt reliquiae veterum *λέξεων*, quibus utimur. In Bekk. Anecd. p. 329, 15 legitur *Ἀκρατῶς ἐλαύνοντα: Ξενοφῶν, ἀντὶ τοῦ πάνυ ἐλαύνοντα*, corruptissime: emendate p. 337, 27 *Ἀγκράτος ἐλαύνω εἶπε Ξενοφῶν κατὰ συγκοπὴν ἀντὶ τοῦ ἀνὰ κράτος*, quae sumta sunt e Xenophontis Hipparchico VIII. 10 *δεῖ τὸν ἵππον ἀνὰ κράτος ἐλαύνοντα ἔποχον εἶναι*, ubi apparet olim in libris *ἀγκράτος* scriptum fuisse, eamque ipsam esse Xenophontis manum mihi quidem admodum videtur simile veri.

Comparari potest *ἄγκαθεν* apud Aeschylum ex *ἀνέκαθεν* collisum, quod immani vitio apud Hesychium in ΑΓΡΙΑΘΕΝ corruptum est. Emendata scriptura est in Bekk. Anecd. p. 337, 25.

In Anabas. I. ii. 22 propter librorum consensum Dindorfius

recepit δένδρων παντοδαπῶν σύμπλεων pro ἔμπλεων, et illam vitiosam scripturam munivit scilicet Hippocratis loco, et (si Musis placet) Theophylacti Simocattae, utroque depravato. Graeca sunt πλέως, ἔμπλεως, ἀνάπλεως, ἔκπλεως, κατάπλεως, διάπλεως cet., quae respondent verbis πίμπλημι, ἐμπίμπλημι, ἀναπίμπλημι cet. Sed neque συμπίμπλημι Graecum est pro συμπληρῶ, neque adeo σύμπλεως, nisi ubi pervulgato scribarum errore ἐμ — in συμ — abiit, quod sexcenties fieri solet. Nempe scribuntur in libris plerisque, quibus utimur, ἐν et σύν tam simili forma, ut distingui nequeant, nisi hoc agas et quid sit Graecum quid non sit certo scias. Librarii neque solebant ita facere neque poterant, itaque innumerabiles loci sunt, praesertim in compositis, ubi ἐν — σύν, ἐμ- et συμ- oscitanter et stulte sunt inter se permutata. *Caput obvolvere*, ut hoc utar, dicitur Atticis ἐγκαλύπτεσθαι tritissimo omnium usu: sunt tamen loci complures ubi συγκαλύπτομαι, quamquam manifesto mendosum, nullius umquam suspicionem movit, ut in Cyrop. VIII. vii. 28 πάντας δεξιωσάμενος συνεκαλύψατο καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν, vera scriptura, ne dicam e constanti omnium usu, elici poterat ex VIII. vii. 26 ὅταν δ' ἐγὼ ἐγκαλύψωμαι. In Aristophanis Pluto vs. 707.

μετὰ ταῦτ' ἐγὼ μὲν εὐθὺς συνεκαλυψάμην,

quamquam metrum misere iugulat tamen plerosque omnes libros praeter duos optimos obsidet: rem acu tetigit, ut solet, Dawesius in Miscell. Crit. p. 378 Kidd., cui temere, ut solet, obloquitur D'Orvillius ad Charit. p. 275. Recte Dawesius in Avibus vs. 1496 pro τίς ὁ συγκαλυμμός reposuit τίς οὑγκαλυμμός, neque facile poenitebit quemquam, si in Xenophontis Symposio I. 14 restituerit παυσάμενος τοῦ δεΐπνου ἐγκαλυψάμενος κατέκειτο pro vulgata συγκαλυψάμενος. Duplex erroris causa est, et sequiorum usus, qui verbum συγκαλύπτομαι saepe usurpabant, et quae oculos describentium fallebat scripturae similitudo, quam mihi inspicito aliquis apud Bastium in Comment. Palaeogr. Tab. I. 10 et legat quae ab eo annotata sunt huius confusionis exempla ad Gregor. Corinth. p. 21 sq. et 494. Semel admonitus passim lectiones ex eo errore propagatas et agnoscere disces et agnitas contemnere, quale est illud ipsum σύμπλεων, nihili vocabulum et explodendum, etiam Theophy-

lacto vindice. Nemo diu haerebit utrum apud Demosthenem p. 801, 16 ἅπασι τοῖς ἐμπλέουσι legendum sit an συμπλέουσι, neque anceps optio est p. 884, 11 inter τοῦ παρ' ἡμῶν συμπλέοντος ἐναντιωθέντος et ἐμπλέοντος. In talibus omnibus librorum discrepantiae nauci non sunt, et nostri ubique arbitrii est quid sit verum constituere. Confirmabo illam observationem paucis quibusdam exemplis ex Plutarcho sumtis. De Solone scribit in vita cap. III τῶν πολιτικῶν πολλὰ συγκατέπλεκε τοῖς ποιήμασιν, tu subridens ἐγκατέπλεκε repones. In libro de Stoicorum repugnantiis p. 1035 C. editur: ὧν οὐθὲν ἔςι πεισθῆναι μὴ διὰ βάθους ἐγκραθέντα τοῖς φυσικοῖς λόγοις, imo vero συγκραθέντα, quod est pervulgatum in tali re, in qua ἐγκεκρᾶσθαι risum movet. Sed in paucis ridicula est scriptura in vita Alexandri cap. XVIII de nodo Gordiano: παραλαβὼν τὴν θρυλουμένην ἅμαξαν εἶδε φλοιῷ κρανίας ἐνδεδεμένην, quis non statim intelligit quam sit hoc absurdum pro συνδεδεμένην? Ad huius compositi mentionem iuvat obiter scitos Menandri aut alius cuiusdam Comici versiculos emendatos ex tenebris protrahere, in quibus latitant apud Plutarchum in Symposiacis I. V. I. § 2 φειδωλὸς ἀνήρ τε καὶ μικρολόγος ἐμπεσὼν εἰς ἔρωτα καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρος ἀνεθεὶς καὶ μαλαχθεὶς ἁπαλὸς καὶ ὑγρὸς καὶ ἡδίων (γίγνεται), ὥςε τουτὶ τὸ παιζόμενον μὴ πάνυ φαίνεσθαι γελοῖον, ὅτι πράσου φύλλῳ τὸ τῶν ἐρώντων δέδεται βαλλάντιον, in quibus haec verba Comici insunt:

φύλλῳ πράσου
τὸ τῶν ἐρώντων συνδέδεται βαλλάντιον.

Contra peccatum est in vita Demosthenis cap. V: Ἕρμιππος δέ φησιν ἀδεσπότοις ὑπομνήμασιν ἐντυχεῖν, ἐν οἷς ἐγέγραπτο τὸν Δημοσθένην συνεσχολακέναι Πλάτωνι, Demosthenes Platonis *auditor* certe potest fuisse, sed *condiscipulus* omnino non potest, emenda igitur ἐσχολακέναι Πλάτωνι. Vitiosa esse suspicor apud Plutarchum συγκεκαλυμμένην (in Numa c. X), et συγκεκαλυμμένον (in Pericle c. XVI et in Timoleonte cap. IV), et συγκεκαλυμμένου (in Demosthene duobus locis c. VII et XXIX.) Recte ἐγκαλυψάμενος scriptum est in Othone cap. IX.

Idem vitium mirifice turbat Eunapii locum in Vit. Sophist. p. 115: τῶν γοῦν γραφόντων τὰ ἄκρα (τῶν adde) δακτύλων ὑπὸ τῆς ἀλήκτου μελέτης καὶ χρήσεως ἐνεκέκαπτο. Risum movet

in ea re verbum ἐγκάπτω. Repone συνεκέκαμπτο. Idem mendum p. 4 in verbis ἅτε μηδενὸς ἐγγεγραφότος inerat, ubi optime συγγεγραφότος est repositum. Iocularis quoque error est commissus apud Plutarchum *de Sollert. Animal.* p. 970 D. ubi editur: τοῖς δ' ἄλλοις (ὁ Βουκεφάλας) ἐναντίος ἐπιτρέχων ἐχρεμέτιζε μέγα καὶ συνήλλετο καὶ κατεπάτει τοὺς μὴ πρόσω ἵεσθαι φθάσαντας, at tu sodes ἐνήλλετο rescribe.

Notabilis est lectionis varietas in Anab. I. iii. 11 in verbis σκεπτέον — ὅπως ἀσφαλέστατα μένωμεν — ὅπως ἀσφαλέστατα ἄπιμεν καὶ ὅπως τὰ ἐπιτήδεια ἕξομεν, pro ἄπιμεν enim in omnibus praeterquam in quinque melioribus legitur ἀπίωμεν. Nempe Graeculi quum nescirent ἔρχομαι apud Veteres non aliud futurum habere quam εἶμι, ἀπέρχομαι ἄπειμι, ἐξέρχομαι ἔξειμι, ἐπεξέρχομαι ἐπέξειμι et eadem ratione in caeteris compositis ad unum omnibus, et formas εἶμι, ἄπειμι, ἔξειμι, ἐπέξειμι cet. numquam apud Veteres futuri significationem deponere, neque in Syntaxi umquam futuri naturam exuere, Graeculi igitur huius rei prorsus ignari si quando futurum huiusmodi occurrit mirantes id quod non intelligunt variis modis depravare aggrediuntur. Mirantur isti et turbas dare solent si quando ὅστις vel οἵτινες vel ὅπως futurum postulans, vel οὐ μή vel οὐ cum futuro acriter aut imperiose iubentis coniunctum est cum futuro εἶ, ἄπει, ἔξει, ἐπέξει, ἄπιμεν, ἀπίασιν, aut alio quodam eiusdemmodi. Est autem operae pretium videre quemadmodum proba et antiqua lectio ab homuncionibus istis soleat mulcari. Dabo pauca quaedam exempla. In Demosthenis Midiana p. 583, 23 populus eum ad reum peragendum his clamoribus incitasse dicitur: ὅπως ἐπέξει τῷ μιαρῷ καὶ μὴ διαλύσει, θεάσονταί σε τί ποιήσεις Ἀθηναῖοι. nemo mirabitur ἐπέξει in multis libris vitiose scriptum esse επεξηι, ἐπέξῃ, ἐπεξῇ, sed agnoscemus Graeculos ΕΠΕΞΕΙ quod non concoquebant temerariis manibus contrectantes. Apud Isaeum περὶ τοῦ Κίρωνος κλήρου VIII. 24. haec verba sunt aliquem foribus excludentis: σὺ δὲ τίς εἶ; σοὶ δὲ τί προσήκει θάπτειν; οὐ γιγνώσκω σε. οὐ μὴ εἰσίῃς τὴν οἰκίαν. Ultima verba duplici mendo manifesto infecta sunt. Graecum est εἰσέρχομαι εἰς τὴν οἰκίαν, non εἰσέρχομαι τὴν οἰκίαν, et οὐ μή necessario futurum requirunt. Emicat igitur vera scriptura οὐ μὴ εἴσει εἰς τὴν οἰκίαν, quod olim emendasse video

Dobraeum. Tu vides cur ΕΙΣΕΙΕΙΣ in *εἰσίῃς* abierit. Idem genus mendi conspicitur in Demosthenis Aristocratea p. 634, 7. *εἰ μὲν ἐάσομεν — διατρίψομεν, εἰ δ' ἐπέξιμεν — ἀναγκασθησόμεθα.* Futurum *ἐπέξιμεν* in aliis videbis in *ἐπεξίωμεν* depravatum et *ἐπεξίομεν* et *ἐπεξίοιμεν*, qui sunt duo soloecismi cum uno barbarismo. Similiter in Timocratea p. 753, 2. *ὅπως ὧν ἂν ὑμεῖς καταγνῶτε ἄδετοι περιίασιν*, bona pars librorum etiam optimorum *περιίωσιν* exhibet, quod nemo probabit. Proclives enim sunt Graeculi omnes in hanc partem, ut futuris cum *ὅπως* coniunctis subiunctivi formas substituant, mutata vocali turpissimos barbarismos invehentes ut saepius multis demonstravimus. In illo ipso loco Anabaseos, unde hanc annotationem orsi sumus, luculentum rei exemplum est. Servarunt optimi testes *ὅπως — ἄπιμεν καὶ ὅπως — ἕξομεν* sed peccarunt iidem omnes in *ὅπως μένωμεν* pro *μενοῦμεν.* Si quis autem ex his perspexerit lectionem *ἀπίωμεν* nauci non esse, is eadem opera in locis complusculis veram scripturam statim protrahet in lucem. Praeibo ipse duobus exemplis. Fraus perpluit in Demosthenis oratione *περὶ τοῦ ϛεφάνου* p. 236, 8 *ἐπειδὴ γὰρ ὡμολόγησε τὴν εἰρήνην ὁ Φίλιππος — πάλιν ὠνεῖται παρ' αὐτῶν ὅπως μὴ ἀπίωμεν ἐκ Μακεδονίας.* Antiqua et vera scriptura est ΟΠΩΣΜΗΑΠΙΜΕΝ, *ὅπως μὴ ἄπιμεν*, quam homunciones duplici modo contemerarunt. Alii enim *ἀπίωμεν* dederunt, alii propter *αὐτῶν* correxerunt scilicet *ἀπίωσιν.* Praeterea inconsulto Dindorfius recepit *ὡμολόγησε τὴν εἰρήνην*, quod prorsus absurdum est, namque *ὁμολογεῖν τὴν εἰρήνην* nihil prorsus significat, et satis constat ex iis quae praecedunt *ὅτι ὁ Φίλιππος ὤμοσε τὴν εἰρήνην* eaque ipsa de causa missi legati sunt *ληψόμενοι τοὺς ὅρκους παρὰ τοῦ Φιλίππου* sive *ὁρκιοῦντες αὐτόν*, inspice modo locum vicinum p. 235, 27. Sed, inquiet, *ὡμολόγησε* servant optimi testes omnes, *ὤμοσε* in deterioribus est de nescio cuius coniectura, ut apparet, invectum. Quasi vero non sexcenties etiam in praestantissimo Codice S Parisino absurdae lectiones compareant et manum ipsam Oratoris sollers et acuta coniectura revocaverit. Sunt qui in Codicis S fide et auctoritate aestimanda ridiculum in modum (ut dicam libere quod sentiam) a vero aberrent. Vidi adeo qui Codicem S »*additamentis prorsus liberum*" assevararet esse. Alii nihil fere »*male*" omissum esse

opinantur. Equidem excussa diligenter omni farragine scripturarum, quae ex Cod. S excerptae sunt, maneo in vetere sententia illum Codicem longe longeque omnium qui nunc exstent optimum et fidelissimum testem esse, sed ex ea re melius confici quam sint caeteri omnes vitiosi quam ipsius S integritatem et fidem per se spectatam laudari. Non est peccandi genus quo S non deformetur, et in his complura sunt unde scribarum stulta et indocta temeritas potius quam socordia et incuria pelluceant, qui *θάτερος θατέρῳ* nil mali suspicantes dederunt, et *τέως* passim pro *ἕως*, et *δημήτραν*, *ἐξομνύεσθαι*, *καθεςαμένοις*, *δεδέχατε*, similiaque alia, in quibus est frequens illud ipsum mendum, de quo agimus. Nempe ubi Demosthenes *ὤμοσα* vel *ὠμοσάμην* dixerat, isti saepius *ὡμολόγησα* et *ὡμολογησάμην* stulte substituunt, ut ipse Dindorfius primus omnium animadvertit et paucis exemplis ostendit ad pag. 1170, 14 *μάρτυρας ἐποιησάμεθα — τοὺς θεοὺς, οὓς ὠμόσαμεν ἀλλήλοις*, ubi nemo, ut opinor, ex Cod. S. *ὡμολογήσαμεν* recipiet, aut 1170, 24 aut 1032, 18 *ὁμολογήσαντας* pro *ὀμόσαντας*, aut 1269, 26 *ὁμολογῆσαι* pro *ὀμόσαι*, aut 378, 19 *ἐξωμολογησάμην* pro *ἐξωμοσάμην*. Ad hanc lucem facile perspicies quanti sit facienda scriptura *ὡμολόγησε τὴν εἰρήνην* pro *ὤμοσε*. Simul intelliges apud Diogenem Laërt. II. 40: *ἡ δ' ἀντωμοσία τῆς δίκης τοῦτον εἶχε τὸν τρόπον. ἀνάκειται γὰρ ἔτι καὶ νῦν* (*φησὶ Φαβωρῖνος*) *ἐν τῷ Μητρῴῳ. Τάδε ἐγράψατο καὶ ἀνθωμολογήσατο Μέλητος Μελήτου Πιτθεύς κτἑ.* sine ulla dubitatione *ἀντωμόσατο* pro ridicula lectione *ἀνθωμολογήσατο* esse substituendum. Adscripsi et reliqua ut obiter admonerem corrigendum esse: *Κεῖται γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ Μητρῴῳ*, non *ἀνάκειται*, nisi forte *ἀνάθημα* fuisse putabis *τὴν ἀντωμοσίαν*.

Sed addam alterum exemplum futuri *ἄπειμι* ex inscitia depravati. Legitur in libello, qui *Γυναικῶν Ἀρεταί* inscribitur et in Plutarcheis circumfertur, sed scriptus est oratione et stilo multo nitidiore et elegantiore quam qua Plutarchus uti solet. In eo libro p. 252. A. editur *προσέταττε πέμπειν καὶ γράφειν αὐτὰς τοῖς ἀνδράσιν ὅπως ἀπίωσιν ἐκ τῆς χώρας*, sed *ὅπως ἀπίασιν* arbitror esse emendandum.

Multis etiam nunc mendis erroribusque scribarum suavissimus ille liber commaculatus est, de quibus nunc dicere non

est satis opportunum. Sed nihil impedit quo minus paucis aperiam vitia, quibus infectum est caput XV, unde sumtus locus est, quem modo correximus. Nempe p. 251. C. ἀποσφάττει τὴν παρθένον, ὡς ἔτυχεν, ἐν τοῖς κόλποις τοῦ πατρὸς ἔχουσαν τὸ πρόσωπον, corrige: ὡς ἔτυχεν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ πατρὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον, post pauca lege πολλοὶ ἐπεφαίνοντο pro ἐπεφέροντο, et p. 252 C. αἰκισάμενος καὶ προανελών pro προανελῶν, deinde scribendum φειδόμενοι παιδαρίων καὶ γυναίων non γυναικῶν, nam contemtim ista dici apparet. Tum p. 252. F. pro τί πέπονθας, ὦ πάτερ, καθεύδων; αὔριον δέ σε δεῖ τῆς πατρίδος ϛρατηγεῖν, et lectio et interpunctio emendanda est in hunc modum: τί πέπονθας, ὦ πάτερ; καθεύδεις, αὔριον δέ σε κτέ. *quid agis, mi pater? dormis* —. Exprobratio haec est, in qua non est interrogandi locus. Continuo post rescribe παρεκάλει τοὺς ἑταίρους, pro τοὺς ἑτέρους, et post pauca ubi editur: οὐ μὴν ἔφθασάν γε πολλοὶ τὰς γυναῖκας repone πολύ pro πολλοί. Deinde in verbis: ἐβόα δεινὰ ποιεῖν αὐτοὺς εἰ δῆμος ἀξιοῦντες εἶναι ταῦτα τολμῶσι καὶ ἀσελγαίνουσι τοῖς τυράννοις ὅμοια, corrige ταὐτὰ τολμῶσι quo facto statim intelliges ὅμοια a sciolo post corruptelam de suo additum; deinde Μοιρώ scribe pro Μυρώ, et ὅπως οὖν — καταϛρέψομεν pro ἄν — καταϛρέψωμεν. Denique οὐδ' ἄλλο πώποτε pro οὐδὲν ἄλλο restituendum.

Caetera alio tempore persequar, nunc me Anabasis revocat, ubi I. IV. 4 pro ἐφειϛήκεσαν πύλαι verisimillimum est ἐφέϛασαν πύλαι a Xenophonte scriptum esse. Vidimus supra quam constanter Graeculi formas antiquas ἕϛασαν, παρέϛατε, ἀφέϛασαν et ὑφέϛασαν corruperint. Cf. ea quae annotavimus ad Anab. I. VIII. 5 et V. VII. 21. et mecum, ut opinor, ἐφέϛασαν unice probabis.

Verba Xenophontis II. II. 11. ὑπάρχει γὰρ νῦν ἡμῖν οὐδὲν τῶν ἐπιτηδείων, quibus similia leguntur VII. II. 15. τῶν δ' ἐπιτηδείων οὐδὲν ἔμελλεν ἕξειν τὸ ϛράτευμα facient percommode ad firmiter constituendam veram lectionem loci Lysiaci in Orat. I. § 22 εἰδὼς δ' ἐγὼ ὅτι τηνικαῦτα ἀφιγμένος οὐδὲν ἂν καταλήψοιτο οἴκοι τῶν ἐπιτηδείων ἐκέλευον συνδειπνεῖν, ubi Bekkerus οὐδένα καταλήψοιτο rescripsit, quasi τῶν ἐπιτηδείων esset *familiarium*, prorsus contra loci sententiam et

naturam rei. Alii servant *οὐδὲν ἂν καταλήψοιτο* foedissimum soloecismum. *Ἂν* expungendum est et *οὐδὲν τῶν ἐπιτηδείων* *nihil cibi* significat, et sic locus ad intelligendum apertus et omni mendo vacuus est.

Duo vocabula insiticia sunt in Anab. II. iv. 18. *ὁ δὲ Κλέαρχος ἀκούσας ἐταράχθη σφόδρα* [*καὶ ἐφοβεῖτο*], in aliis mutato ordine *ἐταράχθη καὶ ἐφοβεῖτο σφόδρα*, quo ipso indicio facillime emblemata deprehenduntur. Quid sibi vult autem in tali loco imperfectum *ἐφοβεῖτο* post *ἐταράχθη*? et quid omnino iis verbis erat opus?

Multi controversiam movent scripturae in Anab. II. ii. 12 *οὐκέτι μὴ δύνηται* et *δυνήσεται* reponendum esse censent, quibus nuperrime se adiunxit Dindorfius ad Cyropaed. VIII. i. 5. *εὖ εἰδέναι χρὴ ὅτι οὐ μὴ δύνηται* (*δυνήσεται*) *Κῦρος εὑρεῖν κτέ.* eadem opera emendans locum in Hierone XI. 15 *οὐκέτι μὴ δύνωνται*, quae mihi quoque recte emendata videntur; sed quod Dindorfius et alii duos alios ex Anabasi locos tentarunt hosce IV. viii. 13 *οὐδεὶς μηκέτι μείνῃ*, et VII. iii. 26 *οὐ μὴ δείσῃς τὸν πολέμιον*, non assentior et genuinam lectionem ultro depravari ab eo arbitror, quum *μενεῖ* et *δείσει* iubet reponi. Nempe tenetur in *δείσει* eodem certo refragantis Graecitatis indicio, quo illi, qui in Sophoclis Philocteta 381.

οὐ μήποτ' εἰς τὴν Σκῦρον ἐκπλεύσῃς ἔχων.

et in Aiace vs. 560.

οὔτοι σ' Ἀχαιῶν, οἶδα, μή τις ὑβρίσῃ.

formas *barbaras ἐκπλεύσεις* et *ὑβρίσει* incauti reponere volebant. Forma *δείσομαι* a Grammaticis ficta est, neque usquam in Graecorum libris legitur, cuiusmodi sunt aliae complusculae formae, quas nemo vidit et nemo videbit, sed in Grammaticorum cerebris natas esse indagantibus apparebit. Itaque *οὐ μὴ δείσῃς* unice verum est et frustra in Xenophonte et Platone ea compositione offendimur. Perdiderunt operam, qui verba Platonis de Rep. X. p. 609 B. *οὐ γὰρ τό γε ἀγαθόν μήποτέ τι ἀπολέσῃ* ad praeceptum Dawesianum per vim accommodare voluerunt. Non facile enim *ἀπολεῖ* in *ἀπολέσῃ* abiisset. Sed in Platonis Phaedone p. 29 B. scribendum arbitror *οὐ μήποτε κτησόμεθα*, quamquam *κτησώμεθα* habent libri omnes. Scribae enim ut in *ὅπως* sic in *οὐ μὴ* cum futuro coniunctis *εὐε-*

πίφοροι sunt admodum in coniunctivi formas vel cum barbarismo aut metri ruina substituendas. Nemo dubitabit umquam, quin Dawesio obtemperandum sit in Sophoclis Trachiniis vs. 980.

οὐ μὴ 'ξεγείρῃς τὸν ὕπνῳ κάτοχον,

rescribere iubenti *οὐ μὴ 'ξεγερεῖς*, est enim metri *πειθανάγκη*. Nauseam parit omnibus putidissimus barbarismus in Euripidis Hippol. 611. *οὐ μὴ προσοίσῃς χεῖρα* pro *προσοίσεις*. Nec dubitaverim in Platonis Politico p. 508 D. unice probare futurum: *οὐδὲ — μήποτε συςήσεται πόλιν τινά*, pro *συςήσηται*.

Est in eodem libro Anabaseos locus, quo non est alius accommodatior ad emendandum locum Demosthenis, de quo adhuc Critici certant sine fructu. Editur in oratione *περὶ τῆς Ῥοδίων ἐλευθερίας* p. 200, 17 *τῶν μὲν συμμάχων τοὺς τὸν αὐτὸν ἐχθρὸν καὶ φίλον ὑμῖν ὀμωμοκότας νομίζετε εὐνουςάτους*, quae est omnium librorum scriptura a Wolfio sic correcta ut *ἕξειν* de suo insereret: *ὑμῖν (ἕξειν) ὀμωμοκότας*, Dindorfius, in Oxoniensi Editione *ἕξειν* removit, cuius rei poenitere se scripsit in Lipsiensi; et est hercle illud quidem satis certum huiusmodi futurum infinitivi necessario requiri. Suspicor in vetustissimis libris veram lectionem exaratam fuisse in hunc modum: ΥΜΕῙΝΟΜΙΕΙΝΟΜΩΜΟΚΟΤΑΣ et scribae oculos ab ΕῙΝ ad proximum ΕΙΝ aberrasse: itaque sic *ὑμεῖν (ὑμῖν) ὀμωμοκότας* natum esse pro *ὑμῖν νομιεῖν ὀμωμοκότας*, quam ipsam locutionem constans dicendi usus in ea re postulat: ut in Anab. II. v. 39. *ὀμόσαντες ἡμῖν τοὺς αὐτοὺς φίλους καὶ ἐχθροὺς νομιεῖν*, et videbis passim in foederibus eam legem iisdem verbis solemnibus conceptam apud Historicos et Oratores. Satis erit inspexisse Thucydidem I. 44. *ξυμμαχίαν — ποιήσασθαι ὥςε τοὺς αὐτοὺς ἐχθροὺς καὶ φίλους νομίζειν*, et III. 70 et 75. Leve mendum in ea re Aeschini adhaesit in Ctesiphontea § 100 *πρέσβεις οἵτινες δεήσονται τὸν αὐτὸν Ἀθηναίοις φίλον καὶ ἐχθρὸν νομίζειν [εἶναι]*, ubi *εἶναι* spurium est et expungendum. *Νομίζω εἶναι* nil nisi *opinionem* significat *sine actione*. In Anabasi III. ii. 28 *ἢν δὲ κρατῶμεν καὶ τοὺς πολεμίους δεῖ σκευοφόρους νομίζειν.* Putasne *εἶναι* addi potuisse, ut in iis quae statim sequuntur: *λοιπόν μοι εἰπεῖν ὅπερ καὶ μέγιςον νομίζω εἶναι?*

Eadem ratio est in verbo ἡγοῦμαι: qui apud Menandrum ita dicit:

ἡγεῖταί μ' ὅλως | ἐπικόπανόν τι,

multis verberibus a nescio quo contusus ita dixit. Itaque neque apud Aeschinem id ferri potest neque apud alios veteres, sicubi idem mendum conspicitur.

Quod emendate scriptum est in Anabasi II. vi. 11 ἐν μὲν οὖν τοῖς δεινοῖς ἤθελον αὐτοῦ ἀκούειν σφόδρα καὶ οὐκ ἄλλον ᾑροῦντο οἱ ϛρατιῶται, et III. v. 16 τούτους δὲ ἔφασαν — πολεμικοὺς εἶναι καὶ βασιλέως οὐκ ἀκούειν, et alibi, saepe aliis locis Graeculorum socordia depravatum est et ad huiusmodi exempla corrigendum. Quid velim optime apparebit et simul sententiae meae plurimum fidei accedet ex loco Demosthenis p. 158, 9: Ἀθηναίους δὲ, οἷς πάτριόν ἐϛι μηδενὸς ἀκούειν, ἁπάντων δὲ κρατεῖν ἐν τοῖς πολέμοις, ubi testes omnes fideli concordia ad nos propagarunt scripturam μηδενὸς ὑπακούειν, unus tantum ex omnibus sed caeteris omnibus fide et auctoritate praestans plurimum Parisinus S. pro ὑπακούειν veram lectionem ἀκούειν servavit. Recepta statim est propter auctorem, debebat et ex se spectata sine mora recipi. Quid causae autem fuisse putemus, cur in ὑπακούειν caeteri omnes conspirent? Ἀκούειν τινός pro *alicui dicto audientem esse* vel *parere alicuius imperio* antiquioris Graecitatis est, qui usus quum dudum obsolevisset pro ἀκούειν omnes ὑπακούειν constanter coeperunt dicere, et (ut sexcenties vidimus) suam loquendi consuetudinem in Antiquitatis monumenta temere transferre. Est autem id propterea tam vitiosum quia ἀκούειν eo sensu suapte natura *genitivum*, sed ὑπακούειν *dativum* requirit, quod quum sequiores nescirent foedissimis maculis Veterum scripta inquinarunt, cuiusmodi est μηδενὸς ὑπακούειν pro μηδενί. Quis non hisce admonitus fraudem nobis factam esse suspicetur in Cyrop. VIII. i. 4 εὑρήσετε (τὴν πόλιν) τὴν μάλιϛα τοῖς ἄρχουσιν ἐθέλουσαν πείθεσθαι ταύτην ἥκιϛα τῶν πολεμίων ἀναγκαζομένην ὑπακούειν et verum esse ἀναγκαζομένην ἀκούειν? Multa passim occurrunt vitia eiusdemmodi, quae ad Graecitatis *certum* usum ad unum omnia sunt revocanda, in qua re ne peccatorum multitudo alicui scrupulum iniiciat novo exemplo confirmare lubet quam lubrica, quam futilis sit in talibus Codicum

Mss. fides per Graeculorum temerarias manus ad nos propagatorum. Nempe in plerisque omnibus libris ἐπακούειν et ὑπακούειν ineptissimum in modum permiscentur quamquam haec verba et significationis et constructionis certo constantique discrimine diremta sunt. Ἐπακούειν τινός dicitur is qui diligenter et attente aliquid et lubenter audit, et sic Dii qui mortalium precibus praebent aurem dicuntur τῶν εὐχῶν ἐπακούειν. Contra ὑπακούειν τινί is dicitur, qui ad vocantis vocem respondet obtemperatque, ut ianitor dicitur τῷ κόψαντι τὴν θύραν ὑπακούειν. Et vel sic tamen haec passim confunduntur et in Codicibus et in emendatissima quaque editione. Turpe est in Herodoto aequissimis animis tulisse omnes Editores IV. 141. τοῦτον τὸν ἄνδρα ἐκέλευε Δαρεῖος καλέειν Ἱστιαῖον. — Ἱστιαῖος δὲ ἐπακούσας τῷ πρώτῳ κελεύσματι κτὲ. nam quid certius est quam ὑπακούσας ab Herodoto scriptum esse? Satin certum est ἐπακούειν cum dativo nullo pacto umquam iungi potuisse?

Hinc fit ut saepissime καλεῖν et ὑπακούειν sibi inter se respondeant et καλούμενος ὑπήκουσεν et sim. legantur. Emenda igitur obiter Plutarchum περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς p. 338 B. Κλεῖτος — Ποσειδῶν ἀνηγορεύθη —. Δημήτριος δὲ — καταιβάτης καλούμενος ἐπήκουε, imo vero ὑπήκουε. Conferri meretur Plutarchi locus *de defectu Oraculorum* p. 419 B. δὶς μὲν οὖν κληθέντα σιωπῆσαι, τὸ δὲ τρίτον ὑπακοῦσαι τῷ καλοῦντι. In eiusdem vita Sertorii cap. XI. ποιησάμενος τιθασὸν οὕτω καὶ φιλάνθρωπον (τὴν νεβρὸν) ὥστε καὶ καλοῦντος ἀκούειν requiritur ὑπακούειν et καλοῦντος absolute est positum *quum vocaret*. Comparasse iuvabit duos alios Plutarchi locos e libro *de sollertia animalium* p. 976 A. ubi refert multis locis esse ἰχθῦς ὑπακούοντας τοῖς αὐτῶν ὀνόμασιν, ut Crassi muraenam, et p. 969 F. ἐπεὶ μηδεὶς ὑλακτοῦντι τῶν νεωκόρων ὑπήκουσεν αὐτῷ.

Turpe est, ut redeat unde digressa est oratio, in Aristophanis Nubibus vs. 263 tolerari scripturam καὶ τῆς εὐχῆς ὑπακούειν, praesertim quum ἐπακούειν in melioribus libris diserte legatur. Non minus turpis error inveteravit in Aeschinis Ctesiphontea § 56: τῶν Ἑλλήνων ὅσοις ἐπιμελὲς γέγονεν ὑπακούειν τῆσδε τῆς κρίσεως pro necessario ἐπακούειν. Neque ulla est in Platonis Gorgia p. 487 C. dubitatio, quin vera lectio sit: καί ποθ' ὑμῶν ἐγὼ ἐπήκουσα βουλευομένων pro

ὑπήκουσα, quod et in deterioribus libris legitur et ipsum est deterrimum. Contra peccatum est et saepe alibi et in Nubibus vs. 274.

ἔλθετε δῆτ', ὦ πολυτίμητοι Νεφέλαι,
ἐπακούσατε δεξάμεναι θυσίαν καὶ τοῖς ἱεροῖσι χαρεῖσαι,

ubi *ὑπακούσατε* unice verum et plane necessarium est. Ut *vocatae veniant ad sese* rogat Nubes, non ut *praebeant aurem*. Similia complura mihi in aliis animadversa et notata sunt, sed de his nunc quidem hactenus. Redeundum est enim paucis ad ipsum Xenophontis locum, a quo hanc animadversionem instituimus, quoniam in extrema parte vitium concepisse videtur: *καὶ οὐκ ἄλλον ἡροῦντο*, inquit, *ἐν τοῖς δεινοῖς*. Facile credimus: difficile est in ipso discrimine pugnae mutare ducem aut potiorem deligere et acceptiorem. Excidit particula, quae tam saepe solet, scribendumque *καὶ οὐκ ἂν ἄλλον ἡροῦντο*.

Describentium error commaculat acrem Xenophontis orationem III. I. 25. *εἰ μὲν ὑμεῖς ἐθέλετε ἐξορμᾶν ἐπὶ ταῦτα ἕπεσθαι ὑμῖν βούλομαι, εἰ δ' ὑμεῖς τάττετέ με ἡγεῖσθαι οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν*, non est in his epanaphora, ut § 37. *ὑμεῖς γάρ ἐστε στρατηγοί, ὑμεῖς ταξίαρχοι καὶ λοχαγοί*, et quae sequuntur, sed oppositio manifesto requiritur inter *ὑμεῖς* et *ἐμέ*. Nihil offensionis superesset si legeretur· *εἰ δ' ἐμὲ τάττετε ἡγεῖσθαι κτέ.* Sed difficile dictu est unde haec tam aperta et plana sententiae forma in illam abierit. Illud ipsum postulari tamen concedendum esse mihi arbitror.

Confusa sunt *παρά* et *περί*, ut passim alibi, in Anab. IV. IV. 11 *ἀλεεινὸν ἦν ἡ χιὼν ἐπιπεπτωκυῖα, ὅτῳ μὴ παραρρυείη*, nam nix quae de corpore undique defluit *περιρρεῖν* Graece dicitur, quamobrem *περιρρυείη* genuinum esse videtur.

Desidero vocabulum ad sententiam necessarium IV. v. 12 *τὰ μὴ δυνάμενα τῶν ὑποζυγίων ἥρπαζον καὶ ἀλλήλοις ἐμάχοντο περὶ αὐτῶν.* Suppleverim: *τὰ μὴ δυνάμενα (πορεύεσθαι) τῶν ὑποζυγίων.* Cf. § 16.

Periit praepositio V. IV. 17 in verbis *καὶ ἅμα ἐχόρευον νόμῳ τινὶ ᾄδοντες*, non est enim difficile ad intelligendum et *(ἐν) νόμῳ τινί* requiri et quid praepositionem exemerit. Conf. § 14, et VI. I. § 8 et 11.

Contra male abundat praepositio V. v. 7. φοβούμενοι περὶ τῶν Κοτυωριτῶν τῆς τε πόλεως — καὶ [περὶ] τῆς χώρας, namque haec verba sic conformata sunt ut περί iterari non possit.

Ἄγειν et ἀγαγεῖν quam frequenter inter se permutentur nemo nescit. Novum exemplum est in V. vii. 8. πῶς ἂν οὖν ἐγὼ ἢ βιασαίμην ὑμᾶς — ἢ ἐξαπατήσας ἄγοιμι, tu vero ἀγάγοιμι rescribe, quod βιασαίμην requirit.

Emendate scriptus locus V. viii. 6. ἦ σὺ εἶ ὁ τὸν κάμνοντα ἀπαγαγών; facem nobis praeferet ad inveniendam emendationem loci in Symposio Xenophonteo depravati VI. 6. Ἆρα σύ, ὦ Σώκρατες, ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος; Nempe sic scribendum est: ἆρα σὺ εἶ Σωκράτης ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος;

Eodem modo prodesse poterit locus in vicinia V. viii. 24. ἢν οὖν σωφρονῆτε, τοῦτον τἀναντία ποιήσετε ἢ τοὺς κύνας ποιοῦσι, qua forma loquendi nihil est apud Athenienses usitatius; ἢν σωφρονῆτε, εἴπερ εὖ φρονεῖτε, ἐὰν ἔχητε νοῦν, et similia, cum futuris coniunguntur. Anab. VII. iii. 17. ἢν οὖν σωφρονῆτε τούτῳ δώσετε ὅ τι ἂν ἔχητε, et VII. vi. 41. ἢν οὖν σωφρονῶμεν ἑξόμεθα αὐτοῦ, et § 42. ἡμεῖς ἢν σωφρονῶμεν ἄπιμεν ἐντεῦθεν, et passim aliis locis. Ex his igitur certa emendatio peti potest loco incerti scriptoris, qui secundam orationem κατ' Ἀριστογείτονος composuit inter Demosthenicas edi solitam p. 807. § 25: ἂν ἐὰν ἔχητε νοῦν ἐνθυμούμενοι τοὺς μὲν φάσκοντας τούτους τῷ λόγῳ φιλεῖν ὑμᾶς χαίρειν ἐάσατε, αὐτοὶ δὲ τοῦτ' ἐκ παντὸς τρόπου παραφυλάξατε, ὅπως κτέ. Nihil enim esse potest certius quam ἐάσετε et παραφυλάξετε ab auctore orationis, quicumque tandem est, scriptum fuisse. In Minoë, qui in Platonicis circumfertur, p. 320 E. vide quid turbaverint scribae, deinde Editores, priusquam vera lectiò reperta esset: διὸ καὶ σύ, ὦ βέλτιστε, ἐὰν σωφρονῇς, εὐλαβήσει. In iis, quae illic continuo sequuntur: καὶ ἄλλος πᾶς ἀνὴρ ὅτῳ μέλει τοῦ εὐδόκιμον εἶναι, gratum incerto scriptori facies si ei εὐδόκιμος εἶναι volueris reddere.

Eodem modo uti iuvat Xenophontis verbis ex Anab. VI. i. 1. ad redarguendum turpem errorem, quem Demostheni indocti Graeculi temere affricuerunt et nullus adhuc Criticus deprehendit. In Timocratea p. 701, 28. sic legitur: εἰ κατώρθωσεν

ἐκεῖνος ἦν ἐπ' ἔμ' ἦλθεν ὁδὸν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων ἂν ἀπεστερήμην ἀλλ' οὐδ' ἂν ἔζην. Antiqua est in eo loco scripturae diversitas quum alii *ἀπεστερήμην*, alii *ἀπεστερήθην* legerent, sed nulla nisi apud Graeculos utra sit verior lectio poterat esse controversia. Iidem ex eodem opinionis errore *barbaram* formam, barbaram, inquam, et Graecis plane incognitam *ἔζην* invexerunt de suo, quum satis sit perspicuum certumque *ἔζων* ab Oratore esse scriptum. Requiritur enim imperfectum, et *aoristus ἔζην* ficta est a sequioribus forma eadem stultitia et levitate, qua *καθέσταμαι, κατέαγμαι, ἀπέσβεσμαι* dicebant pro *καθέστηκα, κατέαγα, ἀπέσβηκα* aliaque, ubi fallacem analogiam contra certum usum dicendi sequebantur. Ex formis genuinis *ζῆτε, ἐζῆτε, ζῇς, ζῇ*, et *ἔζης, ἔζη* collegerunt *ἔζην* Graecum esse, ut *ἔβην, ἔστην, ἀπέσβην, κατέσκλην*. Itaque ut *ἔζην* pro *ἐβίων* sic *ζῆθι* dicebant pro *ζῇ, ζῆναι* pro *ζῆν* ad exemplum formarum *στῆθι* et *στῆναι* similiumque. Semel et iterum ostendimus quam stolide *ζώην* et *ζώης* et *ζώη* depravare soleant. Non minus ridiculum est *ἔζην* apud Demosthenem quam *ζώοις* et *ζώοι* apud Euripidem aliosque. Graeculi, qui *ζῆθι* solebant dicere, (cuius rei non est aptius exemplum quam in Epigrammate XVII in Lucianeis, ubi poëtaster in numerorum notis ludens ita dicit:

ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται, αἱ δὲ μετ' αὐτὰς
γράμμασι δεικνύμεναι ζῆθι λέγουσι βροτοῖς,

id est post sex primas numerorum notas *ά — ϛ'* sequuntur hae Z, H, Θ, I, id est *ζῆθι* q. d. *εὐφραίνου*, quoniam *ζῆν* pro *ἡδέως ζῆν* dictitabant isti, quibus vita sine voluptatibus non esse vita videbatur) Graeculi igitur notabant locos Veterum, ubi imperativus *ζῇ* legebatur: vide Etymol. Magn. v. *Ζῆθι* p. 410, 43 et Anecd. Bekk. p. 97, 29. In Sophoclis Antigone vs. 1169.

πλούτει τε γὰρ κατ' οἶκον, εἰ βούλει, μέγα
καὶ ζῇ τύραννον σχῆμ' ἔχων.

videbis Scholiastam annotare: *ζῇ] ἀντὶ τοῦ ζῆθι, προστακτικῶς.* Etiam in Euripidem homunciones vitiosam formam *ἔζην* temere invexerunt: nempe in Alcestidem vs. 295 et 651: illo loco plerique libri exhibent:

κἀγώ τ' ἂν ἔζην καὶ σὺ τὸν λοιπὸν χρόνον,

contra vs. 651 in plurimis est:

κἀγώ τ' ἂν ἔζων χἤδε τὸν λοιπὸν χρόνον,

in paucis quibusdam *ἂν ἔζην*. Decepit Piersonum ad Moeridem p. 149 (*Ἔζην: Ἀττικῶς. ἔζων: Ἑλληνικῶς*) locus Etymologi M. p. 413. 8. afferentis:

κἄγωγ' ἂν ἔζην καὶ σὺ τὸν λοιπὸν χρόνον,

ex quo collegit *ἔζην* probum esse et Euripidi reddendum et aliis quoque. Equidem ne Moeridem quidem aut Herodianum tam turpiter erravisse arbitror, sed eorum annotationes suspicor sic olim scriptas fuisse, ut *ἔζων* unice probarent, *ἔζην* ex errore natum reiicerent. Etymologi quoque locus male habitus et mutilatus est. Rectissime enim iudicasse incertum Grammaticum apparet ex errore natam esse formam *ἔζην*, quoniam *ἔζης* et *ἔζη* erant in usu. Sic enim accipio verba: *πλάνης οὖν γενομένης ἐγένετο πρῶτον πρόσωπον ἔζην προσθέσει τοῦ ν ἀπὸ τοῦ τρίτου προσώπου*, quae satis sunt, ut opinor, perspicua. Sed est ille error (*πλάνη*) sequiorum, qui indocte et oscitanter ex *ἔζη* primam personam *ἔζην* elicuerunt, unde postea *ζῆθι* et *ζῆναι* propullularunt. Itaque neque in Demosthenem ista cadunt neque in Euripidem, nihilque praeter *ἔζων* antiquis est usitatum. Aoristi loco utebantur forma *ἐβίων* ut perfecti *βεβίωκα* et *τὰ βεβιωμένα*, ut supra verbo attigimus, dicebantque Attici omnes *ζῆν βίον*, ut *ἰέναι ὁδόν*. Praesens *βιῶ* pro *ζῶ* Ionicum est, et contra *ζωή* pro *βίος*. Qui aliud discrimen inter *βίος* et *ζωή* excogitarunt perdiderunt operam: vid. Ammon. de D. V. v. *Βίος ζωῆς διαφέρει. κτἑ.*

Caeterum in Alcestide interpolatus mihi esse videtur vs. 295, quem facile est videre e vs. 651 ineleganter esse repetitum. Quanto enim melius et Euripide dignius legetur:

— *σοῦ κατθανόντος ἄλλα φιτύσειν τέκνα.*
κοὐκ ἂν μονωθεὶς σῆς δάμαρτος ἔστενες κτἑ.

quum rectissime habeat vs. 651:

κἀγώ τ' ἂν ἔζων χἤδε τὸν λοιπὸν χρόνον
κοὐκ ἂν μονωθεὶς ἔστενον κακοῖς ἐμοῖς.

Nunc ad Xenophontem me recipio.

In Anabasi VI. i. 17 *εἰσῄει αὐτοὺς ὅπως ἂν καὶ ἔχοντές τι οἴκαδε ἀφίκωνται*, pro *ἀφίκωνται*, quod soloecum est, requiritur *ἀφίκοιντο*. Subibat militum animos cogitatio: *πῶς ἂν οἴκαδε*

ἀφικοίμεθα, quemadmodum ille Apollinem rogabat:

πῶς ἂν πλουτήσαιμι, Διὸς καὶ Λητοῦς υἱέ;

sed res est perspicua nec verbis opus.

Ibid. VI. III. 22 naturalis verborum ordo nescio quomodo in Codd. perturbatus est in his: *καὶ οὐχ ὁρῶσιν οὔτε φίλιον στράτευμα οὔτε πολέμιον, καὶ ταῦτα ἀπαγγέλλουσι πρὸς τὸν Ξενοφῶντα καὶ τὸ στράτευμα, γρᾴδια δὲ καὶ γερόντια καὶ πρόβατα ὀλίγα καὶ βοῦς καταλελειμμένους.* Quis non agnoscit naturae veritatem restituto sic verborum ordine, ut Pluygersius me admonuit: — *οὔτε πολέμιον, γρᾴδια δὲ καὶ γερόντια — καταλελειμμένους, καὶ ταῦτα ἀπαγγέλλουσι πρὸς τὸν Ξενοφῶντα καὶ τὸ στράτευμα.* Verba casu prius omissa, deinde in margine adscripta in alienam sedem, ut saepe fit, irrepserunt.

In Anab. VI. VI. 18 *συμπέμψατέ μοι — οἵτινες, ἄν τι ἐγὼ παραλείπω, λέξουσιν ὑπὲρ ἐμοῦ.* Quod est in Codice optimo A. apud Dind. *παραλείψω* nemo recipiet. Coniectura est Graeculi semibarbari, cui ut plerisque librariis forma *ἔλειψα* nihil offensionis habebat. Et tamen recte intellexit homo aoristum requiri, non intellexit quam leni medicina *παραλίπω* emendari posset ac deberet. Idem mendum e Demosthene tollendum est Orat. XLIV. 34 *ἵνα τὰ πλεῖστα παραλείπω*, imo vero *παραλίπω*, ut in Orat. XLV. 5. *ἵνα δὲ συντέμω ταῦτα*, et alibi. *Λείπειν* et *λιπεῖν* sexcenties confunduntur. In eadem Demosthenis oratione XLIV. 64 pessime editur *υἱὸν γνήσιον ἐγκαταλείποντα ἐπανιέναι*, quod unice verum est emendate scriptum videbis in § 68. Manifestius etiam mendum tenemus in Isocratis Euagora § 33. *εἰ καὶ μηδενὸς ἄλλου μνησθείην ἀλλ' ἐνταῦθα καταλείποιμι τὸν λόγον*, nemo tamen adhuc *καταλίποιμι* restituit.

Plane gemellum vitium est in Anab. VII. IV. 17. *οἱ δὲ Θρᾷκες φεύγουσιν — ὄπισθεν περιβαλλόμενοι τὰς πέλτας.* Sitne *λιπὼν* an *λείπων* legendum, *βαλὼν* an *βάλλων* non Codices, sed sana ratio ubique sola demonstrat. Res ipsa clamat *περιβαλόμενοι* esse corrigendum.

Quum diu frustra quaesivissem quae esset vera scriptura loci manifesto corrupti VI. VI. 25. tandem mihi quod quaerebam feliciter videor reperisse. Dindorfius edidit: *οὐ μέντοι ἔφη νομίζειν οὐδ' εἰ παμπόνηρος ἦν Δέξιππος βίαν χρῆναι πάσχειν αὐτόν.* *Βίαν πάσχειν* non est Graecum: emendandum est

β ί α ι α χρῆναι πάσχειν αὐτόν. Habet enim *πάσχειν* suapte natura praeter certa quaedam adverbia secum adiectiva: *πάσχω γελοῖα* et *γελοῖόν τι πάσχω* Graecum est, non *πάσχω γέλωτα.* *Παρέχω γέλωτα* rectissime habet, cui scribae nonnunquam *πάσχω γέλωτα* substituerunt sed fraude manifesta. Eodem modo *δεινὰ πάσχειν, οἰκτρὰ, αἰσχρὰ, ὅμοια πάσχειν* dicitur, sic *τερπνὰ παθεῖν* et *τερπνὸν εἴ τί που πάθοι*, sic igitur et *βίαια πάσχω* et *βίαιόν τι πάσχω.* Thucydides III. 39. *ἀπόστασίς μέν γε τῶν βίαιόν τι πασχόντων ἐστίν.* Plutarchus in Pericle cap. 29. *Αἰγινῆται δὲ κακοῦσθαι δοκοῦντες καὶ βίαια πάσχειν.* Praeterea vide quam commendetur ea emendatio librorum scripturis. In optimis est *βία* χρῆναι*, in duobus *βίαν χρῆναι*, quae futilis illius scripturae correctiuncula est, in caeteris omnibus *δίκαια χρῆναι πάσχειν.* Est autem satis notum quam saepe *βίαιος* in *βέβαιος* corrumpi soleat. Confundi in libris *βίαιος* et *δίκαιος* bene docuit Dindorfius ad Steph. Th. v. *Δίκαιος* apposite afferens et alia et e Dionysio Halic. A. R. IV. 32. *παρεσκεύασμαι γὰρ καὶ τὰ δίκαια ἐρῶν καὶ εἰ μὴ πείθοιο τὰ δ ί κ α ι α πράξων*, ubi Codex Urbinas servavit veram lectionem *τὰ β ί α ι α πράξων.*

Quod modo dicebam *πάσχειν* et *παρασχεῖν* confundi nusquam est manifestius quam apud Iulianum p. 287. *ὅ τι ἂν ᾖ τοῖς θεοῖς Φίλον π α ρ α σ χ ε ῖ ν ἢ πράττειν*, ubi *πάσχειν ἢ πράττειν* unusquisque videt requiri. In Demosthenis quae feruntur *Προοιμίοις* XXI. in fine: *οὕτω γὰρ οὐκέτι τοῦ λοιποῦ σ χ ο ῖ μ ε ν ἂν κακῶς* receptam oportuit verissimam lectionem *τοῦ λοιποῦ π ά σ χ ο ι μ ε ν ἂν κακῶς.*

Verba Xenophontis in Anab. VII. vi. 57. *νῦν ὑμῖν ἔξεστιν ἀ ν ε π ι λ ή π τ ω ς πορεύεσθαι ὅπῃ ἂν ἔλησθε* semper mihi visa sunt manu ducere ad emendationem loci Thucydidei I. 92. *οἵ τε πρέσβεις ἑκατέρων ἀπῆλθον ἐπ' οἴκου ἀ ν ε π ι κ λ ή τ ω ς*, namque vitiosum esse hoc adverbium nec rei conveniens. Quis est in tali re *ἐπικλήσει* locus? Abire volentem retinere per vim et non dimittere est *ἐπιλαμβάνεσθαί τινος* et nihil aptius est Thucydidis loco quam *ἀνεπιλήπτως*, ut apud Xenophontem exstat.

In iis, quae continuo apud Xenophontem sequuntur: *καὶ π λ ε ῖ τ ε ἔνθα δὴ ἐπεθυμεῖτε πάλαι* optimi testes inferunt foe-

dum vitium ex aequalium sordibus natum πλέετε pro πλεῖτε, de quo genere mendorum pauca quaedam annotare iuvat. Satis constat recentiores Graeculos resolvisse formas quasdam, quibus Attici olim *numquam* nisi contractis utebantur. Dicebant isti χρύσεος, ἀργύρεος, χάλκεος cet. quibus formis *numquam* quemquam Atticorum usum fuisse certum est. Reprehendit hoc aequalium vitium Phrynichus p. 207, ubi multa congessit Lobeck ex scriptoribus non optimis, duos tantum locos ex antiquis probatisque. Et de Aeschinis quidem loco in Ctesiphontea § 166. pridem diximus, ubi ὦ σιδηροῖ pro σιδήρεοι reponendum. In Agesilai Encomio, quamquam non est Xenophontis, tamen nullâ est controversia quin V. 5. legendum sit: ἤ πάντα μοι, ὅσα ὁρῶ, χρυσᾶ γενέσθαι, non χρύσεα. Alterum Graeculorum vitium committitur in verbis disyllabis in -έω exeuntibus, quorum formas non contrahebant omnino, neque tantum Veterum exemplo πλέω, πλέομεν et πλέουσι dicebant, sed πλέεις quoque et πλέει et πλέετε. Saepissime apud sequiores et minus probatos scriptores occurrunt formae ζέει, ῥέει, πνέει, χέει, sim. et δέεις et δέεται, ἐδέετο, ἐδέεσθε, alia. Perstringit eos Phrynichus p. 220, ubi larga manu exempla huius erroris profundit Lobeckius, quae sexcentis aliis augeri possent, sed est ea inutilis diligentia. Utilius multo ex illius rei observatione emendabimus locos Atticorum, ubi vitiosa Graeculorum συνήθεια suas sordes affricuit et simul error deprehenditur cum causa errandi. Turpe est ad hunc diem in Isocratis Busiride § 5. ferri potuisse τοσούτου δέεις οὕτω κεχρῆσθαι τοῖς λόγοις pro δεῖς, nam quid potest esse certius quam δεῖς summa constantia dixisse Athenienses, sed Graeculos suum δέεις temere substituisse? Omnino in Attica locutione τοσούτου δεῖς, πολλοῦ δεῖς, sim. scribarum et sciolorum temeritas manifesta est. Pro τοσούτου substituunt τοσοῦτο, τοσοῦτον et τοσούτῳ, quae omnia sunt Graecitatis consenescentis et ΔΕΙΣ depravant in δέεις, δεῖ σε et sim. In Platonis Lyside p. 204 E. ὅτι πολλοῦ δεῖς τὸ εἶδος ἀγνοεῖν τοῦ παιδός, optimus omnium Bodleianus δεῖς σε habet, caeteri δεῖ σε, unus tantum Vindobonensis nescio quis veram scripturam servat acutioris alicuius coniectura repertam, ut probabile est. Apud Demosthenem XXXVII. 49. καίτοι τοσούτου

δεῖς ἐλέου τινὸς ἄξιος εἶναι in duobus optimis S. et F. τοσοῦτ' οὐδεὶς scriptum est, unde de illorum peritia Graecitatis iudicari potest. In Orat. XL. 22. καὶ τοσούτου ἐδέησε περιγενέσθαι τι, alii τοσοῦτον habent et est haec solemnis in talibus scripturae diversitas. Ad hanc lucem statim certa emendatio subnascetur omnibus quum legent apud Demosthenem in Orat. XXIX. 17. νῦν δὲ τοσοῦτο τοῦ ποιῆσαί τι τούτων ἐδέησεν, apparet enim τοσούτου ποιῆσαί τι esse corrigendum. Dittographia τοσοῦτο — τοσούτου peperit vulgatam. quum του suprascriptum esset ad τοσοῦτο emendandum. In nullo autem verbo licentius Graeculi grassati sunt quam in verbo δεῖν *ligare*. Satis constat Atticos illud verbum per omnes formas contraxisse: itaque δῶν dicebant non δέων, δοῦσα non δέουσα, δοῦν non δέον, δοῦσι non δέουσι cet. ἔδουν, κατέδουν, συνέδουν non ἔδεον cet. et δοῦμαι, ὑποδοῦμαι, διαδοῦμαι ceteraque omnia. Reddidimus ὑποδῶν Platoni in Protagora p. 321 A. pro ὑπὸ ποδῶν, comparantes ἀναδῶν in Aristoph. Pluto vs. 589. Συνδοῦντες est apud Antiphanem Athen. p. 700 C.

τῶν δ' ἀκοντίων
συνδοῦντες ὀρθὰ τρία λυχνείῳ χρώμεθα.

et similia complura inter legendum occurrent. Sed saepe scribae contractas formas resolverunt et ad aequalium consuetudinem accommodarunt. Δοῦσι Veterem Atticam formam in δέουσι mutarunt apud Demosthenem in Orat. LI. 11. τῶν ναυτῶν τοὺς ἀπολειπομένους δέουσι καὶ κολάζουσιν: est autem δέουσι non minus vitiosum quam δέονται, διαδέονται, ὑποδέονται, pro δοῦνται, διαδοῦνται, ὑποδοῦνται, itaque confidenter δοῦσι revoca. Animum addent dubitanti Moeris p. 130. Δοῦσιν: Ἀττικῶς. δεσμεύουσιν: Ἑλληνικῶς et Hesychius: Δοῦσι: δεσμεύουσι. Etiam simplex δῶν in lucem vitamque revocandum est apud Demosthenem in Orat. XXII. 68. ὁμοῦ μετοίκους, Ἀθηναίους δέων, ἀπάγων, imo vero δῶν, quemadmodum δοῦσαν pro δεσμεύουσαν e Dinarcho affert Pollux VIII. 72. et δοῦν pro δεσμεῦον in Cratylo legitur p. 419 A. 421 C. Illud ipsum δῶν certa auctoritate fulciet Hesychius:

Δῶν: δεσμεύων.
Δῶμεν: ἀποδῶμεν.

Ex his igitur quid sit statuendum de caeteris formis non con-

tractis sicubi in Atticorum scriptis comparent facile est ad intelligendum neque debebant Editores in Dione Chrysostomo Orat. XIV. p. 458. πολλάκις οἱ τοῦ νοσοῦντος οἰκέται αὐτοὶ καταδοῦσι τὸν δεσπότην commemorare indoctam Reiskii suspicionem καταδέουσι. Dicam nunc de alio quodam vitiorum genere quod huic affine est: nempe sequiores per omnia Xenophontis scripta obscurarunt formas antiquiores in -ῆς et saepissime accusativos in -έας eadem labe affecerunt: utramque enim terminationem in -εῖς solent corrumpere, τοὺς γονεῖς dicentes et τοὺς νομεῖς, aliaque sexcenta. Xenophon enim, ut hoc utar, non scripsit Anab. V. v. 13. ὦ ἄνδρες Σινωπεῖς, sed Σινωπῆς, ad eam rationem, quam in Aristophane et Thucydide et antiquioribus diligenter servandam esse nunc quidem satis constat inter omnes, sed in Xenophonte quoque et Oratoribus eandem eadem constantia servari oportere nescio quomodo nullus Editorum animadvertisse videtur. Scilicet librorum omnium consensus scrupulum iniicit: sed ubique videmus quantum sibi sumant sequiores in iis, quae lapsu temporis formam mutaverunt. Nihil est in hoc genere utilius quam pervetusti scribarum errores, in quibus antiqua lectio tuto delitescit ab omni nova corruptela tuta donec acutior aliquis verum extundat. Reperi huiusmodi vitium in oratione κατὰ Νεαίρας p. 1357, 8. πολυτελὴς δ' ἦν, οἱ Μεγαρεῖς δ' ἀνελεύθεροι καὶ μικρολόγοι, ubi praestantissimus liber S. cum duobus perbonae notae B. Q. hanc scripturam exhibent: μὲν γὰρ ἦσαν ἐλεύθεροι quae unde nata sit in aprico est. Nempe ΜΕ̄ΓΑΡΗΣΑΝΕΛΕΥΘΕΡΟΙ id est Μεγαρῆς (δ') ἀνελεύθεροι perfacile in μὲν γὰρ ἦσαν ἐλεύθεροι abire potuit, quoniam lineola in ΜΕ̄ΓΑΡΗΣ supra secundam literam ducta, quae nomen proprium esse denotat, scribis visa est (ut passim factum est) omissam literam ν significare. Neminem autem nescire opinor in Codicibus solere nominibus propriis lineolam superimponi, eandemque in aliis literae ν omissae vicem supplere, olim in versuum exitu tantum, deinde ubique in quovis vocabulorum genere. Hinc factum est ut toties ν necessarium interciderit quum scribae tenuem lineolam et vix apparentem prorsus negligerent. Hinc μέν (ΜΕ̄) in με toties abiit et alii errores innumerabiles suscipiuntur. Unde nasci potuit inepta

scriptura in Antiphanis versiculo apud Athen. p. 339 A. ἀνδρωτάριϛον nisi ex ΑΝΔΡΩΤΑΡΙCΤΟΝ id est ἀνδρῶν τ' ἄριϛον? et passim talia occurrunt.

Non tempero mihi, quin palmariam loci Euripidei emendationem nunc communicem cum iis qui philosopho in scena delectantur. In Alcestide vs. 1117. dicenti Herculi:

τόλμα προτεῖναι χεῖρα καὶ θιγεῖν κόρης.

Admetus respondet:

καὶ δὴ προτείνω, Γοργόν' ὡς καρατόμῳ.

nihil opus est temerarias et male sanas interpretationes exagitare post repertam veram lectionem certa et evidenti correctione, quam ab amico suo factam iure Badhamus admirabatur. Perspexit enim is tam acute quam feliciter hanc fuisse olim librorum scripturam: ΓΟΡΓΟΝΩΣΚΑΡΑΤΟΜΩ, quam perperam sic esse descriptam: Γοργόν' ὡς καρατόμῳ quum significaret: Γοργόν' ὡς καρατομῶν, i. e. ἀποϛραφείς, *averso vultu*, quemadmodum Perseus olim Medusae caput abscidit, quae est hercle eximia in paucis emendatio.

Apud Polyaenum V. 8. 2. in verbis τὴν ἰδίαν ϛολὴν ἀποθέμενος καὶ λαβὼν αὐτοῦ σκεύη nulla est dubitatio quin verum sit καὶ λαβὼν ναύτου σκευήν. Peperit duplex vitium vetus scriptura ΛΑΒΩΝΑΥΤΟΥΣΚΕΥΗ et magna passim talium copia est. Eadem causa depravavit locum Demosthenis p. 1210, 9. ἀντὶ μὲν τῶν ἀπολιπόντων με ναυτῶν ἑτέρους ἐμισθωσάμην ναύτας, ubi quod est in S με αὐτῶν natum est ex ΜΕΑΥΤΩΝ, quod quum negligenter esset descriptum με αὐτῶν corrector supervenit, qui de suo ναύτας addidit. Recepta igitur vera lectione με ναυτῶν emblema ναύτας sine mora erat expungendum. Contrario errore saepius videbis litteram ν perperam nominibus propriis additam. Ἀτέας apud Lucianum LXII. 10. Ἀντέας audit in libris, qui LXVII. 9. 2. Τιριδάταν appellant τιρινδάταν. Apud Aelian. H. A. p. 380, 9. ἀνδρίαν reperies pro Ἀδρίαν. In Euripidis Phoenissis 581 ex libris ἄνδραϛε afferunt pro Ἄδραϛε, et in Troadibus 230 κράνθις pro Κρᾶθις. Sic in Aristophanis Vespis vs. 1191. Ἐφουδίων appellatur in Veneto Codice ἐφουνδίων. Sic in Hellenicis IV. v. 19. nata est lectio σινδοῦντι pro Σιδοῦντι, et ne plura addam apud Demo-

sthenem p. 1310. pro Ἀμυθέων, Ἀμυθέωνος, Ἀμυθέωνι in Codice S. ἀμυνθεων legitur et ἀμυνθεωνος et ἀμυνθεωνι. Nempe in his omnibus una atque eadem causa peperit errorem: ĀΤΕΑΣ non erat ἀντέας legendum, sed lineola nomen proprium esse significabat, similiterque in ΤΙΡῙΔΑΤΑΝ, ĀΔΡΙΑΝ, ĀΔΡΑΣΤΕ, ΚΡĀΘΙΣ, caeterisque omnibus. Itaque sic ΜΕ̄ΓΑΡΗΣΑΝΕΛΕΤΘΕΡΟΙ in μὲν γὰρ ἦσαν ἐλεύθεροι corruptum antiquae et genuinae lectionis Μεγαρῆς certa et indubitata vestigia impressa reliquit. Non erat igitur spernendum quod in eadem oratione p. 1377, 4. pro πλαταιεῖς eximius liber S. πλαταιης obtulit, sed ex his similibusque indiciis antiquae formae Oratori fuerant restituendae, idemque et in caeteris Oratoribus et in Xenophonte diligenter faciendum.

De accusativorum formis in -εῖς pro -έας exeuntibus prudenter Dindorfii ambo iudicaverunt corruptas esse et undique eiiciendas, Ludovicus in praef. ad Anab. p. ix. Guilielmus in praefat. ad Demosthenis editionem Lipsiensem pag. xxviii. ad locum Oratoris p. 352, 17. ubi libri αλεις, ἀλεῖς et ἀλεῖς servant, sed Ἁλέας apud Harpocrationem tulit aetatem.

In Anabasi VII. vii. 18. ἐθέλοιτε δ' ἂν τούτοις ἐπιτρέψαι — ὁπότερ' ἂν ψηφίσωνται εἴθ' ὑμᾶς προσῆκεν ἐκ τῆς χώρας ἀπιέναι εἴτε (εἴθ') ἡμᾶς, ex optimis libris prodiit προσῆκεν, quum in caeteris omnibus sine sensu πρόσθεν legeretur. Sed προσῆκεν quoque leviter corruptum est. Sententia loci et Graecitatis usus requirunt praesens προσήκει. Certus hic est loquendi usus, ubi status controversiae constituitur εἰ χρή, εἰ προσήκει et sim. Lubenter hanc rem commemoro, ut per eam occasionem vetus mendum e Lysia eluam. Praemittam locos quosdam ubi emendate legitur. Demosthenes p. 473, 14. Ἀθηναῖοι σκοποῦσιν εἰ χρὴ τοὺς εὐεργέτας ἐᾶν τὰ δοθέντ' ἔχειν, et p. 690, 22. ἡ πόλις — Χαρίδημον εἰ χρὴ φρουρεῖν βουλεύεται. Andocides IV. 2. ὁ μὲν οὖν ἀγὼν ὁ παρὼν οὐ ϛεφανηφόρος, ἀλλ' εἰ χρὴ μηδὲν ἀδικήσαντα τὴν πόλιν δέκα ἔτη φεύγειν. Isocrates XVI. 46. καὶ τὸ μὲν ἔγκλημά ἐϛι περὶ χρημάτων, ἀγωνίζομαι, δ' εἰ χρὴ μετεῖναί μοι τῆς πόλεως. Ex his facile est deprehendere fraudem in Lysiae Orat. XVIII. 1. οὐ γὰρ μόνον περὶ τῆς οὐσίας ἀγωνιζόμεθα ἀλλὰ καὶ [περὶ τῆς πολιτείας] εἰ

χρὴ δημοκρατουμένης τῆς πόλεως ἡμῖν μετεῖναι, expunge emblema περὶ τῆς πολιτείας et habebis eandem sententiam nitide et Attice expressam. Contra verba ὡς χρὴ male irrepserunt in Lysiae orationem XXX. 32. τούτου μὲν — οὐκ ἐπεχείρησαν δεῖσθαι [ὡς χρὴ] παύσασθαι εἰς ὑμᾶς ἐξαμαρτάνοντα, nullo modo enim verbum δέομαι illa verba admittere potest, sed nil praeter infinitivum παύσασθαι recipit. Mirum est quam saepe προσήκει et προσῆκεν et προσῆκον in libris confundantur: cuius rei quae causa sit non est mihi satis perspicuum, sed factum esse saepe video, ut apud Lysiam XVIII. 11. οὐ τοὺς πονηροτάτους τῶν πολιτῶν ἀπέκτεινον, ἀλλ' οἷς μάλιστα προσῆκον καὶ διὰ γένος καὶ διὰ πλοῦτον καὶ διὰ τὴν ἄλλην ἀρετὴν τιμᾶσθαι, ubi requiritur προσῆκεν, ut vides. In Euripidis Ione vs. 434. libri omnes foede corrupti exhibent:

ἀτὰρ θυγατρὸς τῆς Ἐρεχθέως τί μοι
μέλει προσήκει τ' οὖδας;

quem locum laudans Iustinus Martyr προσῆκέ μ' οὐθέν exhibet. Vera lectio a Dobraeo reperta est προσῆκον οὐδέν, quae in προσῆκεν οὐδέν, προσῆκέ μ' οὐδέν, προσήκει τ' οὖδας turpiter corrupta est. Προσήκει et προσῆκεν in Demosthenis Codd. passim video permutari. Cf. p. 104, 23. ubi S. male προσῆκεν habet pro προσήκει, et 473, 16. et alibi. Gravius etiam erratum in Demosth. Orat. XLVIII. 1. ἐπειδὰν ὑπό τινος ἀδικῶνται ἄλλως τε καὶ ὑφ' ὧν ἥκιστα προσήκει ἀδικεῖσθαι, ubi et προσῆκε legendum et inducendum ἀδικεῖσθαι. Solemnis est in talibus Ellipsis: ὑφ' ὧν ἥκιστ' ἐχρῆν et ὑφ' ὧν ἥκιστα προσῆκεν. Imitantur Romani et alii et Livius XXXIX. 11. *miserari casum adolescentis coepit, qui spoliatus fortunis*, a quibus minime oporteret, *apud se tunc esset.* In Isocratis oratione πρὸς Νικοκλέα § 3. pro ὁρῶσι τοὺς μὲν ὑφ' ὧν ἥκιστα χρῆν διεφθαρμένους restituendum est ὑφ' ὧν ἥκιστ' ἐχρῆν, et apud Antiphontem in Orat. I. § 22. ὑμεῖς δ' οὐ τῶν ἀποκτεινάντων ἐστὲ βοηθοί, ἀλλὰ τῶν ἐκ προνοίας ἀποθνησκόντων καὶ ταῦτα ὑφ' ὧν ἥκιστα ἐχρῆν [αὐτοὺς ἀποθνήσκειν], manifestum additamentum resecandum esse censeo. Utiliter his addi poterit locus, ubi in simplici verbo apud Demosthenem cum insigni sententiae detrimento sic est erratum. In oratione περὶ τοῦ στεφάνου p. 237. § 35. ἀκούσεσθε δυοῖν ἢ τριῶν ἡμερῶν οἷς μὲν ἐχθρὸς ἥκει Φίλον αὐτὸν

γεγενημένον, οἷς δὲ φίλος τοὐναντίον ἐχθρόν, si quis hoc agit facile sentiet pro *ἥκει* necessario requiri *ἧκε*, cui hostis *venisset*, ei amicum esse factum. Eodem modo *ἧκε* — *ἥκει* confusa sunt p. 674, 26. Mirum est in talibus non sentire homines doctos, quam sit incongrua temporum ratio. Magis etiam mirabile est in Lysiae Orat. XXVIII. 4. *εἰ ὑμῖν Θρασύβουλος ἐπηγγέλλετο τριήρεις ἔχων ἐκπλεύσεσθαι* tamdiu absurdum *ἐπηγγέλλετο* tolerari potuisse: si vobis Thrasybulus *polliceretur*, quum sit luce clarius *pollicitus esset* requiri, *ἐπήγγελτο*, de quo errorum genere multa supra annotavimus, quibus adde novum exemplum *προσερράπτετο* pro *προσέρραπτο* apud Moerid. Att. v. *Κατωνάκη*: vide et ibi Pierson. p. 225. Sed non semper, opinor, inter legendum hoc agimus, et si perspicuum est quid dicatur non semper attendimus an sit oratio bene Graeca, unde eam sententiam collegerimus. In unico Codice Lysiae legitur in Orat. XXIV. 8. *νῦν δ' ἐπειδὴ καὶ γῆρας καὶ νόσοι καὶ τὰ τούτοις ἐχόμενα κακὰ προσγίγνεται.* Quis est qui haec verba non statim optime intelligat? Sed inest in his immanis soloecismus, quem Bekkerus tacitus sustulit, alii revocarunt. Quis nescit *τὰ τούτοις ἐχόμενα* dici non posse pro *τὰ τούτων ἐχόμενα?* Non erat tamen vitium in pronomine sed in participio: tu vero revoca Bekkeri emendationem *καὶ τὰ τούτοις ἑπόμενα*, ut apud Platonem de Rep. III. p. 406 D. *πιλίδιά τε περὶ τὴν κεφαλὴν περιτιθεὶς καὶ τὰ τούτοις ἑπόμενα*, et alibi. In Platonis Politico p. 271 B. *ἐχόμενον* male scriptum est pro *ἑπόμενον* in verbis: *ἐχόμενον γάρ ἐστι τῷ τοὺς πρεσβύτας ἐπὶ τὴν τοῦ παιδὸς ἰέναι φύσιν κτέ.* et post pauca p. 271 E. *ἑπόμενα* vitiose pro *ἐχόμενα* in his: *ἄλλα θ' ὅσα τῆς τοιαύτης ἐστὶ κατακοσμήσεως ἑπόμενα*, vidit utrobique verum sed per transennam Stallbaumius et sibi ipse diffidens. Quamdiu *ἕπομαι* dativum et *ἔχομαι* genitivum habere constabit non dubitabitur quin utraque correctio sit necessaria. Obiter veram lectionem restitue apud Pausaniam X. 25. 9. ubi editur: *γέγραπται μὲν Ἀνδρομάχη καὶ ὁ παῖς οἱ προέστηκεν ἑλόμενος τοῦ μαστοῦ*, ubi *ἐχόμενος τοῦ ἱματίου* legendum.

Priusquam Anabasin de manibus deponam ex caeteris scriptis Xenophonteis nonnullos locos tractaturus lubet diversi generis quaestionem et controversiam attingere, quae quum non

aliunde melius quam ex ipsa Anabasi componi dirimique possit nunc difficultatibus quibusdam impedita est et tenebris involuta, quoniam levibus et corruptis testibus temere et inconsulto habetur fides. Si quaerimus ab iis, qui Anabasin edunt et interpretantur, quo gradu aetatis esset Xenophon quum illas res gereret, utrum in flore aetatis an maturior, fervidus iuventa an rerum hominumque usu exercitatus magno consensu ita respondent ut eum tum »*quadraginta duos minimum annos natum*" dicant fuisse. Vide quos laudat ad Anab. III. I. 14. L. Dindorfius, qui illorum auctoritatem securus sequitur. Sed equidem omnes appello, qui Anabasin ipsam animo eruditis opinionibus vacuo diligenter lectitarunt, ut mihi ex suo ipsorum sensu, quo animus in toto opere inter legendum afficitur, testimonium dicant fieri non posse ut Xenophon ille, quem in Anabasi vigentem et spirantem cernimus, quadraginta duos minimum annos natus fuerit, quum illa ab eo sic gererentur. In omnibus, quae Xenophontem aut agentem videmus aut audimus loquentem, spirat ardor quidam et aestus animi iuveniliter effervescentis et, ut Graece optime dici potest, *σφριγῶντος*, in ipso robore et flore ineuntis aetatis, cum illo candore et illa modestia, quae optimas artes in iuvene generoso et strenuo comitari solet et condecorare. Ridiculum est, ut dicam quod sentiam, existimare illa fuisse in viro quadragesimum tertium aetatis annum agente et maturo et multarum rerum hominumque longo usu probe exercitato, qui quum per tres et viginti annos stipendia fecisset et equo publico meruisset peritiam acerrimo bello collectam sic ad Cyrum attulerit, ut sine imperio ac paene privatus illius castra et fortunam sequeretur, nemini praeter Proxenum notus nisi nomine tantum, ut Chirisophus dicere potuerit III. I. 45. *ἀλλὰ πρόσθεν μὲν, ὦ Ξενοφῶν, τοσοῦτον μόνον σε ἐγίγνωσκον ὅσον ἤκουον Ἀθηναῖον εἶναι.* Nempe Xenophon *οὔτε ϛρατηγὸς οὔτε λοχαγὸς οὔτε ϛρατιώτης ὢν συνηκολούθει* III. I. 4. sed a vetere hospite Proxeno invitatus per epistolam Cyri amicitiam pollicente, quam ille spem tam lubenter et ardenter amplectitur, ut Socratem caute et prudenter admonentem prorsus iuveniliter eluserit. Legat mihi aliquis III. I. 6. quo pacto Xenophon et Socratem et ipsum Apollinem Pythium lepide circumvene-

rit et cogitet apud animum suum an illa cadant in virum quadraginta duos annos natum, qui plurima stipendia in bello Peloponnesiaco fecisset et viginti tribus abhinc annis in infelici expeditione ad Delium ex praesenti capitis periculo a Socrate ereptus fuisset. Absurda haec sunt, inquam, et ridicula. Xenophon adolescentulus quum in Socratis amicitiam et familiaritatem esset receptus, qui aetate et ingenio fervidiorem amicum et *ἐρωτικόν* consiliis et auctoritate coercebat (vide Memorab. I. iii. 10.) a Proxeno ei spes facta est fore, ut si cum Cyro esse vellet praeclaris rebus gestis et gloriam magnam et potestatem et opes consequeretur, quemadmodum ipse Cyrum sibi patria et rebus omnibus potiorem esse duceret. Satis perspicuum est autem Proxenum, qui ex Cyri amicitia *ᾤετο κτήσεσθαι ὄνομα μέγα καὶ δύναμιν μεγάλην καὶ χρήματα πολλά* (Anab. II. vi. 17.) eadem spe inflammasse Xenophontis animum quum eum Athenis ad sese in communionem rerum suarum fortunaeque vocaret. Ea ipsa res declarat et Proxenum nondum ad aetatis maturitatem pervenisse sed in ipso flore, id quod generosae indolis iuvenes assolent, magna omnia et vasta animo concepisse, et Xenophontem amicum et earumdum rerum socium futurum aetatis gradu etiam inferiorem Proxeno aut certe parem et aequalem fuisse. Et de Proxeni quidem aetate disertissimum exstat ipsius Xenophontis testimonium Anab. II. vi. 20. *ὅτε δὲ ἀπέθνησκεν* (*ὁ Πρόξενος*) *ἦν ἐτῶν ὡς τριάκοντα*, Xenophontem autem ipsum nondum id aetatis fuisse sed paucis etiam annis iuniorem ex complusculis Anabaseos locis perspexisse mihi videor. Quam vehementer eius animum commoverint Proxeni promissa, quam ardenter illam spem laudis et potestatis et divitiarum amplexus fuerit demonstrat iam statim lepida fallacia et prorsus iuvenilis, qua circumvenit Apollinem, ne iter suum moraretur. Deinde quum in illa omnium rerum desperatione somnum capere non potest et anxius apud animum suum cogitat quid sit sibi faciendum, retinet eum aetatis suae cogitatio et scrupulum iniicit, quem tandem sibi ipse ita evellit III. i. 14. *ποίαν δ' ἡλικίαν ἐμαυτῷ ἐλθεῖν ἀναμένω; οὐ γὰρ ἔγωγ' ἔτι πρεσβύτερος ἔσομαι ἐὰν τήμερον προδῶ ἐμαυτὸν τοῖς πολεμίοις*, quae si non sunt iuvenis aetati suae diffidentis nihil habeo quod dicam. Haeccine tu pu-

tas animum viri subire potuisse quadraginta duos minimum annos nati? Fieri non potest ut hoc quisquam in animum inducat suum. Deinde convocatis Proxeni centurionibus quum omnium animos verbis inflammasset fortem ac strenuam orationem modestissime his verbis concludit: εἰ μὲν ὑμεῖς ἐθέλετε ἐξορμᾶν ἐπὶ ταῦτα ἕπεσθαι ὑμῖν βούλομαι, εἰ δ' ἐμὲ τάττετε ἡγεῖσθαι οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν ἀλλὰ καὶ ἀκμάζειν ἡγοῦμαι ἐρύκειν ἀπ' ἐμαυτοῦ τὰ κακά. Luce clarius est hanc esse orationem τοῦ οὔπω ἐν ἡλικίᾳ ὄντος, τοῦ οὔπω ἀκμάζοντος. Crede nunc, si potes, haec virum dicere quadraginta duos annos natum. Apparet eum qui ita loquatur omnibus ad quos dicat aetate esse inferiorem neque per aetatem iam cum imperio esse posse videri. Praeterea illi ipsi centuriones Proxenum ducem habuerant ὄντα ἐτῶν ὡς τριάκοντα eumque non acrem aut strenuum imperatorem, sed ingenio et natura mitiorem, οὔτ' αἰδῶ τοῖς στρατιώταις ἑαυτοῦ οὔτε φόβον ἱκανὸν ἐμποιῆσαι II. ii. 19, ex qua ipsa re colligo illam Xenophontis verecundiam οὔπω ἀκμάζειν ὁμολογοῦντος cadere in aetatem annis quibusdam Proxeno inferiorem. Ridiculum est existimare illum virum, qui nunc ita dicat putare se *ut mala ab sese depellat satis sibi esse annorum*, quatuor et viginti annis antea pugnasse ad Delium caeteraque per reliquam partem belli Peloponnesiaci stipendia fecisse. Atque eum id aetatis dixisse credemus: οὐδὲν προφασίζομαι τὴν ἡλικίαν. Apage ineptias. Paene cernimus oculis in illa parte Anabaseos Xenophontem, fervidum iuventa, nondum maturum, nondum longo usu rerum hominumque exercitatum sed optima indole ad belli pacisque artes praeditum rei bellicae peritiam in ipso bello colligentem, consilio promtum, manu etiam promtiorem. Passim eum talem in Anabasi cognosces: ne tangam caetera vide VII. ii. 29. quomodo Xenophon apud Seuthen in re ancipiti ὑποπεπωκὼς sumat animum bonum, et sese scite lepideque expediat. Satis erit denique indicare locos quosdam, quibus paene dixerim disertis verbis aetas Xenophontis significatur. Ubi *iuniores*, οἱ μέχρι τριάκοντα ἐτῶν, οἱ εἰς τριάκοντα ἔτη extra ordines evocantur aut in hostem immittuntur, videbis illi agmini Xenophontem praeesse solere. Legitur VII. iii. 46. Ξενοφῶν δὲ παρηγγύησε τοὺς εἰς τριάκοντα ἔτη παριέναι ἀπὸ τῶν

λόχων εὐζώνους καὶ αὐτὸς μὲν ἐτρόχαζε τούτους ἔχων. Dices fortasse ex hoc loco et aliis similibus non plane confici posse quod volumus, namque nihil impedire quo minus iunioribus dux aetate provectior praeficeretur, sed quid facies illo loco, qui legitur VI. IV. 25. ὁ Ξενοφῶν — ἐβοήθει καὶ οἱ ἄλλοι οἱ μέχρι τριάκοντα ἐτῶν ἅπαντες. Videturne tibi dubitari posse, quin Xenophon quoque ipse in eorum numero fuerit qui μέχρι τριάκοντα ἐτῶν esse dicuntur, et aetatis annum trigesimum nondum egressus? Equidem non video quomodo haec verba aliter accipi intelligique possint. Ex his igitur similibusque indiciis ex ipsa Anabasi collectis, quibus et singulis satis est ponderis et universa omnem dubitationem ex animis eximere debent, ita tuto licet statuere Xenophontem, qualem eum in Anabasi conspicimus, nondum trigesimum aetatis annum egisse, sed potius uno alteroque anno hac aetate fuisse inferiorem.

Non est plane silentio praetereundum Xenophonti nullos tum fuisse liberos sed eum de liberis, quos sibi aliquanto speret esse nascituros, ut de re probabili et facile eventura dicere VII. VI. 34. (τὸν Σεύθην) ἤλπιζον εὖ ποιήσας μεθ' ὑμῶν ἀποστροφὴν καὶ ἐμοὶ καλὴν καὶ παισὶν, εἰ γένοιντο, καταθήσεσθαι, quae utrum melius conveniant viro quadragesimum tertium aetatis annum agenti an vicesimum octavum nonumve iudicium cuilibet lubens permitto.

Verum undenam tandem ista opinio nata est de Xenophonte quadraginta duos minimum annos nato quum ad Cyrum proficisceretur? Est operae pretium de ea re paucis dicere. Nempe Diogenes Laërtius et Strabo memoriae prodiderunt Xenophontem interfuisse proelio infelici ad Delium et in illa clade ex equo delapsum a Socrate praesenti exitio fuisse ereptum. Audiamus utriusque testimonium. Diogenes ita dicit in vita Socratis II. 22. ὁ Σωκράτης ἐστρατεύσατο εἰς Ἀμφίπολιν καὶ Ξενοφῶντα ἀφ' ἵππου πεσόντα ἐν τῇ κατὰ Δήλιον μάχῃ διέσωσεν ὑπολαβών. Perspicuum sane est et disertum testimonium. Nihil tamen huiusmodi in vita Xenophontis refert nisi quod alibi se reperisse scribit floruisse Xenophontem circa octogesimam nonam Olympiadem: εὗρον δὲ ἀλλαχόθι ἀκμάσαι αὐτὸν περὶ τὴν ἐνάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα II. 59. id est circa

annum 424, quo ad Delium Athenienses victi sunt. Pluribus etiam Strabo IX. p. 403. Casaub. *ἐν δὲ τῇ (περὶ Δήλιον) φυγῇ πεσόντα ἀφ᾽ ἵππου Ξενοφῶντα ἰδὼν κείμενον τὸν Γρύλλου Σωκράτης ὁ φιλόσοφος ἀνέλαβε τοῖς ὤμοις αὐτὸν καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἕως ἐπαύσατο ἡ φυγή.* Bonum factum quod habemus testem meliorem oculatum, qui quo pacto Socrates ex illa clade se receperit suavissime narrat in Platonis Symposio p. 221 A. Alcibiades enim ipse, quem Socrates ad Potidaeam vulneratum ex periculo servaverat, equo insidens Socratem et Lachetem comitatus in locum tutum perduxit. Ex hoc ipso Platonis loco hausit Plutarchus omnia, quae de iisdem rebus scripsit in vita Alcibiadis cap. VII. caetera satis accurate, sed quod Socratem Alcibiadi narrat fuisse tum *σύσκηνον καὶ παραστάτην ἐν τοῖς ἀγῶσι* negligenter et inconsulto loquitur, si quidem Alcibiades *ἵππευεν* et Socrates *ὡπλίτευεν*, ut res ipsa docet et Platonis narratio confirmat. Sed minutiora haec sunt prae istorum levitate, qui Xenophontem tum quartum an quintum aetatis annum agentem in illo bello narrant equo publico meruisse. Ex quo apud Graecos omnes in honore esse coepit illa

πουλυμαθημοσύνη, τῆς οὐ κενεώτερον οὐδέν,

multa figmenta commentaque cupide in libros recepta sunt, quae neque auctorem certum neque fidem ullam haberent. Haerebant ista potissimum circa nobilium virorum personas, quibus et dicta multa et facta temere affingebantur, impuneque fere ea fraus solebat committi quoniam nemo propemodum aut dubitandi salubritatem adhibebat aut auctorem idoneum ac locupletem requirebat. Si quis quid redarguebat et *περὶ κατεψευσμένης ἱστορίας* conscribebat aliquid, parum proficiebat apud illos qui etiam falsa et ficta malebant de claris et illustribus viris lectitare, quam contenti esse paucis illis, quae ab incorruptis testibus memoriae prodita certam fidem habebant. Memorabilis in eam rem locus est apud scriptorem *de Puerorum Educatione* inter Plutarchea edi solitum pag. 6 E. qui quum Demosthenis dictum quoddam commemorasset addidit: *καὶ ταῦτα μὲν ἴσως ἀδέσποτός ἐστι καὶ πεπλασμένη παράδοσις, ἐν δὲ τῷ κατὰ Μειδίου τὴν τῆς σκέψεως ὠφέλειαν ἐναργῶς παρίστησι κτέ.* rectissime opponens ipsius De-

mosthenis disertum testimonium narratiunculae, cuius neque auctor ullus constaret neque fides. Haec autem ipsa *ἀδέσποτος καὶ πεπλασμένη παράδοσις* incredibile dictu est quantum pepererit commentorum et fabellarum, quae non tantum inanes et falsae sunt, sed plane ineptae et absurdae neque temporibus sat commode divisae neque moribus aut ingenio satis convenientes eorum, quibus tribuerentur, neque adeo rerum naturae aut veritati congruae, quae veluti sordes quaedam principum virorum personis adhaerescebant. Quantum fabularum nullius pretii conquisivit undique Diogenes Laërtius, homo multae et diffusae lectionis, sed tam nullius iudicii ingeniique homo ut eius interpres Menagius, quamquam et ipse naturae non dissimilis, prae eo acutus et ingeniosus esse videatur. Diogenes nullo delectu, nullo ordine, nullo prorsus iudicio, quidquid ubique legisset temere in chartam coniecit, in quibus quamplurima sunt manifesto commenticia et plane absurda ex levissimis futilissimisque scriptoribus sumta, Favorino, Pamphila, Idomeneo, Demetrio Byzantino, Iusto Tiberiensi, aliis; praeterea alia multa sine ullo teste refert plane *ἀδέσποτον καὶ πεπλασμένην παράδοσιν.* Iuvat pauca de his ex vita Socratis, Platonis et Xenophontis indicare, ut unicuique appareat quid sit istiusmodi testi tribuendum.

II. 19. Socratem facit Anaxagorae auditorem. Quam malum et ingratum discipulum Anaxagoras sic habuerit vide apud Xenophontem Memor. IV. vii. 6 sqq.

20. Socrates una cum Aeschine *ῥητορεύειν ἐδίδαξεν.* Crito Socratem *ἐπαίδευσε τῆς κατὰ ψυχὴν χάριτος ἐρασθείς.*

21. Solebat Socrates *ἐν ταῖς ζητήσεσι κονδυλίζεσθαι καὶ παρατίλλεσθαι τὸ πλέον τε γελᾶσθαι καταφρονούμενος.*

24. Socrates *μόνος ἀπεψηφίσατο τῶν δέκα ςρατηγῶν.* Inaudivisse aliquid vides hominem, quod cuiusmodi esset neque accurate intellexit neque verbis apte dicere potuit. Quam negligenter enim in ea re posuit verbum *ἀπεψηφίσατο.*

24. Alcibiades Socrati dedit *χώραν μεγάλην, ἵνα οἰκοδομήσηται οἰκίαν.* Lepidus erat Alcibiades, qui homini pauperi magnam dedit aream in urbe, ubi sibi domum aedificaret. Poteratne inutilius munus et ineptius excogitare?

25. Socrates πολλάκις Ἀθήνησι λοιμῶν γενομένων μόνος οὐκ ἐνόσησεν. Hoc vero est ἐκ μυίας ἐλέφαντα ποιεῖν. Pestilentiam semel in urbe grassatam constat, in qua praeter unum Socratem caeteros omnes aegrotasse ne Diogeni Laërtio quidem, si hoc agere voluisset, non potuit non absurdum videri.

26. Suavissimum commemorat Atheniensium inventum ad remp. nova sobole augendam: διὰ τὸ λιπανδρεῖν ἐψηφίσαντο γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. Si Athenienses bene novi, nihil erat iis ut id facerent eo psephismate opus. Sed omisit, credo, Diogenes addere liberos sic natos ex illo psephismate optimo iure cives Atticos fuisse. Qui talibus habet fidem ab antiquis Graecis μακάριος τῶν φρενῶν appellatur.

28. Lepidissimus est locus de Socrate, qui nonnumquam πρὸς τοὺς καιροὺς ἁρμοττόμενος λαμπρὰ ἠμπίσχετο. Compone cum his Platonis locum in Symposio, unde haec se haurire scribit, et subridebis. Eadem cernitur fides et cura in iis quae sequuntur de Euthyphrone et Lyside § 29. et facile intelliges eiusdem farinae esse quae § 30. de Iphicrate referuntur.

38. Anytus Socrati ἐπήλειψε τοὺς περὶ τὸν Ἀριστοφάνην. Omnia mirifica sunt quae de Socratis iudicio conscribillavit. Anytus primum omnium Aristophanem in eum subornavit, deinde Μέλητον συνέπεισεν ἀπενέγκασθαι κατ' αὐτοῦ γραφὴν ἀσεβείας. Itaque Meletus Socratem in iudicium adduxit, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστὴς ἢ Ἄνυτος, ὥς τινες. Anytus postquam poëtam Comicum ut Socratem ludos iocosque faceret clam instigavit, accusatorem ei comparavit Meletum, qui accusandi negotium improbo Oratori mandavit Polyeucto, qui et ipse accusationis conscribendae negotium dedit Sophistae Polycrati, vel, ut alii auctores sunt, ipsi Anyto, qui plurimum operae compendifacere potuisset. Nondum satis est: προητοίμασε δὲ πάντα, inquit, Λύκων ὁ δημαγωγός. Difficile est excogitare quae partes Lyconis fuerint et quid tandem fuerit praeparandum. Post pauca § 39. Polycratis orationem in Socratem scriptam non esse vere habitam demonstrat: ἐν αὐτῷ γὰρ μνημονεύει τῶν

ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀναςαθέντων, ἃ (lege ὃ) γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς Σωκράτους τελευτῆς ὕςερον, quibus docte addit: καὶ ἔςιν οὕτως ἔχον. Deinde Platonem refert § 41. pro Socrate in iudicio coepisse dicere: Νεώτατος ὢν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν ἐπὶ τὸ βῆμα ἀναβάντων —, iudices autem statim κατάβα, κατάβα occlamasse, quo ille strepitu perturbatus obmutuit. Bonus Iustus Tiberiensis, cui huius rei notitiam soli debemus, aliquid ex Aristophanis Vespis vs. 979. profecisse videtur. Quid diceres si quid de Socratis iudicio non alium testem et auctorem haberet quam Flavium Iosephum? et esse Iustum Tiberiensem ipso Iosepho in tali re testem futiliorem, qui utrumque novit nullo negotio crediturus est.

Tum damnatum Socratem scribit διακοσίαις ὀγδοήκοντα μιᾷ πλείοσι ψήφοις τῶν ἀπολυουσῶν § 41. Itaque iudicarunt iudices mille et unus, quorum 641 condemnarunt, absolverunt 360, aut quingenti et unus, ut centum et decem absolverint, trecenti nonaginta et unus damnaverint. Quam nihil sit in his veri demonstrabit Platonis locus in Apologia p. 36 A. εἰ τρεῖς μόναι μετέπεσον τῶν ψήφων ἀπεπεφεύγη ἄν, ubi τριάκοντα pro τρεῖς in melioribus libris est, sed perperam. Tum pergit falsa omnia narrare. Socrates πέντε καὶ εἴκοσιν ἔφη δραχμὰς ἀποτίσειν. Εὐβουλίδης — φησὶν ἑκατὸν ὁμολογῆσαι. Apologia Platonis p. 38 B. docebit quid verum sit. Socrates § 42. μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ἔπιε τὸ κώνειον, ubi quod reponunt μετὰ πολλὰς ἡμέρας Graece non dicitur et est Diogeni suus error relinquendus. Nullius pretii sunt et plane commenticia quae § 43. scribit de Atheniensium ob necatum Socratem poenitentia: quidquid commemorat, clausas tota urbe palaestras et gymnasia omnia, caeteros accusatores exilio, Meletum morte mulcatum, Socrati statuam ex aere positam Lysippi opus, omnia haec falsissima sunt et de nihilo ficta. De Lysippi aetate non videtur homo cogitasse. Cumulum his addit § 44. Euripidem referens Atheniensibus necem Socratis exprobrasse. Sed malum factum quod Euripides annis sex ante Socratem diem obiit suum. Lepida etiam imprimis est et acuta Diogenis animadversio § 45. δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν φυσικῶν ὁ Σωκράτης διειλέχθαι, ὅπου γε καὶ περὶ προνοίας τινὰ διαλέγεται, καθά φησι καὶ Ξενοφῶν. Xenophontis locus est Memorab. I. IV,

sed si talia disserere, qualia istic Socrates de providentia disputat, est περὶ φυσικῶν διαλέγεσθαι, omnes, ut opinor, homines in Physicorum numerum erimus referendi.

Ex Platonis vita unam tantum narratiunculam attingam, quoniam sine exemplo iocularis est et una omnium optime incredibilem hominis ἀκρισίαν et stuporem arguit. Legitur III. 21. (ὁ Πλάτων) πρὸς τὸν νεώτερον ἧκε Διονύσιον αἰτῶν γῆν καὶ ἀνθρώπους τοὺς κατὰ τὴν Πολιτείαν αὐτοῦ ζησομένους. ὁ δὲ καίπερ ὑποσχόμενος οὐκ ἐποίησεν. Haec ille bona fide et serio in Commentarios retulit. Sunt haec huiusmodi, ut verbum non amplius sit addendum.

In vita Xenophontis primum risum movet quod II. 48 sq. narrat de Xenophonte Cliniam depereunte ex Aristippi nescio cuius libello περὶ παλαιᾶς τρυφῆς, unde et alia multa non minus levia subinde sumsit. Compone mihi verba Xenophontis in Sympos. IV. 12. cum Aristippi narratione, et isti homini quidquam credere desines. In iis quae ex Anabasi sumsit multa sunt levitatis et oscitantiae documenta, veluti II. 50. καὶ τοῦ Προξένου φίλος οὐχ ἧττον ἦν αὐτῷ, et quod de Apollonide narrat, cui Xenophon ὀνειδίζει τετρῆσθαι τὰ ὦτα, et quas commemorat παρασπονδήσεις Σεύθου, et quod ei dicitur Xenophon venisse εἰς Ἀσίαν πρὸς Ἀγησίλαον τὸν Λακεδαιμονίων βασιλέα μισθοῦ τοὺς Κύρου στρατιώτας αὐτῷ παρασχών, et quod scribit II. 51. καὶ αὐτῷ (Xenophonti) προξενίαν ἔδοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι, quae omnia quam negligenter dicta aut falso tradita sint pauci sunt qui non statim animadvertant. Iam vero quis est qui in tanta turba errorum et mendaciorum et futilium narratiuncularum aliquid tribuendum esse putet fabellae de Xenophonte apud Delium a Socrate servato, cuius fabulae nullus testis producitur, quae cum iis quae Plato de iisdem rebus scribit in Symposio apertissime pugnat, quae disertissimis ipsius Xenophontis testimoniis redarguitur? Citius credendum erit Platonem a Dionysio petiisse agros et homines, in quibus Reipublicae suae faceret experimentum.

Ne Strabonis quidem testimonio quidquam tribuendum est, quamquam egregie doctus homo est et gravis auctor habetur. Est enim Strabo φιλόμυθος et non anxie testium fidem ponde-

rare solitus si quid obiter animi causa suaviter et iucunde narrare potest. Dominabatur illis temporibus in eruditorum libris *παράδοσις* illa *ἀδέσποτος καὶ πεπλασμένη*, quae historiam rerum gestarum et magnorum virorum vitas impune corrumpebat. Perspicuum est Strabonem sua ex eodem fonte hausisse unde Diogenem, sed de suo, ut narratores solent, adiecisse nonnihil, quo auditorum animi magis commoverentur. Socrates Xenophontem vulneratum, ex equo delapsum, suis ipse humeris e periculo extulit *καὶ ἔσωσεν ἐπὶ πολλοὺς σταδίους ἕως ἐπαύσατο ἡ φυγή*, quorum quum oculati testes nihil omnino viderint, et ipsa rei natura et Thucydidis testimonium IV. 96 potiora nobis erunt quam Strabonis auctoritas obiter ista attingentis et, ut in re non magna, inconsideratius incertam famam sequentis.

Iam olim Graeci et omnium maxime Athenienses in talibus erant *λογοποιοί* ad eum modum, quem Theophrastus cap. VIII. tam lepide traducit et Plutarchus in dulcissimo libello *περὶ ἀδολεσχίας*. Vestigia huius ingeniosae levitatis ubique obvia, ex qua copia quoniam ad ipsum Xenophontem ea res pertinet, unum delibare iuvat. Constat Xenophontis filium Gryllum in proelio Mantinensi anno 362 fortissime pugnantem occubuisse. Cf. Pausan. VIII. ix. 10. Ea viri gloria celebratissima fuit. Certarunt in Grylli laudibus extollendis capitalia ingenia, in his, ut fama est, ipse Isocrates, *τὸ δέ τι καὶ πατρὶ χαριζόμενοι*, quem necesse est octogenarium tum fuisse si quid Straboni ac Diogeni credimus: at ratio evincit sexaginta sex aut septem annos tum fuisse natum. In Euphranoris nobilissima tabula, qua pugnam equestrem ad Mantineam depinxerat, erant *γνωριμώτατοι Γρύλλος τε ὁ Ξενοφῶντος — καὶ Ἐπαμεινώνδας*, Pausan. I. iii. 4. Nobile Grylli prope Mantineam monumentum stabat: *στήλη τε καὶ ἀνὴρ ἱππεὺς ἐπειργασμένος ἐστὶν ἐπὶ τῇ στήλῃ Γρύλλος ὁ Ξενοφῶντος* Pausan. VIII. ix. 5. et VIII. xi. 6. Mendax autem posterorum *λογοποιία* famam peperit ab ipso Gryllo Epaminondam letale vulnus accepisse. Arripuerunt hanc famam cupide Athenienses et Thebani, *καὶ Ἀθήνησιν ἐν ἵππων μάχῃ* (recte *ἱππέων* correxit Dindorf. ad Hellen. VII. v. 15) *τὸν Ἐπαμεινώνδαν γέγραπται φονεύων Γρύλλος ὁ Ξενοφῶντος*, ut loquitur oculatus testis Pausanias IX. xv. 5, quem confer VIII. xi. 5 et 6. Veriora Mantinenses et Lacedaemonii perhibebant,

sed praevalebat nobile nomen et disertorum hominum facundia. Nihil de ea re Xenophon ipse scribit, nihil Ephorus scripserat, vincebant tamen *οἱ πρὸς χάριν λέγοντες*. Atque haec quidem res est eiusmodi ut, quamquam vera non est, tamen per rerum naturam et ordinem et temporum rationem vera esse posset. Quam multae sunt aliae in historiam receptae, in quibus horum omnium nihil est. Quid est apertius ad intelligendum quam quibus de causis bellum Peloponnesiacum eruperit, et quid esse potest disertius iis, quae de illo argumento scripsit Thucydides? Compara mihi cum illis ea quae Diodorus scriptitavit XII. 38, ubi Pericles narratur pecunias publicas in privatum usum convertisse, itaque quum rationes poscerentur, quas nullo modo posset reddere, aegritudine animi in morbum esse implicitum (*εἰς ἀῤῥωστίαν ἐνέπεσεν*), sed convaluisse pueri Alcibiadis consilio, videret potius quo pacto rationes nullas redderet: itaque quaesivisse *δι' οὗ τρόπου τοὺς Ἀθηναίους δύναιτ' ἂν ἐμβαλεῖν εἰς μέγαν πόλεμον*. Eandem absurdam fabellam Plutarchus in Alcib. cap. VII ita narrat ac si cum ianitore Alcibiades de tanta re fuerit confabulatus: Thucydidis autem similis vivebat nemo, qui Plutarchi similes erant scribebant complusculi, Diodori Siculi Diogenesque magno numero propullulabant et nondum ea soboles defecit.

Etiam apud Romanos passim eiusdemmodi *ἀδέσποτος καὶ πεπλασμένη παράδοσις* et rerum gestarum fidem et virorum principum vitas perinde inquinat. Suetonius in vita Augusti c. 94 refert »*ante paucos quam nasceretur* (Augustus) *menses prodigium Romae factum publice, quo denunciabatur regem populo Romano naturam parturire:* Senatum exterritum censuisse ne quis illo anno genitus educaretur: *eos qui gravidas uxores haberent quo ad se quisque spem traheret, curasse ne Senatusconsultum ad aerarium deferretur.*" Quam miraretur Cicero, si Sctum huiusmodi se Consule factum esse audiret. Bene sit iis, qui nescio quomodo veluti surripuerunt pestiferum decretum multis hominum millibus certam perniciem allaturum. Sed quae est, quaeso, anus tam inepta ut in istis quidquam veri inesse possit in animum inducere? Suetonius tamen ipsius Augusti libertum auctorem habet, qui de patroni vita scripserat. Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.

Ad ipsam Anabasin reversus hoc unum addo non videri ex certo dicendi usu, quem communis Graecorum mos confirmat, eum qui annos triginta non minus natus sit (ὃς ἂν γεγόνῃ οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντ' ἔτη, ut ipsi loquuntur) posse προφασίζεσθαι τὴν ἡλικίαν, aut negare sese ἀκμάζειν et rebus gerendis per aetatem esse se idoneum. Si quis in Graecia triginta annos natus μὴ φαίη πω ἀκμάζειν non minus ridicula res foret ac si quis apud nos ita diceret quadragesimum tertium aetatis annum agens. Quid animi futurum fuisse putes centurionibus Graecis, si quis se id aetatis nondum ἀκμάζειν dixisset, quum plerique omnes solerent παρακμάζειν. Sub illo coelo annus trigesimus eam maturitatem afferre solebat, ut ea esset et honoribus gerendis legitima aetas et iudicialis et senatoria tota Graecia Italiaque. Quae si quis omnia diligenter perpenderit haud difficulter concedet mihi Xenophontem, quum sic de sua aetate loqueretur, a senatoria aetate et iudiciali aliquantum abfuisse: quod et mihi ipse verum esse penitus persuasi et ut aliis persuaderem haec copiosius quam soleo perscripsi.

Dindorfius Anabasi a se editae adiecit Scholia quaedam Graeca e variis Codicibus nunc primum edita. Quam vellem istas ineptias numquam protulisset in lucem. Nihil prorsus inest quod cuiquam prodesse possit; si quid forte inest boni non est novum, si quid novi non est bonum. Non esse genus hominum futilius et magis nugatorium quam sequiores Graeculos saepe declaravimus. Homunciones numquam fere recte cogitantes, et rerum antiquarum et verborum perinde ignari, conscribillant et comminiscuntur temere de suo aliquid quod nihil faciat ad rem, quod nullum usum habeat: cur igitur ista proferimus e tenebris, quibus melius in aeternum prementur? Satis mehercule est hominum ineptorum, ut nihil opus sit intermortuas ineptias veluti ex Orco in lucem vitamque revocare. Iocosum est videre quales sint isti interpretes: Ad Anab. I. ix. 13 annotavit homuncio: ἀδικοῦντι: ἐνεργητικὸν ἀντὶ παθητικοῦ, ἀντὶ τοῦ ἀδικουμένῳ. Hoc demum est sapere! Ἀφιππεύει I. v. 12 istis significat ἄνευ ἵππου ἐπορεύετο. Ad VI. i. 11 adscribunt: αὐλούμενοι: ὅ ἐςιν αὐλοῦντες. Πεπαμένον VI. i. 12, si istis credimus, significat συνετὸν ἄγαν παρὰ τὸ πεπαίνεσθαι (!) καὶ ἐν πείρᾳ πραγμάτων γεγονέναι πολλῇ. Ad IV. v. 32 εἷλκεν

ἐπὶ τὸν κρατῆρα, ἔνθεν ἐπικύψαντα ἔδει ῥοφοῦντα πίνειν ὥσπερ βοῦν legitur mirifica annotatio haec: ὥσπερ βοῦν: ὅ ἐστι δαψιλῶς. τὸ γὰρ τοῦ βοὸς ὄνομα ἐπὶ τοῦ μεγάλου λαμβάνεται. ἔνθεν καὶ βούπαις καὶ βούλιμος. Hinc nata est bellissima verbi ἐβουλιμίασαν interpretatio IV. v. 7. Magna gravitate docent ὅτι ἡ ἀτέλεια ἐστι πολυτέλεια, τὸ γὰρ α καὶ στερητικὸν καὶ ἐπιτατικόν. ô male sanam eruditionem! Vide quomodo isti interpretentur II. ii. 16. εὐθύωρον, et II. v. 10. ἔφεδρον, et IV. vi. 14. ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, et IV. vii. 6. ξυνῆλη, et multum valere nugatores iubebis. Ad Anab. I. ii. 20. τὰ Λύκαια ἔθυσεν annotarunt: Λύκειον γυμνάσιον Ἀθήνησιν ὅπου πρὸ τοῦ πολέμου ἐγυμνάζοντο, quae egregie ad rem faciunt, ut vides.

At, dixerit aliquis, ista scholia aliquem usum criticum possunt habere. Est fortasse operae pretium videre quas isti in suis libris lectiones repererint. Non est: nam quod expungunt emblema I. v. 5. ad ὄνους ἀλέτας in nonnullis libris adscriptum [οὓς ἡμεῖς μύλους, οἱ δὲ Ἀττικοὶ μύλας] his verbis: οὕτως εὕρηται ἐν δυσὶν ἀντιγράφοις, ἐστι δὲ τοῦ ἀλέτου ὄνου ἐξηγητικὰ ὑπό τινος ἴσως τῶν μεταγραψαμένων ἀμαθέστερον παρεμβληθέντα, et in melioribus libris ista leguntur in margine appicta et tam manifestum est additamentum ut vel pueri videant esse resecandum. In caeteris vel absurdissimas scripturas securi interpretantur, veluti III. ii. 26. κλήρους pro ἀκλήρους, et III. iv. 23. ἐπεὶ παρῆεσαν pro ἐπιπαρῆσαν, et IV. v. 33. νέοις pro ἐνεοῖς, aliaque id genus.

Scholia ipsa passim mendosa sunt et indiligenter ex Codd. descripta, ut I. iv. 18. ση· ὅτι βατὸς ὁ Εὐφράτης pro σημείωσαι, ὅτι —, et similiter lege I. vii. 18: σημείωσαι, ὅτι οἱ δισχίλιοι δαρεικοί κτἑ. pro ση) ὅτι. Turpius multo mendum est VII. viii. 23. τὸν ἐν λέγει pro τὸν θεὸν λέγει, confusis EN et ΘN. et sunt alia plura, sed satius est neque in legendis neque in corrigendis istiusmodi quisquiliis bonas horas perdere, quas et a Dindorfio nollem ex situ et tenebris protractas et pervelim a novo Xenophontis Editore cum contemtu praeteriri et abiici.

Accedo nunc ad venustissimum Xenophontis libellum, qui Ἱέρων ἢ τυραννικός inscribitur. In nullo alio libro Xenophontis, si *Rempublicam Atheniensium* et *Lacedaemoniorum* excepe-

ris scribae peius grassati sunt quam in Hierone, qui passim pessimis exemplis corruptus et interpolatus in Codicibus perexigui pretii circumfertur. Fieri potest ut aliquando meliores libri in Italia adhuc latentes excutiantur et sic pars mendorum tollatur. Nunc quam vehementer corrupta sint pleraque et inter legendum facili negotio cognoscitur, si quis hoc agit et quam ista et ab Attico nitore et a Xenophontea scribendi venustate abhorreant diuturna Atticorum et Xenophontis lectione et meditatione agnoscere et sentire didicit. Idem animadvertet bonam partem mendosarum lectionum sic esse comparatam, ut Criticorum acumine et sollertia in integrum restitui nequeat: non enim *ἐπιπολῆς* sunt et leviora vulnera a scribarum oscitantia, ut fere fit, profecta, sed *ὕπουλα* sciolorum temeritate et prava correctorum sedulitate penitus inflicta. Interciderunt subinde complura, alia perperam adhaeserunt, suntque multa menda huiusmodi ut fraudem subesse perspicuum sit, sed quae sit genuina et sana scriptura, quae ipsa Xenophontis manus sit etiam harum rerum intelligentibus evidenter demonstrari non possit. Bonam partem ex eo libello Stobaeus ex multo melioribus libris descriptam in Florilegium recepit XLIX. 30—46. ab initio usque ad cap. VI. § 6. sed multis subinde omissis. Praeterea in Floril. XLVI. 109. recepit cap. IX. 1—10. Athenaeus ex Hierone tres locos longiores descripsit III. p. 121 D, IV. p. 144 C. et IV. p. 171 E. Caeterum *λέξεων* consarcinatores et Atticistae ex Hierone, quod sciam, unam tantum *λέξιν* notaverunt, de qua eximia est annotatio apud Suidam ex nescio quo pererudito grammatico descripta: *Ἀγλευκὲς τὸ ἀηδὲς Ξενοφῶν εἴρηκεν ἐν τῷ Οἰκονομικῷ. Δοκεῖ δὲ ξενικὸν τὸ ὄνομα, Σικελικόν. πολὺ γοῦν ἐϛι πάλιν* (dele *πάλιν*) *παρὰ τῷ Ῥίνθωνι. Καὶ ἀγλευκέϛερον ἀντὶ τοῦ ἀηδέϛερον Ξενοφῶν Ἱέρωνι.* Locus est I. 21, ubi *ἀγλυκέϛερον* in libris est, quemadmodum in Longini Rhetorica p. 139. Bak. in verbis: *οὐ γὰρ ὅμοιον — τὸ ἀηδὲς ἀγλευκὲς εἰπεῖν — καὶ τὸ καλὸν περικαλλές*, nonnulli libri *ἀγλυκές* exhibent. *Ἀγλευκές* in Oeconomici Codicibus, qui exstant, in *ἀτερπές* abiit cap. VIII. § 3. Est in Hierone alius locus, ubi vocabulum priscum et ab Atticorum aetate et usu alienissimum legitur XI. 3. *ὅπλοις τοῖς ἐκπαγλοτάτοις αὐτὸς κατακεκοσ-*

μημένος, sed vehementer de mendo suspecta haec scriptura est et perridicula mihi quidem videtur esse. Quae sunt enim *ὅπλα δεινότατα*, quaeso? *Ἐκπάγλως*, quo Hippocratem novissimum omnium veterum usum esse scimus, nihil aliud quam *δεινῶς* significat. *Ἐκπαγλεῖσθαι* apud poëtas significat *ὑπερθαυμάζειν*. De armis *λαμπρότατα* aut simile quid in tali re recte dicitur, sed nihil statuere licet in libris tam male habitis et omni mendorum genere inquinatis. Legitur I. 23. *ἐπεὶ εὖ οἶδ' ἔγωγε ὅτι οἱ ἡδέως ἐσθίοντες καὶ σύ που οἶσθα ὅτι οὐδὲν προσδέονται τούτων τῶν σοφισμάτων*, quae est ista scabrities orationis et quis ab ipso Xenophonte istam compositionem profectam esse credet? Veram lectionem servavit Athenaeus p. 121 E. *ἐπεὶ οἵ γε ἡδέως ἐσθίοντες* (vitiose Cod. unicus Marcianus *ἔσθοντες*) *καὶ σύ που οἶσθα ὅτι οὐδὲν προσδέονται τούτων τῶν σοφισμάτων*. Apud Stobaeum XLIV. 34. mendosa lectio est eadem, quae in editis. In iis, quae statim praecedunt: *ἄλλο τι οὖν οἴει, ἔφη ὁ Ἱέρων, ταῦτα [τὰ] ἐδέσματα εἶναι ἢ μαλακῆς καὶ ἀσθενούσης τρυφῇ ψυχῆς ἐπιθυμήματα*; admonitus unusquisque satis sentiet *τά* esse vitio natum et legendum *ταῦτα ἐδέσματα εἶναι ἢ — ἐπιθυμήματα*; Poterat alia forma orationis usus idem sic dicere: *οὐκ ἐδέσματα ταῦτ' ἐςίν, ἀλλ' ἐπιθυμήματα*. Vera lectio est in Codice Marciano *ταῦτα ἐδέσματα εἶναι*, sed neglecta ab iis, qui Codicem excusserunt. Apud Stobaeum legitur: — *οἴει ταῦτα ζητήματα εἶναι*, absurde, sed *ζητήματα* suppletum est a nescio quo, qui lacunas antiquioris Codicis summa temeritate et impudentia sarcivit, ut alio loco diligenter ostendimus. Pro *ἢ μαλακῆς* in Marciano Codice est *ἡμηδιακακῆς*: apud Stobaeum *ἢ ἅμα κακῆς*, vitiose utrumque. Sed iuvat ordine dialogum percurrere et paucis locos quosdam aut ex Athenaeo Stobaeoque, aut ex coniectura in integriorem statum restituere. In ipso limine Codices Xenophontei mendosi sunt: I. I. *καὶ ποῖα ταῦτ' ἐςίν — ὁποῖα δὴ ἐγὼ βέλτιον ἂν εἰδείην σοῦ οὕτως ὄντος σοφοῦ ἀνδρός*; In his ΔΗ ex ΑΝ natum est et obscurata sic particula quum desideraretur a nescio quo correctore in alienum locum inserta est. Genuinum est igitur: *ὁποῖ' ἂν ἐγὼ βέλτιον εἰδείην κτἑ.* quae lectio totidem litteris apud Stobaeum superest. Notum est quoties ΑΝ et ΔΗ confundantur et ipsi su-

pra nonnulla exempla dedimus. Apud Demosthenem pag. 100, 12. *πρῶτον μὲν δὴ τοῦτο δεῖ* Codex S *μὲν ἂν* exhibet, sicuti p. 615, 14. pro *ὡς δὴ δίκαιος ὢν* dedit *ὡς ἄν*, perperam utrobique. Recte idem p. 1147, 16. pro *ὥςε τολμῆσαι δή ποτε* servavit *ἄν ποτε*. Ex his facile est ad intelligendum quid rescriptum oporteat in Midiana p. 585, 26. *ἐάν τε διακοσίους ἐάν τε χιλίους ἐάν θ' ὁπόσους ἂν ἡ πόλις καθίσῃ*, nempe *ὁποσουςδή*.

In § 2. *καὶ* male abundat in verbis: *εἰκὸς οὖν* — [*καὶ*] *εἰδέναι σε μᾶλλον ἐμοῦ*. Similiter abundat ibid. vocula *τε* in *πῇ διαφέρει ὁ τυραννικὸς* [*τε*] *καὶ ἰδιωτικὸς βίος*, et item post pauca *καί* et *γε* in hisce: *τί οὖν οὐχὶ* [*καὶ*] *σύ* et *ἐπεὶ νῦν* [*γε*] *ἔτι ἰδιώτης εἶ*. Apud Stobaeum sana sunt omnia: in optimo Codice Parisino A *τε* et *καί* et *γε* non comparent. Codicis Parisini B, qui ubique frivolis Graeculi correctiunculis inquinatus est et in hac parte passim e Xenophontis libris interpolatus, nulla ratio habenda est. In § 5. verum est quod Stobaeus habet *δι' αὐτῆς τῆς ψυχῆς μοι δοκοῦμεν ἥδεσθαί τε καὶ λυπεῖσθαι* et post pauca *κοινῇ διά τε τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος*, nisi quod *τε* male abest. In § 7. *οὐκ οἶδα εἴ τινι διαφέρει ὁ τυραννικὸς βίος τοῦ ἰδιωτικοῦ βίου* pro *εἴ τινι* reponendum est *ὅ τι*, *οὐκ οἶδ' ὅ τι διαφέρει*, quod Stobaeus confirmat, et *βίου* expungendum. Stobaeus perperam *βίος* omittit. Gravius peccatum in § 8. *ἐν τοῖσδε διαφέρει, πολλαπλάσια μὲν δι' ἑκάςου τούτων εὐφραίνεται κτἑ.* Stobaeus: *ἐν μὲν τοῖσδε διαφέροι ἂν εἰ πολλαπλάσια κτἑ.* in quibus latere suspicor hanc scripturam: *ἓν μέντοι τόδε διαφέροι ἄν*. Insanabile ulcus est in § 11. *ἐν τοῖς διὰ τῆς ὄψεως θεάμασι*, quasi vero praeter haec alia quaedam *θεάματα* esse possent, neque minus absurdum est *θεαμάτων ἕνεκα* additum verbis *ἐπὶ δὲ τούτων ἕκαςα*, et mendosissima sunt in eadem § *ἔνθα τὰ ἀξιοθεατότατα δοκεῖ εἶναι ἀνθρώποις συναγείρεσθαι*, ubi complura excidisse suspicor. In § 13. *ἀλλ' ἄρα ἔρχεται αὐτοῖς τὰ τοιαῦτα καὶ οἴκοι μένουσιν* vocula *ἄρα* concludentis est et prorsus ab huius loci sententia abhorret. Ex dittographia natum arbitror et inducendum, ut Simonides dixerit: *ἀλλ' ἔρχεται αὐτοῖς τὰ τοιαῦτα*. Contra excidit *ἄρα* in § 26. *κινδυνεύουσιν, ἔφη ὁ Σιμωνίδης, αἱ τῶν ἀφροδισίων μόνον ὑμῖν ἀπολαύσεις τοῦ τυραννεῖν τὰς ἐπιθυμίας παρέ-

χειν. Deesse aliquid viri docti senserunt, sed quod de Heindorfii coniectura οὖν inseruerunt non est id quod perierat, sed ἄρα, scribendumque κινδυνεύουσιν ἄρα, ἔφη ὁ Σιμωνίδης. Est in Codicibus antiquioribus sigla quaedam pro ἄρα poni solita, quae saepe non intellecta errores peperit. In Scholiis ad Aesch. Ctesiph. 127. p. 91. Dind. εἰ μὴ πρὸς τὴν ἀντίλεξιν νοήσομεν τὸ κῶλον annotavit Dindorf. »*inter* μὴ *et* πρὸς *in F. vocabulum legitur compendio expressum*" et addidit compendii formam. Est autem ἄρα, εἰ μὴ ἄρα πρὸς τὴν ἀντίλεξιν κτέ. In iis quae continuo sequuntur: καὶ μὰ Δία — ὀλίγα τε τῶν πολλῶν manifestum est ὀλίγα γε requiri, idque habet Stobaeus. Nota est omnibus Porsoni de talibus annotatio in Adversar. p. 53 sqq. unde et alii loci multi corrigendi supersunt et Demosthenis in Orat. XIII. 16. καὶ νὴ Δία γε — ἕτεροι λόγοι παρερρυήκασι πρὸς ὑμᾶς ψευδεῖς, ubi vocula transposita legendum νὴ Δία — ἕτεροί γε λόγοι.

Inepta exaggeratio inest in sqq. ἢ ὅσα ἐν παντὶ τῷ βίῳ παρὰ πάντων τῶν ἄλλων ἀνθρώπων κτῶνται. In § 14. ἀλλ' εἰ τοῖς θεάμασι μειονεκτεῖτε Stobaeus servavit necessariam praepositionem εἰ ἐν τοῖς θεάμασι. Deinde notandus librorum solemnis error in ὅσα ἐὰν λέγητε καὶ ὅσα ἐὰν ποιήσητε: nempe in Codd. antiquissimis sexcenties in talibus ΕΑΝ pro ΑΝ scribi solet vitiosissime: ὃς ἐὰν pro ὃς ἂν et sim., quae nimis saepe ab Editoribus retinentur. Xenophontis est ὅσ' ἂν scribere, librarii ὅσα ἂν et ὅσα ἐὰν dare solent.

Quis non animadvertit errorem in sqq. λοιδορίας ἀνήκοοί ἐστε. οὐδεὶς γὰρ ἐθέλει τυράννου κατ' ὀφθαλμοὺς κατηγορεῖν? Non est hoc recte cogitatum, nam multum distant λοιδορία et κατηγορία: vide Demosthenis locum περὶ τοῦ στεφάνου § 123. Una litera mutata κακηγορεῖν scribendum est τύραννον κατ' ὀφθαλμοὺς κακηγορεῖν, quae forma pro κακῶς λέγειν sive λοιδορεῖν nonnumquam usurpatur ab iis, qui exquisitius loquuntur. Plato in Gorgia p. 522 B. ἐάν τίς με φῇ τοὺς πρεσβυτέρους κακηγορεῖν, ubi bona pars Codicum κατηγορεῖν exhibet, ut aliis apud Platonem locis.

In § 15. οἱ σιωπῶντες οὗτοι πάντες κακὰ νοοῦσι τῷ τυράννῳ, Stobaeus πάντα pro πάντες habet solemni confusione:

scribitur enim saepe in libris πάν. Nihil igitur agunt qui πάντες κακὰ νοοῦσι reposuerunt. Suspicor dedisse Xenophontem οὗτοι πάντες κακόνοι εἰσὶ τῷ τυράννῳ. Opponuntur enim inter se εὔνοι εἶναι, εὐνοεῖν, et κακόνοι εἶναι, non κακὰ νοεῖν aut κακονοεῖν. Et κακονοεῖν quidem scribarum socordia irrepsit in Lysiae Orat. XXIX. 10. οὐδέποτε παύσονται ὑμῖν κακονοοῦντες, ubi me numquam poenituit emendasse κακόνοι ὄντες. Praeterquam hoc uno loco nusquam verbum κακονοεῖν comparet. Κακόνοι ἐγένοντο legitur apud Lysiam XX. 20. et κακόνουν εἶναι τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ XXV. 7. Κακὰ νοεῖν τινι, quo sensu apud Homerum τῷ δὲ κακὰ φρονέων legitur, et apud Hesiodum σοὶ δ' ἐγὼ ἐσθλὰ νοέων ἐρέω, uno tantum nititur loco Xenophontis in Memorab. II. ii. 9. οὐδὲν κακὸν νοοῦσα λέγει, ubi statim sequitur ἢ νομίζεις κακόνουν τὴν μητέρα σοι εἶναι; cuius loci diversa aliquantum ratio est. Κακόνους εἶναι et in Anabasi bis legitur II. v. 16 et 27. et est in tali re tam appositum ut mihi quidem sine cunctatione restituendum esse videatur. Confusa videbis εὔνους ὢν τῇ πόλει et εὐνοῶν apud Demosthenem p. 1457, 9.

Verba quae leguntur § 17—20. καὶ οἶδά γε, ἔφη — τῶν τὰ εὐτελέστερα παρατιθεμένων exscripsit Athenaeus IV. p. 144 C. ubi mendose legitur in Marciano: τὸ ἡμῖν παρατιθέμενον δεῖπνον ἢ τούτοις pro ἢ τὸ ἑαυτοῖς, et τὸ γὰρ τὰ εἰωθότα ὑπερβάλλειν pro ὑπερβάλλον. Rectius contra πλὴν οὐχ οἱ τύραννοι et verbis melius ordinatis οὐδεμίαν ἐν ταῖς ἑορταῖς ἐπίδοσιν ἔχουσιν αὐτῶν αἱ τράπεζαι, pro ἔχουσιν αἱ τράπεζαι αὐτῶν ἐπίδοσιν. Deinde idem vitium in Athenaeo est quod in Xenophontis Codd. ἐκεῖνο εὖ οἶδ' ὅτι καὶ σὺ ἔμπειρος εἶ, pro ἐκείνου, quod bene servavit Stobaeus. Tum in Marciano est: ὅσωι ἄν τις πλέων τις παραθῆται, apud Stobaeum: ὅσῳ ἂν πλείω παραθῆτε, verum est ὅσῳ ἄν τις πλείω παραθῆται, deinde Athenaeus τοσούτωι καὶ θᾶσσον μᾶλλον κόρος ἐμπίπτει, et sic Stobaeus nisi quod μᾶλλον recte omittit: viri docti θᾶττον reposuerunt. Denique Athenaeus εὐτελέστατα habet pro εὐτελέστερα, quo genere mendi nihil est frequentius, ut nihil opus sit Codicum opem implorare ubi ipsa loci sententia laborat et illo auxilio indiget.

In § 21. inducenda sunt verba inficete et putide repetita ἢ τοὺς ἰδιώτας [ἐπὶ τὴν ἑαυτῶν]. In § 24. τῶν γε πολυτελῶν ὀσμῶν τούτων, melius Stobaeus πολυτελῶν τούτων ὀσμῶν. Praefertur in seqq. deterior lectio τῶν ἀχαρίστων ὀσμῶν verae lectioni ἀχαρίτων. Ὀσμὴ non est ἀχάριστος sed ἄχαρις. De harum formarum confusione in superioribus nonnulla diximus.

In § 27. νῦν δὴ — εἴρηκας, ἐν ᾧ σάφ' ἴσθι πλεῖστον μειονεκτοῦμεν τῶν ἰδιωτῶν, in his πλεῖστον ex Stobaeo additum qui σάφ' ἴσθι omittit. Dicam breviter quid mihi de hoc loco videatur. De suo πλεῖστον addidit sedulus corrector, quo abiecto in σάφ' ἴσθι latentem veram lectionem indagare et elicere debemus. Est ea: ἐν ᾧ σ α φ έ σ τ α τ α μειονεκτοῦμεν τῶν ἰδιωτῶν, quod dictum est notissima brachylogia pro ἐν ᾧ σαφέστατόν ἐστιν ὅτι μειονεκτοῦμεν.

In § 28. αἱ θεραπεῖαι αἱ ἀπὸ τῶν μέγιστον φρονουσῶν γυναικῶν εὐφραίνουσι μάλιστα aperte mendosum est pro ὑπὸ τῶν μ. φ. γυναικῶν. Continuo emendata lectio conspicitur in verbis αἱ δ' ὑπὸ τῶν δούλων. In §. 31. conclamatus locus est ὥσπερ οὖν εἴτις ἄπειρος ὢν δίψους κτέ. nam nihil proficimus Stephani coniectura οὐκ ἂν de suo inserentis. Excidisse potius complura probabile est.

In cap. II. § 2. e Stobaeo recipiendum: ταχὺ δὲ (ταῦτα) κατεργάζεσθε, contra inutile et ineleganter repetitum κέκτησθε expungendum, eodem auctore, in verbis: ἔτι δὲ πλήθει τε καὶ ἐπιστήμαις θεράποντας ἀρίστους [κέκτησθε]. Vehementer suspectum est πλήθει — ἀρίστους, absurde dictum, sed duo vocabula intercidisse suspicor θεράποντας (πλείστους καὶ) ἀρίστους. Notum est omnibus quam saepe in tali re πλεῖστοι καὶ ἄριστοι coniungantur. Pro κακῶσαι μὲν ἐχθρούς, ὀνῆσαι δὲ φίλους longe usitatiore et meliore ordine apud Stobaeum est ὀνῆσαι (μὲν) φίλους, κακῶσαι δὲ ἐχθρούς.

Manifestum in paucis emblema est in § 4. τὰ μὲν δοκοῦντα πολλοῦ ἄξια κτήματα εἶναι ἀνεπτυγμένα θεᾶσθαι [φανερὰ] πᾶσι παρέχεται. Miror quomodo quisquam ab Ernestio potuerit dissentire qui pulchre sensit φανερὰ nil nisi participii ἀνεπτυγμένα interpretamentum esse, quod ex margine libri irrepserit. Tam meticulosi sunt multi homines docti ut maluerint legere ἀνεπτυγμένα θεᾶσθαι καὶ φανερὰ et duo vocabula spuria ad-

mittere quam expellere unum. In § 6. *οἱ τύραννοι τῶν μεγίςων ἀγαθῶν ἐλάχιςα μετέχουσιν* certa emendatione *ἐλάχιςον* corrigendum est; in talibus *μέρος* arbitratu Graecorum aut additur aut omittitur, sed necessarium perinde est neutrum singulare ponere *πλεῖςον μετέχειν*, *ἐλάχιςον μετέχειν* similiaque omnia. In § 7. *τούτου πλεῖςον μέρος οἱ τύραννοι μετέχουσιν.* Stobaeus omisso *μέρος* habet *τούτου πλεῖςον μετέχομεν οἱ τύραννοι.* Vitiosa scriptura *ἐλάχιςα* nata est ex iis quae opponuntur *πλεῖςα κέκτηνται.* Emendate scriptum est IV. 1. *πίςεως ὅςις ἐλάχιςον μετέχει*, et aliis locis bene multis, de qua re in superioribus iam nonnulla annotavimus, quibus addere iuvat emendationem suavissimi fragmenti Euripidei apud Athenaeum XIII. p. 561 A.

Παίδευμα δ' Ἔρως σοφίας ἀρετῆς
πλεῖςον ὑπάρχει καὶ προσομιλεῖν
οὗτος ὁ δαίμων
πάντων ἥδιςος ἔφυ θνητοῖς.

Retineat hanc lectionem qui sibi intelligere videtur: equidem sic demum locum intelligam si *ἀρετῆς πλεῖςον μετέχει* emendatum erit. Duplex mendum est in § 7. *εἰ μὲν εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν τοῖς ἀνθρώποις εἶναι, — εἰ δὲ πόλεμος μέγα κακόν*, emenda *ἡ μὲν εἰρήνη — ὁ δὲ πόλεμος.* Confirmat Stobaeus, apud quem *ὁ δὲ πόλεμος* emendate scriptum est, interciderunt autem *ἡ μέν* in (*ἡ μὲν*) *εἰρήνη δοκεῖ κτέ.* In § 10. corrige *ςρατεύωσιν ἐπὶ τὴν πόλιν* pro *εἰς τὴν πόλιν*, tum *ἐν ἀσφαλεῖ πάντες νομίζουσι καθεςάναι* pro *ἐν ἀσφαλείᾳ.* Frequens hoc est in libris vitium. Ut Latine *in tuto esse* sic Graece non aliter dicitur quam *ἐν ἀσφαλεῖ εἶναι*, quemadmodum *ἐν ἀκινδύνῳ εἶναι* dicunt, quod statim sequitur. Quoties *ἐν ἀσφαλεῖ* fuerit depravatum in *ἐν ἀσφαλείᾳ* est operae pretium paucis notare. In antiquissimo Codice papyraceo, in quo Hyperidis oratiuncula *ὑπὲρ Εὐξενίππου* exstat, mendose legitur Col. 45. ΕΝΑΣΦΑΛΕΙΑΙΚΑΤΕΣΤΗΣΑΝ pro *ἐν ἀσφαλεῖ κατέςησαν*, ad quem locum indicavimus vitium in libris Thucydideis II. 75. ubi *ἐν ἀσφαλεῖ τε εἶναι* pro *ἐν ἀσφαλείᾳ* legendum. Sine vitio legitur apud Demosthenem de F. L. 152. *ἅπαντ' ἐν ἀσφαλεῖ τὰ πράγμαθ' ὑμῖν ἔσεσθαι*, et § 262.

ἔχε σὺν ἔτ' ἐν ἀσφαλεῖ φυλάξασθε, et apud Antiphanem Athenaei III. p. 103 F.

τοῦτ' ἐν ἀσφαλεῖ νόμιζε τῶν ὑπαρχόντων μόνον,

sed vitiose apud Isocratem editur in Euagora § 30. τὸ σῶμα ἐν ἀσφαλείᾳ καταστήσας pro ἐν ἀσφαλεῖ. Tenentur scribae manifesti apud Dionysium Halicarn. A. R. IX. 20. ὡς ἐν ἀσφαλείᾳ δὴ ὄντες, ubi Vaticanus liber optime ἐν ἀσφαλεῖ servavit, et conspirant libri omnes ibid. IX. 24. in τότε δὴ ἐν τῷ ἀσφαλεῖ νομίσαντες εἶναι.

In § eadem circa finem necessarium pronomen periit in verbis: ἀλλ' ἐνταῦθα δὴ καὶ μάλιστα φυλακτέον οἴεται εἶναι, imo vero φυλακτέον (οἷ) οἴεται εἶναι.

In § 15. ὡς δὲ δόξαν λαμπρὰν ἀναλαμβάνουσιν, corrige λαμβάνουσιν: praepositionem peperit praecedens syllaba, ut saepe alibi. Λαμβάνω δόξαν est ἔνδοξος γίγνομαι, ἀναλαμβάνειν δόξαν is recte dicitur qui amissam veterem gloriam *recuperat*. Euripides Helen. 847.

πῶς οὖν θανούμεθ', ὥστε καὶ δόξαν λαβεῖν;

Xenophon Cyrop. I. vi. 22. ὅπως δόξαν λάβῃς. Plato in Politico p. 290 D. τὸ τῶν ἱερέων σχῆμα — δόξαν σεμνὴν λαμβάνει. Contra in Demosthenis quae fertur epistola III. 5. φαύλην δόξαν ἡ πόλις λαμβάνει, et aliis aliorum locis.

In § 16. χαλεπὸν δὲ εὑρεῖν ὅπου οὐχὶ καὶ ἐπιψεύδονται πλεονάκις θάσκοντες ἀπεκτονέναι, supplendum est ἐπιψεύδονταί (τι), vides quid pronomen absorpserit. In § 17. ἀνήκεστα quaedam apparent: laborat Graecitas in ἀντιπραττομένους barbare pro ἀντιπράττοντας, compositio dura et impedita est, sana sententia nulla extundi potest. Ostenderunt difficultates Interpretes: sanandi spes nisi ex integrioribus libris nulla est. Pro ἀντιπραττομένους, quae foeda est barbaries, suspicari possis ἀντιταττομένους verum esse, quod verbum et alibi video in ἀντιπράττομαι depravari. Nempe apud Iulianum in Orat. III. p. 112 A. καθάπερ, οἶμαι, φασὶ τὸν Μυρμηκίδην ἀντιπραττόμενον τῇ Φειδίου τέχνῃ nulla est dubitatio quin ἀντιταττόμενον sit corrigendum. Sed quoniam ἀντιτάττεσθαι sit φανερῶς ἐναντιοῦσθαι et Hieronem de occultis inimicorum consiliis insidiisque appareat dicere, quas aut suspicaretur aut animadverteret tyrannus (ὑποπτεύσῃ — αἰσθανόμενος) nihil sic proficimus. In

§ 18. recte viri docti *ἕνεκα* abesse senserunt scribendumque: *οὐδέν τι μᾶλλον τούτου (ἕνεκα) θαρρεῖ*, et in fine corrigendum *τοιοῦτον — οἷον ἐγὼ δηλῶ* pro *ὃν ἐγὼ δηλῶ.*

In cap. III. 2. *ποθοῦσι δὲ ἄν που ἀπίῃ, ἥδιϛα δὲ πάλιν προσιόντα δέχονται*, diximus supra *ἀπῇ* esse corrigendum. Peperit autem errorem vicinum *προσιόντα* et passim *εἶναι* et *ἰέναι*, *ὤν* et *ἰών* confunduntur, praesertim in compositis. Sunt adeo qui propter fidem librorum *εἶναι* in compositis pro *ἰέναι* scribi posse faciles credant. Turbarunt librarii § 3. in *νηποινὶ ἀποκτείνειν*, afferuntur e libris *νηποινεὶ*, *νηποινῆ* et *νηποινά*. Vera scriptura est *νηποινί*, quae in vetustis libris ΝΗΠΟΙΝΕΙ scribi solet. Apud Dionysium Halic. A. R. X. 35. in omnibus libris est *(οἱ νόμοι) κελεύουσιν ἢ ποιεῖν ἢ τεθνάναι τοὺς ὑβρίσαντας* (*εἰς* addendum) *τὰ τῶν δημάρχων σώματα.* Vides quo abierit antiqua scriptura *κελεύουϛ*ΙΝΗΠΟΙΝΙ*τεθνάναι*, quam revocavit Casaubonus *κελεύουσι νηποινὶ τεθνάναι*, ut recte legitur II. 10. *ὅσους ἠβούλοντο νηποινὶ τεθνάναι*, et aliis locis.

In § 8. pro *εὑρήσεις μὲν τοὺς ἰδιώτας* Stobaeus rectissime *τοὺς μέν* transponit et *πάντων* addit in sqq. *ὑπὸ τούτων (πάντων) μάλιϛα φιλουμένους.* Apparet in vicinia monstrum vocabuli *ἀπεκτονηκότας*, quam barbaram formam eo turpius est nondum esse castigatam, quum emendata scriptura *ἀπεκτονότας* apud Stobaeum optime servata sit. Post pauca Graeculi de suo *τυράννους* putide inseruerunt, in verbis *πολλοὺς δὲ καὶ ὑπὸ γυναικῶν τῶν ἑαυτῶν [τυράννους] διεφθαρμένους*, ubi emblema ipsa sedes arguit. In § 9. *ὑπὸ τῶν φύσει πεφυκότων μάλιϛα φιλεῖν* lectio *φιλεῖν* a Codicibus auctoritatem habet nullam, sed a sana ratione et sententia loci satis habet commendationis: tum scribi debet *οἴεσθαι χρή*, ut assolet, non *χρῆν.*

In cap IV. 2. vehementer suspecta sunt verba *[τοῦ πιϛῶς πρός τινας ἔχειν]*, quae et frigent et non satis rei convenire videntur, quoniam *πιϛῶς ἔχειν* est *πιϛὸς εἶναι*, neque hoc tyrannus expetit ut ipse erga alios servet fidem, *ὅπως αὐτὸς πιϛὸς ἔϛαι*, sed ut habeat quibus tuto credere possit. In § 5. *εἰκόνας ἱϛᾶσιν αἱ πόλεις τῶν τοιοῦτο ποιησάντων*, ferri potest Stobaei lectio *τῶν τοῦτο ποιησάντων*, sed vulgata scriptura ferri

non potest nisi suppleveris τῶν τοιοῦτό τι ποιησάντων.

In § 6. εἰ δὲ σὺ οἴει — οὐδὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει, coniunctio εἰ perperam posita est. Requirit usus Graecis Romanisque communis et utrisque certus in tali re pronomen: *quod* autem tu putas —, itaque corrigendum: ὃ δὲ σὺ οἴει. Exempla in re nota multa apponere nihil attinet. Proferam unum e vicinia, ut obiter emendem. Legitur VI. 12. ὃ δ' ἐζήλωσας ἡμᾶς — οὐδὲ ταῦθ' οὕτως ἔχει, sed necessarium est οὐδὲ τοῦθ' οὕτως ἔχει. Quomodo natus sit error perspicere mihi videor. Littera initialis O a scriba omittitur a rubricatore supplenda: at isti subinde supplent οὐδὲν πρὸς ἔπος, ut abunde demonstravimus in Stobaei Appendice Florentina. Itaque quum ὃ deberet addere oscitanter εἰ addidit. Eodem modo natum errorem in Lycurgi Leocratea mihi deprehendisse videor, ubi legitur § 88. Ὁρᾶτε, ὁμοίως ἐφίλουν τὴν πατρίδα Λεωκράτει οἱ τότε βασιλεύοντες; sed vera scriptura est: Ἆρά γε ὁμοίως ἐφίλουν κτέ.: Nempe quum * ΡΑΓΕΟΜΟΙΩΣ in antiquo libro esset, supervenit nescio quis qui omissam litterulam male explevit et Γ in Τ mutavit. In § 9. τὸ δὲ τούτων συντέμνειν quod requirebam τούτων τι συντέμνειν Stobaeus ultro obtulit. In § 10. pro νομίζοι Dindorf. καλοῖ recepit: recte fortasse, sed ut καλοίη scribatur: καλοῖς et καλοῖ populo Attico non minus inusitata sunt quam καλοῖμι. Iones καλέοιμι dicebant, Attici non aliter quam καλοίην. Confundunt omnia scribae, praesertim in Platone, sed nostri officii est istos in ordinem cogere.

In cap. V. 1. pro τοὺς κοσμίους Stobaeus τοὺς ἀλκίμους habet, quod verum videtur. Eosdem mox ἀνδρείους appellat. In § 2. malim πάντων ὅ τι χαλεπὸν ἐν ἀνθρωπίνῳ βίῳ pro πάντων εἴ τι, quae non recte copulantur. Πάντα ὅ τι iniuria nonnumquam et aliis et mihi de mendo suspectum et alibi occurrit et apud Xenophontem. Sub finem § gratus accipio a Weiskio εὐθυμίας pro ἐπιθυμίας. Egregia item est lectio a Stobaeo servata § 5. ψυχῆς ὑπὸ φόβων παραπεπληγμένης pro καταπεπληγμένης, *dementis* enim animi haec argumenta esse rectissime dicit. Non est difficilis optio in § 6. utrum παρακολουθῶν λυμεὼν γίγνεται ac συμπαρομαρτῶν λυμαντὴρ γίγνεται sit Xenophontis manus. Hanc lectionem unice veram Stobaeus servavit. In § 8. οἷα μέντοι τοὶ τότ' ἦν τὰ λυπηρὰ

τοιαῦτ' ἐστὶ τὰ τῶν τυράννων, in Editt. Vett. est τοιαῦτα εἰσί in quo manifesta vestigia sunt lectionis, τοιαῦτ' ἀεί ἐστι τὰ τῶν τυράννων, quam loci sententia requirit: τότε enim et ἀεί inter se opponenda sunt. Non est ulla dubitatio quin in § 9. pro ὕπνου τυγχάνομεν ambabus manibus amplectenda sit scriptura ὕπνου λαγχάνομεν. Saepius vidi Atticum ὕπνου λαγχάνειν et λαχεῖν a Graeculis in alia omnia refingi, cuius rei iuvat exempla quaedam apponere. In Theophrasti Charact. cap. 25. sic legitur in optimo omnium Codice Palatino: καὶ τοῦ σαλπιστοῦ δὲ τὸ πολεμικὸν σημαίνοντος καθήμενος ἐν τῇ σκηνῇ »ἄπαγ' ἐς κόρακας. οὐκ ἐάσει τὸν ἄνθρωπον ὕπνου λαβεῖν πυκνὰ σημαίνων." Fuit qui ὕπνου λαχεῖν coniecit sed hanc certam emendationem ipse ultro repudiavit et abiecit. Non fecisset si melius Graece scivisset: neque enim ὕπνον λαμβάνω Graece dici potest neque adeo λαμβάνω ὕπνου. Graecis, qui accurate cogitabant et rerum naturam verbis accurate referebant, usitatum est dicere ὕπνος με λαμβάνει *somnus me capit* pro *obdormisco*, non ut Romani *somnum capio* pro *dormio*. Vide ipsum Theophrastum cap. 7. λαλεῖν τι ἡμῖν, ὅπως ἂν ἡμᾶς ὕπνος λάβῃ. Eodem modo ὕπνος dicitur αἱρεῖν τινα, et ὕπνος ἔχει με pro καθεύδω, et ὕπνος ἀνῆκέ με pro ἐξηγρόμην. Dicitur ὕπνος apud poëtas ἱκάνειν τινά, ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι, et μάρπτειν τινά et πεδᾶν τινα, aliaque multa similia, sed nemo recte dicitur ipse ὕπνον λαμβάνειν. In Platonis Symposio circa finem p. 223 B. haec est vera scriptura: τὸν μὲν οὖν Ἐρυξίμαχον καὶ τὸν Φαῖδρον καὶ ἄλλους τινὰς ἔφη ὁ Ἀριστόδημος οἴχεσθαι ἀπιόντας, ἓ δὲ ὕπνον λαβεῖν καὶ καταδαρθεῖν πάνυ πολύ. Ipse sic dixerat: ἐμὲ δὲ ὕπνος ἔλαβε καὶ κατέδαρθον πάνυ πολύ (non ἐγὼ δὲ ὕπνον ἔλαβον), ut apud Sophoclem dicit Philocteta vs. 767. λαμβάνει γὰρ οὖν ὕπνος με, et apud Antiphanem Athen. p. 23 C.

ὡς ἐστι κατακεῖσθαι πρὸ δείπνου συμφορά.
οὔτε γὰρ ὕπνος δήπουθεν οὐδένʼ ἂν λάβοι,
οὔθ' ἂν λέγῃ τις οὐδαμῶς μάθοιμεν ἄν.

Vide autem quid scribae designaverint quum non caperent inepti quid tandem esset ΑΠΙΟΝΤΑΣΕΔΕΥΠΝΟΝΛΑΒΕΙΝ. Nempe ΕΔΕ stulte mutarunt in ἔα δέ, ἔαδε, ἐμὲ δέ et in οἴκαδε denique, unde haec est nata vulgata lectio οἴχεσθαι ἀπιόντας

οἷκαδε ὕπνον λαβεῖν. Itaque quum οὐκ ἐάσει τὸν ἄνθρωπον ὕπνου λαβεῖν manifesto sit mendosum et sententia loci postulet *somnum capere*, sequitur nihil aliud quam ὕπνου λαχεῖν a Theophrasto scribi potuisse. Dicebant enim Athenienses antiquiores ὕπνου λαγχάνειν eodem sensu, quo ὕπνου τυγχάνειν et olim et postea omnes dicebant, sed λαγχάνειν ὕπνου antiquius etiam dicendi genus est adeoque exquisitius. Herodotus iam dixit III. 180. ὕπνου τέ μιν λαγχάνειν ἐποίεε, et Cratinus in Bekk. Anecd. p. 358, 2.

οὐ σῖτον ἄρασθ', οὐχ ὕπνου λαχεῖν μέρος.

et Xenophon in Anabasi III. I. 9. μικρὸν ὕπνου λαχὼν εἶδεν ὄναρ. Nonnumquam autem in Codd. ὕπνου λαγχάνειν et τυγχάνειν inter se permutantur, ut appareat verbum Ἀττικώτερον et exquisitius λαγχάνειν mutatum esse a scribis in κοινότερον et usitatum omnibus τυγχάνειν, quemadmodum in Hierone ὕπνου λαγχάνομεν genuina scriptura est, ὕπνου τυγχάνομεν interpolata. Plane eodem modo in Cyropaed. III. I. 24. οὔτε σίτου οὔτε ὕπνου δύνανται λαγχάνειν nata est unius Codicis scriptura τυγχάνειν. In Aristophanis Acharn. 713:

ἀλλ' ἐπειδὴ τοὺς γέροντας οὐκ ἐᾶθ' ὕπνου τυχεῖν,

suspicor οὐκ ἐᾶθ' ὕπνου λαχεῖν ab ipso poëta scriptum olim fuisse. Legitur ὕπνου τυγχάνειν apud Theophrastum in Charact. cap. 18. καὶ οὕτω μόλις ὕπνου τυγχάνειν, et in suavissimo fragmento incerti Comici, quem equidem Menandrum esse suspicor, apud Plutarchum *de Audiendis Poëtis* p. 18 B.

τάλαντον ἡ προίξ. μὴ λάβω; ζῆν δ' ἔςι μοι
τάλαντον ὑπεριδόντι; τεύξομαι δ' ὕπνου
προέμενος; οὐ δώσω δὲ κἀν ᾅδου δίκην
ὡς ἠσεβηκὼς εἰς τάλαντον ἀργύρου;

Qui postea in scribendo Atticum dicendi genus referre satagebant eodem modo quo antiquiores ὕπνου λαγχάνειν usurpabant, ut Lucianus in Cynico cap. 9. ὕπνου λαχεῖν οὐ δυναμένους. Itaque facilis parata est medicina Charitoni pag. 431, 46. in Hirschigii Eroticis, ubi editur: ἐπεὶ δὲ προέκοπτε τὰ τῆς νυκτὸς ὕπνου μὲν οὐκ ἐλάμβανε κτέ. namque legendum esse patet ὕπνου μὲν οὐκ ἐλάγχανε, quod eadem indocta levitate mutatum est in ἐλάμβανε, qua ὕπνου λαβεῖν suppositum est verae lectioni ὕπνου λαχεῖν apud Theophrastum. Ὕπνου

τυχεῖν legitur apud Xenophontem Ephesium p. 210, 41. οὐθ' ὕπνου τυχοῦσα καὶ πολλὰ ἐννοοῦσα.

In § 14. μήτε κατακτείνειν ἅπαντας μήτε δεσμεύειν, iam antea monuimus compositum κατακτείνειν Epicorum et Tragicorum esse, et Xenophontem aut ἀποκτείνειν aut κατακαίνειν usurpare. Δεσμεύειν quoque non credo esse Xenophonteae aetatis vocabulum. Graeculi pro Veterum δεῖν et δεσμεῖν et δεσμεύειν solebant dicere. Moeris Δέω (δῶ) — δεσμῶ, et Δοῦσιν — δεσμεύουσιν, et similia apud caeteros Grammaticos multa sunt. Vidimus in Anabasi διδέασι veterem et probam lectionem a plerisque in δεσμεύουσι fuisse corruptam. Idem frequenter in δεῖν, δῶν cet. usu venisse suspicor, quam suspicionem nunc indicare satis habeo: dabitur alias de ea re uberius dicendi locus.

In § 16. emendandum esse λυπεῖ δὲ ἀπαλλασσόμενα pro ἀπαλλασσομένους supra ostendimus.

In cap. VII. 3. οἷς δ' ἂν ἐμφυῇ τιμῆς τε καὶ ἐπαίνου ἔρως, scribendum est ἐμφύῃ. Nempe φῦναι et δῦναι habent coniunctivum φύω et δύω et optativum φύοιμι et δύοιμι, sed Graeculi φυῶ, φυῇς et φυῇ dare solent quia ipsi pro φῦναι et φύς utuntur formis vitiosissimis φυῆναι et φυείς fictis ad analogiam antiquae formae ῥυῆναι et ῥυείς. Saepe apud alios, saepissime apud Platonem occurrunt formae φυῇ et φυῶσι, quamobrem Stallbaumio ad Phaedrum p. 251 C. »*piaculum*" videtur »*contra Codicum auctoritatem ubique φύωσι corrigere.*" Etiam me tacente satis intelligitur quae sit ista auctoritas. Non religiosi sed superstitiosi hominis est eiusmodi *piaculum* reformidare. Mihi contra non *piaculum* sed aliud quid esse videtur φυῶσι repetere a φυῆναι Graeculorum, quod quomodo Plato facere potuerit vereor ut umquam intelligam. Equidem φύωσιν et δύωσιν composuerim cum δεικνύωσιν et ὀμνύωσιν et ζευγνύωσιν et similibus, et φυῇ tam vitiosum mihi videtur atque ὀμνυῇ pro ὀμνύῃ. Reponendum igitur censeo φύῃ in Euripidis fragmento apud Stobaeum Floril. LXXVII. 11.

ὃς γὰρ ἂν χρηςὸς φύῃ
οὐ τοὔνομ' αὐτοῦ τὴν φύσιν διαφθερεῖ,

ubi in omnibus libris est φυῇ. Elapsa est sine ullo vitio forma genuina apud Demosthenem in Timocratea p. 748, 15: οὐδὲ

σπέρμα δεῖ καταβάλλειν τοιούτων πραγμάτων οὐδ' εἰ μήπω ἂν ἐκφύοι.

Notabilis est verae scripturae corruptela ἐπ' αὐτοφώρῳ deprensa in § 2. τοιαῦτα γὰρ δὴ ποιοῦσι τοῖς τυράννοις οἱ ἀρχόμενοι καὶ ἄλλον ὅντινα ἀεὶ τιμῶντες τυγχάνουσιν, ubi Heindorfius τοὺς τυράννους revocavit. Saepenumero animadvertes, si hoc agis, in talibus *accusativum* personae a scribis antiqui usus ignaris in *dativum* depravari. Praeterea requiro ὅντιν' ἂν ἀεὶ τιμῶντες τυγχάνωσιν.

In § 6. αἱ ὑπουργίαι παρὰ τῶν φοβουμένων recte Dindorf. αἱ inseruit αἱ παρὰ τῶν, nisi quod παρά exiguam habet a libris auctoritatem, in quibus est ὑπὸ τῶν φοβουμένων, quod cur non retineatur nihil causae esse video; vid. infra ad VIII. 2.

In § 9. καὶ στεφανῶσι κοινῆς ἀρετῆς καὶ εὐεργεσίας ἕνεκα emendandum est κοινῇ, quae est enim, quaeso, κοινὴ ἀρετή? Caeteros autem honores pro se quisque viro optime merenti dicitur habere, coronas aliosque id genus honores *communiter* in eum omnes conferunt. In § 10. animadverte quam late pateat apud Graecos usus formae passivae: si cuius saluti prospiciunt homines, si quem salvum esse cupiunt, dicuntur φροντίζειν μή τι πάθῃ, et is cui solliciti cavent φροντίζεται μή τι πάθῃ. Sic et equus ex quo quis descendit καταβαίνεσθαι dicitur apud Xenophontem de re Equestri XI. 7. ἢν δὲ καὶ ὁ ἵππος ταχύ τε καταβαίνηται καὶ ἀποχαλινῶται. Eiusdemmodi est quod in Oeconomico IV. 2. dixit Xenophon αἱ βαναυσικαὶ καλούμεναι (τέχναι) εἰκότως πάνυ ἀδοξοῦνται πρὸς τῶν πόλεων.

In § 12. male recepta est Dorvillii infelix coniectura δεσμοὺς ἀντιπάσχοι pro ἀντιπαράσχοι, nam πάσχω δεσμόν aut θάνατον aut φυγήν similiaque Graece dici non possunt, quemadmodum supra ostendimus βίαν πάσχω non esse Graecum. Ποιεῖν et πάσχειν in loquendi usu arctissima necessitudine coniuncta sunt: quo sensu ποιεῖν τινά τι dicitur active eodem passive πάσχειν τι ὑπό τινος, ut λέγειν τινά τι habet passivum ἀκούειν τι ὑπό τινος. Quemadmodum igitur dicebant ποιεῖν τινα δεινά et sim. sic πάσχειν δεινὰ ὑπό τινος: in quibus ergo verbo ποιεῖν locus non est in iis πάσχειν quoque usurpari non potest. Βίαν ποιεῖν τινα aut τινι (ut *vim facere* alicui) Graece neque cogitari neque dici potest, sed βίαιόν τι ποιεῖν τινα et

βίαια ποιεῖν. Itaque *βίαιόν τι πάσχω* et *βίαια πάσχω* Graece dicitur. Absurdum est *δεσμόν, θάνατον, φυγὴν ποιεῖν τινά*, itaque absurdum est *δεσμὸν πάσχειν* cet. Caeterum vulgata sanissima est *πῶς γὰρ ἄν τις τύραννος — δεσμοὺς ἀντιπαράσχοι ὅσους δὴ ἐδέσμευσεν*, sed docti homines *δεσμοί* et *δεσμά* negligentius confuderunt. *Δεσμά* sunt *vincula*, quibus quis constringitur, sed *δεσμός* est *in carcerem coniectio et captivitas in vinculis.* Sic Athenis *δεσμὸν καταγιγνώσκειν* dicuntur iudices, quorum sententiis aliquis in custodiam publicam coniicitur, et *δεσμός* significat fere *τὸ δεδέσθαι*, ut *θάνατος* est *τὸ τεθνάναι.* Itaque ut de pluribus *θάνατοι* dici solet, sic *δεσμοί* a Xenophonte est positum de pluribus, qui in carcerem a tyranno olim coniecti fuissent. Qui fieri potest, inquit Hiero, ut tyrannus opes quas eripuerit omnes restituat, et tamdiu in carcere degat ipse, quamdiu alios in vinculis tenuerit, et mortem toties oppetat, quot cives capitali supplicio affecerit? Hoc ipsum *tamdiu in carcere esse quamdiu alium in vinculis tenueris* optime Graece dici *δεσμὸν ἀντιπαρέχειν τινί* et de pluribus *δεσμοὺς ἀντιπαρέχειν ὅσους τις αὐτὸς ἔδησεν* intelligunt omnes, qui Graece sciunt. Ex his satis intelligitur quam futilis et inanis sit Moeridis annotatiuncula: *Δεσμὰ οὐδετέρως Ἀττικῶς. δεσμοὶ ἀρσενικῶς Ἑλληνικῶς.* Utraque forma et caeteri Graeci omnes et Attici utuntur, sed non promiscue, ut inter se permutari possint, veluti in Platonis Rep. II. p. 378 D. *Ἥρας δὲ δεσμοὺς ὑπὸ υἱέος καὶ Ἡφαίστου ῥίψεις ὑπὸ πατρός*, id est *τὸ δεδέσθαι Ἥραν ὑπὸ υἱέος καὶ ὑπὸ πατρὸς Ἥφαιστον ἐρρῖφθαι*, ita dictum est ut *δεσμά* pro *δεσμούς* suppositum risum moveret. Dorvillius igitur quum scriberet »*vel mediocriter pecunioso non difficile tot* catenas *restituere*" *δεσμούς* et *δεσμά* confundens sententiam loci non est assecutus, et sic locum non intellectum infelici correctiuncula corrupit, quam tamen omnes adhuc frustra probarunt et receperunt in textum.

Δεσμά scribarum socordia irrepsit in fragmentum incerti Tragici, quem facile quivis Euripidem esse suspicabitur, apud Clementem Alexandr. Strom. IV. p. 587. Pott., ubi sic scribitur: *Ἃ δ' ἐκπυθέσθαι τῆς ἐμῆς χρῄζεις φρενός,*

οὔτ' ἂν καταίθων οὔτε κρατὸς ἐξ ἄκρου
δεινοὺς καθιεὶς πρίονας εἰς ἄκρους πόδας

πύθοι' ἄν, οὐδ' εἰ δεσμὰ πάντα προσβάλοις.

Sed erant haec sic constituenda:

ἃ δ' ἐκπυθέσθαι τῆς ἐμῆς χρήζεις φρενός
οὔτ' ἂν καταίθων οὔτε κρατὸς ἐξ ἄκρου
δεινὸν καθιεὶς πρίον' εἰς ἄκρους πόδας
πύθοι' ἄν, οὐδ' εἰ δεινὰ πάντα προσβάλοις.

scribendum esse δεινὸν πρίονα, non δεινοὺς πρίονας, et res ipsa docet et metrum. Πρίων enim priorem producit et *serra* non *serris* miseri a carnifice dissecabantur. Δεσμὰ προσβάλλειν nemo defendet, minus etiam δεσμὰ πάντα, quod ineptissimum est: scrupulum omnem eximet δεινὰ προσβάλοις, quod tam perspicuum est quam usitatum.

In Xenophontis verbis correxerim ὅσους δὴ ἔδησεν ἢ ὅσους κατέκανε pro ἐδέσμευσεν et κατέκτανε, de quo genere mendi supra quaedam annotavimus.

In cap. VIII. 2. in verbis ἐπαινεσάντων ἀμφοτέρων τὸν αὐτόν admonuimus supra latere Atticam imperativi formam et ἐπαινεσάντων ἀμφότεροι genuinum esse rescribendumque in vicinia θεραπευσάντων pro θεραπευσάτωσαν et δόντων pro δότωσαν. Saepe ostendimus quam temere in talibus scribae veteres scripturas movere et refingere soleant. Ἐπαινεσάντων ἀμφότεροι quid sit mirantur. Sine mora ἀμφοτέρων *corrigunt* scilicet. Praeterea scribendum αἱ ὑπὸ τῶν δυνατωτάτων θεραπεῖαι pro ἀπό. Confer quae diximus ad I. 28. et VII. 6. Apud Eunapium in V. S. p. 2. editur: οὔτε τὰ ἀπὸ τῶν πρότερον γραφόντων λήσεται τοὺς ἐντυγχάνοντας, bellissime dictum est οἱ πρότερον γράφοντες et praesentis usus γράφοντες plane mirificus est. Tu repone ὑπό pro ἀπό et emicabit vera lectio: τὰ ὑπὸ τῶν πρότερον γραφέντα. Vides duplex mendi genus, de quo dicebamus, in uno loco coniunctum. Praeterea apud Xenophontem corrigendum esse suspicor καὶ χάριν ἐμποιοῦσι μεγίστην pro χαράν, quamquam χαρὰν ἐμποιεῖν pro εὐφραίνειν optime dici potuit, sed χάρις rei multo convenientior esse videtur. In § 10. verba οὐ γὰρ τυράννοις ἰσοτίμους ulcus insanabile alunt.

In cap. IX. 3. ἐγὼ οὖν φημὶ ἀνδρὶ ἄρχοντι τὸ μὲν τὸν ἀνάγκης δεόμενον ἄλλοις προστακτέον εἶναι κολάζειν, onerat locum duplex interpolatio, altera vetus, altera H. Stephani. Atque is quidem τόν perperam de suo inseruit: τὸ μὲν [τὸν] ἀνάγκης

δεόμενον, idque nunc ab omnibus probatum video et receptum. Sed quis, quaeso, homo est qui ἀνάγκης δεῖσθαι recte dici possit? Quid multa? redde Stephano suum τόν et veteri cuidam correctori suum κολάζειν et omnia habebunt optime: τὸ ἀνάγκης δεόμενον ἄλλοις προςακτέον id est πάντα ἐν οἷς βίαν δεῖ προσφέρειν καὶ ἀνάγκην προςιθέναι: verbum κολάζειν in ora libri olim adscriptum fuisse suspicor pro interpretamento. In § 5. μόρας ut solet in μοίρας a scribis depravatum est vocabulo Laconico ad reliquorum usum reficto. In § 6. οὐκοῦν εἴ τις καὶ τούτοις ὥσπερ τοῖς χοροῖς ἆθλα προτιθείη pro τοῖς χοροῖς video ἐπὶ χοροῖς alicunde afferri, in quo perelegantem scripturam latere arbitror τούτοις ὥσπερ εἰ χοροῖς ἆθλα προτιθείη. In § 8. καὶ ἡ σωφροσύνη πολὺ μᾶλλον σὺν τῇ ἀσχολίᾳ συμπαρομαρτοῖ equidem σύν in ἄν mutaverim et scripserim συμπαρομαρτοίη. In § 11. εἰ δὲ φοβῇ, ὦ Ἱέρων, μὴ ἐν πολλοῖς ἄθλων προτεθειμένων πολλαὶ δαπάναι γίγνωνται, primum φοβεῖ repone, nam nunc quidem satis constat hanc solam formam Veteribus usitatam fuisse: φοβῇ coniunctivus est, et εἰ δὲ φοβῇ soloecum. Tum scribe ἐπὶ πολλοῖς et pro forma vitiosissima προτεθειμένων restitue προτιθεμένων. Verbum τίθημι compositaque omnia non habent aliam formam perfecti passivi quam κεῖμαι, et qua constantia ab omnibus οἱ νόμοι dicuntur κεῖσθαι (numquam τεθεῖσθαι), eadem videbis Veteres constanter omnes etiam in compositis omnibus forma κεῖσθαι pro τεθεῖσθαι utentes. Itaque ἆθλα bene Graece προκεῖσθαι dicenda sunt et frequentissimo usu passim dicuntur apud omnes. Eodem modo τὰ ἀναθήματα dicuntur ἀνακεῖσθαι, corona capiti περικεῖσθαι, puer expositus ἐκκεῖσθαι, quod compositum est συγκεῖσθαι et eadem ratione in caeteris. Haec ipsa causa est cur κεῖσθαι ὑπό τινος dicatur. *Leges a regibus latas* commemorans Isocrates πρὸς Δημόνικον § 36. scribit τοῖς νόμοις τοῖς ὑπὸ τῶν βασιλέων κειμένοις. Idem in Panegyrico dixit § 168. ἐπὶ μὲν ταῖς συμφοραῖς ταῖς ὑπὸ τῶν ποιητῶν συγκειμέναις δακρύειν ἀξιοῦσιν, alia exempla in priore parte indicavimus. Itaque Xenophon si perfecto uti voluisset ἄθλων προκειμένων dedisset, sed loci ratio praesens tempus postulat. Denique ex fuga retrahendus articulus est et sic scribendum πολλαὶ (αἱ) δαπάναι γίγνωνται.

In §. 7. plane assentior iis, qui πῶς censuerunt inserendum et sic scribendum: (πῶς) οὐκ ἀνάγκη — εἰρήνης μάλιστα ἐπιθυμεῖν; ut § 8. πῶς οὐκ ἀνάγκη δαπανᾶν; et passim alibi.

In cap. XI. 4. εἰ τὰ σὰ ἰδίᾳ μόνον ἐνεργὰ ἔχοις, verum vidit Stephanus τὰ σὰ ἴδια reponi iubens, sed nemo obtemperat. Recte componuntur X. 5. τοῖς σοῖς ἰδίοις. Contra XI. 12. πρὸ τῶν σῶν [ἰδίων] ὥσπερ τῶν ἰδίων μαχομένους vel auris admonet optime a viris doctis ἰδίων esse resectum. Quoniam I adscriptum etiam in antiquissimis libris et sexcenties omittitur et subinde temere additur ἴδια et ἰδίᾳ passim confunduntur, et nostri ubique arbitrii est utra scriptura vera sit constituere. Dabo exempla quaedam: apud Demosth. Orat. 47, 44. opponuntur inter se ὃς ἂν ἔχων σκεύη μὴ ἀποδιδῷ τῇ πόλει et ὃς ἂν ἰδίᾳ κτησάμενος μὴ πωλῇ, luce clarius est ἴδια esse emendandum: ineptum est enim ἰδίᾳ κεκτῆσθαι quasi quisquam quid δημοσίᾳ κεκτῆσθαι posset, et quemadmodum *reddere* iubetur ὁ τῆς πόλεως σκεύη ἔχων, sic *vendere* ὁ ἴδια κτησάμενος. In eadem oratione § 23. vitiose scribitur: οὐδεπώποτε ἔλαβον σκεύη ἐκ τοῦ νεωρίου ἀλλ' αὐτὸς ἰδίᾳ παρεσκεύαζον, ubi non diu dubitabis ἴδια corrigere si comparaveris Orat. L. 7. σκεύεσιν ἰδίοις τὴν ναῦν ἅπασαν κατεσκεύασα καὶ τῶν δημοσίων ἔλαβον οὐδέν, et § 26. καὶ περὶ τῶν σκευῶν ἔφραζεν αὐτῷ ὅτι ἴδια ἔχοιμι καὶ δημόσιον οὐδέν. Cf. et § 27 et 34. Sic et apud Dinarchum I. 89. οὕτως οὖν, ὦ ἄριστε, εἰπέ μοι, φυλάξομεν ἐὰν σὺ μὲν εἴκοσι τάλαντα λαβὼν ἔχῃς ἴδια, ἕτερος δὲ πεντεκαίδεκα; ubi et ἰδίᾳ restituendum est et ab initio emendandum: Πῶς οὖν — φυλάξομεν; Utile erit simul paucis ostendere quam saepe διὰ et ἰδίᾳ permisceantur, ut apud Diodorum Sic. XV. 78. ubi in libris omnibus est διακοσίαις ναυσὶ διαπληροῦντας, sed certissima emendatione rescribendum διακοσίας ναῦς ἰδίᾳ πληροῦντας, quod occupavit emendare Dindorfius. Apud Demosthenem p. 1152, 7. libri exhibent: καὶ κρύβδην ἰδίᾳ ψηφισαμένων τῶν δικαστῶν, Reiskius optime κρύβδην διαψηφισαμένων restituit. Simili modo p. 855, 13. titubatur in Cod. S. qui servat πολλὰ διεκέρδανας pro πολλὰ ἰδίᾳ κερδάνας, et p. 1035, 9. ubi pro λάθρα καὶ ἰδίᾳ κρυψάμενοι τούτους Cod. S. exhibet καὶ διακρυψάμενοι, perperam, ut vides. Quis

nunc dubitabit apud Isocratem de Pace § 46. *τοὺς συμμάχους τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν ἰδίᾳ λυμαινόμεθα*, emendare *αὐτῶν διαλυμαινόμεθα?* Nemo certe eorum, qui quam ineptum sit in ea re *ἰδίᾳ* sentiant et meminerint in talibus compositum *διαλυμαίνομαι* poni solere. Contra *ἰδίᾳ* reddendum est Diodoro Sic. XV. 8. ubi legitur: *πρὸς Λακεδαιμονίους συντίθεται συμμαχίαν ἰδίαν*, sed *ἰδίᾳ* legendum esse patet. Eodem modo *δημοσίᾳ* Diodoro est restituendum XIV. 116. *ἔδωκαν ἐξουσίαν τῷ βουλομένῳ οἰκοδομεῖν καὶ δημοσίας κεραμῖδας ἐχορήγουν*, quae tegulae quum *publice* datae, non *publicae*, fuerint, corrige sodes *δημοσίᾳ κεραμῖδας ἐχορήγουν*. Addam Diodori locum ubi *ἰδίᾳ* a sciolo male additum esse videtur. Editur XX. 21. *ἐν ἀπορρήτοις [ἰδίᾳ] πρὸς Ἀντίγονον συντεθεῖσθαι φιλίαν*, vides interpretamentum adhaesisse verbis *ἐν ἀπορρήτοις*. Nunc ad Hieronem redeo.

Recipienda omnino est in Hierone XI. 5. lectio: *ποτέρως ἂν δοκεῖς μᾶλλον κοσμεῖν* pro *μάλιϛα κοσμεῖν*, et post pauca ubi editur: *εἰ ἐκ τῆς πόλεως πλεῖϛοι μὲν ἱπποτρόφοι εἶεν, πλεῖϛοι δ' ἀγωνίζοιντο*, primum *σῆς* a nonnullis oblatum recipiendum est *ἐκ τῆς σῆς πόλεως*, deinde vereor ne *ἱπποτρόφοι εἶεν* non sit sana lectio, sed *ἱπποτροφοῖεν* requiro. Dicuntur enim *ἱπποτροφεῖν* qui curules equos alebant ditissimi cives, non *ἱπποτρόφοι εἶναι*, et *καθιπποτροφεῖν τὴν οὐσίαν*, qui insano equorum studio rem familiarem dilapidabant, ut apud Isaeum in Orat. V. 43. *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ καθιπποτρόφηκας, οὐ γὰρ πώποτε ἐκτήσω ἵππον πλείονος ἄξιον ἢ τριῶν μνῶν.*

In § 7. *ἐὰν σὺ εὐδαιμονεϛάτην τὴν πόλιν, ἧς προϛατεύεις, παρέχῃς, εὖ ἴσθι νικῶν τῷ καλλίϛῳ καὶ μεγαλοπρεπεϛάτῳ ἐν ἀνθρώποις ἀγωνίσματι*, recte suppleverunt viri docti *μεγαλοπρεπεϛάτῳ (τῶν) ἐν ἀνθρώποις*, sed minus feliciter Codicum omnium scripturam *εὖ ἔσῃ νικῶν* in *εὖ ἴσθι νικῶν* refinxerunt. Requiritur enim in apodosi futurum et *ἔσει* sanum est, ΕΥ videtur ex lacuna superesse pro *εὐδαίμων ἔσει*, *εὐκλεέϛατος ἔσει* aut simile quid. Dittographia perfacilis ad animadvertendum irrepsit in § 9. *οὐχ ὑπὸ ἰδιωτῶν μόνον ἀλλὰ καὶ ὑπὸ [πολλῶν] πόλεων ἀγαπῷο ἄν.* Insulse abundans *πολλῶν*, quod sententiae officit et verborum concinnitatem vitiat, unde ortum sit nullo negotio apparet. In § 12. male addita copula locum commaculat.

Editur εἰ δέ τις κίνδυνος εἴη οὐ συμμάχους μόνον ἀλλὰ καὶ προμάχους [καὶ] προθύμους ὁρῴης ἄν, quis est qui voculae patrocinium in fraude tam aperta velit suscipere? Non est aliud vocabulum quod tam saepe temere contra sententiam in Veterum locos irrepat atque καί. Exemplis antea indicatis unum, quia luculentum luculenti scriptoris est, adiiciam. Lycurgus Leocrateam his verbis concludit: παράδειγμα ποιήσατε Λεωκράτη ἀναμνησθέντες τῶν κατηγουρουμένων (lege κατηγορημένων) [καὶ] ὅτι οὐ πλέον ἰσχύει παρ' ὑμῖν ἔλεος οὐδὲ δάκρυα τῆς ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τοῦ δήμου σωτηρίας, ubi si καί retinebis ineptiet Lycurgus: quid in vitiosa lectione σωτηρίας, quae in libris σρίας scribi solet, lateat excogitare non potui. Nolo tamen premere suspicionem, quae mihi aliquando subnata est, an forte Lycurgus dixerit τῆς ὑπὲρ τῶν νόμων καὶ τοῦ δήμου παρρησίας, quemadmodum apud Dinarchum κατ' Ἀριςογείτονος § 1. Sycophanta dicitur τὴν ὑπὲρ τῶν δικαίων παρρησίαν ἀποδόμενος εἴκοσι μνῶν.

In § 15. Dindorfio assentior οὐ μὴ — δυνήσονται pro δύνωνται restituenti. In extrema § suppleverim εὖ ἴσθ' ὅτι pro εὖ ἴσθι. Rectissime porro κεκτήσει viri docti pro κεκτῆσθαι substituerunt, sed in novissimo vocabulo εὐδαιμονῶν γὰρ οὐ φθονηθήσῃ non sine aliquo librorum auxilio ipsa Xenophontis manus poterat revocari, quae est φθονήσει. In hoc quoque verbo ut in τιμήσομαι, ζημιώσομαι, ὠφελήσομαι et paucis quibusdam aliis Veteres ipsi breviore forma utuntur, scribae longiorem τιμηθήσομαι, ζημιωθήσομαι, ὠφεληθήσομαι supponere solent. Idoneum exemplum e Demosthene unum sufficiat sumtum ex Orat. XLVII. 70. χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι κἂν μὲν ἀποφύγῃ σ' ἐπιωρκηκέναι, ἐὰν δὲ ἕλῃς φθονήσει, *invidia flagrabis.*

Est in Hierone locus, quo quis percommode uti possit ad eximendum vetus vitium e Lysia, apud quem sine sensu editur in Orat. IV. 15. οὐ γὰρ ἀργύριον λαβεῖν προθυμοῦνται ἀλλ' ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν αὐτὸν ποιοῦνται. Olim suspicatus sum restituendum esse ἐκ τῆς πατρίδος ἐκβαλεῖν μ' ἔργον ποιοῦνται. Idem Scheibio in mentem venisse video, qui commode Isocratis locum attulit in Orat. XVI. 40. ὁμοίως ἔργον ἐποιήσαντ' ἐκεῖνον ἀποκτεῖναι καὶ τὴν ὑμετέραν καταλῦσαι

δύναμιν, et Platonis in Phaedro p. 252 A. ubi plura Interpretes congesserunt, in his et locum ipsum ex Hierone, quem volebam, IX. 10. *πολλοὺς ἂν καὶ τοῦτο ἐξορμήσειεν ἔργον ποιεῖσθαι τὸ σκοπεῖν τι ἀγαθόν.* Quum apud Lysiam perspicuum sit aliquid requiri quod *προθυμεῖσθαι*, *σπουδάζειν* aut simile quid significet, aptissimum est et optime Atticum *ἔργον ποιοῦνται.* Praeterea *μ'* addendum esse apparet.

Venio nunc ad Xenophontis libellum, quo non est alius ab eo nitidius venustiusque scriptus et magis expolitus et limatus, *τὸν οἰκονομικόν*, ex quo menda quaedam et vitia, si potero, eluam, quibus aut sententia dictorum impedita est aut Atticum dicendi genus sequiorum socordia maculatum.

Offendo in cap. I. § 4. *νὴ Δία καὶ πολύν γε μισθὸν φέροιτ' ἄν*, ubi *φέροι ἄν* corrigendum. Usus verbi *φέρειν* et *φέρεσθαι* in nulla Attica locutione promiscuus est certisque finibus et lege certa utriusque formae usus circumscribitur. Qui stipendium aut mercedem accipit sive publice sive privatim dicitur constanter ab omnibus *μισθὸν φέρειν*, non *φέρεσθαι.* Exempla passim sunt obvia, nam omnium usu trita locutio est. Antiquius exemplum est apud Theognidem vs. 434.

πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον.

et saepe apud Comicos, saepe apud Historicos et Oratores *μισθὸν φέρειν* recurrit, nusquam *μισθὸν φέρεσθαι.* Ubi pretium definitur Graeci scriptores *μισθόν* suo arbitratu aut addunt aut omittunt: *ἑπτ' ὀβολοὺς μισθὸν φέρων*, *μισθὸν φέροντες δύο δραχμὰς τῆς ἡμέρας*, *τέτταρας τῆς ἡμέρας ὀβολοὺς φέρων*, *τριώβολον φέρων*, et in Anabasi *ἡμιόλιον οὗ πρότερον ἔφερον*, et *δαρεικὸν ἕκαστος οἴσετε τοῦ μηνός*, in quibus omnibus *φέρειν* respondet Latino *merere*: *φέρεσθαι μισθόν* si Graece diceretur, de eo diceretur qui acceptam mercedem *secum auferret*, quemadmodum quis *τὰ πρῶτα φέρεσθαι*, *τὰ δεύτερα φέρεσθαι* et sim. dicitur. Apud Herodotum IX. 78. olim edebatur *Λάμπων ὁ Πύθεω Αἰγινητέων τὰ πρῶτα φέρων*, ubi *φέρων* contra librorum omnium fidem interpolatum et male Graecum esse pro *φερόμενος* Wesselingius et Valckenaerius demonstraverunt, sed fugit illos aliud loci vitium; nempe participium excidit et sic legendum est *Αἰγινητέων* (*ἐὼν*) *τὰ πρῶτα.* Notum est quo sensu quis dicatur *εἶναι τὰ πρῶτα.* Simillimus Herodoti locus est

VI. 100. Αἰσχίνης ὁ Νόθωνος ἐὼν τῶν Ἐρετριέων τὰ πρῶτα. Φέρειν et Φέρεσθαι confusa sunt et apud Demosthenem de Falsa Legatione p. 371, 18. Κτησιφῶν καὶ Ἀριστόδημος τὴν ἀρχὴν τὴν πρώτην ἔφερον τοῦ Φενακισμοῦ, ubi τὴν ἀρχήν optimus S. omittit et pro varia lectione in margine γρ. τὴν ἀρχὴν apponit. Suspicor insiticia haec verba esse et τὰ πρῶτα ἐφέροντο τοῦ Φενακισμοῦ emendari oportere. In Euripidis fragmento apud Aristotelem Ethic. Eudem. VIII. 11:

λόγον δίκαιον μισθὸν ἂν λόγου φέροις
ἔργων δ' ἐκεῖνος ἔργ', ἃ καὶ παρέσχετο,

emendandum arbitror:

λόγων δίκαιον μισθὸν ἂν λόγους φέροις.

Μισθὸν φέρειν rectissime apud Xenophontem legitur in vicinia I. 6. γελοῖον μέντἂν εἴη — εἰ καὶ μισθὸν τούτου φέροι, ubi quam infeliciter nonnulli φέροιτο reposuerint ex § 4. et sic pro uno vitio duo invexerint sentient omnes qui φέρεσθαι μισθόν eo sensu dici non posse intelligunt et numquam dictum esse assidua veterum lectione firmiter sibi persuaserunt. Post ea verba μισθὸν τούτου φέροι exciderunt verba quaedam, quibus respondebat * * * ὅτι τοι ἡμῖν ἐδόκει οἶκος κτέ. In § 8. κἄν τις ἵππον πριάμενος — καταπίπτων ἀπ' αὐτοῦ κακὰ λαμβάνῃ corrigendum est κακὸν λαμβάνῃ. Dicitur enim Graece διδόναι κακόν, λαμβάνειν et προσλαμβάνειν κακόν, ἔχειν κακόν, διδόναι μέγα κακόν, μεῖζόν τι κακὸν λαμβάνειν et sim. ut Latine *dabo malum*, *malo mactari*, *mactari infortunio*, *mala re magna mactari* et sim. Κακὸν λαμβάνειν dicitur qui vapulat, qui vulnus accipit, qui in morbum implicatur. Plena sunt exemplorum omnia: vel in Comicorum fragmentis magna est copia, quam in *Comicae Dictionis Indice*, utilissimo libro, explicuit H. Iacobi. Alexis Athen. p. 558 E.

οὐδὲ ἓν κακὸν
ἔχουσι καὶ κάμνειν λέγουσ' ἑκάστοτε.

Antiphanes Athen. p. 123 B.

ἐν χύτρᾳ δέ μοι
ὅπως ὕδωρ ἕψοντα μηδέν' ὄψομαι.
οὐ γὰρ κακὸν ἔχω μηδ' ἔχοιμι,

quae satis perspicua sunt. Si quis ex equo delapsus confregit aliquid κακὸν λαμβάνει, non κακά, ut opinor.

In § 11. καὶ ὁμολογουμένως γε ὁ λόγος ἡμῖν χωρεῖ et vitium manifestum est et emendatio certa. Nempe corrigendum est καὶ δι' ὁμολογουμένων γε, quod et recte et eleganter dictum est. Non est melior fideiussor quam ipse Xenophon in Memorab. IV. vi. 15. διὰ τῶν μάλιςα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο et in Oeconomico XIX. 15. ἄγων με δι' ὧν ἐπίςαμαι ὅμοια τούτοις ἐπιδεικνὺς ἃ οὐκ ἐνόμιζον ἐπίςασθαι, ἀναπείθεις οἶμαι ὡς ταῦτα ἐπίςαμαι. Ὁμολογουμένως hoc loco nihil significare palam est, et satis constat saepius ὁμολογούμενος et ὁμολογουμένως inter se confundi, cuius rei et ipsi supra exempla quaedam attulimus. Qui factum sit ut δι' exciderit vides: nempe praecedens ΚΑΙ duas litterulas sequentes ΔΙ, ut toties alibi, absorbsit.

Plane sensu cassum est quod legitur in § 12. εἰ δὲ πωλοίη αὖ πρὸς τοῦτον ὃς μὴ ἐπίςαιτο χρῆσθαι οὐδὲ πωλούμενοί εἰσι χρήματα κατά γε τὸν σὸν λόγον, nam si quis quid emerit quo nesciat uti quid ea res ad venditorem, quaeso, attinet? Et quomodo tandem ex his colligere potuit Critobulus quod respondet: λέγειν ἔοικας, ὦ Σώκρατες, ὅτι οὐδὲ τὸ ἀργύριόν ἐςι χρήματα εἰ μή τις ἐπίςαιτο χρῆσθαι αὐτῷ? Sed lenissima medicina manus Xenophontis restitui poterit et omnia sana erunt et optime procedet disputatio. Nempe emendandum est: εἰ δὲ πωλοίη αὖ πρὸς τοῦτο, ᾧ μὴ ἐπίςαιτο χρῆσθαι, id est εἰ πωλῶν ἀντιλαμβάνοι τοῦτο, ᾧ χρῆσθαι μὴ ἐπίςαιτο. Hoc enim sensu dicitur Graece πωλεῖν, ὠνεῖσθαι, ἀγοράζειν πρός τι. Non novi melius exemplum quam Menandri versiculum apud Zenobium II. 12.

Θρᾷξ εὐγενὴς εἶ πρὸς ἅλας ἠγορασμένος,

ubi Zenobius ita scribit: εἰς τὴν μεσόγειον ἀναβάντες οἱ ἔμποροι ἐκόμιζον ἅλας, ἀνθ' ὧν τοὺς οἰκέτας ἐλάμβανον, eodemque sensu dicebant πωλεῖν πρὸς χρυσίον, πρὸς ἀργύριον et sim. Quanta luce locus Xenophontis sic restitutus splendeat nil opus est verbis demonstrare.

In § 13. participium intercidit. Dixerat Critobulus: λέγειν ἔοικας, ὦ Σώκρατες, ὅτι οὐδὲ τὸ ἀργύριόν ἐςι χρήματα, cui Socrates: καὶ σὺ δέ μοι δοκεῖς οὕτω συνομολογεῖν, ἀφ' ὧν τις ὠφελεῖσθαι δύναται χρήματα εἶναι. Οὕτω refertur ad praecedentia ὅτι οὐδὲ τὸ ἀργύριόν ἐςι χρήματα et manifestum mendum sic tollendum est

ut suppleatur: *συνομολογεῖν, (λέγων) ἀφ' ὧν τις κτέ.* Satis erit composuisse locum ex cap. XVII. 11. *καὶ σύ γε συνομολογεῖς λέγων ὅτι νομίζεις τοῖς ἀσθενεστέροις πᾶσι μείω προστάττειν πράγματα.* Poterat etiam *οὕτω* abesse et multo adeo melius abesset, sed contra necessarium est illud ipsum addere in sqq. *εἰ γοῦν τις (οὕτω) χρῷτο τῷ ἀργυρίῳ ὥστε πριάμενος οἷον ἑταίραν κτέ.* Male et vitiose abundat pronomen in § 13. *τὸν ὑοσκύαμον, ὑφ' οὗ οἱ φαγόντες [αὐτὸν] παραπλῆγες γίγνονται.* Nemo veterum in talibus pronomen apponit. In § 15. circa finem complura excidisse videntur. In § 16. mirum est vidisse neminem *ὁπόταν ὁρῶμεν — αἰσθανώμεθα δέ* pro *αἰσθανόμεθα* emendari oportere.

In cap. II. § 3. *ἐγὼ μὲν οἶμαι εἰ ἀγαθοῦ ὠνητοῦ ἐπιτύχοιμι εὑρεῖν ἄν μοι σὺν τῇ οἰκίᾳ καὶ τὰ ὄντα πάντα ῥᾳδίως πέντε μνᾶς*, legendum esse arbitror *εὑρεῖν ἄν μοι τὴν οἰκίαν καὶ τὰ ἐνόντα πάντα.* Socrati quod venderet nihil erat praeter aedes (*aediculas* appellat Aristophanes in Nubibus vs. 92. *τῳκίδιον*) et suppellectilem aedium. Primarium erat aedes vendere, aedes sequebatur suppellex, *τὰ ἐν τῇ οἰκίᾳ, τὰ ἔπιπλα.* Simplicissimum igitur est rescribere, ut diximus, *τὴν οἰκίαν καὶ τὰ ἐνόντα πάντα*, ne inepte id quod maximi esset ponderis appendicis loco habeatur. Caeterum locus hic Xenophontis satis demonstrat nihil tribuendum esse iis, quae de Socratis opibus scriptitavit Demetrius Phalereus apud Plutarchum in vita Aristidis cap. I. aut Libanius, cuius locum Schneiderus attulit. Est ista quoque *ἀδέσποτος καὶ πεπλασμένη παράδοσις* et *ἱστορία κατεψευσμένη*, quam Xenophontis disertum testimonium abunde redarguit.

Vehementer mihi de mendo suspecta sunt verba in II. 5. *ἀπεφήνατο ὁ Σωκράτης*, quibus mihi videtur nescio quis veteres libros interpolasse de suo. *Ἀποφαίνομαι τὴν γνώμην* et frequenti ellipsi *ἀποφαίνομαι* est *sententiam dicentis*, ut *censeo* Romanorum, estque plane ab hoc loco alienum: praeterea non sunt haec more Attico composita neque habent colorem Xenophonteum. Nihil desideraremus in hac scriptura: *Πῶς δὴ τοῦτ'; ἔφη ὁ Κριτόβουλος. Ὅτι πρῶτον μὲν ὁρῶ κτέ.* omissis (ut saepe) verbis minime necessariis *ἔφη ὁ Σωκράτης*, quemadmodum et passim alibi omittuntur et § 4. *Κᾆθ' οὕτως ἐγνωκὼς κτέ.* et

§ 11. Οὔκουν μέμνησαι κτἑ. et § 12. Ἀλλ' ἐδόκει ἡμῖν κτἑ. Miratus nescio quis ea verba abesse adscripsit in ora libri ἀπεφήνατο ὁ Σωκράτης, quae postea, uti fit, male in Xenophontis orationem irrepserunt.

Non minus mihi additicia et spuria esse videntur verba μεγάλα τελεῖν in his § 6. τὴν πόλιν αἰσθάνομαι τὰ μὲν ἤδη σοι προστάττουσαν [μεγάλα τελεῖν] ἱπποτροφίας τε καὶ χορηγίας nam expunctis demum his verbis oratio recte procedit et μεγάλα τελεῖν non significat id, quod loci sententia postulat. Peius etiam abundat μισθούς in sqq. ἢν δὲ δὴ πόλεμος γένηται οἶδ' ὅτι καὶ τριηραρχίας [μισθοὺς] καὶ εἰσφορὰς τοσαύτας σοι προστάξουσιν, nam quis non videt μισθούς plane absurdum esse et contra sententiam et loquendi usum esse interpositum?

Quod legitur in II. 11. ἐμὲ δὲ πῶς τινὶ τούτων οἴει ἂν ἐπιςηθῆναι χρῆσθαι compositum cum loco Herodoteo III. 15. εἰ δὲ καὶ ἠπιςήθη μὴ πολυπρηγμονεῖν omnem dubitationem eximet de forma ἠπιςήθη ab ἐπίςαμαι non ab ἀπιςῶ repetenda. Sententia est: εἰ δὲ καὶ τοῦ πολυπραγμονεῖν ἀπέσχετο. Sed plura exempla aoristi ἐπιςηθῆναι et haec ipsa video adscripsisse Dindorfium ad Steph. Thes.

Vitiosa et non ferenda est coniunctionis εἰ repetitio in II. 15. εἰ ἐπὶ πῦρ ἐλθόντος σου καὶ μὴ ὄντος παρ' ἐμοὶ [εἰ] ἄλλοσε ἡγησάμην. Contra intercidit vocula prorsus ad sententiam necessaria in sqq. εἰ δείξαιμί σοι πολὺ δεινοτέρους ἐμοῦ περὶ μουσικὴν καί σοι χάριν εἰδότας εἰ ἐθέλοις παρ' αὐτῶν μανθάνειν, ubi satis apparet supplendum esse καί σοι χάριν (ἂν) εἰδότας κτἑ.

In cap. III. § 3. τοῖς μὲν ὅπου ἔτυχεν ἕκαςα καταβέβληται, τοῖς δὲ ἐν χώρᾳ ἕκαςα τεταγμένα κεῖται, emendandum est τεταγμένῃ, neque enim ἐν χώρᾳ significat id quod locus requirit neque τετάχθαι convenit rei, de qua dicitur. Est cuiusque rei ἡ χώρα τεταγμένη. Satis haec stabiliet vel unus locus ex hoc ipso libro VIII. 22. ἐν χώρᾳ κεῖται τεταγμένῃ.

Non fero in III. 5. ἴσως γὰρ ἀναλίσκουσιν — εἰς ἃ βλάβην φέρει αὐτῷ τε καὶ τῷ οἴκῳ et requiro αὐτοῖς τε καὶ τῷ οἴκῳ.

In § 7. ἐγώ σοι σύνοιδα ἐπὶ μὲν κωμῳδῶν θέαν καὶ πάνυ πρωῒ ἀνιςαμένῳ suspicor propter ὁμοιοτέλευτον rei necessariae mentionem a scribis esse omissam et sic esse supplendum: ἐπὶ μὲν κωμῳδῶν (τε καὶ τραγῳδῶν) θέαν, namque τραγῳδῶν mentionem

in ea re praetermitti non posse. Stabiliet hanc suspicionem locus in vicinia § 9. *θεᾷ γὰρ αὐτοὺς ᾗπερ τοὺς τραγῳδούς τε καὶ κωμῳδούς*, quae et alibi saepe coniuncta videbis. Praeterea quum in libris omnibus legatur *ἀνιστάμενον — βαδίζοντα — ἀναπείθοντα* et *ἐγώ σοι σύνοιδα* (quamobrem Editores eos accusativos in dativos mutaverunt) alienum sit a loci sententia censeo revocatis accusativis *ἐγώ σε οἶδα* esse rescribendum.

Male permutata sunt *ἀπό* et *ὑπό* in III. 8. in verbis *ἀφ' ἱππικῆς — εἰς ἀπορίαν τῶν ἐπιτηδείων ἐληλυθότας*, namque *ὑφ' ἱππικῆς* necessario est rescribendum. Satis constat neque Codicibus in ea re quidquam esse credendum neque *ἀπό* et *ὑπό* promiscue usurpari posse. In superiore § 5. rectissime editur *ἀπολωλέναι ὑπὸ γεωργίας* et *ἀφθόνως πάντα ἔχοντας ἀπὸ τῆς γεωργίας*. Nempe quoniam dicitur *γεωργία αὐτὸν ἀπολώλεκεν* et *ἱππικὴ αὐτὸν εἰς ἀπορίαν κατέστησεν*, consequitur dici passive oportere *ὑπὸ γεωργίας ἀπόλωλεν* et *ὑφ' ἱππικῆς εἰς ἀπορίαν ἐλήλυθεν*, et similiter in similibus omnibus.

In Demosthenis Midiana p. 576, 1. quum olim perperam legeretur *ἀναιδεῖς καὶ ἐξ ὑμῶν πεπλουτηκότας* hodie ex Codice S *καὶ ὑφ' ὑμῶν* legitur, quae scriptura vero proprior sed non vera est. Scribendum est *καὶ ἀφ' ὑμῶν πεπλουτηκότας*, namque et ratio et usus demonstrant *πλουτεῖν ἀπό τινος*, *πλουτεῖν ἀπὸ τοῦ δήμου* similiaque dici. Πλουτεῖ *ὑπὸ τοῦ δήμου* Graece sic dici potest ut significet *ὁ δῆμος αὐτὸν πεπλούτικεν*, sed noto usu *ἀπὸ τοῦ δήμου πλουτεῖν* dicuntur *οἱ τὰ κοινὰ κεκλοφότες*, *depeculatores aerarii*. Comparasse iuvabit Demosthenem in Timocratea § 124: *οἱ ῥήτορες οὐκ ἀγαπῶσιν ἐκ πενήτων πλούσιοι ἀπὸ τῆς πόλεως γιγνόμενοι.*

In iis quae statim apud Xenophontem sequuntur verba *διὰ τὴν ἱππικήν* interpolata sunt. Ad *ὑφ' ἱππικῆς* (quod more Veterum sententiae bimembri *τοὺς μὲν — τοὺς δέ* sic praemittitur ut ad utramque partem aequaliter sit referendum) adscripsit nescio quis *διὰ τὴν ἱππικήν*, idque de more oscitanter receptum est in textum.

Correcto accentu IV. 6. pro *φύλακας ἐν ταῖς ἀκροπόλεσι τρέφει* scribendum est *φυλακάς*. *Φυλακαί* enim appellantur *praesidia* oppidis imposita et in arce collocata, *praesidiarii mi-*

lites non *φύλακες* sed *φρουροί* appellantur. Vid. IV. 6, 9, 11. et passim.

Mendosum est in cap. IV. 6. *τοὺς δὲ πρόσω ἀποικοῦντας πιςοὺς πέμπει ἐπισκοπεῖν*, nullo modo infinitivus *ἐπισκοπεῖν* ferri aut defendi potest. Graecum est *πέμπει οἵτινες ἐπισκέψονται* aut *πέμπει ἐπισκεψομένους*. Ipsa Xenophontis manus mihi haec esse videtur: *πιςοὺς πέμπων ἐπισκοπεῖ*, quemadmodum saepe Veteres et probati scriptores loquuntur. Graeculi mirati hoc dicendi genus correxerunt scilicet *πέμπει ἐπισκοπεῖν*, sic enim ipsi loquebantur. Peridoneum exemplum in vicinia huius loci est in § 8. *ὁπόσην δὲ μὴ αὐτὸς ἐφορᾷ πέμπων πιςοὺς ἐπισκοπεῖται*.

In § 8. triplex emblema me offendit *τούτους μὲν* [*τοὺς ἄρχοντας*], et *οὓς δ' ἂν εὕρῃ* [*τῶν ἀρχόντων*], et *ἢ καταμελοῦντας* [*τῶν φρουράρχων*] *ἢ κατακερδαίνοντας*, et duo priora quidem sententiam onerant tantum et impediunt possuntque a multis probari et defendi, quibus non est satis subacta auris, sed *καταμελοῦντας τῶν φρουράρχων* absurdum est. Ἄρχοντες in hoc loco commune nomen est *τῶν τε φρουράρχων καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ τῶν σατραπῶν*, itaque absurde dicitur *οὓς δ' ἂν εὕρῃ τῶν ἀρχόντων καταμελοῦντας τῶν φρουράρχων*. Praeterea quid est, quaeso, *τὸ τῶν φρουράρχων καταμελεῖν* et quae est tandem illa cura et quorum *τὸ τῶν φρουράρχων ἐπιμελεῖσθαι*? Expunge *τῶν φρουράρχων* et sana erunt omnia et simul perspicua et aperta: *οὓς δ' ἂν εὕρῃ ἢ καταμελοῦντας ἢ κατακερδαίνοντας — παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἐπιμελητὰς καθίςησιν*. Verbum *καταμελεῖν* absolute poni solet pro *indiligentem esse* et *officii negligentem*, ut paene idem sit *καταμελῶ* et *ἀμελής εἰμι*, ut in Anabasi V. VIII. 1. *ἄρχων αἱρεθεὶς κατημέλει*, ubi si *ἠμέλει* legeretur oratio esset imperfecta. Complura verba sunt, quibus praepositio *κατά* sic additur, ut iis notio accedat neglecti officii aut fidei violatae. *Καταχαρίζεσθαι*, ut hoc utar, est *χαρίζεσθαι contra officium et fidem, praeter aequum et bonum, contra rempublicam*, veluti quum iudices *καταχαρίζεσθαι τὰ δίκαια* dicuntur. Eodem modo *κατελεεῖν* dicitur de eo, qui praeter officium ac fidem parcit nocenti, sive reus is est sive in alio quo periculo versatur. Lysias VI. 3. *ἀδύνατον ὑμῖν ἐςιν — ἢ κατελεῆσαι ἢ καταχαρίσασθαι* Ἀνδοκίδῃ.

Itaque iudex qui misericordia motus reum manifestum absolvit *κατελεεῖν* dicitur, idque reponendum est in oratione *κατὰ Νεαίρας* p. 1373, 6. ubi male editur *ἅμα μὲν καὶ ἐλεήσασα αὐτὸν ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλή* pro *ἅμα μὲν κατελεήσασα.*

Κατά eadem notione componitur cum verbis *βλακεύειν*, *ῥᾳθυμεῖν*, *δειλιᾶν*, *δωροδοκεῖν*, *προδιδόναι*, aliis. Hinc demum intelligitur quid sit *κατακερδαίνειν*, nempe *οἱ ἄρχοντες* sic dicuntur *κατακερδαίνειν*, ubi malis artibus rem suam augent spoliatis iis, in quos imperium iis aut potestas a Rege data sit. Rectissime igitur Xenophon dixit: *οὓς ἂν εὕρῃ ἢ καταμελοῦντας ἢ κατακερδαίνοντας*, et neque hoc verbum neque illud genitivum *τῶν φρουράρχων* admittere perspicuum est.

In § 8. *ὁπόσην μὲν τῆς χώρας διελαύνων ἐφορᾷ αὐτὸς καὶ δοκιμάζει* bis scriptum vocabulum scribae semel descripserunt: lege *ἐφορᾷ αὐτὸς* (*αὐτὸς*) *καὶ δοκιμάζει.*

In § 15. *τοὺς πολέμῳ ἀγαθοὺς γεγονότας* corrigendum est ex constanti Graecorum usu (*ἐν*) *πολέμῳ.* Post pauca *λέγοντα* tam inutile est et inconcinnum, ut spurium esse videatur in verbis [*λέγοντα*] *ὅτι οὐδ' ἂν οἱ ἄλκιμοι δύναιντο ζῆν.*

Manifesto interpolatum est *ἔφη* in § 16. *κατασκευάζειν τε γὰρ ἄριστος εἶναι* [*ἔφη*] *χώραν καὶ ἀρήγειν τοῖς κατεσκευασμένοις.* Videbit unusquisque ab *εἰπεῖν* illa pendere.

Quam saepe in talibus scioli turbare soleant et indirectam orationem inutilibus et perineptis fulcris interpolare exquisitissimis exemplis demonstravit Bakius ad Ciceronis Brutum. Iuvat his unum ex Cicerone addere. In prima actione in Verrem XIV. 41. editur: *mihi venit in mentem dicere — me arbitrari fore uti nationes exterae legatos ad populum Romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis iudiciumque tolleretur; si enim iudicia nulla sint tantum unumquemque ablaturum* [putant] *quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitrentur.* Expuncto *putant* scribe *arbitretur.* Dici haec ex sociorum persona et per se satis perspicuum est et plane demonstrant ea quae sequuntur: *se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse.*

In § 17. *Κῦρος ἐπηγάλλετο — ἐπὶ τῷ χώρας ἐνεργοὺς ποιεῖν* editur de coniectura Stephani pro scriptura librorum *ἐπηγγέλλετο*. sed non est Atticum *ἐπαγάλλομαι ἐπί τινι.* Con-

stanter omnes sine praepositione ἀγάλλομαι ἐπί τινι solebant dicere, quamobrem ἠγάλλετο reponendum esse arbitror. Non esse autem abutendum locis Veterum poëtarum in hanc rem et sequiorum Graeculorum vix opus est monere.

In § 18. Κῦρος εἰ ἐβίωσεν ἄριστος ἂν δοκεῖ ἄρχων γενέσθαι vitiosa est forma ἐβίωσεν. Athenienses utebantur formis ἐβίων et βεβίωκα: βιῶναι et βιούς dicebant: sequiores contra formas ἐβίωσα, βιῶσαι et βιώσας usurpabant, ut in λάθε βιώσας. Βιῶσαι pro βιῶναι et βιώσας pro βιούς non magis in Atticorum libris tolerari possunt quam ἀποδρᾶσαι pro ἀποδρᾶναι et ἀποδράσας pro ἀποδράς. Sed non satis est εἰ ἐβίω reponere; requiro εἰ ἐπεβίω, *si vita ei longior obtigisset.*

De formis Atticis βιῶναι, βιούς etc. plurima conquisivit G. Dindorfius ad Steph. Thes. v. Βιόω, sed in his paulo festinantius scribens nonnullos errores commisit et corrupta quaedam pro sanis habuit et ex ineptissimis quibusdam scriptoribus attulit aliquid sordium, quod melius abiecisset. Unum eius errorem redarguam. »*Participium* (aoristi secundi ἐβίων) *est* βιούς, inquit, *cuius casus reliqui* βιόντος, βιόντι, βιόντα *quum non sint usitati ab aoristo primo etiam Veteres Attici interdum auxilium petierunt quamvis ceteris prioris aoristi modis aegre utentes.* Βιώσαντας *e Platonis Phaedone* p. 113 D. *memorat Buttmannus*, ἐβίωσεν *e Xenophontis Oeconomico* IV. 18. *Adde* ἐβίωσαν *ex Isocratis Paneg.* p. 72 B. *de Pace* p. 177 A.” Ἐβίωσαν ad ἐβίων esse referendum, ut ἔγνωσαν et ἑάλωσαν, non fugisset Dindorfium nisi admodum festinanter scripsisset. Sed leve hoc est: diligenter autem notandum βιούς habere βιοῦντος, βιοῦντι, βιοῦντα cet. Mira res est, sed certissima res est. In Platonis Rep. X. p. 615 C. τῶν δὲ εὐθὺς γενομένων καὶ ὀλίγον χρόνον βιούντων πέρι ἄλλα ἔλεγεν, ubi obiter corrige εὐθὺς ἀπογενομένων, *de iis qui statim decesserunt.* Vides autem eos, qui breve tempus *vixerunt* dici τοὺς ὀλίγον χρόνον βιοῦντας, non βιώσαντας. Isaeus in Orat. II. 45. καὶ ἐκεῖνον ἐπέδειξα τρία καὶ εἴκοσιν ἐπιβιοῦντα ἔτη, id est *fuisse superstitem.* Idem in Orat. VI. 49. ἡ δὲ τούτων μήτηρ οὕτως ὁμολογουμένη οὖσα δούλη καὶ ἅπαντα τὸν χρόνον αἰσχρῶς βιοῦσα, ubi aoristus est βιοῦσα, ut vides. In transcursu emenda ὁμολογουμένως οὖσα δούλη. Ex hoc loco optime intelligi

potest apud Aeschinem in Timarchea § 5. ὅταν μὴ καταλύησθε ὑπὸ τῶν παρανομούντων καὶ ἀσελγῶς βιούντων non esse hoc participium positum pro ζώντων sed pro ζησάντων. Quis est talium rerum peritus qui serio credat ἀσελγῶς βιοῖ pro ζῇ Attice dici posse? Hinc facile apparet quam infeliciter Stephanus tentaverit locum Lysiae VI. 31. τοῦτ' ἐστι τὸ τὸν βίον ἀβίωτον, reponens τὸ τὸν βίον (βιοῦν) ἀβίωτον, quod nollem Editores recepissent. Melius recipient τὸ ζῆν βίον ἀβίωτον, nullus enim articulo τόν locus est. Philemon apud Stobaeum Floril. XCVIII. 14.

ἡμεῖς δ' ἀβίωτον ζῶμεν ἄνθρωποι βίον,

cui redde ἄνθρωποι, nam Graecum est ἡμεῖς οἱ ἄνθρωποι, ut opinor. Solent autem promiscue poni βιούς et βεβιωκώς, ut τελευτήσας et τετελευτηκώς. Αἰσχρῶς βεβιωκώς in re simillima dixit Aeschines in Timarchea § 5. Idem in Ctesiphontea § 174. coniunxit δεινὸς λέγειν et κακὸς βιῶναι. In dialogo incerti auctoris περὶ ἀρετῆς inter Platonicos edi solito legitur p. 378 A. τούτων οἶσθα τὸν ἕτερον μέχρι γήρως βιοῦντα, id est *vixisse* usque ad senectutem. Semel video βιοῦντας pro ζῶντας positum apud incertum auctorem Axiochi p. 368 B. μήτε, ὡς ἀπεφήνατο Βίας, ἐν τοῖς τεθνηκόσιν ὄντα μήτε ἐν τοῖς βιοῦσιν, sed Biantis Prienensis hoc verbum est Ionice loquentis. Ecquid nunc mihi credes in Platonis Phaedone p. 113 D. philosophi manum esse οἵ τε καλῶς βιοῦντες καὶ οἱ μή, pro βιώσαντες? Graeculi, quibus βιοῦντες videbatur ζῶντες significare, de suo *aoristum* dederunt, quo utebantur ipsi, et non magis βιώσας pro βιούς potuit Plato ipse scribere quam ἀποδράσας pro ἀποδράς. Sed ad Oeconomicum revertendi iam tempus est.

In IV. 8. necessarium γάρ excidit supplendumque est παρὰ μὲν (γὰρ) Κύρου οὐδεὶς λέγεται αὐτομολῆσαι πρὸς τὸν βασιλέα. Diximus de ea re nonnulla in superioribus.

Sensit in § 19. Heindorfius emblema esse ex Anabasi insertum [πλήν γε Ἀριαίου. Ἀριαῖος δ' ἔτυχεν ἐπὶ τῷ εὐωνύμῳ κέρατι τεταγμένος]. Quis nostrum non subrideret si quem in simili re huiusmodi quid interponentem audiremus?

In § 23. rectissime dictum est ἰδὼν τῶν ἱματίων τὸ κάλλος ἂν εἶχεν sed importune τὸ κάλλος hinc repetitum insinuavit

sese in vicina: *καὶ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενος καὶ τῶν ϛρεπτῶν καὶ τῶν ψελίων [τὸ κάλλος] καὶ τοῦ ἄλλου κόσμου οὗ εἶχεν.*

In § 24. miror quomodo tam diu absurda lectio retineri potuerit *ἀεὶ οὖν γέ τι φιλοτιμούμενος* quum vera scriptura sit ad manum: *ἀεὶ ἕν γέ τι φιλοτιμούμενος.* Nota est plurimis exemplis Attica locutio *εἷς γέ τις, ἕν γέ τι, ἐξ ἑνός γέ του τρόπῳ, ἑνί γέ τῳ τρόπῳ, μιᾷ γέ τῳ τέχνῃ* (Arist. Thesmoph. 430), *ἕνα γέ τινα τρόπον*, et, quod planissime idem est, *ἁμωσγέπως.* Habet nempe *εἷς* adverbium *ἁμῶς*, ut *οὐδεὶς οὐδαμῶς* et *μηδεὶς μηδαμῶς*: habet *τίς* adverbium *πῶς* et *τις* similiter *πως*: itaque quemadmodum pro *οὐδένα τρόπον* dicitur *οὐδαμῶς* et pro *ἐν οὐδενὶ τόπῳ* dicitur *οὐδαμοῦ* et eodem modo *οὐδαμόθεν, οὐδαμῇ* et *οὐδαμόσε*, sic pro *ἕνα γέ τινα τρόπον* dicebant *ἁμωσγέπως* et *ἁμουγέπου* pro *ἐν ἑνί γέ τῳ τόπῳ* et similiter *ἁμοθενγέποθεν* et *ἁμηγέπῃ* et *ἁμοσεγέποι.* In his omnibus grassantur Graeculi vocabula olim obsoleta miris modis refingentes, cuius rei subinde exempla quaedam expromsimus. Addam et nunc compluscula. Excidit *γε* apud Aristophanem in Ranis vs. 911. ubi Ravennas liber exhibet:

πρώτιϛα μὲν γὰρ ἕνα τινα καθισεν ἐγκαλύψας,

unde manum poëtae Dawesius et Porsonus optime restituerunt: *ἕνα γέ τινα καθῖσεν*, quae certa emendatio nescio quomodo ab Editoribus spernitur. Excidit *γε* similiter apud Platonem de Rep. VIII. p. 565 C. *οὐκοῦν ἕνα τινὰ ἀεὶ ὁ δῆμος εἴωθε διαφερόντως προΐϛασθαι ἑαυτοῦ*, ubi *ἕνα γέ τινα ἀεί* emendandum est, sicuti et alibi recte legitur et apud Thucydidem VI. 77. *οἳ δεσπότην ἢ Μῆδον ἢ ἕνα γέ τινα ἀεὶ μεταβάλλοντες δουλοῦνται.* Aristophanis fragmentum est apud Suidam v. *Πρόδικος.*

τοῦτον τὸν ἄνδρ' ἢ βιβλίον διέφθορεν
ἢ Πρόδικος ἢ τῶν ἀδολεσχῶν εἷς γέ τις.

Excidit *τῳ* apud Platonem in Phaedro p. 242 B. *ἑνί γε τρόπῳ προσαναγκάζοντα*, ubi quod Heindorfius optime Graece sciens restituit *ἑνί γέ τῳ τρόπῳ* excussi postea optimi Codices egregie confirmarunt. Eodem modo apud Demosthenem p. 1342, 19. eximius Codex S dedit *τους δενγε τροπω φυλαξαμένους* pro *δ' ἑνί γέ (τῳ) τρόπῳ*, quod recte legitur in caeteris. Corruptum est *τις* in *τοῖς* apud Sophoclem in Oedipo Tyranno vs. 845.

οὐ γὰρ γένοιτ᾽ ἂν εἷς γε τοῖς πολλοῖς ἴσος,

ubi rectissime Brunckius vidit corrigendum esse εἷς γέ τις πολλοῖς ἴσος, sed nemo vera monenti obtemperat. Corruptum est τι in τοι apud Iulianum in Orat. III. p. 124 B. ἀλλὰ καὶ στρατευομένῳ μοι ἕν γέ τοι (τῶν βιβλίων) πάντως ἕπεται, ubi vides ἕν γέ τι emendandum. Itaque sic et Cyrus apud Xenophontem dixerat: ἀεὶ ἕν γέ τι φιλοτιμούμενος, quemadmodum in Aristophanis Pluto vs. 415. legitur:

μή νυν διάτριβ᾽, ἀλλ᾽ ἄνυε πράττων ἕν γέ τι.

et apud Oratorem, qui κατ᾽ Ἀριστογείτονος dixit inter Demosthenicas Orat. XXV. 51. τούτων ἕκαστος ἕν γέ τι πράττων κατὰ τὴν ἀγορὰν περιέρχεται, et apud Aristotelem Ethic. ad Nicom. I. VIII. τούτους εὔλογον — ἕν γέ τι ἢ τὰ πλεῖστα κατορθοῦν, et saepe apud alios. Praeiit omnibus Homerus in Odyss. O. 82.

δώσει δέ τι ἕν γε φέρεσθαι.

In cap. V. § 5. παρέχουσα δ᾽ ἀφθονώτατ᾽ ἀγαθά duabus litterulis repetitis scribendum est ἀφθονώτατα τἀγαθά, quia terra dicitur ἀφθόνως τἀγαθὰ διδόναι, ἀνιέναι, φύειν, παρέχειν (non ἀγαθά), neque ἀγαθὰ ἄφθονα. Causa erroris in aprico est.

In § 12. ἡ γῆ θέλουσα — δικαιοσύνην διδάσκει, quod in libris plerisque omnibus est ἡ γῆ θέουσα natum est ex antiqua scriptura Θ̅C̅ΟΥCΑ, id est θεὸς οὖσα, qua nihil verius. Festivissime igitur utitur verbo θεραπεύειν: ἡ γῆ θεὸς οὖσα τοὺς ἄριστα θεραπεύοντας αὐτὴν πλεῖστα ἀγαθὰ ἀντιποιεῖ. De erroribus ex compendio Θ̅C̅ natis non omisso hoc ipso loco satis in priore parte diximus.

Vitiosa forma legitur in § 19. ἐξαρεσκευομένους τοῖς θεοῖς, quis enim facilis credet perinde esse utrum ἐξαρέσκομαι an ἐξαρεσκεύομαι dicatur? Ἄρεσκος dicitur et ἀρεσκεύομαι et ἀρέσκευμα et ἀρεσκεία de iis qui nimio et inepto placendi studio blandiuntur alicui et assentantur. Quod si quis spe lucri facit κολακεύειν dicitur, sin aliter ἄρεσκος homo appellatur. Sed nemo mirabitur utrumque nonnumquam eiusdem hominis esse. Scite enim dixit Anaxandrides Athen. p. 255 A.

τὸ γὰρ κολακεύειν νῦν ἀρέσκειν ὄνομ᾽ ἔχει.

Lexicorum conditores Clementis Alexandrini locum afferunt ex Paedag. III. I. p. 214 A. ubi εἰς μοιχείας καὶ λαγνείας καὶ

φθορᾶς ἐξαρεσκευόμενον legitur, sine ulla mendi suspicione: quasi vero, etiamsi forma optima esset, *ἐξαρεσκεύομαι* ullo pacto *ἐκκυλίνδομαι*, *ἐξοκέλλω* aut aliquid huiusmodi significare umquam posset. Accipiendum est quod Codex Xenophontis unus praebet *ἐξαρεσκομένους* sed sic ut eadem opera *τοὺς θεούς* pro *τοῖς θεοῖς* rescribatur, sicuti et in cap. V. § 3. *θεοὺς ἐξαρέσκεσθαι* reponendum pro *θεοῖς*. Certam enim fidem habet *ἀρέσκομαι* et *ἐξαρέσκομαι θεούς* pro *ἱλάσκομαι*, et *ἐξαρέσκομαί τινα δώροις* pro *πείθω*. Satis apparet ex sqq. plane idem esse *ἐξαρέσκεσθαι τοὺς θεούς* et *τοὺς θεοὺς ἱλάσκεσθαι*.

In cap. VI. § 2. latet perineptum additamentum in verbis: *εἰ ἐπανέλθοιμεν ὅσα ὁμολογοῦντες διεληλύθαμεν [ἵν'] ἥν πως δυνώμεθα [πειραθῶμεν] οὕτω καὶ τὰ λοιπὰ διεξιέναι.* Quomodo enim *ἵνα πειραθῶμεν* et *ἤν πως δυνώμεθα* coniungi umquam potuerunt? *τὸ γὰρ πειραθῆναι ῥᾷςον καὶ παντός ἐςιν* et verba *ἤν πως δύνωμαι* non nisi de ea re poni possunt, quae habeat incertum eventum. Suspicor *ἵνα πειραθῶμεν* inter versus adscriptum ad explicandum quo sensu *ἤν πως δυνώμεθα* diceretur deinde oscitanter esse receptum. Sed nondum est interpolandi finis facta: in *οὕτω καὶ τὰ λοιπὰ διεξιέναι [συνομολογοῦντες]* expuncto demum participio oratio sana erit.

Praepositiones, quae assolent, male inter se permutatae sunt VI. 6. in verbis: *πότερα δοκεῖ ἀρήγειν τῇ χώρᾳ ἢ ὑφεμένους τῆς γῆς τὰ τείχη διαφυλάττειν.* Corrigendum est *ἀφεμένους*. Qui volet facile comperiet *ἀφίεσθαί τινος* pro *ἐᾶν τι* apud omnes tam constanter quam frequenter dici solere, neque *ὑφίεσθαι τῆς γῆς* pro *τὴν γῆν ἐᾶν* esse Graecum. Exemplum unum adscribo, quia in vicinia legitur VI. 16. *ἀφέμενον τῆς καλῆς ὄψεως*, id est *τὴν καλὴν ὄψιν ἐάσαντα.*

In cap. VI. 9. *αὕτη ἡ ἐργασία ἐδόκει — ταῖς ψυχαῖς ἥκιςα ἀσχολίαν παρέχειν φίλων τε καὶ πόλεων συνεπιμελεῖσθαι* suspicor pro *πόλεων* corrigendum esse *πόλεως*. cf. IV. 3. ubi eadem verba leguntur et recte *πόλεως* scriptum est. Vide et XI. 9 et 13. Dixerit aliquis singulorum civium esse *πόλεως συνεπιμελεῖσθαι*, sed complures notissimo usu Graecorum optime dici *τὰς πόλεις ἐπωφελεῖν* pro *τὴν ἑαυτοῦ πόλιν ἕκαςος*. Sed sic articulus necessario fuerat adiiciendus *τῶν φίλων τε καὶ τῶν πόλεων συνεπιμελεῖσθαι*, ut in cap. IV. 3. *οἱ τοιοῦτοι δο-*

κοῦσι κακοὶ ταῖς πατρίσιν ἀλεξητῆρες εἶναι, et multis aliis locis.

In cap. VI. § 10. ἡ γεωργία ἔξω τῶν ἐρυμάτων τὰ ἐπιτήδεια φύουσά τε καὶ τρέφουσα τοὺς ἐργαζομένους vitium est manifestum et medicina certa. Nempe eodem redit, ut opinor, τἀπιτήδειά τινι φύουσα et τρέφουσά τινα: est enim τἀπιτήδεια φύειν planissime idem atque τροφὴν παρέχειν. Sed absurde dicitur agricultura utrumque hoc facere ἔξω τῶν ἐρυμάτων. Solebant diligenter, credo, intra moenia frumentum comportare. Sed quid plura? Emendandum est: τἀπιτήδεια φύουσά τε καὶ τρέφουσα τοῖς ἐργαζομένοις. Inspice mihi V. 5. ἡ γῆ ὅψα πολλὰ τὰ μὲν φύει, τὰ δὲ τρέφει: nempe τρέφει τὰ πρόβατα τοῖς ἀνθρώποις et sic quoque iis τροφὴν παρέχει, vide modo, quae illic sequuntur.

In cap. VI. § 11. καὶ ταῦτά μοι δοκῶ ἡδέως ἑκάτερα ἀκούειν σου, stulte sibi haec *audire* videtur e Socrate, qui verbum nullum facit: sed *lubenter se haec auditurum* dixisse facile patet.

Itaque Stephanus ἀκούσειν reponebat, quod a Schneidero receptum, pessime: namque mera barbaries est ἀκούσειν pro ἀκούσεσθαι. Corrigendum est ἡδέως (ἂν) ἑκάτερα ἀκούειν, quemadmodum ἡδέως ἂν ἀκούοιμι et sim. saepe Atheniensibus sunt in ore. Inspice modo VII. 9. ταῦτ' ἂν ἥδιόν σου διηγουμένου ἀκούοιμι.

Futurum ἀκούσω pro ἀκούσομαι ponere solet vitiosa sequiorum συνήθεια. Dionysius Halicarnassensis, qui scatet istiusmodi erroribus, scripsit ἀκούσοντας pro ἀκουσομένους in A. R. V. 57. p. 980 R. σύνθημα ληψομένους καὶ ἃ δεῖ πράττειν ἀκούσοντας. Quamquam in optimo quoque scriptore antiquo legendo et diiudicando aetatem contriverat Dionysius tamen ipse negligenter admodum et vitiose scribit: etiam ἀπολαύσειν pro ἀπολαύσεσθαι solet ponere, vide in Reiskiana editione p. 1044 et 1051. Sequitur in eadem re Veteres pag. 2024. Sed de eius negligentia alias plurima exponere in animo est: nunc ad Oeconomicum revertor.

In cap. VII. 2. οὐδ' ἂν [γε] νῦν — ἑώρας delenda est vocula γε, quam sententia loci prorsus respuit, et si quam

maxime loco conveniret, in aliena sede collocata est: namque sic *οὐδ' ἂν νῦν γε* scriptum oportuisset.

Ibidem in § 5. *τὸν δ' ἔμπροσθεν χρόνον ἔζη ὑπὸ πολλῆς ἐπιμελείας ὅπως [ὡς] ἐλάχιστα μὲν ὄψοιτο, ἐλάχιστα δ' ἀκούσοιτο, ἐλάχιστα δ' ἔροιτο*, expungendum est male repetitum *ὡς* et pro *ἔροιτο*, quod et forma et significatione ab hoc loco alienum est, reponendum est *ἐροίη*. Cavebant diligenter ut *παρθένος θαλαμευομένη* paucissima videret, audiret et *loqueretur*: *γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.*

Eadem opera restitue in Platonis Symposio p. 198 A. *ὅτι Ἀγάθων θαυμαστῶς ἐροίη, ἐγὼ δὲ ἀπορήσοιμι*, ubi libri aut *ἐροῖ* aut *ἐρεῖ* exhibent.

Plusquam perfectum, ut passim alibi, in imperfectum abiit VII. 10. *ἐπεὶ ἤδη μοι χειροήθης ἦν καὶ ἐτιθασσεύετο*, quae inter se pugnant, ut vides: *εἰ γὰρ ἐτιθασεύετο ἔτι οὔπω ἦν χειροήθης.* In libris est *ἐτιθασσεύετο*, *ἐπιτιτασσεύετο*, *ἐπετιτασσεύετο*, unde recte Dindorfius eruit *ἐτετιθάσσευτο*, nisi quod alteram sibilantem omissam oportuit. *Τιθασός* penultima brevi Graecum est et *τιθασεύω*, ut in Hexametro incerti poëtae apud Athenaeum p. 219 E.

παιδὸς ἀνικήτου, τὸν ἐγὼ τιθασόν σοι ὑπέστην
ποιῆσαι.

et apud alios: itaque *ἐτετιθάσευτο* rescribendum. Nihil esse hoc vitio in Codd. frequentius ut plusquam perfecto (*ἐτετιθάσευτο*) imperfecti forma (*ἐτιθασεύετο*) contra sententiam substitueretur saepissime demonstravimus. Exemplorum affatim est et permulti loci adhuc eam medicinam exspectant. In Midiana § 162. *ἐπειδὴ δὲ πολιορκεῖσθαι τοὺς ἐν Ταμύναις ἐξηγγέλλετο* requiro *ἐξήγγελτο quum allatum esset.* In Demosthenis Orat. XXXIV. 11. *κατελείπετο* habet S. optime Dindorf. *κατελέλειπτο* restituit. In Orat. LVII. 49. *ἡ πόλις πᾶσα παρώξυντο* tres omnium optimi S. F. Q. conspirant in *παρωξύνετο.* Saepe peccatur in talibus: apud Dionys. Hal. A. R. VIII. 57. rescribe *ἐτετράχυντο πρὸς τὸν ἡγεμόνα* pro *ἐτραχύνετο.* Apud Hesychium legitur *Πέπαυται: πεπράϋται* vitiose pro *Πεπέπανται: πεπράϋνται* et *Πέφυρται: μεμίαται* pessime pro *μεμίανται.* Quis diu dubitabit in Aeschinis Ctesiphontea § 65. pro *παρηγγέλλετο δ' ἤδη ἐπ' αὐτὸν στρατεία* reponere *παρήγ-*

γελτο? aut in Lycurgi Leocratea § 39. pro *ἡνίκα ἡ μὲν ἧττα τῷ δήμῳ π ρ ο σ η γ γ έ λ λ ε τ ο, ὀρθὴ δ' ἦν ἡ πόλις* restituere *προσήγγελτο?* aut apud Dinarchum in Orat. I. 39. *ὀλίγαις ἡμέραις — ἠ λ ε υ θ ε ρ ο ῦ ν τ ο Θῆβαι, διεπέπρακτο ἡ πόλις ἡ ἡμετέρα ἄξια τῶν προγόνων*, quis est qui praesertim admonitus non sentiat *ἠλευθέρωντο Θῆβαι* requiri?

In cap. VII. 15. *Ναὶ μὰ Δία, ἔφην ἐγώ, ὦ γύναι, καὶ γὰρ [καὶ] ἐμοὶ ὁ πατήρ*, si in omnibus libris importuna vocula legeretur tamen expunctam oportuit. Nunc abest a libris omnibus et retinetur tamen. Eodem modo importunum *καί* inducendum est apud Demosthenem in Orat. LII. 11. *καὶ γὰρ ἂν [καὶ] μαινοίμην εἰ μή.* Recte scriptum est in Midiana § 208. *καὶ γὰρ ἂν μαινοίμην*, et in Prooemiis XLV. et apud alios saepius. Quod dicit Aristoteles in Ethic. Nicom. II. 3. *ὁ μὲν ὑπομένων τὰ δεινὰ [καὶ] χαίρων ἢ μὴ λυπούμενός γε ἀνδρεῖος, ὁ δὲ λυπούμενος δειλός*, si *καί* expunxeris recte dictum erit. Eadem opera adiuva Demosthenem in Orat. L. 1. *τοῖς τοιούτοις τῶν ἀγώνων — [καὶ] τοὺς διαγνωσομένους προσήκει προσέχειν τὸν νοῦν*, qui locus expuncta demum copula sanus erit.

In § 17. transponenda copula est et sic legendum: *ἃ οἵ τε θεοὶ ἔφυσάν σε δύνασθαι καὶ ὁ νόμος συνεπαινεῖ.* Editur *ἅ τε οἱ θεοί* errore manifesto.

Cuius aures sunt tam parum fastidiosae ut ferre possint VII. 22. *τὴν μὲν τῆς γυναικὸς ἐπὶ τὰ ἔνδον ἔργα καὶ ἐπιμελήματα, τὴν δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τὰ ἔξω [ἔργα καὶ ἐπιμελήματα].* Annotaverat nescio quis in margine (ut solebant si quid eleganter et nove dictum esse videretur) *ἔργα καὶ ἐπιμελήματα*, deinde factum est quod vides.

In cap. VIII. 15. *εἶδον αὐτὸν ἐξετάζοντα ἐν τῇ σχολῇ πάντα ὁπόσοις ἄρα δεῖ ἐν τῷ πλοίῳ χρῆσθαι*, quid, quaeso, aliud homo poterat *ἐξετάζειν* et quid tandem ea res habet quod quisquam miretur? Emenda: *ὁπόσοις ἄρα δεῖ ἐν τῷ π λ ῷ χρῆσθαι*, hoc ipsum requiri dabis mihi si inspexeris quae sequuntur. Dicebant autem Graeci, ut notum est, *ἐν τῷ πλῷ* et *κατὰ τὸν πλοῦν inter navigandum*, ac vides quam bene nunc *ἐν τῇ σχολῇ* et *ἐν τῷ πλῷ* inter se opponantur. Saepius vidi *πλοῦς* et *πλοῖα* inter se inepte permutari, praesertim ubi pluralis *πλοῖ* more Veterum fuerat scriptum. Quemadmodum enim *ἔξοδον ποιεῖ-*

σθαι dicitur si quis *semel* *ἐξέρχεται*, sed si *saepius* *ποιεῖσθαι ἐξόδους* aut *ἐξιέναι ἐξόδους* (ut apud Demosthenem p. 1182, 25. *ἐπειδὰν ὁρῶσι τὴν τούτου ἑταίραν — ἐξόδους λαμπρὰς ἐξιοῦσαν*). sic *πλοῦν ποιεῖσθαι* usitatum erat dicere et *πλῷ χρῆσθαι* de *una* navigatione, sed *πλοῦς ποιεῖσθαι* et *πλοῖς χρῆσθαι* de *pluribus*. Antiphon in Orat. V. 83. *ὅσοις συνέπλευσα καλλίστοις ἐχρήσαντο πλοῖς*. Xenophon Hellen. VI. II. 30. *ἐν τοῖς μεθ' ἡμέραν πλοῖς*, et in Oeconomico XXI. 3. *ὅταν δέῃ περᾶν ἡμερησίους πλοῦς*. In Anabasi V. VII. 7. optimi libri exhibent *καὶ λέγεται, ὅταν βορρᾶς πνέῃ, ὡς καλοὶ πλοῖ εἰσιν εἰς τὴν Ἑλλάδα*, ubi *λέγετε* pro *λέγεται* restituendum est. In optimo Vaticano *πλόοι* legitur, in caeteris *πλοῖα* stultissima Graeculorum correctione, qui quum haererent in verbis ΩΣΚΑΛΟΙΠΛΟΙΕΙΣΙΝ de suo dederunt *ὥστε καλὸν πλοῖα εἶναι καὶ ἀπελθεῖν εἰς τὴν Ἑλλάδα*. Viden ut homunciones nullius pretii confidenter Veterem scripturam interpolent? Eodem modo *πλῶν* periit in Xenophontis Rep. Athen. I. 20. *κυβερνῆται ἀγαθοὶ γίγνονται δι' ἐμπειρίαν τε τῶν πλοίων καὶ διὰ μελέτην*, ubi duo Codices *πλόων* dederunt, quod festinantius receptum est, nam *πλῶν* scribendum esse apparet. Idem prorsus vitium commissum est in Platonis Politico p. 298 C. *καθ' ὅ τι χρὴ — χρῆσθαι τοῖς πλοίοις τε αὐτοῖς καὶ τοῖς ναυτικοῖς ὀργάνοις εἰς τὴν τῶν πλοίων χρείαν*, ubi philosophi manus est *εἰς τὴν τῶν πλῶν χρείαν*, quod et ratio vincit et si cui nondum id satis est ei assensum extorquebit perdocti Grammatici antiqui auctoritas. Servavit enim Photius ex antiqua *λέξει Πλάτωνος* et alia multa egregia et hanc annotationem: *Πλοῖ: τὸ πληθυντικόν. οἱ πλόες. καὶ τοὺς πλοῦς· ἐς τὴν τῶν πλῶν χρείαν, φησὶ Πλάτων*, quae primum nonnihil purganda est. Nempe expunge *οἱ πλόες* a Graeculo insertum: istorum vitiosa *συνήθεια* nomina *νοῦς*, *πλοῦς* et *ῥοῦς* flectebat eodem modo atque *βοῦς*, *χροῦς* et *χοῦς*: itaque isti *νοός* et *νοΐ*, *ῥοός* et *ῥοΐ*, *πλοός* et *πλοΐ* dicebant et similiter *οἱ νόες* et *οἱ πλόες*. Vide quae congessit Lobeck. ad Phrynich. p. 453 sq. Praeterea scribe *κατὰ τοὺς πλοῦς. ἐς τὴν τῶν πλῶν χρείαν, φησὶ Πλάτων*. Nempe Plato in Timaeo p. 89 A. dixit *κατά τε τοὺς πλοῦς καὶ ὅπῃ περ ἂν ὀχήσεις ἄκοποι γίγνωνται*. Ubinam Plato dixerit *ἐς τὴν τῶν πλῶν χρείαν* nemo posthac frustra quaeret.

Recurrit vitium, quod alibi iam arguimus, VII. 57. ἴσως ἀχαριςότερον δόξει εἶναι. — ἐπιχαριτώτατον μὲν οὖν, nempe ἀχαριτώτερον requiro. Scribae in his formis similiter peccant atque in τιθασός: quoniam ipsi τιθασσός dicebant, propterea formam τιθασώτερος sedulo in τιθασσότερος mutant: quia ipsorum lingua ἀχάριςος pro ἄχαρις dicebatur formam ἀχαριτώτερος sedulo in ἀχαριςότερος depravant. Eadem plane socordia librarii εὐχειρωτότατος solent in εὐχειρότατος corrumpere, ut factum esse videbis in vicinia VIII. 4. Conf. Dindorf. ad Cyropaed. I. vi. 36.

In eadem § pro τούτων σοι ἐπιμελητέον πάντων propter sequens θεραπεύηται emendandum esse censeo τούτου σοι ἐπιμελητέον πάντως ὅπως θεραπεύηται.

In Oecon. VII. 29. δεῖ ἡμᾶς — πειρᾶσθαι ὅπως ὡς βέλτιςα τὰ προσήκοντα ἑκατέρῳ ἡμῶν διαπράττεσθαι, vix opus est me dicere quid de eorum opinione sentiam qui istam loci compositionem bene Graecam et sanam esse locis quibusdam Diodori Siculi miselli scriptoris demonstrare satagunt. Facillimum factu est ὅπως delere. Sed unde tandem natum esse putemus? Dicam quid mihi venerit in mentem. Ut compluscula leguntur in Oeconomico vocabula Ionica et alia quae infra indicabimus et ἐργαςῆρες (V. 15 et alibi), ἐδάσατο (VII. 25 sq.), ἀξιοεργοί (VII. 34) et Φάους pro φωτός (IX. 3), sic h. l. Xenophontem ὅπως βέλτιςα eodem sensu posuisse suspicor, quo Theognidem ὅπως ὤκιςα in notissimo versu:

Φῦντα δ' ὅπως ὤκιςα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι,

et similia alii. Deinde quum nescio quis ad ὅπως βέλτιςα adscripto ὡς usum Atticum et communem notasset ex dittographia vulgata lectio nata est.

Insigne additamentum impudenter a sciolo Xenophonti affictum inquinat locum VIII. 17. πάνυ ἂν ἡμῶν εἴη βλακικὸν εἰ οἱ μὲν ἐν τοῖς πλοίοις — εὑρίσκουσι τὸ δέον λαμβάνειν, ἡμεῖς δὲ — [εἰ] μὴ εὑρήσομεν καλὴν καὶ εὐεύρετον χώραν ἑκάςοις αὐτῶν [πῶς οὐκ ἂν πολλὴ ἡμῶν ἀσυνεσία εἴη;]. Postquam pervulgato errore εἰ repetitum est, videbatur apodosis desiderari. Supervenit igitur aliquis qui quod abesse putabat de suo addidit.

In cap. IX. 2. τί δὲ, εἰ μὴ τῆς οἰκίας τὴν δύναμιν ἔδοξέ μοι

πρῶτον ἐπιδεῖξαι αὐτῇ, inserta vocula scribendum esse censeo: εἰ μὴ τῆς οἰκίας τὴν δύναμίν (γ') ἔδοξέ μοι κτέ. Compara IX. 1. τί δὲ, εἰ μὴ ὑπισχνεῖτό γε ἐπιμελήσεσθαι, et IX. 18. τί δέ, ἔφη, εἰ μὴ εἶπέ γέ μοι, et eadem opera restitue X. 8. τί δέ, ἔφη, εἰ μὴ τοῦ λοιποῦ (γε) τοιοῦτον οὐδὲν — ἐπραγματεύσατο, in talibus enim γε a scribis aliquoties omittitur, Athenienses non omittebant, cuius rei multa apud Aristophanem exempla sunt, ubi nulla syllaba impune potest abesse. Legitur in Equitt. 186.

μῶν ἐκ καλῶν εἶ κἀγαθῶν; B. μὰ τοὺς θεούς,
εἰ μὴ 'κ πονηρῶν γε.

et in Thesmoph. 898.

αὕτη Θεονόη Πρωτέως. B. μὰ τὼ θεώ,
εἰ μὴ Κρίτυλλά γ' Ἀντιθέου Γαργηττόθεν.

et in Lysistr. 943.

οὐχ ἡδὺ τὸ μύρον, μὰ τὸν Ἀπόλλω, τουτογὶ,
εἰ μὴ διατριπτικόν γε κοὐκ ὄζον γάμων.

et in Avibus 1680, ubi sine sensu editur:

μὰ τὸν Δί', οὐχ οὗτός γε παραδοῦναι λέγει,
εἰ μὴ βαδίζειν ὥσπερ οἱ χελιδόνες,

restituta hac ipsa loquendi forma corrigendum esse censeo:

εἰ μὴ βαΰζει γ', ὥσπερ οἱ χελιδόνες.

Idem dicendi genus occurrit in Aristophanis fragmento:

εἰ μὴ Προμηθεύς γ' εἰμὶ, τἄλλα ψεύδομαι.

et in Cyropaedia I. iv. 13. τί δέ, ἔφη, εἰ μὴ μαστιγώσας αὐτόν γε — ἔπειτα ἐξ ἀρχῆς πάλιν αὐτῷ χρῶμαι, et paucis quibusdam aliorum locis.

Atticorum aures in talibus tam fastidiosae sunt et loquendi usus tam constans, ut si quid omiseris, si quid transposueris, statim oratio non satis integra et sana et Attica videatur esse. Dabo rei simillimae aliud exemplum. Atticorum proprium est ita dicere, ut Euripides in Medea dixit vs. 911.

οὐκ οἶδ' ἂν εἰ πείσαιμι. πειρᾶσθαι δὲ χρή.

et in Alcestide vs. 49.

λαβὼν ἴθ', οὐ γὰρ οἶδ' ἂν εἰ πείσαιμί σε.

Locos similes collegit primus Matthiae Gramm. Gr. § 598. C, quorum rationem explicuit Elmsleius ad Eurip. Med. 911. Addidit nonnulla Stallbaumius ad Platonis Tim. p. 26 B. et Din-

dorfius ad Cyropaed. V. iv. 12. sed nemo horum perspexit in multis locis eam loquendi formam non satis 'Ἀττικιστί scriptam esse. In Aristophanis Avibus vs. 1018. in Codicibus Ravennate et Veneto scriptum est:

ὑπάγοιμι τἄρ' ἄν. B. νὴ Δί', ὡς οὐκ οἶδ' ἄρ' εἰ
φθαίης ἄν. ἐπίκεινται γὰρ ἐγγὺς αὐταιί.

unde alii οὐκ οἶδά γ' εἰ φθαίης ἂν effinxerunt, sed emendandum est οὐκ οἶδ' ἂν εἰ φθαίης ἔτ', ἐπίκεινται γάρ κτἑ. Inserebant enim voculam ἂν inter οἶδα et εἰ mediam, quod quum scioli mirarentur dabant de suo alia omnia. In Cyropaedia V. iv. 12. vera scriptura in plerisque libris est haec: οὐκ οἶδ' ἂν εἰ ἐκτησάμην παῖδα τοιοῦτον περὶ ἐμέ, in uno legitur: οὐκ οἶδα εἰ ἐκτησάμην παῖδά ποτ' ἄν, ubi tenemus interpolatorem, cui nemo habebit fidem. Felicius fraus istiusmodi correctori cessit in Platonis Timaeo p. 26 B. ubi Codices consentiunt in scriptura: ἐγὼ γὰρ ἃ μὲν χθὲς ἤκουσα οὐκ ἂν οἶδ' εἰ δυναίμην ἅπαντα ἐν μνήμῃ πάλιν λαβεῖν, sed Plato ipse non dubito quin scripserit: οὐκ οἶδ' ἂν εἰ δυναίμην, et verisimillimum mihi videtur in Cyropaed. I. vi. 41. οὐκ οἶδ' ἔγωγε εἴ τινα λίποις ἂν τῶν πολεμίων scribas de more voculam ἂν transposuisse et rescribi oportere: οὐκ οἶδ' ἂν ἔγωγε εἴ τινα λίποις τῶν πολεμίων. Quod his exemplis addidit Stallbaumius ex Demosthene de F. L. p. 441, 21. οὐδ' ἂν εἷς, εὖ οἶδ' ὅτι, φήσειεν, nil facit ad rem, ut vides. Duo tantum mihi praeter haec per multos annos sedulo investiganti inter legendum occurrerunt, alterum apud Xenoph. Memor. I. iii. 5. ubi lege ὥστ' οὐκ οἶδ' ἂν εἴ τις οὕτως ὀλίγα ἐργάζοιτο, pro οἶδ' εἴ τις οὕτως ἄν, alterum apud Demosthenem p. 1103, 20: ἐγὼ γὰρ αὐτὸς οὐκ ἂν οἶδ' ὅ τι ἄλλο εἶχον ψηφίσασθαι, ubi Oratorem non sic scripsisse arbitror, sed ut populares solebant omnes: οὐκ οἶδ' ἂν ὅ τι ἄλλο εἶχον ψηφίσασθαι.

Quod legitur IX. 4. χειμῶνος μὲν εὐήλιος τοῦ δὲ θέρους εὔσκιος alit tralaticium vitium: pro εὐήλιος reponendum est εὔειλος. Dicebant Athenienses εἵλη, εὔειλος, πρόσειλος et ἄειλος, Graeculi postquam haec omnia olim situ et oblivione sepulta essent de suo εὐήλιος, πρόσηλος, προσήλιος, εὔελος similiaque substituebant: vide Dawesium in Miscell. Crit. p. 272 sq. (p. 482 Kidd.).

Interpretamentum adhaesit IX. 6. ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν οὕτω δὴ [ἤδη] κατὰ φυλὰς διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα, indicasse satis est. Simillimus locus legitur XI. 8. ἐπεὶ γὰρ καταμεμαθηκέναι δοκῶ — οὕτω δὴ ἐγὼ ἄρχομαι μὲν τοὺς θεοὺς θεραπεύειν κτἑ.

Ibid. § 10. pro ξενοδοχίας emendandum esse ξενοδοκίας supra ostendimus. Veteres non aliter quam ξενοδόκος, ξενοδοκεῖν et ξενοδοκία dicebant, ut δωροδόκος, δωροδοκία et δωροδοκεῖν, et similiter in omnibus vocabulis ex δέχομαι compositis, in quibus primitiva verbi significatio servata est *capiendi*, *accipiendi* et *recipiendi*, ut in ἀχυροδόκη in Oecon. XVIII. 7. In caeteris χ ponitur, ut in ἀποδοχή, διαδοχή, διάδοχος aliisque, quae non sunt perinde antiqua.

In § 11. καὶ τὸ προνοεῖν μή τι κακὸν λάβῃ παρ' ἡμῶν ἀμελοῦσα, cave credas perinde esse dicere κακόν τι λαβεῖν παρ' ἡμῶν et ὑφ' ἡμῶν. Quid intersit optime monstrabit locus Platonis in libro III. de Rep. p. 406 D. παρὰ τοῦ ἰατροῦ φάρμακον πιών, quod ita dicitur ut medicus non *dedisse* id, sed *dari iussisse* intelligatur, et sic παρ' ἡμῶν idem ferme est atque ἡμῶν κελευόντων, *nostro iussu.*

In § 13. καὶ αὐτὴν δὲ ἐν αὐτῇ τῇ χώρᾳ κατετάττομεν, lege ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ. Ionicum plane est quod in eadem § legitur τιμιωτέρους τιθέντες τοὺς δικαίους τῶν ἀδίκων pro διὰ πλείονος τιμῆς ἄγοντες, ut loquebantur Attici. Eiusdemmodi est XIII. 10. τοῖς ἐργαςῆρσι pro ἐργάταις, et alia quaedam, quae supra indicavimus.

In cap. X. § 3. εἰ μήτε ἀποκρυπτοίμην [τι] τῶν ὄντων μηδέν, ut sana sit oratio τι erit expungendum.

In § 8. ἡ ὑπὸ λουτροῦ [ἀληθινῶς] κατωπτεύθησαν, me quoque ut Schneiderum offendit ἀληθινῶς ineptissime additum. Suspicor nescio quem, cui loci sententia vehementer probaretur, adscripsisse in margine.

In cap. XI. 4. absurda lectio τοῦ ἐπηλύτου in verbis ἀπαντήσας τῷ Νικίου τοῦ ἐπηλύτου ἵππῳ quid tandem in sese absconderet diu et multum quaesivi. Cuius is equus esset nihil faciebat ad rem: itaque nomen domini addi commode non potuit nisi si nobilissimi et ditissimi civis fuit, ex cuius mentione splendoris cuiusdam et magnificentiae exspectatio nasce-

retur. Quis igitur alius is esse potuit quam Nicias ille nobilitate generis pariter et ingentibus divitiis inter omnes conspicuus? Quid igitur est reponendum? Nempe Νικίου τοῦ Νικηράτου (Memor. II. v. 2), quae scriptura quum in vetusto libro situ et madore corrupto vix oculis cerneretur, et * * * H * * TOT tantum clare superesset, stulta correctorum natio *vocabulum bene Graecum* reperit, in quo illae litterulae apparerent.

In cap. XI. § 9. receptum oportuit καὶ τὴν πόλιν μηδὲν (τὸ) κατ' ἐμὲ χρήμασιν ἀκόσμητον εἶναι, verissime enim Weiskius τὸ inseruit. Vitium non dissimile in Demosthene commissum fuit in Orat. L. 18. ubi optimi libri servant: ἵνα μηδὲν ἐλλείπηται τῷ δήμῳ ὧν προσετάξετε κατ' ἐμέ, pro ὧν προσέταξε τὸ κατ' ἐμέ. Apud eundem in Orat. LVII. 2. συμβαίνει δέ μοι τὸ μὲν καθ' ἡμᾶς καὶ τὸ προσήκειν μοι τῆς πόλεως θαρρεῖν, emendandum est καὶ τῷ προσήκειν μοι τῆς πόλεως. Vides cur τῷ in τό abierit.

In § 11. necessaria praepositio excidit in verbis: τῆς δὲ χρηματίσεως καὶ μετὰ ταῦτα ἀρκέσει ἀκούειν et sic scribendum est: τῆς δὲ χρηματίσεως (πέρι) κτἑ. Admonent me haec loci corrupti apud Dionysium Halic. A. R. II. 44. ubi editur συμβάσεως δὲ περὶ τοῦ διαλέγεσθαι — οὐχ ἑαυτοῖς ἁρμόττειν ὑπελάμβανον, optimus Codex Vaticanus περὶ τὸ διαλέγεσθαι exhibet, sed utraque lectio e futili correctiuncula nata est, quum in antiquis libris sine articulo ΠΕΡΙΔΙΑΛΕΓΕΣΘΑΙ esset scriptum: nempe Dionysius dederat: συμβάσεως δὲ πέρι διαλέγεσθαι κτἑ.

Aperte vitiosum est ἐπισχύειν pro ἰσχὺν προστιθέναι positum in § 15. καὶ φίλους ἐπωφελεῖν καὶ πόλιν ἐπισχύειν. Interpolatum locum esse suspicor et veterem lacunam male a sciolo expletam.

In § 16. pro νειοποιοῦντες emendandum esse arbitror νειὸν ποιοῦντες. Peperit vitium scriptura vetus ΝΕΙΟ̄ΠΟΙΟΤΝΤΕΣ, in qua tenuem lineolam scribae non satis animadverterunt. Eadem de causa confunduntur ὁδὸν ποιεῖν et ὁδοποιεῖν, πόλεμον ποιεῖν et πολεμοποιεῖν, aliaque similia.

Quod post pauca legitur ἥν τε καρπὸν προσκομίζοντες vitium concepit namque sententia loci et rei natura et dicendi usus συγκομίζοντες requirunt. Συγκομίζειν τοὺς καρπούς, τὰ ἀρχῖα,

τὸν σῖτον et similia omnia, et καρπῶν vel σίτου συγκομιδή in tali re usitata esse quis tandem docendus est?

In § 20. ἐν τοῖς πλουσιωτάτοις λεγόμενόν σε ἐπιςάμεθα corrige καταλεγόμενον, quod pro ἀριθμούμενον rectissime dici potest, λεγόμενον non item.

In § 22. locus est miserum in modum corruptus et interpolatus, ubi hoc solum satis intelligo ἀπολογεῖσθαι μέν ex praecedentibus οὐ γάρ δοκῶ σοι esse suspensum et pro αὐτὰ ταῦτα διατελεῖν μελετῶν corrigendum esse αὐτὰ ταῦτα διὰ τέλους μελετῶν, sed posterior pars orationis bimembris ἀπολογεῖσθαι μέν — κατηγορεῖν δέ tam male mulcata est ut de restituenda vera lectione desperandum esse mihi videatur. Nihil sani extundi posse ex vulgata scriptura κατηγορεῖν δὲ οὐ δοκῶ σοι — εὖ δὲ ποιοῦντας οὐδένα, etiam si caetera recte habere et commode composita esse viderentur, satis est perspicuum.

Initio § 24. excidisse complura dudum viri docti senserunt.

In cap. XII. 2. satis superque est Socratem dicere Φυλάττει γὰρ ἰσχυρῶς μὴ ἀποβάλῃς τὴν ἐπωνυμίαν, et utrum Xenophontis potius an scioli cuiusdam sit additamentum [τὸ ἀνὴρ καλὸς κἀγαθὸς κεκλῆσθαι], imprimis post ea quae modo Ischomachus dixerat XI. 21, cuilibet lubens iudicium permitto. Aliud vitii genus est in iis quae continuo sequuntur: πολλῶν σοι ἴσως ὄντων ἐπιμελείας δεομένων, ubi supplendum est ὄντων (τῶν) ἐπιμελείας δεομένων.

Interpolatum est in § 10 [τὸ ἐπιμελῆ ποιῆσαι], refertur enim τοῦτο ad praecedentia ἐπιμέλεσθαι διδάσκω, et poterat ad διδακτὸν εἶναι suppleri (quamquam frigide et pueriliter) τὸ ἐπιμελῆ εἶναι, sed minime τὸ ἐπιμελῆ ποιῆσαι.

In § 12 ἀδύνατοί εἰσιν ἐπιμελεῖς ἔσεσθαι refingendum est in ἀδύνατοί εἰσιν ἐπιμέλεσθαι, quoniam δυνατός εἰμι, οἷός τέ εἰμι et ἀδύνατός εἰμι futurum respuunt et praesens postulant vel aoristum. Vitium unde natum sit mihi videor perspicere. Supra veterem et genuinam formam ἐπιμέλεσθαι, qua sola Xenophontem usum esse Dindorfio (ad Cyrop. I. II. 10) concedo, adscriptum est εισ, ut ἐπιμελεῖσθαι restitueretur, sed corrector sic erravit, ut vides. Praeterea articulus supplendus in sqq.

οὔτε γὰρ ἂν αὐτὸς δύναιτο (ὁ) καθεύδων τὰ δέοντα ποιεῖν οὔτε ἄλλους παρέχεσθαι.

In cap. XIII. 2. inepte abundant verba ἄνευ τούτων in his: εἰ δὲ μή, τί μᾶλλον ἐπιτρόπου [ἄνευ τούτων] ὄφελος κτέ.

In § 9 ἡ δοκοῦσα θηριώδης παιδεία εἶναι πάνυ ἐστὶν ἐπαγωγὸς πρὸς τὸ πείθεσθαι [διδάσκειν], quomodo, quaeso, διδάσκειν retineri poterit ab eo qui quid sit ἐπαγωγός satis intelligat? In fine § scripserim πόλλ' ἂν ἀνύτοις παρ' αὐτῶν pro πολλὰ ἀνύτοις.

In cap. XIV. 2. Ναὶ μὰ Δία — τοῦ τε ἀπέχεσθαι τῶν δεσποσύνων καὶ μὴ κλέπτειν, corrige τοῦ γε ἀπέχεσθαι, notissimo more dictum. Si τε retinebis duas res diversas esse oportebit τό τε ἀπέχεσθαι τῶν δεσποσύνων καὶ τὸ μὴ κλέπτειν.

In § 2 cur pro ὑπακούοντας τῆς διδασκαλίας ταύτης rescribendum esse videatur ἐπακούοντας facile colligi potest ex iis, quae supra de utriusque verbi discrimine et in libris confusione annotavimus.

In § 4 resecanda est importuna copula in verbis: τὰ μὲν [καὶ] ἐκ τῶν Δράκοντος νόμων, τὰ δὲ καὶ ἐκ τῶν Σόλωνος λαμβάνων κτέ.

In § 7. εὖ μάλα ἐπιμένουσι τῷ μὴ ἀδικεῖν equidem ἐμμένουσι requiro.

Sine ulla controversia corruptum est κτήσῃ in cap. XV. 1. ἔτι δὲ πρὸς τούτοις ἐπιστήμην κτήσῃ αὐτῷ κτέ. Sententia enim postulat *impertiveris* aut huiusmodi quid, et ridicule quod quis alteri dederit, id illi κτήσασθαι dicitur: sed quid tandem in ΚΤΗΣΗΙ lateat adhuc frustra quaero. Post pauca pro ἤδη τε — ἀποδεικνύων acutissime Dindorfius ἤδηται — ἀποδεικνύων emendavit.

Putidissimum emblema lectores ludificatur in § 5. εἰ δὲ μή, οὐδὲ τῆς ἐπιμελείας ἔφησθα ὄφελος οὐδὲν γίγνεσθαι [εἰ μή τις ἐπίσταιτο ἃ δεῖ καὶ ὡς δεῖ ποιεῖν.]

Pessime repetita negandi particula est XV. 10 οὐχ ὥσπερ τὰς ἄλλας τέχνας καταστριβῆναι δεῖ μανθάνοντας — [οὐχ] οὕτω καὶ ἡ γεωργία δύσκολός ἐστι μαθεῖν, ecquis est qui retineri posse alterum οὐχ arbitretur? In eadem § excidit pronomen in verbis: οἴομαι δὲ πάνυ καὶ λεληθέναι πολλὰ σεαυτὸν ἐπιστάμενον αὐτῆς. Recta oratio est: πολλὰ τῆς γεωργίας λέληθας σεαυτὸν ἐπιστά-

μενος, ut in cap. XVIII. 9. ταῦτα τοίνυν ἐλελήθειν ἐμαυτὸν ἐπιςάμενος, itaque corrigendum est οἴομαι δὲ — καὶ λεληθέναι (σε) πολλὰ σεαυτὸν ἐπιςάμενον.

In cap. XVI. 7. e libris revocanda est vetus et proba lectio ἀνεμνήσθην τοὺς ἁλιέας ὅτι — οὐκ ὀκνοῦσιν ἀποφαίνεσθαι περὶ τῆς γῆς. Correctoris est nescio cuius ἀνεμνήσθην τὸ τῶν ἁλιέων, qui non satis animadvertit Atticos in illa frequenti traiectione accusativum praemittere solere, etiam ubi verbum quod antecedit accusativum non regit.

In § 12 Schneidero obtemperatum oportuit ἄρα inserenti: κινδυνεύει (ἄρα) ἔαρος εἶναι τούτου τοῦ ἔργου ἀρκτέον. Vide quae supra de ea re annotavimus ad Hieronem.

In cap. XVIII. 1. πότερα οὖν τέμνεις inepte legitur quum τεμεῖς appareat esse legendum. Saepe sic errari solere in verbis liquidatis subinde ostendimus: saepius in τέμνω sic esse erratum animadverti. Quis in Plutarchi vita Thesei cap. XII. κρεῶν παρακειμένων σπασάμενος τὴν μάχαιραν ὡς ταῦτα τέμνων ἐδείκνυεν ἐκείνῳ, quis, inquam, non videt ὡς ταῦτα τεμῶν esse restituendum?

Ibid. § 5 δῆλον ὅτι μάλιςα ὁμαλίζοιεν ἂν τὸ δεινὸν καὶ τάχιςα ἀνύτοιεν, recepta Ruhnkenii correctione (ex Epistola Critica II. p. 180) τὸν δῖνον pro τὸ δεινόν legerim μάλις' ἂν ὁμαλίζοιεν τὸν δῖνον καὶ τάχις' ἂν ἀνύτοιεν. In Codicibus antiquioribus et apud Grammaticos de more EI pro I longo scribitur, unde δεῖνος et δείνησις et similia saepe leguntur, quae non magis ferenda sunt quam τειμή aut νείκη aut κεινεῖν, Κεινέας, βεινεῖν, κρειός, alia. Scatet talibus Hesychius, apud quem Δεῖναι scribitur et Δείνησις, Δείνας, Δείνη et Δεινεύειν et Δεῖνος, Δείνησις, Δεινήεντα, Δεινωτοῖς et mox Δειφώμενος, Δειφῶν, et peius etiam in ι correpto Δεικεῖν: ἀφεῖναι, ῥῖψαι pro Δικεῖν. Eiusmodi sunt apud eundem Εἴδη, Εἰδίω, Εἴετο (pro ἵετο), Εἰθύ, Εἰθύφαλλον, Εἶκεν (pro ἶκεν), Εἰλαδόν et Εἰλάς, Εἰλιγγιᾶν, Εἰλύς et Εἰλύσω: ἐν ἰλύϊ κρύψω, Εἶνες, Εἶπος, Εἴρη (pro Ἶρις) et Εἶρος: πτωχός, aliaque innumera, quorum similia etiam nunc in Editionibus emendatissimis circumferuntur, ut εἰλύσω apud Homerum Iliad. Φ. 318:

> κείσετ' ὑπ' ἰλύος κεκαλυμμένα· κὰδ δέ μιν αὐτόν
> εἰλύσω,

ubi ἰλύσω rescribendum, namque ἰλύς et κατιλύω Graeca sunt, recteque in Oeconomico XVII. 12 scribitur ἰλύος ἐπιχυθείσης et mox § 13 τῷ κατιλυθέντι, quod intactum evasisse miror. Magna est ubique talium copia nec mirum adeo veterem scripturam ΤΟΝΔΕΙΝΟΝ (τὸν δῖνον) in τὸ δεινόν abiisse.

Quam saepe vitiosae scripturae sic natae in emendatissimis editionibus haereant iuvat paucis exemplis demonstrare ex Pausaniae περιηγήσει sumtis, quam Parisiis edidit L. Dindorfius. Videbis ibi scriptum esse p. 396 et 397 passim Ἀρείονα, p. 401, 45 νειφόμενος, p. 434, 27 νείφειν, et p. 145, 34 Ἀπόλλωνος Ἀκρείτα βωμός, et p. 158, 31 Θηρείταν et saepius. Recte Ἀκρίτας et Ἀκρίταν scribitur p. 224, 20 et 24. Nempe quidquid Graece exit in -άτης et -ύτης et -ίτης producit penultimam, ut et faemininae formae in -ᾶτις et -ῦτις et -ῖτις confirmant et omnium perpetuus usus, ut in Τεγεάτης, Τεγεᾶτις, Σπαρτιάτης, πρεσβύτης, πολίτης, μαργαρίτης, μακαρίτης, aliisque sexcentis, quae more vetusto per ει scribebantur ut ΤΕΙΜΗ, ΝΕΙΚΑΝ. Sed quemadmodum non sic, sed τιμή et νικᾶν hodie scribimus, sic ΑΡΕΙΩΝ Ἀρίων scribendum est, et ΝΕΙΦΩ νίφω, et ΑΚΡΕΙΤΑ Ἀκρίτα, et similiter in similibus.

Sequior forma ἐκ τῆς τῶν ἰδιωτῶν συνηθείας irrepsit in XVIII. 8. ἐπειδὰν δὲ καθάρῃς pro καθήρῃς, quod sine mora reponendum. Admonuit de isto aequalium errore Moeris p. 137, admonuit Phrynichus p. 24., qui tria vulgatissima popularium vitia notans de toto hoc genere praecepit. Plurima Lobeck. ad h. l. conquisivit sed ut nihil certi constitueret. Dominatur in his quoque usus sed scribarum vitio formae diversorum temporum et locorum inter se confusae fallunt impediuntque eos, qui quae fuerint olim certae loquendi leges definire cupiunt. Certum est verba in -ραίνω et -ιαίνω omnia apud Atticos in aoristo α productum habere: ipsum ῥαίνω habet ἔρρανα, ῥᾶναι, ῥάνας, ut in fragmento incerti Tragici Athen. p. 48. A.

ἀλλὰ ξενῶνας οἵγε καὶ ῥᾶνον δόμους,

sic et χραίνω ἔχρανα, ut in Euripidis Hippolyto 1266 τἀμὰ μὴ χρᾶναι λέχη, et sic περᾶναι, εὐφρᾶναι, δυσχερᾶναι, aliaque multa dicebant. Certum est verba in -ιαίνω omnia apud Atticos eandem rationem sequi, ut in ἐχλίανα, ἐπίανα, ἐμίανα, ἠγρίανα, aliis; Ionica sunt ἐχλίηνα, ἐμίηνα, ut ἴηνας, ἐδίηνα,

alia. In caeteris compertum est Atticos α producto usos esse in κερδᾶναι, κοιλᾶναι, πεπᾶναι et λευκᾶναι. Ὀργᾶναι habet semel Sophocles, ἰσχνᾶναι semel Aristophanes. Praeterea αἴρω habere ἆραι et ἅλλομαι ἅλασθαι nescit nemo, nisi quod scribae solent antiquis formis ἅλασθαι et ἀλάμενος de suo substituere vitiosas ἀλέσθαι et ἀλόμενος. In reliquis omnibus veteres omnes η ponere solent, ut in ἐσήμηνα, ἐθέρμηνα, ἐρρύπηνα, ἐκάθηρα cett., in quibus Graeculi vitiose α solebant ponere ἐσήμανα dicentes et θερμᾶναι, ῥυπᾶναι, καθᾶραι. Hinc factum est ut passim scripta veterum his mendis inficerentur, quod ubi satis erit compertum quidquid ubique formarum istiusmodi apud Veteres deprehenditur erit nobis ad antiquam loquendi consuetudinem revocandum. Ubicumque καθᾶραι legitur aut ὑφᾶναι aut similia vitium tenemus manifestum certa correctione sanandum. Videbis ut quaeque forma vitiosa apud sequiores esset tritissima, ita eam in libris saepissime antiquae formae substitui. Sic ἐσήμανα pro ἐσήμηνα passim irrepsit, sed solent in ea re librarii ab Editoribus castigari. In ἐκάθαρα, καθᾶραι, καθάρας et sim. saepe fraus commissa impune est et vitiosae lectiones *propter Codicum fidem* scilicet retinentur et haerent. Multos multorum locos ubi καθᾶραι legatur collegit Lobeck., quorum equidem Diodorum Siculum et Dionysium Halic. aliosque eiusdem farinae scriptores, quorum oratio multis nominibus vitiosa est, nihil curo nec moror. Eorum autem, qui ante tempora Macedonica nati sunt, neminem istis formis usum esse umquam satis apud me constat: itaque sicubi apud illos ista compareant scribis imputanda esse et emendanda censeo. Attulit e veteribus et probatis scriptoribus nonnulla Lobeckius, sed ut fieri solet, si quis corruptis testibus in mala causa utitur, non sunt satis firmi et facile destruuntur. Frustra ad testimonium dicendum producitur Xenophon, cui in Anabasi V. 7. 30. ex tribus optimis libris καθῆραι tandem est restitutum. Frustra Plato, in Legum libro V. p. 735 B., cui Astius certa emendatione reddidit οὐκ ἄλλως μήποτε ἐπιχειρήσει θεραπεύειν ἢ πρῶτον μὲν τὸν ἑκάστῳ προσήκοντα καθαρμὸν καθαρεῖ pro lectione librorum καθάρῃ et καθαίρῃ. Praeterea Dinarchi locum attulit, cui reddendum in Orat. II. 5. ἐκκαθήρατε — τὴν δωροδοκίαν ἐκ τῆς πόλεως pro ἐκκαθάρατε. Quod denique scribit de Theo-

phrasto »*si hunc licet Veteribus adnumerare qui ne aniculis quidem Atticis satis Atticus videbatur,*" abutitur iocosa Ciceronis narratiuncula in Bruto cap. 46, ex quo loco eodem iure colligas Tincam non bene Latine fuisse locutum. Theophrastus obruebatur ab Atheniensibus *nescio quo sapore vernaculo*, sed ineptum est credere eum non optime Attice loqui solitum. Itaque ei in Charact. cap. XVI. reddemus τὴν οἰκίαν καθῆραι δεινός pro καθάραι δεῖν ὡς, ut in Palatino Codice legitur, et mox περικαθῆραι pro eiusdem libri lectione περικαθάραι. Eodem modo apud Demosthenem in Orat. XLIII. 58 pro καθᾶραι τὸν δῆμον reponemus καθῆραι, et apud Antiphontem VI. 37. πρὶν τὴν οἰκίαν καθῆραι pro καθᾶραι, et sicubi idem mendum recurret eodem remedio utemur.

In Oecon. XVIII. § 9 verba sic constituerim: ταῦτα τοίνυν ἐλελήθειν ἐμαυτὸν ἐπιστάμενος, καὶ πάλαι ἐννοῶ εἰ ἄρα λέληθα καὶ χρυσοχοεῖν ἐπιστάμενος. Coniunguntur vulgo ἐπιστάμενος καὶ πάλαι, deinde subiungitur: Ἐννοῶ ἄρα εἰ λέληθα, in qua scriptura et καί et ἄρα vitium arguunt, quorum illud male abundat, hoc alieno loco positum est.

In cap. XX. 4. ἀνὴρ οὐ λαμβάνει σῖτον ἐκ τοῦ ἀγροῦ scribendum est ἀνήρ, et sic iterum tertiumque in iis quae sequuntur.

In § 5. τοιαῦτ' ἐστίν, ἃ διαφέροντες ἀλλήλων οἱ γεωργοὶ διαφερόντως καὶ πράσσουσι πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ δοκοῦντες σοφόν τι εὑρηκέναι εἰς τὰ ἔργα, confusa sunt duo vocabula, quae saepe solent, et sic factum est ut locus commode intelligi non possit. Διαφερόντως πράσσειν enim non significat διαφόρως πράσσειν aut πράσσειν ἀνομοίως, *dissimili fortuna uti*, (sicuti XX. 1. οὐχὶ πάντες πράσσουσιν ὁμοίως est *non omnes in simili fortuna sunt*, sed alii sunt in re lauta, alii inopes et aere alieno obruti) sed διαφερόντως πράσσειν est *fortuna et opibus caeteros superare, ditiorem esse et fortunatiorem quam caeteros*, et sic demum intelligitur quid sit πολὺ μᾶλλον ἢ οἱ δοκοῦντες σοφόν τι εὑρηκέναι εἰς τὰ ἔργα. Erant enim etiam tunc qui in agricultura novis quibusdam inventis uterentur, et etiam tunc colonus diligens et assiduus e re rustica plus faciebat lucri et διαφερόντως ἔπραττε quam qui novorum inventorum sollertiam non eadem cura et diligentia rei rusticae adhibebant. Itaque

pro *διαφέροντες ἀλλήλων* emendandum esse apparet *διαφέροντες ἄλλων*, non enim agricolae *qui differunt inter sese*, sed *qui praestant aliis* solebant et solent in re lautiore esse. Quam saepe *ἄλλων* et *ἀλλήλων* confundantur notum est omnibus. *Διαφερόντως* autem et *διαφόρως* quid differant satis constat. Recte Stephanus: »*Διαφερόντως eam sequitur significationem verbi διαφέρειν qua ponitur pro* Praesto, Excello," itaque significat *praeter caeteros, egregie, eximie, impense, maiorem in modum* similiaque. Emendari poterit obiter Platonis locus in Protagora pag. 349 D. *εὑρήσεις γὰρ πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀδικωτάτους μὲν ὄντας καὶ ἀνοσιωτάτους καὶ ἀκολαστοτάτους καὶ ἀμαθεστάτους, ἀνδρειοτάτους δὲ διαφερόντως*, ubi *ἀνδρείους δὲ διαφερόντως* est restituendum. Vides quid pepererit errorem satis manifestum, ut opinor.

In cap. XX. § 13. *εἰ δέ τις παντάπασιν ἀγνὼς εἴη τί δύναται φέρειν ἡ γῆ*, aperte mendosum est *ἀγνὼς εἴη*. *Ἀγνώς* enim numquam apud Veteres *ἀγνοῶν* significat sed semper et ubique *ἀγνοούμενος*, et inter se opponi solent *γνώριμος* et *ἀγνώς*, ut apud Aristotelem in Ethic. Nicom. IV. 6. *ὁμοίως γὰρ πρὸς ἀγνῶτας καὶ γνωρίμους καὶ συνήθεις καὶ ἀσυνήθεις αὐτὸ ποιήσει.* Vitium invectum est ex vitiosa sequiorum *συνηθείᾳ*, qui contra usum Veterum ponebant *ἀγνώς* pro *ἀγνοῶν*, ut Pausanias IX. 39. § 13. *ἀράμενοι κομίζουσιν ἀγνῶτα ὁμοίως αὑτοῦ τε καὶ τῶν πέλας.* Rescribendum videtur *παντάπασιν ἀγνοοίη.*

In § 14. *πάντες οἴδασιν* corrige sodes *πάντες ἴσασιν.* Nemo umquam Veterum usus est formis *οἴδατον, οἴδαμεν, οἴδατε* et *οἴδασιν*, pro *ἴστον, ἴσμεν, ἴστε* et *ἴσασιν.* Praeterea pro *εὖ πάσχουσα εὖ ποιεῖ* genuinum esse existimo *εὖ πάσχουσα ἀντευποιεῖ.* Sic Athenienses in tali re dicere solere inter legendum multis multorum exemplis cognosces, si voles hoc agere. Sic V. 12. *τοὺς ἄριστα θεραπεύοντας πλεῖστα ἀγαθὰ ἀντιποιεῖ*, et V. 6. *ὠφελούμενοι ἀντωφελοῦσιν*, et IX. 11. *ὅπως χαριζομένη τι ἡμῖν ὑφ' ἡμῶν ἀντιτιμήσεται.* Eodem remedio utendum in Demosthenis Orat. XXV. 57. *τὴν τοιαῦτ' εὐεργετήσασαν αὐτὸν — καὶ ἀξιοῦσαν εὖ παθεῖν*, imo vero *ἀντευπαθεῖν.*

In § 15. bene supplevit Mehlerus ἡ ἐν γεωργίᾳ (ἀργία) ἐστὶ σαφὴς ψυχῆς κατήγορος κακῆς.

In § 18. ὅταν ὁ μὲν πράσσῃ ἐφ' ᾧπερ ὥρμηται recipienda fuerat Stephani emendatio ἐφ' ὅπερ ὥρμηται, deinde expunge inficetum interpretamentum [βαδίζων]. Etiam in vicinia legendum ἐφ' ὅπερ τεταγμένοι εἰσί pro ἐφ' ᾧπερ.

In § 21. τὰ οὖν συντρίβοντα τοὺς οἴκους, miror usum verbi συντρίβειν, *comminuere*, in tali re et ἐπιτρίβοντα requiro. Putasne συντριβείης pro ἐπιτριβείης dici posse aut σύντριπτος pro ἐπίτριπτος aut similia? *Perdere* enim et *pessumdare* ἐπιτρίβειν dicitur ab Atheniensibus omnibus.

In § 25. ὅπως ἔχοι ὅ τι ποιοῖ scribe ποιοίη. Poëtis relinquenda sunt ποιοῖμι, ποιοῖς et ποιοῖ similiaque omnia. Caeteri omnes constanter ποιοίην et ποιοίης et ποιοίη dicebant. Librariis aliter visum, praesertim in Platone, sed in re certa et explorata librarios non curamus.

In § 26. ἢ καὶ ἀπεδίδοτο εἰ πολὺ ἀργύριον εὑρίσκοι; ne quis erret, εὑρίσκοι non de patre Ischomachi dicitur sed de fundo, quem vendebat. Constantissime enim εὑρίσκειν τιμήν et εὑρίσκειν ἀργύριον πολύ et similiter dicitur non venditor sed id quod venditur, de qua re alias accurate dicam. Exemplum idoneum est in Oeconomico II. 3. πόσον ἂν οἴει εὑρεῖν τὰ σὰ κτήματα πωλούμενα, ubi sine ullo sententiae detrimento participium πωλούμενα poterat omitti. Vide et quae statim sequuntur.

In cap. XXI. 3. ὅταν δέῃ περᾶν ἡμερίους πλοῦς ἐλαύνοντας, corrige ἡμερησίους πλοῦς, namque hoc solum id significat quod sententia loci requirit *per totos dies* esse remigandum.

In § 4. πείθεσθαί τε οὐκ ἀξιοῦντας [οὐδ' ἐθέλοντας], quicumque animadverterit quo sensu Athenienses et in quali re ponere οὐκ ἀξιοῦν sint soliti, verba οὐκ ἐθέλοντας ex interpretamento nata inducet.

In § 5. suspiciosum mihi est αἰσχυνομένους τε ἔχουσιν αἰσχρόν τι ποιεῖν, quoniam Athenienses video in tali re verbo χρῆσθαι non ἔχειν uti solere. Dicebant πειθομένους παρέχω et αὐτὸς πειθομένοις χρῶμαι, quamobrem παρέχουσιν mihi verius esse videtur. In extrema § πονεῖν importune additum est in verbis: καὶ σύμπαντας, [πονεῖν] ὅταν δέῃ, οὐκ ἀθύμως

πονοῦντας, nempe *πονεῖν* et male abundat et loco non suo positum est: habent hoc multa emblemata, quoniam ex ora libri a scribis praepostere recepta sunt, ut in aliena sede collocata sint et hoc quoque certo indicio deprehendi possint.

In § 7. *οἳ ἂν δύνωνται ἐμποιῆσαι τοῖς ϛρατιώταις ἀκολουθητέον εἶναι καὶ διὰ πυρὸς* [*καὶ διὰ παντὸς κινδύνου*]. Potuitne peius corrumpi quod scite Xenophon dixerat quam addito insulso emblemate *καὶ διὰ παντὸς κινδύνου*? *Ἰέναι διὰ πυρός* vel *διὰ πυρὸς ἀκολουθεῖν* et similia quid significent nihil opus est quemquam docere. Quid diceres si in Xenophontis Symposio IV. 16. *ἐγὼ οὖν μετὰ Κλεινίου κἂν διὰ πυρὸς ἰοίην*, esset additum *διὰ πυρὸς καὶ διὰ παντὸς κινδύνου*? ferendumne esse putares? Sed nihilo minus ineptum est quod in nostro loco aequis animis ferunt omnes.

In § 8 *τούτους δὴ δικαίως ἄν τις καλοίη μεγαλογνώμονας ᾧ ἂν ταῦτα γιγνώσκοντες πολλοὶ ἕπωνται*, facile admonitus senties *ταὐτὰ γιγνώσκοντες* esse scribendum. Caeterum, quod cum Xenophontis pace dictum sit, est istud quidem *ἐνθύμημα ψυχρὸν πάνυ* et pravi et sophistici acuminis. Non multo melius est quod sequitur *καὶ μεγάλῃ χειρὶ εἰκότως οὗτος λέγοιτο πορεύεσθαι οὗ ἂν τῇ γνώμῃ πολλαὶ χεῖρες ὑπηρετεῖν ἐθέλωσιν*, ubi supplendum est: *εἰκότως* (*ἂν*) *οὗτος λέγοιτο*. Vitiosum est etiam quod sequitur *καὶ μέγας τῷ ὄντι οὗτος ἀνὴρ ὃς ἂν μεγάλα δύνηται γνώμῃ διαπράξασθαι μᾶλλον ἢ ῥώμῃ*, ubi loci artificiose compositi concinnitas postulat ut scribatur *μέγας τῷ ὄντι οὗτος ἂν εἴη ὃς ἂν κτὲ.*

Denique in § 10 *ὃν ἂν ἰδόντες κινηθῶσι καὶ μένος ἑκάϛῳ ἐμπέσῃ τῶν ἐργατῶν καὶ φιλονικία πρὸς ἀλλήλους καὶ φιλοτιμία κρατίϛη οὖσα ἑκάϛῳ*, emendandum esse censeo *καὶ φιλοτιμία κρατιϛεῦσαι ἑκάϛῳ* (*ἐμπέσῃ*), id est *καὶ ἕκαϛος κρατιϛεῦσαι φιλοτιμηθῇ*, planissime ut supra § 6 *ὅλῳ τῷ ϛρατεύματι ἐγγίγνεται τὸ φιλοτιμεῖσθαι ὀφθῆναι καλόν τι ποιοῦντας ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος*. *Κρατιϛεύειν*, *caeteris omnibus praestare*, saepissime apud Xenophontem legitur, praesertim in Memorabilibus Socratis et in Cyropaedia.

Stobaeus ex Oeconomico et alios quosdam locos in Florilegium recepit et ex cap. VI. 4—5 descripsit Floril. LXXXV. 23 cum una alteraque verissima lectione, quam olim receptam

oportuit. Quis enim intelligit haec verba VI. 5. πάσας τὰς ἐπιστήμας οὔτε μαθεῖν οἷόν τε ἡμῖν ἐδόκει συναποδοκιμάζειν τε ταῖς πόλεσι τὰς βαναυσικὰς καλουμένας τέχνας? Si enim συναποδοκιμάζειν ex verbo ἐδόκει erit suspendendum et loci compositio et copularum οὔτε — τε collocatio absurda erunt. Xenophontis manum Stobaeus servavit συναπεδοκιμάζομέν τε ταῖς πόλεσι, qua recepta rectissime habebunt omnia. In iis, quae continuo sequuntur ὅτι καὶ τὰ σώματα καταλυμαίνεσθαι δοκοῦσι καὶ τὰς ψυχὰς καταγνύουσι simile est compositionis vitium, quod tolletur accepta a Stobaeo lectione verissima καταγνύναι pro καταγνύουσι, quam poterat quis coniectando reperire, nunc ab idoneo teste oblatam aspernantur.

In verbis quae Xenophon respicit IV. 2 scribendum esse ἐπίρρητοί τε εἰσὶ καὶ εἰκότως μέντοι πάνυ ἀδοξοῦνται πρὸς τῶν πόλεων egregie confirmabit Grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 345, 5. Minus recte Stobaeus Floril. LXI. 6 ὑπὸ τῶν πόλεων affert. Placet Xenophonti consuetudo Ionica, quam optime revocavit Schneiderus XVI. 15 πρὸς τοῦ ἡλίου reponens, id est ὑπὸ τοῦ ἡλίου, pro librorum scriptura πρὸς τὸν ἥλιον.

Admonent ne haec suspicionis Valckenaerii in XVIII. 5 pro ἀνύτοιεν reponere iubentis ἀγνύοιεν, quae etiam propterea est improbanda quia nemo in Attica ἄγνυμι dicebat sed κατάγνυμι omnes. Iones olim et Dores verbo simplici Fάγνυμι aut Βάγνυμι utebantur. *Nucifrangibulum* a Spartanis μουκηροβάκτας dicitur, sed ab Atheniensibus καρυοκατάκτης, quia ut illi Βάγνυμι μούκηρα dicebant, sic Attici κάρυα καταγνύναι, ἀμυγδαλῆν κατᾶξαι, et similia.

Utar nunc tribus locis in Oeconomico emendate scriptis ad restituendos locos totidem aliorum scriptorum, ubi eadem scriptura aut similis quaedam a librariis obscurata est. Et primum quidem Thucydidis locum proferam II. 7. ubi manifestum mendum omnibus est sed nondum probabili correctione sublatum in verbis: καὶ Λακεδαιμονίοις μὲν — τοῖς τἀκείνων ἑλομένοις ναῦς ἐπετάχθησαν ποιεῖσθαι κατὰ μέγεθος τῶν πόλεων, ubi Λακεδαιμόνιοι ex aliis libris sic recipiendum est ut corrupta scriptura ἐπετάχθησαν emendetur. Quamquam forma τέταχα apud Athenienses non crebro occurrit, habet tamen certam fidem, ut vel Xenophontis locus demonstrat in Oeconom. IV. 5.

ἐξ ὁπόσωνπερ ἐθνῶν δασμοὺς λαμβάνει τέταχε τῷ ἄρχοντι ἑκάστῳ κτἑ. Lacedaemonii sociis in Italia Siciliaque naves *imperaverant* etiam antequam Thebani Plataeas conati sunt opprimere, idque ipsum Thucydides sic dixerat: *Λακεδαιμόνιοι μὲν — ναῦς ἐπετετάχεσαν ποιεῖσθαι*, quae forma rarior, quia facillime in libris *χ* et *χθ* (quemadmodum et *φ — φθ*) confunduntur, in *ἐπετετάχθησαν* et *ἐπετάχθησαν* abiit, quo facto nescio quis *Λακεδαιμονίοις correxit* scilicet. Confirmat etiam hanc rationem aoristus *τοῖς τἀκείνων ἑλομένοις — ἐπετετάχεσαν*, iis qui se ad illorum societatem *applicuissent imperaverant.* Si nunc demum illos ea imperasse novis sociis dicere voluisset non *ἑλομένοις*, ut opinor, scripsisset, sed *αἱρουμένοις.*

Quam facile scriptura *-χεσαν* in *-χθησαν* abire possit docebit Bastius in Comment. Palaeogr. p. 750.

Verba in Oecon. V. 8. *τίς δὲ ἥδιον τὸν ἐπιμελόμενον δέχεται προτείνουσα τῷ προσιόντι λαβεῖν ὅ τι χρῄζει*; admonent me loci apud Demosthenem p 179, 15 *ὁ μὲν γὰρ — χρήματα δώσει τισὶν αὐτῶν καὶ φιλίαν προτενεῖται*, ubi *προτενεῖ* non *προτενεῖται* censeo esse scribendum. *Προτείνειν*, *porrigere*, *offerre*, eximie is dicitur qui *ostentat* alicui aliquid idque se daturum spem facit cupido et inhianti, haud secus atque *προσείειν τί τινι*, de qua locutione egregia est illa Ruhnkenii et Hemsterhusii annotatio ad Timaeum v. *Θαλλός.* Coniunxit utrumque Plato in Phaedro p. 230 D. a Ruhnkenio appositus: *ὥσπερ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν προσείοντες ἄγουσι σὺ ἐμοὶ λόγους οὕτω προτείνων — τὴν Ἀττικὴν φαίνει περιάξειν ἅπασαν.* Quis credat in talibus verbo *προτείνειν* vel *προσείειν* perinde verbum *προσείεσθαι* vel *προτείνεσθαι* posse substitui? Videbis in talibus passim *προτείνειν* usurpari, ut apud Isocratem in Plataic. 43. *τὴν αὐτονομίαν προτείνοντες*, et Antiphontem V. 50. *ἐλευθερίαν προτείναντες*, et Demosthenem in Orat. XXIII. 117. *ἐξαπατώντων τι τῶν Λακεδαιμονίων καὶ προτεινόντων πίστιν ἥντινα βούλεται λαμβάνειν*, et aliis locis ubi quis aut *lucrum* aut *formidinem* aut *spem* alicui dicitur *ostentare*, *κέρδος ἢ φόβον ἢ ἐλπίδα προτείνειν.* Apud Lucianum in *Navigio seu votis* § 39 in omnibus libris est *χρύσεα ἐκπώματα προτεινόμενος τοῖς συμπόταις*, in uno omnium optimo *προτείνων* exstat, quod me nondum poenitet in ΠΡΟΠΕΙΝΩΝ id est *προπίνων* refinxisse.

Simili de causa προτείνων depravatum est in ΠΡΟΤΕΙΜΩΝ, id est προτιμῶν, apud Euripidem in Heraclidis vs. 21.

Quod legitur in Oeconom. XVII. 9. τῷ μὲν οἴνῳ τῷ ἰσχυροτέρῳ πλεῖον ἐπιχεῖν ὕδωρ, optime adhiberi potest ad emendandum Diphili fragmentum in Stob. Floril. CIV. 16. Nempe οἱ οἰνοχόοι τὸν οἶνον ὑποχέαντες εἶτα τὸ ὕδωρ ἐπιχέουσιν, idque discrimen verborum ὑποχεῖν et ἐπιχεῖν ex ipsa natura rei ortum certum et perpetuum est. Dicebant igitur convivae ad pincernam: οὐχ ὑποχεῖς; οὐχὶ δώδεκα κυάθους ὑποχεῖς; quod in priore parte Sophilo reddidimus, comparato Menandreo:

'Οκτώ τις ὑποχεῖν ἀνεβόα καὶ δώδεκα
κυάθους.

quod qui facit ὑποχέασθαι dicitur, quod pulchre restituit Dindorfius Diphilo apud Athen. p. 497. A, ubi Codex Marcianus et apographa ἔσθ' ὑποσχέσθαι πλείονας exhibent. Quis nunc non statim deprehendit vitium in loco Diphili apud Stobaeum l. l.

ὥσπερ κυαθίζουσ' ἐνίοθ' ἡμῖν ἡ τύχη
ἓν ἀγαθὸν ἐπιχέασα τρί' ἐπαντλεῖ κακά.

et quis dubitat quin ὑποχέασα sit restituendum? Quod nisi restitueris, non solum lepos et venustas dicti peribit, sed sensu vacua sententia erit. 'Υποχεῖν eo sensu apud Graeculos olim abierat in desuetudinem, itaque ἐπιχεῖν substituunt quod tulerat aetatem.

Transeo nunc ad Xenophontis Symposium, in quo lepidissimo libro pauculos quosdam locos male habitos in integrum restituere conabor.

In ipso limine turbarunt scioli ἔργα de suo inserentes τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν [ἔργα] τὰ μετὰ σπουδῆς πραττόμενα, quod a multis damnatum nondum a quoquam Editore expunctum est. Locus est a multis laudatus, quos indicavit Wyttenbachius ad Eunapii prooemium *de vitis Sophistarum*, ubi librorum lacunam manifestam non satis recte me iudice vir doctus explevit. In libris est: ὁ γοῦν μέγας 'Αλέξανδρος οὐκ ἂν ἐγένετο μέγας εἰ μὴ Ξενοφῶν καὶ τὰ πάρεργά φησι δεῖν τῶν σπουδαίων ἀνδρῶν ἀναγράφειν. Equidem sic expleverim: εἰ μὴ Ξενοφῶν (αὐτὸν ὅπως χρὴ νικᾶν τοὺς βαρβάρους ἐδίδαξεν. Οὗτος οὖν ὁ) Ξενοφῶν καὶ τὰ πάρεργα κτέ. Sic enim intelligi potest cur ea verba exci-

derint. Nempe describentis oculi quum Ξενοφῶν in vicinia recurreret a priore ad posterius aberrarunt, quo factum est ut intermedia omitterentur. Quis nescit hanc esse lacunarum causam frequentissimam? Attigi autem haec tam pervulgata ut in ipso Xenophonteo Symposio veterem lacunam explerem II. 5. ubi in libris est: ἐπεὶ γοῦν νικηφόρος ἐβούλετο τοῦ παγκρατίου γενέσθαι σὺν σοὶ σκεψάμενος αὖ ὃς ἂν δοκῇ αὐτῷ ἱκανώτατος εἶναι εἰς τὸ ταῦτα ἐπιτηδεῦσαι τούτῳ συνέσαι, ubi suspicor bis repetitum σκεψάμενος peperisse scribarum errorem et sic esse supplendum: σὺν σοὶ (σκεψάμενος τοῦτο κατέπραξεν, ὅταν δὲ καλὸς κἀγαθὸς γενέσθαι ἐπιθυμῇ πρὸς ἑαυτὸν) σκεψάμενος αὖ κτέ.

Nullo negotio vetus lacuna suppleri potest in Hippodami Pythagorei loco apud Stob. Floril. XCVIII. 71 τοὶ μὲν γὰρ πρᾶτοι ἀτυχέες ἐόντες ἐκτήσαντο, τοὶ δὲ δεύτεροι εὐτυχέες γενόμενοι.... διέφθειραν. Supplendum: εὐτυχέες (γενόμενοι ἀπέλαυσαν, τοὶ δὲ τρίτοι ἄφρονες) γενόμενοι διέφθειραν, ut vicina satis demonstrabunt.

In cap. I leviora tantum scripturae vitia corrigenda supersunt. Scribendum enim § 8. κατεκλίνησαν pro κατεκλίθησαν, quia satis constat Athenienses illa forma perpetuo fuisse usos, cui scribae ἐκ τῆς συνηθείας suam substituere assolent, de qua re ad Hyperidem ὑπὲρ Εὐξενίππου adnotavimus. In eadem sententia esse video Dindorfium ad Cyrop. VIII. vii. 4. Forma Attica aetatem tulit et etiam sequioribus restituenda est, Dioni Chrysostomo, Plutarcho, Luciano, aliis.

In § 9 οὐδεὶς οὐκ ἔπασχέ τι τὴν ψυχήν. Verissima est Schneideri emendatio οὐδεὶς ὅστις οὐκ ἔπασχέ τι et recipienda in textum. Quod editur, non est Graecum, et quod Athenaeus (V. p. 226) ex h. l. affert, οὐδεὶς ἦν ὃς οὐκ ἔπασχέ τι, non est Atticum.

Revocanda est Attica crasis in § 15. ἔρρει τἀμὰ πράγματα (pro τὰ ἐμά) et in § 11. τἀπιτήδεια, quemadmodum et IV. 2. ὅτου πριάμενοι τἀπιτήδεια ἕξουσιν. Repone et IV. 10. καλοὺς γὰρ κἀγαθούς pro καὶ ἀγαθούς, et VIII. 17. ὑφ' οὗ εἰδείη καλός τε κἀγαθὸς νομιζόμενος pro καὶ ἀγαθός. In his et multis aliis crasis est perpetua, ut in τἀγαθά. quamobrem legitur IV. 47. τὰ μὲν φαῦλα ἀποτρέπειν τἀγαθὰ δὲ διδόναι, non τὰ δ' ἀγαθά, quo indicio et aliae Veterum crases solemnes et perpetuae deprehendi possunt. Nemo nescit scribarum

esse morem crases resolvere: ridiculum igitur est in iis tantum locis eas recipere ubi libri tamquam aves *addicunt*, ubi non admittunt, vitiosas lectiones aequis animis ferre et auribus. Promiscue edi videbis τἀνδράποδα, τἀπινίκια, τἀπιτίμια, τἀργύριον aliaque permulta, et τὰ ἀνδράποδα cett., quum satis certum sit illa omnia non minus constanter apud Veteres coaluisse quam θοἰμάτιον, θαἰμάτια, θἄτερα et sim. Quam saepe ex vetustissimis scripturae vitiis pellucet antiqua scribendi consuetudo! Ubi Athenaeus Xenophontis verba ex Symp. I. 11. attulit (p. 614. C.), in Marciano archetypo scriptum esse vidi πάντα τὰ πιτήδεια, et sic saepissime erratur in Codd. vetustioribus, ut scribatur τὰ πινίκια et sim., in quibus antiquam scripturam ΤΑΠΙΤΗΔΕΙΑ et ΤΑΠΙΝΙΚΙΑ paene oculis cernimus. Quid autem scribas culpamus indoctum genus et nihil cogitare solitum? Vide quid designaverit Hesychius, Grammaticorum eruditissimus, ut quibusdam videtur, qui quum Πιτανάτης λόχος quis esset explicuisset, subiicit Πιτίμια: τὰς ἀξίας τιμωρίας πιτίμια φασίν, et post pauca Πίχειρον: ἀνταπόδοσις. Nempe legerat ΤΑΠΙΤΙΜΙΑ et ΤΑΠΙΧΕΙΡΑ eaque perite sic divisit. Idem magna gravitate annotavit: Τἀμά: τὰ ἐμά, et alia sexcenta habet eiusdem farinae, ut Τἄνδον: τὰ ἔνδον. Idem sedulo annotavit Ταὐτά, si quis forte nesciret, esse τὰ ἴσα, τὰ ὅμοια, et Ταὐτό ac ταὐτόν esse τὸ αὐτό. Frustra etiam talia admonuit, namque passim antiqua scriptura ταὐτά concepit vitium. Refingunt ΤΑΥΤΑ ubi *eadem* significat in τὰ αὐτά, contra morem Veterum, aut depravant in ταῦτα, contra sententiam. Exempla ubique obvia: etiam in Xenophontis Symposio II. 24. ubi Codices Xenophontei exhibent δοκεῖ μέντοι μοι καὶ τὰ τῶν ἀνδρῶν συμπόσια ταῦτα πάσχειν ἅπερ καὶ κτέ. sed Athenaei Codex (laudantis haec p. 504. C) τὰ τῶν ἀνδρῶν σώματα τὰ αὐτὰ πάσχειν: cum Xenophonteis conspirant libri Stobaei Floril. XIX. 18. Veram scripturam primus revocavit Stephanus ταὐτὰ πάσχειν. Sequitur ex his nostri ubique arbitrii esse constituere utrum ταῦτα an ταὐτά scribendum sit, et verum ubique esse non quod scribae forte dederint, sed quod cuiusque loci sententia requirat. Iuvat hoc iure uti in quibusdam Oratorum Atticorum locis. In Demosthenis Orat. XV. 7. ἐγὼ γὰρ

εἰ βασιλεύς — με σύμβουλον ποιοῖτο ταῦτ' ἂν αὐτῷ παραινέσαιμι ἅπερ ὑμῖν, imo vero *eadem quae vobis*, *ταὔτ' ἄν*. In eiusdem quae feruntur Prooemiis XXXIV. *ἂν τοίνυν ταῦθ' ἅπερ πρότερον ποιήσητε*, repone *ταὔθ' ἅπερ*, et eadem opera in Aristophanis Equitt. vs. 213. restitue:

Φαυλότατον ἔργον, ταὔθ' ἅπερ ποιεῖς ποίει,

pro *ταῦθ' ἅπερ*. Apud Isaeum I. 23. *τοσαύτην ποιήσασθαι σπουδὴν ὥϛε Ποσειδίππῳ μὲν ὅτι κατημέλησεν ὀργισθῆναι, Διοκλέους δὲ ταῦτα πάλιν ἐς τὴν ὑϛεραίαν δεηθῆναι*, sentisne *ταὐτὰ πάλιν* requiri? Meministi quam saepe *ὁ αὐτὸς πάλιν*, *idem rursus*, coniungantur. Hinc emendari poterit Teleclidis locus apud Plutarchum in Pericle cap, XVI.

λάϊνα τείχη τὰ μὲν οἰκοδομεῖν τὰ δὲ αὐτὰ πάλιν καταβάλλειν,

ubi frustra corrigunt *εἶτ' αὐτὰ πάλιν* et *τάχα δ' αὐτὰ πάλιν*, nam *ταὐτά* necessarium est. Itaque ut apud Euripidem legitur in Iphigen. Aulid. vs. 37:

καὶ ταὐτὰ πάλιν γράμματα συγχεῖς,

sic et Comico reddiderim *καὶ ταὐτὰ πάλιν καταβάλλειν*. Gravius etiam peccatum in Dinarcho I. 85. *τουτὶ τὸ συνέδριον, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ὁ αὐτὸς τόπος καὶ ταῦτα τὰ δίκαια. ὁ αὐτὸς ῥήτωρ ἐκείνοις τε αἴτιος ἐγένετο τῶν συμβάντων κακῶν καὶ αὐτῷ τῶν νῦν συμβησομένων*. Satin manifestum est emendari oportere: *ταὐτὸν τὸ συνέδριον, ὦ Ἀθηναῖοι, καὶ ὁ αὐτὸς τόπος καὶ ταὐτὰ τὰ δίκαια*? Ad eandem rationem multa istiusmodi menda tolli poterunt, in quibus librorum Mss. nulla omnino habenda est ratio. *Nusquam* enim prope dixerim Atticae crases ex librariorum manibus illaesae elabuntur. Ubi isti Veteres lectiones non additis vocalibus interpolarunt, certe in scribendo coniuncta per crasin imperite distrahunt *τὰ 'πιτίμια* scribentes et *τ' ἀδικήματα, τ' ἀμπλάκημα, τ' ἀναγκαῖα, τ' ἄλλα*, similiaque sexcenta, quae olim Editores retinebant. Simili modo corrumpunt *τἄν, μέντἄν, τἄρα, ἤτἄρα* et *μοὐϛίν, ἐμοὐδόκει, καἰτοὔϛιν, μέντοὔφασκεν*, aliaque quam plurima, quae *numquam fere* nisi male mulcata ex libris ad nos perferuntur. Dicebant Veteres *καὶ δίκαια κἄδικα* et *καὶ δικαίως κἀδίκως*, quod a scribis contemeratum vide apud Demosthenem XLIV. 35. *δεῖν αὐτὸν καὶ δικαίως καὶ ἀδίκως ἀμφισβητεῖν τῶν ἀλλοτρίων*. Si in Aristophane sic peccant, quid eos in

Demosthene putes facturos? Apud Demosthenem X. 15, pro πολλὰ δ' ἂν γένοιτο ἀνθρώπῳ in Cod. S. scriptum est γένοιτο τἀνθρώπῳ, quae non est vera lectio sed verae proxima: legendum enim γένοιτ' ἀνθρώπῳ, cuiusmodi multa passim vitia commissa, de quo genere errorum annotavimus ad Euripidis Helenam. Nihil est tritius quam ut articulus pereat in ἀνήρ, ἀδελφός, ἄνθρωπος, ἀγών sim. inclusus: peccatur tamen etiam in contrariam partem, quod factum est apud Demosth. XLVIII. 45. πῶς ἂν μᾶλλον ἄνθρωπος ἐξελέγχοιτο ψευδόμενος; Revocandum ἄνθρωπος censeo, quod in talibus positum idem atque τις significat: πῶς ἄν τις μᾶλλον ἐξελέγχοιτο;

Quam raro elabitur Attica crasis in ἀρετή, ἀρεταί, ἀγαθή et similes omnes? In Stobaei libris legitur Floril. 72, 10:

ἀλλ' αἱ ἀρεταὶ τέρπουσι τοὺς ξυνευνέτας.

et 111, 4:

πόλλ' ἐλπίδες ψεύδουσιν αἱ ἄλογοι βροτούς.

et 88, 5:

ἐν τοῖς τέκνοις γὰρ ἡ ἀρετὴ τῶν εὐγενῶν
διέλαμψε,

nam sic, quam ἐνέλαμψε, cum Valckenaerio scribere malim pro ἐνέλαβε. Ibidem 9, 15. τἄνδικα in τὰ δίκαια abiit, et 43, 7:

ὅπου δὲ μὴ τὰ ῥᾷστ' ἐλευθέρως λέγειν
ἔξεστι, νικᾷ δ' ἐν πόλει τὰ χείρονα,

optime τἄριστ' ἐλευθέρως correxit Meinekius. Ibid. 94, 6. pro τοὔνεχ' ὃν σέβειν πρέπει suspicor τοὔνδικον σέβειν latere, sed caetera nondum sanata sunt. Talium igitur ubique magna copia est: quae pro se quisque audacter ad Veterum rationem et usum revocabit.

Quod emendate in libris exstat I. 15. τίνος ἕνεκα καὶ καλεῖ μέ τις; commode adhiberi potest ad firmiter stabiliendam veram scripturam loci in cap. II. § 3. αἱ μέντοι γυναῖκες — μύρου μὲν τί καὶ προσδέονται; αὗται γὰρ τούτου ὄζουσιν. Sic enim Attici loquuntur pro οὐδεὶς δήπου καλεῖ με, et αἱ γυναῖκες μύρου μὲν οὐδὲν προσδέονται δήπου. Non capiunt haec Graeculi et turbas dare solent. In libris est μύρου μέντοι καὶ προσδέονται, et solent scribae perpetuo τοι et τι inter se oscitanter permutare, ut unicuique ubique liberum sit spretis libris omnibus ex cuiusque loci ratione et sententia utrum τοι

an *τι* scribendum sit constituere. Quandoquidem *μέντοι καὶ προσδέονται* sensu vacuum erat, natae sunt leves correctiunculae, quas nihil attinet commemorare. Apud Athenaeum p. 686. B. Codex Marcianus exhibet *μέν τι καὶ προσδέονται*, quae vera scriptura est, sed male lecta pro *μὲν τί καὶ προσδέονται*; quam primi omnium Stephanus et Casaubonus revocarunt in lucem ac temere Editores quidam repudiarunt. Recte in Platonis Phaedro p. 258. E. ex optimis libris editur: *τίνος μὲν οὖν ἕνεκα κἄν τις ὡς εἰπεῖν ζῴη*; pro *ἕνεκα ἄν τις*. Ad idem exemplum reconcinnandus est locus Demosthenis in Orat. XXXVII. 27. ubi editur: *τίνος γὰρ ἕνεκ' ἔπειθον*; sed edendum est *τίνος γὰρ ἕνεκα καὶ ἔπειθον*; ut in tali re usitatum est dicere.

Quod autem dicebamus *τοι* et *τι* confundi, videbis, si hoc ages, passim pro *τι* vitiose *τοι* scribi solere: rarius *τι* pro *τοι* subrepit, nonnumquam utraque scriptura male coniungitur, ut in *μέντοι τι*. Noli igitur dubitare in VIII. 23. *ἀεὶ γάρ τοι προσαιτῶν καὶ προσδεόμενος — παρακολουθεῖ*, quin verissime Stephanus *ἀεὶ γάρ τι* correxerit.

In cap. II. § 1. *ἔρχεταί τις ἔχων — παῖδα πάνυ γε ὡραῖον καὶ πάνυ καλῶς κιθαρίζοντα*, corrigendum est *πάνυ τε ὡραῖον*. *Πάνυ γε* non alibi ponitur quam in responsione, et est *prorsus assentientis*, ut *πάνυ μὲν οὖν*. Apud Veteres *πάνυ τι* semper cum negatione coniungitur: *οὐ πάνυ τι*, *οὐδεὶς πάνυ τι*, sim., ubi saepe *οὐ πάνυ τοι* scribi in libris videbis, quibus tu nihil tribues. *Οὐδὲν πάνυ* quoque dicebant, quod quid significet non potest melius perspici quam ex Aristophanis versiculo, sed emendato, qui nunc vitiosus legitur in Nubibus vs. 733.

Ἔχεις τι; — Μὰ Δί', οὐ δῆτ' ἔγωγε. — Οὐδὲν πάνυ; nempe non sic Strepsiades dixerat sed, *Μὰ Δί', οὐδέν γ' ἔγωγε*, quum Socrates ei stomachans intonat: *Οὐδὲν πάνυ*; Sed ad Xenophontem revertor.

In cap. II. 1. pro *ἔχων τε αὐλητρίδα ἀγαθὴν καὶ ὀρχηστρίδα*, transposita copula scribendum *ἔχων αὐλητρίδα τε ἀγαθήν κτἑ.*

Ex capite II. § 2 sqq. multa descripsit Athenaeus p. 686. D. quae est operae pretium considerare paullo attentius. In iis quae apud Athenaeum a scriptura Codicum nostrorum discedunt alia sunt minimi pretii, veluti *ἀκροάματα καὶ θεάματα*

pro *θεάματα καὶ ἀκροάματα*, aut *εἰ καὶ μύρον ἐνέγκαι τις ἡμῖν* pro *εἰ καὶ μύρον τις ἡμῖν ἐνέγκαι*: alia sunt apud illum mendosa et monstrose quaedam corrupta, veluti *ναῦται γὰρ τούτου ὄζουσιν* pro *αὗται*, et *ἐλαίου — ὀσμὴ καὶ παρουσία ἀνδρῶν ἢ μύρου γυναιξὶν ἡδίων καὶ ἀπουσία ποθεινοτέρα*, quae corruptela sic orta est: vetus scriptura ΠΑΡΟΥΣΑΗΔΙΩΝ a dormitante librario ita corrupta est ut ex ΑΗΔΙΩΝ exsculperet ΑΝΔΡΩΝ, deinde vera lectio *ἡδίων* a correctore apposita in alienam sedem, ut fit, irreperet. Qui sibi *ἀνδρῶν* videbatur videre vitium vitio cumulans *παρουσία ἀνδρῶν* dedit et mox *ἀπουσία* pro ΑΠΟΥΣΑ. Fraudis ratio manifesta est et ipsa Xenophontis manus in Codd. exstat *καὶ παροῦσα ἡδίων ἢ μύρου γυναιξὶ καὶ ἀποῦσα ποθεινοτέρα*. Etiam hoc apud Athenaeum vitiosum est quod habet *ἄλλως τε ἂν καὶ* pro *ἄλλως τε καὶ ἦν* —, quod postulat ipsa huius locutionis natura, quam quum sequiores minus perspicerent transponebant *καί*, quasi perinde esset *ἄλλως τε* ponere ac *μάλιστα*. Reliqua apud Athenaeum multo sunt quam in Codd. emendatiora et postliminio in pristinam sedem revocanda. Recipiendum est: *ἀνδρὸς μὲν δήπου ἕνεκα οὐδεὶς μύρῳ χρίεται*, pro *ἀνὴρ οὐδείς*. Athenienses *οὐδεὶς ἀνήρ* in concitata oratione usurpabant, ut *οὐδεὶς ἀνθρώπων*, in magna admiratione aut indignatione aut ira, quae omnia ab hoc loco alienissima sunt. Praeterea recipi oportet: *αἵ γε μὴν γυναῖκες* pro *αἱ μέντοι γυναῖκες* et *ὥσπερ ἡ Νικηράτου τε τουτουῒ καὶ ἡ Κριτοβούλου*. In Xenophontis libris *τε τούτου* exciderunt ob antecedens *Νικηράτου*: servavit Athenaeus, sed *τουτουΐ* pro *τούτου* scriptum oportuit. Deinde ab Athenaeo accipiemus scripturam *μύρῳ μὲν ἀλειψάμενος καὶ δοῦλος καὶ ἐλεύθερος εὐθὺς ἅπας ὅμοιον ὄζει*, nisi quod pro *ἅπας*, quod ridiculum est, *πᾶς* substituemus. Quod vulgatur, *ὁ ἀλειψάμενος*, recte haberet si sequeretur *εἴτε δοῦλός ἐστιν εἴτ' ἐλεύθερος*. Tum ambabus manibus amplectendum, quod Athenaeus offert *ἐπιτηδευμάτων τε πρῶτον (χρηστῶν) καὶ χρόνου πολλοῦ δέονται*. Vulgo *χρηστῶν* abest, unde fit ut locus sit sensu vacuus: *ἐπιτηδεύματα* enim nihil significat, nisi cuiusmodi ista *studia* sint aliquo modo significetur. Notum est quam saepe Veteres *καλὰ ἐπιτηδεύματα* appellent, et *ἀγαθά* et *χρηστά*. Denique pervetustum librorum mendum et diu inveteratum Athenaei

indicio deprehendi et tolli poterit in his: ὥσπερ γάρ τοι ἐσθὴς ἄλλη μὲν γυναικὶ, ἄλλη δὲ ἀνδρὶ καλὴ, οὕτω καὶ ὀσμὴ ἄλλη μὲν ἀνδρὶ, ἄλλη δὲ γυναικὶ πρέπει. In Athenaei Codice est ἐσθὴς ἄλλη μὲν γυναικεία, ἄλλη δὲ ἀνδρεία [καλή], οὕτω καὶ ὀσμή κτὲ. Expunge modo καλή et habebis Xenophontis manum: ὥσπερ — ἐσθὴς ἄλλη μὲν γυναικεία ἄλλη δὲ ἀνδρεία, οὕτω καὶ ὀσμὴ ἄλλη μὲν ἀνδρὶ ἄλλη δὲ γυναικὶ πρέπει, quae quanto sint rectius cogitata et verius dicta et ad aurem accidant iucundiora omnibus perspicuum esse arbitror. Quoniam in libris vetustis pro γυναικεία et ἀνδρεία scribi fere solet ΓΥΝΑΙΚΙΑ et ΑΝΔΡΙΑ factum est ut ΓΥΝΑΙΚΙΑΑΛΛΗ in γυναικὶ ἄλλη depravaretur, unde et ἀνδρί pro ΑΝΔΡΙΑ natum est, et sic καλή a sciolo additum, ut ruentem sententiam fulciret. Sed in re perspicua et manifesta verbum non amplius addo.

In § 4. scribendum esse πόθεν ἄν τις τοῦτο τὸ χρῖμα λάβοι; non τὸ χρίσμα, satis alibi demonstravimus, sicuti et κέχριμαι solum Veteribus usitatum fuisse, non κέχρισμαι. Peccant saepe scribae κεχρισμένος et sim. substituentes de suo, sed satis constat esse illa omnia scribarum peccata. Κεχριμέναι in Eubuli fragmento illaesum evasit in Athenaei Codice Marciano p. 557. F. sed κεχρισμέναι supposuit Graeculus, qui Epitomen confecit. Reddendum est Aristophani:

ὁ δ' αὖ Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχριμένου
ὥσπερ καδίσκου περιέλειχε τὸ στόμα,

apud Dionem Chrysostomum in Orat. LII. p. 273, ubi Codices omnes servant κεχρισμένου. Scribebatur olim χρείω, κέχρειμαι, κεχρεῖσθαι, ἐγχρείω, quemadmodum τειμή et νείκη et alia sexcenta propter ι productum: quae res in errorem induxit Phrynichum, quum in Bekkeri Anecd. p. 46, 10 κεχρῖσθαι (κεχρίσθαι enim scribarum error est, non Phrynichi) et κεχρεῖσθαι vellet scribendo distinguere. Plura indicabit Ruhnkenius in notissima annotatione ad Timaeum v. Ἐγχρίμπτει, cuius unum errorem indicabo. Nempe quod Kusteri emendationem ἐγχρίμματος pro ἐγχειρήματος apud Philostratum probat, fallitur: ἔγχριμα enim Graecum est, ut χρῖμα, et vetus scriptura ἐγχρείματος quam facile in ἐγχειρήματος abire possit in aprico est.

In Sympos. II. 4 vitium concepisse intelligo haec: ὁ μὲν

Θέογνις ἔφη· Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι κτέ. neque enim *μέν* cur additum sit apparet, et *ἔφη inquit* significans ad Socratem non ad Theognidem referri debet. Excidisse nonnulla videntur.

In § 6. *ὁ δέ τις (εἶπεν), ὡς οὐδὲ διδακτὸν τοῦτο εἴη*, quid sibi vult *οὐδέ*, in verbis *οὐδὲ διδακτόν?* Reponendum est *οὐ διδακτόν*. Ostendam mox quam saepe *οὐ — οὐδέ — οὐδέν* inter sese scribarum negligentia fuerint permutata.

In § 9 laborat sententia in verbis: *ἡ γυναικεία φύσις οὐδὲν χείρων τῆς τοῦ ἀνδρὸς οὖσα τυγχάνει, γνώμης δὲ καὶ ἰσχύος δεῖται.* Nimium est *δεῖται*: non enim foeminis *robur* et *consilium deest*, sed *non satis* consilii et roboris in muliebri genere inesse erat dicendum. Itaque emendandum est *γνώμης δὲ καὶ ἰσχύος προσδεῖται.* Sic enim differunt inter se *δέομαι* et *προσδέομαι* (pro quo nonnumquam *ἐνδέομαι* usurpant), ut is *cui quid plane desit δεῖσθαί τινος* dicatur, sed *cui non sit alicuius rei satis προσδεῖσθαι* et *ἐνδεῖσθαι.* Rectissime igitur foeminae *propter infirmitatem consilii* (ut loquitur Cicero pro Murena cap. XII. 27) *γνώμης προσδεῖσθαι* dici possunt, *δεῖσθαι γνώμης* non item, nisi si qua consilii plane *expers* esse dicatur. Senserunt loci vitium Interpretes, sed perversa verborum interpretatione quam correctione difficultatem removere maluerunt. Nemo mirabitur *πρός* excidisse, quod passim fieri solere notum est, cuius rei et causam aperui in priore parte et exempla complura attuli, quibus nunc alia quaedam iuvat addere. Quod in Euripidis Alcestide vs. 405 affertur e Florentino A. *σπιτνῶν* pro *προσπίτνων*, natum est *σ* e compendio praep. *πρός* non intellecto. Sed e solo Demosthene nonnulla expromam. Periit *πρός* p. 95, 4, et p. 635, 11 ubi *γράψαι* in optimis est pro *προσγράψαι*, et p. 732, 6 ubi *γράψας* habet S. pro *προσγράψας*. Ridicule adeo p. 1066, 2. *παλτίου* est in libris pro *Προσπαλτίου*. Restituendum est *πρός* p. 675, 12: *διήγαγε (πρὸς) ἡμᾶς πολεμῶν*, et p. 977, 25: *οὐκ εἶναι (πρὸς) δίκην μεταλλικὴν προσφευκτέον*, et p. 1052, 26: *οὐδ' ἀπολογήσασθαί μοι ἐξεγένετο οὐδὲ (πρὸς) πολλοστὸν μέρος ὧν κατεψεύδοντο ἡμῶν.* Elapsum ex omnibus libris et aliunde retractum videbis et p. 1402, 9.

Subdubito in Symp. II. 10 in verbis *βουλόμενος ἀνθρώποις χρῆσθαι καὶ ὁμιλεῖν*, an ipse Xenophon duo novissima verba ad-

diderit. Non solet enim *ἰσοδύναμα* coniungere, et plane idem est *ἀνθρώποις χρῆσθαι* et *ἀνθρώποις ὁμιλεῖν*, et in illa festivissima comparatione *χρῆσθαι ἀνθρώποις* multo melius quam *ἀνθρώποις ὁμιλεῖν* ponitur propterea quod *ἵπποις χρῆσθαι* optime dicitur, *ἵπποις ὁμιλεῖν* non item.

In § 15 intercidit articulus: lege enim: *καλὸς (ὁ) παῖς ὢν — ἔτι καλλίων φαίνεται.* conf. § 22.

In § 20 apparet *ἀφιςώης* mendosum esse, quae forma ne Graeca quidem est. Quid sit restituendum non reperio et omnino quid dicat Philippus non intelligo.

In § 23. *ἔγωγ' οὖν διψῶ, καὶ ὁ παῖς ἐγχεάτω μοι τὴν μεγάλην [φιάλην].* Qui Atticorum compotantium sermones non indiligenter audiverit, dabit mihi *φιάλην* ab nescio quo annotatore adscriptum esse. Dicebant enim *αἰτεῖν τὴν μεγάλην, τὴν μεγάλην διδόναι, βοᾶν τὴν μεγάλην, ἐγχεῖν τὴν μεγάλην* et nonnunquam *τὴν μείζω*. Sophilus Athen. p. 431 A.

συνεχὴς ἄκρατος ἐδίδοτ', ἴσον ἴσῳ, πάλιν
τὴν μείζον' ᾔτουν.

Menander Athen. p. 502 E.

τοῦτο δὴ τὸ νῦν ἔθος,
ἄκρατον ἐβόων, τὴν μεγάλην. ψυκτῆρά τις
προὔπινεν αὐτοῖς.

Diphilus Athen. p. 132. D.

οἷον Ῥοδίους κέκληκας· εἰσιοῦσι δὸς
εὐθὺς ἀπὸ θερμοῦ τὴν μεγάλην αὐτοῖς σπάσαι.

Alexis Athen. p. 254. A.

παῖ, τὴν μεγάλην δὸς ἐπιχέας
φιλίας κυάθους μὲν τῶν παρόντων τέτταρας.

ubi quam primum revoca *ὑποχέας* pro *ἐπιχέας*. Iubetur *ὁ παῖς κυάθους τέτταρας οἴνου ὑποχεῖν*, de cuius verbi in ea re usu supra notavimus: itaque si *ἐπιχέας* in libris omnibus legeretur tamen *ὑποχέας* verum esse constaret. Sed *ὑποχέας* in libris omnibus est, quod Valesius in *ἐπιχέας* depravavit, quam infelicem coniecturam inconsulto omnes receperunt. Praeterea *μέν* (in *κυάθους μὲν τῶν παρόντων*) Meinekius de suo inseruit, ineleganter admodum. Quid sit verum tum demum poterit constitui quum sequens senarius:

τοὺς τρεῖς δ' ἔρωτας προσαποδώσεις ὕςερον,

emendatus erit, qui nunc sensu vacuus est: nam quod ἔρωτος restituunt nauci non est.

Ex his igitur Comicorum testimoniis Xenophontem more popularium ὁ παῖς ἐγχεάτω μοι τὴν μεγάλην scripsisse arbitror, deinde, uti fit, ellipsin a sciolo expletam.

Venustissima Socratis dicta 24—26 Stobaeus Floril. XIX. 18 et Athenaeus p. 504. C. exscripserunt. A Stobaeo accipiendum πίνειν — κἀμοὶ πάνυ δοκεῖ pro καὶ ἐμοί, et δοκεῖ γε μέντοι μοι, ubi γε Xenophontis Codices et Athenaei male omittunt. Athenaeus contra solus servavit verissimam lectionem σώματα pro συμπόσια in his: (δοκεῖ μοι) τὰ τῶν ἀνδρῶν σώματα τὰ αὐτὰ πάσχειν κτέ. Absurdissima lectio συμπόσια in caeteris omnibus est, quod indicio est vetustissimum mendum id esse, cuiusmodi olim complura fuisse etiam in antiquissimis Codicibus ex multis luculentis indiciis satis constat. Apponam unum insigne ex ipso vetustissimo Xenophontis Codice sumtum, quo mihi facilius credatur ex hoc ipso lepidissimo Symposii loco unum et alterum perveterem errorem eximenti. In incerti auctoris libello *de rep. Lacedaemoniorum*, qui iam antiquissima memoria Xenophonti perperam attribuebatur, de Spartana iuventute haec satis inepte iactantur III. 5. ἐκείνων ἧττον μὲν ἂν φωνὴν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, ἧττον δ' ἂν ὄμματα μεταστρέψαις ἢ τῶν χαλκῶν, αἰδημονεστέρους δ' ἂν αὐτοὺς ἡγήσαις καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων, quae quum e Xenophonte afferret Rhetor nescio quis, cuius libellus περὶ ὕψους circumfertur IV. 4, deceptus sui Codicis scriptura attulit αἰδημονεστέρους — καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένων, deinde multis verbis Xenophontem duriter increpat, quam sit hoc absurdum demonstrat, et Timaeum addit frigidissimum istud inventum turpiter esse Xenophonti suffuratum. Sedare potuisset tantas hominis iras vera lectio ΘΑΛΑΜΟΙΣ pro ΟΦΘΑΛΜΟΙΣ, quam vel ab ipso non esse repertam mirarer nisi scirem quanta in talibus ἀκρισία olim hominum etiam eruditissimorum fuerit, quos vulgo existimare consuevimus et optime Graece scire et plurimum in rebus huiusmodi videre. Eandem mendosam et prope dixerim monstrosam scripturam ὀφθαλμοῖς Stobaeus in suo libro reperit, quem descripsit in Floril. XLIV. 27. Alia autem ibidem librariorum foedissima menda conspiciuntur, quae

nullo modo ferenda sunt, quamquam Editoribus aliter videri solet. Estne turpe, ut hoc utar, retinere *περιόπτειν* pro *περιβλέπειν*? Aliud autem est Stobaei lectiones per vim ad vulgatam Codicum nostrorum scripturam accommodare, aliud monstrosas scribarum hallucinationes attingere non audere, et quid aliud est *περιόπτειν*? Video tamen *Διόπτομαι* a Dindorfio in Stephani Thesaurum receptum et ex Josepho Genes. p. 50 A. afferri *διώπτετό τις*: tu *διῶπτό τις* repone, et absurdam formam inducemus. Eiusmodi est scriptura apud Longinum quem vocant l. l. *ὄμματα ςρέψαις* pro *ὄμματα μεταςρέψαις*, et alia complura istiusmodi aequis animis ferri videmus. In Xenophontis loco, quem tractare coepimus, vitiose scriptum et Stobaeus et Athenaeus afferunt *πάσχειν, ἅπερ καὶ τὰ τῶν ἐν τῇ γῇ φυομένων*, nisi quod *ἐν γῇ φυομένων* habet Athenaeus. Ecquid esse potest ineptius quam *συμπόσια τῶν ἐν τῇ γῇ φυομένων*, ut apud Stobaeum est, vel *σώματα τῶν ἐν γῇ φυομένων*, ut est apud Athenaeum? Opponuntur autem inter se *τὰ σώματα τῶν ζῴων* et *τὰ ἐν τῇ γῇ φυόμενα*, ut apud Platonem in Sympos. p. 186. A. Haec igitur dudum emendata habemus *δοκεῖ τὰ τῶν ἀνδρῶν σώματα ταὐτὰ πάσχειν, ἅπερ καὶ τὰ ἐν γῇ φυόμενα* praeter unum vocabulum, quod adhuc mendosum est. Nam cur *ἀνδρῶν σώματα* commemorat? Quasi vero hoc *virorum* corpora praecipuum propriumque haberent, idemque in corpore *muliebri* usu venire non posset. Imposuit librariis vetus compendium ΑΝΩΝ, quod quamquam est pervulgatum, tamen plurimos passim errores peperit. Itaque *τὰ τῶν ἀνθρώπων σώματα* restituemus, quae vides quam bene *τοῖς ἐν γῇ φυομένοις* opponantur. Notissimum est quot menda compendium ΑΝΟC pepererit. Unum addam ex Democrito apud Stobaeum Floril. XLVI. 46. *Μηδέν τι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους αἰδέεσθαι ἑωυτοῦ*, tu scribe *τοὺς ἄλλους*. Scribae sibi *τοὺς ἄνους* visi sunt videre. In iis, quae statim sequuntur: *καὶ γὰρ ἐκεῖνα, ὅταν μὲν ὁ θεὸς αὐτὰ ἄγαν [ἀθρόως] ποτίζῃ οὐ δύναται ὀρθοῦσθαι*, male sedula manus *ἀθρόως* allevit, aut ad explicandum quid esset *ἄγαν ποτίζειν*, aut ex vicinis *ἢν ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχεώμεθα*. Venustissime dictum est *ἄγαν ποτίζειν*, quum homines ipsi *πίνειν ἄγαν* dicantur, et *ὁ λίαν πότος* de *nimio potu* usitatum sic dicere. Omnino quum *ἄγαν* et *με-*

τρίως inter se contraria sint, et οὐ μετρίως saepius pro ἄγαν usurpetur, consequitur ἄγαν cum his demum vocabulis bene coniungi, quibuscum μετρίως bene coniungatur: sic ἄγαν ὀπτά et ἄγαν ἑφθά opponuntur τοῖς μετρίως ὠπτημένοις καὶ πεπεμμένοις. Itaque quum ἀθρόως ποτίζειν hanc gradationem non admittat, neque μετρίως ἀθρόως sanum sit, manifestum emblema expellemus. Sed leve hoc quidem est prae foedissima macula quae inquinat sequentia: ἢν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψακάζωσιν — οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου [μεθύειν] ἀλλ' ἀναπειθόμενοι πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφιξόμεθα. Nihil nos Stobaeus et Athenaeus iuvant, nisi quod μεθύειν transponunt: μεθύειν ὑπὸ τοῦ οἴνου exhibentes: quo ego indicio non utor, nam quoties verba a scribis etiam contra metrum transponi videmus! Sed spreta omnium librorum auctoritate μεθύειν pessime interpolatum esse et delendum pronuntio: quae res, si quid iudico, tam plana et evidens est ex se ipsa spectata, ut eam intelligentibus indicasse satis esse videatur. Interpositum μεθύειν non tantum loci concinnitatem vitiat, sed quod a Socrate urbanissime et excogitatum erat et dictum prorsus obscurat et pessumdat. Μεθύειν enim illis quidem Calliae convivis et res et nomen est foedum atque turpe. Adolescentuli liberius viventes, luxuriosi senes, servi nequam, scorta, parasiti, lenones, milites, et si qui alii in Comoediis agebantur, neque nomen neque rem ipsam magno opere reformidabant, sed alii mores, alia oratio est ἀνδρῶν ἐκκεκαθαρμένων τὰς ψυχάς (I. 4), quales tum apud Calliam epulabantur. Nempe illos Bacchus laetitiae dator exhilarare potest ut in omne genus iocorum effundantur, non ut ebrii ac temulenti fiant. Illud ipsum scite Socrates appellat πρὸς τὸ παιγνιωδέστερον ἀφικέσθαι: illuc igitur minutis et rorantibus poculis melius convivas dicit perventuros οὐ βιαζομένους ἀλλ' ἀναπειθομένους ὑπὸ τοῦ οἴνου. Perinde est ac si dixisset: ὁ οἶνος ἡμᾶς παίζειν οὐ βιάσεται ἀλλ' ἀναπείσει. Sed ut in re perspicua satis verborum est: expuncto μεθύειν notabimus quam sint istiusmodi corruptelae veteres, ut quae iam inolevissent in iis Xenophontis Codicibus, quos Athenaei aetate eruditi terebant.

In cap. III. 5. ὁ πατὴρ [ὁ] ἐπιμελούμενος ὅπως ἀνὴρ ἀγαθὸς γενοίμην ἠνάγκασέ με πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν. Recte

viri docti expuncto altero articulo *ὁ πατὴρ ἐπιμελούμενος κτἑ.* scribendum esse censuerunt. Quod Schneiderus *ὁ πατὴρ ὁ ἐμός* coniecit ferri non potest ob pronomen *με* additum: in talibus *ὁ πατήρ, ἡ μήτηρ, ὁ υἱός* et similia omnia significant *meus pater*, *mea mater*, *meus* filius, cet.; ut in Oeconom. VII. 14. *ἐμὸν δ' ἔφησεν ἡ μήτηρ ἔργον εἶναι σωφρονεῖν.* Ναὶ μὰ Δί', ὦ *γύναι, καὶ γὰρ ἐμοὶ ὁ πατήρ.* Alexis Athenaei p. 244. E.

Στράτιε, φιλεῖς δήπου με; — μᾶλλον τοῦ πατρός,
ὁ μὲν γὰρ οὐ τρέφει με, σὺ δὲ καλῶς τρέφεις.

i. e. *plus quam* meum *patrem:* obiter correcto accentu et sublata interrogandi nota scribe: *Στρατίε, φιλεῖς δήπου με.* Sed exemplorum ubique est affatim. Utilius est ex ea observatione locorum quorumdam labem deprehendere et sanare. In Nicomachi fragmento apud Athenaeum p. 58 A. edi video:

Οὐσίδιον γὰρ καταλιπόντος μοι πατρός,

quod manifesto mendosum est: requiritur enim *ὁ πατὴρ οὐσίδιόν μοι κατέλιπεν.* In libris est *καταλιπόντος μοι τοῦ πατρός,* unde dixisse Comicum arbitror:

οὐσίδιόν μοι καταλιπόντος τοῦ πατρός.

Aperta fraus est in Antiphanis fragmento apud Stobaeum Floril. LXXIX. 7.

ὅςις γὰρ ὁμόλογόν τι μὴ ποιεῖ πατρί,

sed praeterquam quod *τῷ πατρί* requiritur, et *ὁμόλογον* corruptum est et *μὴ ποιεῖ* (pro *οὐ ποιεῖ*), ut suspicer veterem lacunam a sciolo utcumque expletam esse et locum esse insanabilem. In loco Anaxandridis apud Stob. Floril. LXXIV. 1.

Χαλεπή, λέγω σοι, καὶ προσάντης, ὦ τέκνον,
ὁδός ἐςιν, ὡς τὸν πατέρ' ἀπελθεῖν οἴκαδε
παρ' ἀνδρός, ἥτις ἐςὶ κοσμία γυνή.

emendandum est *παρὰ τἀνδρός, a viro suo:* maritus enim *ὁ ἀνήρ* (*ἀνήρ*) dicitur, et *uxor ἡ γυνή: γυναικὶ μὴ πίςευε* est *foeminae noli credere*, sed *ὅπως μὴ ἐρεῖς τῇ γυναικί cave dicas uxori tuae*, et latissime hic usus patet, quem sic satis indicasse videor.

In cap. III 6. *οἶσθά τι οὖν ἔθνος ἠλιθιώτερον ῥαψῳδῶν;* respondet Niceratus: *οὐ μὰ τὸν Δί', οὔκουν ἔμοιγε δοκεῖ.* Intelligisne quae dicit? Non opinor. Intelliges autem, ubi rescripseris: *οὔκουν ἔμοιγε δοκῶ*, nempe *εἰδέναι*, quae nota est *assentiendi* forma.

In cap. III. 10. Σὺ δὲ, ἔφη ὁ Καλλίας, ἐπὶ τίνι μέγα φρονεῖς, ὦ Σώκρατες; καὶ ὃς μάλα σεμνῶς ἀνασπάσας τὸ πρόσωπον, ἐπὶ μαστροπείᾳ, εἶπεν. Offendo in ἀνασπάσας τὸ πρόσωπον nec dubito quin τὸ μέτωπον sit a Xenophonte scriptum. Usitatissimum est in ea re ἀνασπᾶν τὰς ὀφρῦς, ἀνεσπακὼς τὰς ὀφρῦς, ἐπηρκὼς τὰς ὀφρῦς, et ἀνατείνειν et ἀνέλκειν et sim. quae plurima undique collegit Dobraeus ad Aristophanis Acharn. vs. 1068. Notum est ludicrum in philosophos epigramma, cuius initium est:

Ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκαταπηξιγένειοι,

apud Athenaeum p. 162 A. Ut Latine *contrahere frontem* et contra *explicare* aut *exporgere*, sic Graece τὸ μέτωπον συνάγειν dicebant et ἐκτείνειν τὸ μέτωπον et χαλᾶν τὸ μέτωπον. Ἀνασπᾶν τὸ μέτωπον apud Aristophanem emendate legitur in Equitt. 631.

ἡ βουλὴ δ' ἅπασ' ἀκροωμένη
ἔβλεψε νᾶπυ καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασαν.

contra in Vespis 655.

ἀκρόασαί νυν, ὦ παππίδιον, χαλάσας ὀλίγον τὸ μέτωπον.

Locum ex Equitibus afferens Athenaeus p. 367. A. τὰ πρόσωπ' attulit, siculi et alibi πρόσωπον pro μέτωπον substituerunt librarii, quod ipsum nunc video Dindorfium admonuisse ad Steph. Thes. v. Μέτωπον, qui loci Xenophontei eandem emendationem sed dubitanter commendavit. In Xenophontis Cyneget. IV. 8. commemorantur canes πυρραὶ ἔχουσαι λευκὴν τρίχα ἐπανθοῦσαν περὶ τὰ πρόσωπα, Pollux τὰ μέτωπα affert, quod lubenter accipimus. In Isocratis Euagora § 44. σεμνὸς ὢν οὐ ταῖς τοῦ προσώπου συναγωγαῖς ἀλλὰ ταῖς τοῦ βίου κατασκευαῖς dubitasne μετώπου reponere? Adscripsi et reliquam loci partem, ut Platonis locum in Protagora in transcursu corrigerem. Editur p. 320. A. Κλεινίαν — ἐπιτροπεύων ὁ αὐτὸς οὗτος ἀνὴρ [Περικλῆς] καταθέμενος ἐν Ἀρίφρονος ἐπαίδευε· καὶ πρὶν ἓξ μῆνας γεγονέναι ἀπέδωκε τούτῳ οὐκ ἔχων ὅ τι χρήσαιτο αὐτῷ, sed resecto futili additamento Περικλῆς supple: καὶ (ὃς) πρὶν ἓξ μῆνας γεγονέναι κτἑ.

Eadem correctio multo etiam plus proderit Oenomao apud Eusebium in Praeparat. Euang. V. 20, qui de Heraclidarum in Peloponnesum reditu scribens, quum Aristomachum ambi-

guo oraculo deceptum periisse retulisset, ita pergit ad ipsum Apollinem orationem convertens: *τούτου δὲ υἱὸς ὢν ὁ Τήμενος κακοδαίμων ἧκεν ἐκ κακοδαιμόνων τρίτος, σὺ δ᾽ αὐτῷ παρεγγυᾷς ἃ καὶ Ἀριϛομάχῳ τῷ πατρὶ καὶ ὅσα ἄλλα· κἀκεῖνός σοι, ἔφη, πεισθεὶς ἀπέθανεν ἐν τῇ ἐσβολῇ*, tu vero emenda: *ἃ καὶ Ἀριϛομάχῳ τῷ πατρί. καὶ ὅς· ἀλλὰ κἀκεῖνός σοι, ἔφη, πεισθεὶς ἀπέθανεν ἐν τῇ ἐσβολῇ.*

In cap. IV. 1. *ἀκούοιτ᾽ ἄν, ἔφη ὁ Καλλίας, ἐμοῦ πρῶτον*, emendandum esse censeo *ἐμοῦ πρώτου.* Quis non saepe vidit *πρῶτος* et *πρῶτον* confundi? Numquam hoc factum est quin sententia loci corrumperetur: sed in talibus viri docti id quod dicendum erat magis quam id quod dicitur cogitare solent, et sic vitium orationis non animadvertunt. Quis non recte intelligit verba Thucydidis II. 34. *δημοσίᾳ ταφὰς ἐποιήσαντο τῶν ἐν τῷδε τῷ πολέμῳ πρῶτον ἀποθανόντων*, et tamen hoc ita dicitur quasi in bello *iterum* cadere potuerint, ut qui in hoc bello *primum* cecidissent. Imo vero *primi* ceciderant et *πρώτων* est reponendum. Eusebius in Stobaei Floril. XLVI. 41. non scripsit: *ὁ θάνατος παρὰ τῶν πρώτως δίκαια θέντων οὐκ ὥς τι κακὸν ἐπετιμήθη*, sed *παρὰ τῶν πρώτων τὰ δίκαια θέντων*, et passim menda eiusdemmodi recurrunt.

Manifestum additamentum eximendum est IV. 1. *ἐν [τῷ χρόνῳ] ᾧ ὑμῶν ἀκούω ἀπορούντων τί τὸ δίκαιον ἐν τούτῳ δικαιοτέρους τοὺς ἀνθρώπους ποιῶ.* Quis non sentit *τῷ χρόνῳ* abesse oportere, et *dum ἐν ᾧ* dici nescit, aut *ἐν ὅσῳ* (Porson. Advers. p. 294)? praeterea *ἐν* repetitum oportuit *ἐν τῷ χρόνῳ, ἐν ᾧ.* Etiam alibi apud Xenophontem eodem modo peccatum est.

Frequenti errore in § 3. *μέν* transpositum est in libris *εἰ μὲν πρὸς τοὺς ἄλλους* pro *εἰ πρὸς μὲν τοὺς ἄλλους*, de quo mendi genere supra quaedam annotavimus.

In § 4. pro *ἐν μισθῷ αὐταῖς οἰκοῦσιν* primus omnium Aem. Portus veram lectionem reperit *ἐν μισθωταῖς οἰκοῦσιν.* Commode Schneiderus attulit Theophrasti locum ex Charactt. XXIII. *καὶ ἐν μισθωτῇ οἰκίᾳ οἰκῶν φῆσαι ταύτην εἶναι τὴν πατρῴαν*, et Valckenaerius, qui in Annotationibus Mss. eandem correctionem huic loco adhibuit, adscripsit Athen. p. 212. D. *ὁ δὲ πρότερον ἐκ μισθωτῆς οἰκίας ἐξιών.*

In § 5. *ἀνάσχου μέντοι, ὦ σοφιϛά, ἐλεγχόμενος.* Νὴ Δί᾽,

ἔφη ὁ Σωκράτης, *ἀνεχέσθω* μέντοι, probo et sequor Ernesti iudicium ἀνασχέσθω reponi iubentis.

In § 7. ἥδιον γὰρ πιεῖσθε, rescribe sodes πίεσθε, qua sola forma Veteres usos esse iam satis constat. Πιοῦμαι plebeia dicendi συνήθεια peperit, quam formam a Moeride et Phrynicho recte improbatam saepius Graeculi genuinae πίομαι supposuerunt.

In § 8. tralaticium vitium irrepsit in verba: κρομύων ὄζων ἐπιθυμεῖ οἴκαδε ἐλθεῖν, ἵν' ἡ γυνὴ αὐτοῦ πιστεύῃ μὴ διανοηθῆναι μηδένα ἂν φιλῆσαι αὐτόν. Emenda *μηδὲ* διανοηθῆναι, *ne cogitasse quidem*, nedum id fecisse: quae in talibus tritissima omnibus locutio est. Similiter dicebant οὐδ' ἐνεθυμήθην, οὐδ' ἐμέλλησα, alia. Apud Demosthen. Orat. XXXV. 19. τὰ δὲ κεράμια τὰ τρισχίλια οὐδ' ἐμέλλησαν [οὐδὲ διενοήθησαν] ἐνθέσθαι εἰς τὸ πλοῖον, tolle interpretamentum. Videbis autem saepe in simili re οὐ δια — pro οὐδὲ δια — negligenter scribi, ut apud Isaeum I. 34. οἷς μὲν ζῶν *οὐ διελέγετο* ἅπασαν δοῦναι τὴν οὐσίαν, τοὺς δ' οἰκειότατα κεχρημένους οὐδὲ πολλοστοῦ μέρους ἀξιῶσαι, ubi emendandum est *οὐδὲ* διελέγετο, quae fere proverbialis locutio est, *ne alloquio quidem dignari.* Lysias III. 31. νῦν δὲ τούτῳ μὲν *οὐδὲ διελέγετο* ἀλλ' ἐμίσει πάντων ἀνθρώπων μάλιστα. Aristophanes Nub. 425:

οὐδ' ἂν διαλεχθείην γ' ἀτεχνῶς τοῖς ἄλλοις οὐδ' ἂν ἀπαντῶν.

et aliis locis.

In IV. 8. ὅπως μὴ φήσῃ τις, corrigendum est, φήσει, quo mendo nihil frequentius, ut saepius demonstravimus. Scribae vel cum barbarismo indicativi futuris subiunctivi aoristos substituunt. Peius etiam peccatur in iis ubi ὅπως cum futuro imperantis et ὅπως μή prohibentis est, quae ne admittunt quidem subiunctivum. Soloecum est in fragmento Poliochi apud Athen. p. 313. C.

ὅπως σε *πείσῃ* μηδὲ εἷς πρὸς τῶν θεῶν
τοὺς βόκκας, ἄν ποτ' ἔλθῃ, λευκομαινίδας καλεῖν,

sed requiritur ὅπως σε *πείσει* μηδὲ εἷς, quemadmodum ὅπως μὴ ἐρεῖς in ὅπως μὴ εἴπῃς converti non potest, neque aliud quidquam huiusmodi. Recte scribitur in Platonis Menexeno p. 249. E. ἀλλ' ὅπως μου μὴ κατερεῖς, et in Hippia Maiore p. 286. C. ἀλλ' ὅπως παρέσει καὶ αὐτὸς καὶ ἄλλους ἄξεις, et

passim apud Platonem. Itaque expunge emblema in Lyside p. 211. B. ἀλλ' [ὅρα] ὅπως ἐπικουρήσεις μοι, ubi maior pars librorum servat ἐπικουρήσῃς, quod vitium inolevit in Platonis Symposio p. 222. D. ὅπως ἐμὲ καὶ σὲ μηδεὶς διαβάλῃ, imo vero διαβαλεῖ. Grassantur passim in talibus scribae, sed facile est a fraudibus dudum perspectis sibi cavere. Emendate legitur in Xenophontis Symposio IV. 20. ἄγε νυν, ὅπως μεμνήσει διακριθῆναι περὶ τοῦ κάλλους κτἑ. nisi quod μεμνήσῃ Editores retinent, quas formas omnes a scribis esse invectas nunc quidem satis compertum est.

In § 9. εἰς μὲν γὰρ μάχην ὁρμωμένῳ καλῶς ἔχει κρόμυον ὑποτρώγειν, ὥσπερ ἔνιοι τοὺς ἀλεκτρυόνας σκόροδα σιτίσαντες συμβάλλουσιν, et vitium est manifestum et remedium certum. Σκόροδα σιτίζειν est *allia pascere* non *alliis*, ridicule. Corrigendum est τοὺς ἀλεκτρυόνας σκοροδίσαντες συμβάλλουσιν, id est συμβάλλουσιν ἐσκοροδισμένους, utroque enim modo Athenienses loquuntur. Notissima res est ex Aristophanis Acharn. 166. et Equitt. 494. Ad illum locum pertinet Didymi annotatio ἐκ τῆς Κωμικῆς Λέξεως servata apud Hesychium v. Ἐσκοροδισμένος. Quod apud eundem legitur v. Σκοροδίσαι, si non, uti suspicor, ex hoc ipso loco Xenophontis sumtum est, certe egregie facit ad emendationem nostram stabiliendam. Σκοροδίσαι, inquit, τὸ πρὸ τῆς μάχης σκορόδοις ἀνατρῖψαι τοὺς ἀλεκτρυόνας, quae omnem dubitationem mihi quidem eximere videntur.

In § 11. εἰ δ' ὑμεῖς τὰ αὐτὰ πρὸς ἐμὲ πάσχετε οἷάπερ ἐγὼ πρὸς τὸν ἐμοὶ δοκοῦντα καλὸν εἶναι, requiro τοιαῦτα (non τὰ αὐτά) οἷάπερ ἐγώ. In decantatis Euripidis versiculis apud Aeschinem in Timarchea § 152, et hinc repetitis apud Demosthenem de Fals. Legat. § 245.

ὅςις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
οὐ πώποτ' ἠρώτησα γιγνώσκων ὅτι
τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

unice vera lectio mihi semper visa est:

τοιοῦτός ἐσθ' οἷοισπερ ἥδεται ξυνών,

olim a Wolfio commendata, sed neque ab Aeschinis Editoribus neque a Demosthenis probata. Verba οἷοισπερ ἥδεται ξυνών admonent me loci Platonici in Protagora, quem scribae

Attici moris ignari male mulcarunt. Editur pag. 327 D. εἰ — εἶεν ἄγριοί τινες, οἷοίπερ οὓς πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ, sed ἀττικιστὶ scribendum est ἄγριοί τινες οἵουσπερ πέρυσι Φερεκράτης ἐδίδαξεν. Quam saepe librarii in οἷόσπερ ubi in attractione positum sit veteres et sanas lectiones ad suum captum interpolaverint, ad Demosthenem ostendam.

In § 14. ἥδιον δ' ἂν δουλεύοιμι ἢ ἐλεύθερος εἴην εἴ μου Κλεινίας ἄρχειν ἐθέλοι. Ferri potest ἐθέλοι, sed quanto melius εἴ μου Κλεινίας ἄρχειν μέλλοι scriptum esset, idque ipsum a Xenophonte suspicor esse profectum.

In § 15. ἐγὼ πρὸς πᾶσαν ἀρετὴν δικαιότερός σου εἰμὶ ἄγειν ἀνθρώπους, et haec scriptura manifesto sententiae adversatur, et quod Schneiderus coniecit ἄγων pro ἄγειν. Quid dicat Critobulus satis est perspicuum, nempe se non ad iustitiam tantum, ut Calliam, sed ad virtutem omnem adducere homines *posse*. Quid igitur aliud quaerimus, quum ἱκανώτερός σου εἰμὶ ἄγειν ἀνθρώπους olim a viro docto sit excogitatum? Quam recte ἱκανώτερός εἰμι ἄγειν dicatur putidum est ostendere velle, quum sexcenties in tali re ἱκανός ita sit poni solitum et in hac ipsa vicinia legatur. Sed id ipsum fortasse miretur aliquis quo modo vocabulum tam tritum et pervulgatum labem potuerit concipere. Nempe nihil est quod non possit in alia omnia depravari ab iis qui in describendo alias res agunt et quae legunt non intelligunt. Apud Demosthenem editur in Orat. XLV. 53. σὺ γὰρ τοὺς γεγραμμένους νόμους ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος μόνον ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς φύσεως οἰκεῖα ἀναιρεῖ. Intelligisne quae sint τὰ τῆς φύσεως οἰκεῖα opposita τοῖς νόμοις τοῖς γεγραμμένοις? Non opinor. Sed latet in οἰκεῖα vocabulum quo non est aliud apud Oratores tritius et frequentius, nempe τὰ τῆς φύσεως δίκαια ἀναιρεῖ, veluti in Orat. XXV. 28. προφάσεις πλάττων καὶ ψευδεῖς αἰτίας συντιθεὶς τὰ κοινὰ δίκαια ἀνατρέψειν οἴει. Rectissime igitur componuntur τὰ τῆς φύσεως δίκαια et τὰ τῶν νόμων δίκαια, quae commemorat idem Orator XXV. 3 μεθ' ἑαυτοῦ δείξων ἑκάτερος τὰ τῶν νόμων δίκαια [ἰσχυρά], ubi satis mirari non possum Dobraeo non obtemperari, qui dudum ἰσχυρά deleri iussit. Sed ad Xenophontem revertor.

In cap. IV. 15. οἵ γε καὶ ὧν δέονται μάλιστα, ταῦτ' αἰσχύνον-

ται, periit loci lepor et vis omnis elapso per negligentiam uno vocabulo, quod bis scriptum semel descripserunt: *ὧν δέονται μάλιστα, (μάλιστα) ταῦτ' αἰσχύνονται.* Comparasse iuvabit VIII. 33. ubi de eadem re dicitur: *οὗτοι μάλιστα αἰσχύνονται αἰσχρόν τι ποιεῖν.*

In § 19. insiticia verba esse: [*ὁ δὲ Σωκράτης καὶ ἐτύγχανε προσεμφερὴς τούτοις ὤν*] acute sensit Dindorfius, cuius iudicium sequor.

In § 21. *οὐ γὰρ αὖ παύσῃ σὺ* Κλεινίου *μεμνημένος*; difficile dictu est quid tandem sibi velit *αὖ*. Corrigendum arbitror: *οὐ γὰρ σὺ παύσει* Κλεινίου *μεμνημένος*; Adscriptum ΣΥ ad ΑΥ corrigendum in alienam sedem irrepsit. Quod haec verba optimum senarium efficiunt, offendet neminem qui meminerit passim senarios interdum puros omnibus scriptoribus excidere solere imprudentibus.

In cap. IV. 22. *τί δῆτα οὕτως ὅμοιον εἴδωλον ἔχων πράγματά μοι παρέχεις ἄγεις τε αὐτὸν ὅπου ὄψει*, nec sana neque Attica est ista verborum compositio: quis enim *παρέχεις ἄγεις τε* more Attico copulata esse putabit? Poëtis ista licita sunt et Ionibus: Atheniensibus non item. Praeterea fac bene haec iuncta esse, et *τε* pro *καὶ* positum nihil reprehensionis habere, perverse tamen dicitur *πράγματά μοι παρέχεις καὶ ἄγεις*, quandoquidem haec ipsa res, *τὸ ἄγειν κτέ.*, Socrati dicitur creare molestiam (*πράγματα παρέχειν*). Sublata erit difficultas omnis si rescripseris *πράγματά μοι παρέχεις ἄ γ ε ι ν σε αὐτὸν ὅποι ὄψει*, quemadmodum semel et iterum ostendimus *πράγματα παρέχειν* cum *infinitivo coniungi id ipsum quod cui molestum est significante*, ut in *ἵν' ἐμοὶ πράγματα β ό σ κ ε ι ν παρέχῃς* in Vespis, et in Phaedone *πράγματα ταῖς γυναιξὶ παρέχειν νεκρὸν λ ο ύ ε ι ν*, et aliis locis, quorum nullus nostro loco est similior quam ipsius Xenophontis in Anabasi III. II. 27. *αὗται γὰρ (αἱ σκηναὶ) ὄχλον μὲν παρέχουσιν ἄγειν, συνωφελοῦσι δ' οὐδέν*, nam perinde est dicere *πράγματα παρέχειν* et *ὄχλον παρέχειν*. In Platonis Menone p. 76. A. *ἀνδρὶ πρεσβύτῃ π ρ ά γ μ α τ α π ρ ο σ τ ά τ τ ε ι ς ἀποκρίνεσθαι·* nisi forte ipse Plato *πράγματα παρέχεις ἀποκρίνεσθαι* scripsit, vulgata scriptura certe in hanc sententiam erit accipienda.

In § 24. *λίθινως ἔβλεπε πρὸς αὐτὸν καὶ [λίθινος] οὐδαμοῦ*

ἀπῄει ἀπ' αὐτοῦ, duplex olim circumferebatur scripturae *λιθίνως* in textu, *λίθινος* in ora libri, quarum utra verior sit ambiguus haereo: deinde *λίθινος* ex margine in verba vicina irrepsit.

In § 25. *ὡς ἐν ὑμῖν αὐτοῖς εἰρῆσθαι*, nihil verius Leonclavii emendatione, *ἐν ἡμῖν αὐτοῖς*. *Αὐτοί* eo sensu nonnisi cum prima persona coniungitur: *αὐτοὶ γάρ ἐσμεν* Graecum est, non item *αὐτοὶ γὰρ ἦτε* sed *μόνοι*, quoniam *αὐτοί* de *praesentibus* tantum dici sic potest. In Platonis Protagora p. 309 A. pro *ὥς γ' ἐν αὐτοῖς ἡμῖν εἰρῆσθαι* receperim quod Athenaeus servavit *ἐν ἡμῖν αὐτοῖς εἰρῆσθαι*. Quod autem dicit Socrates *δοκεῖ — οὗτος καὶ πεφιληκέναι τὸν Κλεινίαν, οὗ ἔρωτος οὐδέν ἐςι δεινότερον ὑπέκκαυμα*, egregie faciet ad melius intelligendum venustissimum Menandri fragmentum, quod primus ex obscuro angulo protraxit et eximie emendavit Porsonus in Advers. p. 293 sq.

Μὰ τὴν Ἀθηνᾶν, ἄνδρες, εἰκόν' οὐκ ἔχω
εὑρεῖν ὁμοίαν τῷ γεγονότι πράγματι,
ζητῶν πρὸς ἐμαυτὸν, τί ταχέως ἀπολλύει·
ςρόβιλος; ἐν ὅσῳ συςρέφεται, προσέρχεται,
προέλαβεν, ἐξέρριψεν, αἰὼν γίγνεται.
ἀλλ' ἐν πελάγει συγκλυσμός; ἀναπνοὴν ἔχει,
»Ζεῦ σῶτερ," εἰπεῖν, »ἀντέχου τῶν σχοινίων."
ἑτέραν περιμεῖναι χἀτέραν τρικυμίαν.
ναυαγίου δ' ἂν ἐπιλάβοιτ', ἐγὼ δ' ἅπαξ
ἀψάμενός εἰμι καὶ φιλήσας ἐν βύθῳ.

Haec igitur, si Porsono credimus, »*verba sunt novi mariti celerem poenitentiam nuptias consequi docentis.*" Sed nunc quidem Porsono non est credendum. Verba sunt novi amatoris, qui *ut vidit, ut periit*, et repentino amoris ictu percussus didicit *ὅτι φιλήματος οὐδέν ἐςι δεινότερον ἔρωτος ὑπέκκαυμα*. Relege festivissimos versus et non dubitabis. Eadem opera expende an non melius sic legeretur: *εἰκόν' οὐκ ἔχω Εὑρεῖν ὁμοίαν τῷ γεγονότι πράγματι. Ζητῶ πρὸς ἐμαυτὸν, τί ταχέως ἀπολλύει. Στρόβιλος; κτέ.* Praeterea manifesto mendosum est *προέλαβεν*. Quid, quaeso, est *ὁ ςρόβιλος προλαμβάνει?* et *προὔλαβεν* scriptum oportuit. Repone:

ὑπέλαβεν, ἐξέρριψεν, αἰὼν γίγνεται,

ut saepissime dicitur *ὁ ἄνεμος ὑπολαβὼν τὴν ναῦν ἐκβάλλειν εἰς τὴν γῆν*, et similiter *ὁ χειμών*, veluti apud Herodotum VII. 170. *ὑπολαβόντα σφέας χειμῶνα μέγαν ἐκβαλέειν ἐς τὴν γῆν*. Sed unde digressa oratio est redeundum.

In § 26. *ἀφεκτέον ἐγώ φημι φιλημάτων ὡραίων τῷ σωφρονεῖν δυνησομένῳ*. Valckenaerius in Schedis: »*Ne φιλήματα ὡραῖα intelligantur scribendum syllaba repetita φιλημάτων τῶν ὡραίων.*"

In § 27. *ἐν τῷ αὐτῷ βιβλίῳ ἀμφότεροι ἐμβατεύετέ τι* recte Dindorf recepit *ἐμαστεύετε*, quo verbo Ionico passim utitur Xenophon pro Attico *ζητεῖν*. Iisdem *οἱ ζητηταί* appellantur *μαστῆρες*, quod vocabulum ex Solonis legibus, ut opinor, sumtum, de certo quodam genere quaesitorum Athenienses usurpabant, vid. Harpocrat. v. *Μαστῆρες*. *Ματεύειν* Tragicis relinquendum.

Quod dicit Socrates § 28. *ταῦτ' ἄρα ἐγὼ — τόν τε ὦμον πλεῖον ἢ πέντε ἡμέρας ὤδαξον καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ ὥσπερ κνῆσμά τι ἐδόκουν ἔχειν*. Non est ulla dubitatio quin Xenophon *πλεῖν ἢ πέντε ἡμέρας* scripserit et eadem scriptura passim in similibus debeat scriptoribus Atticis restitui, ad quam undique expellendam scribae veluti coniurasse videntur. Pepercerunt ei in solo Aristophane metro coacti et in unico loco Demosthenis p. 413, 2, ubi unicus Codex, sed omnium optimus, servavit *πλεῖν ἢ μυρίους*. Rectissime iudicavit Dindorfius *πλεῖν* in talibus Demostheni ubique reddi oportere, quem vide ad p. 503, 18, ubi *πλεῖν ἢ ἅπαξ* restituit, et 570, 16. *πλεῖν ἢ πέντε τάλαντα*, et 657, 10. *πλεῖν ἢ τριακόσια* et 669, 6. *πλεῖν ἢ τρία ἔτη*, sed *τρί' ἔτη* scribendum, et 744, 23. *ἐν πλεῖν ἢ διακοσίοις ἔτεσιν*, et alibi passim. Maiore etiam iure haec antiquioribus reddenda sunt, veluti Antiphonti VI. 44. *πλεῖν ἢ πεντήκοντα*, et Lysiae III. 27. *πλεῖν ἢ τέτταρα* et *πλεῖν ἢ διακοσίων*, et XXX. 7. *πλεῖν ἢ χίλιοι*. Aeschini quoque reddendum II. 175. *πλεῖν ἢ χίλια*, et III. 48, et alibi. Summo ergo iure Xenophonti forma Attica et hoc loco et aliis pluribus erit restituenda. Tam assueti sunt scribae haec omnia refingere, ut vel apud Hesychium pro *Πλεῖν, πλέον Ἀττικοὶ ἑκατέρως λέγουσιν* suum *πλεῖον* substituerint. Turpius etiam peccarunt in locis, qualis est Platonis in Menexeno p. 235 B. *καί μοι αὕτη ἡ σεμνότης παραμένει ἡμέρας*

πλείω ἢ τρεῖς, quod emendandum est ad hoc Aristophanis:

Πλεῖν ἢ τριάκονθ' ἡμέρας | τοῦ μηνὸς ἑκάστου.

Praeterea κνῆσμα vitiosum est. Dicebant veteres κνῆν et κνῆσθαι pro ξύειν et ξύεσθαι, *radere* et *scalpere*, itaque κνήσματα sunt *ramenta*. Indidem κνῆσις nascitur et τυρόκνηστις et κνηστής, et κνῆσις et κνησιᾶν, *prurire*, palmaria emendatione repositum a Meinekio in Anaxila Athenaei p. 95 B.

δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὑὸς
ῥύγχος, ὦ Φίλε, κνησιᾶν,

pro ὦ Φίλε Κινησία, et notum est κνῆσαι nonnumquam in κινῆσαι abire. Bene reposuit Wyttenbachius κνήσαις in Platonis Symp. p. 185. E. ἀναλαβὼν τι τοιοῦτον οἵῳ κνήσαις ἂν τὴν ῥῖνα pro κινήσαις, sed requiro ὅτῳ (non οἵῳ) κνήσαις ἄν. Unusquisque ad hanc lucem statim emendabit Aristotelis locum in Problem. XXXV. 8. διὰ τί ἐάν τις τὸν περὶ μασχάλας τόπον κινήσῃ ἐκγελῶσιν; et mox διὰ τί πτερῷ τὰς ῥῖνας κινήσαντες πτάρνυνται; Perpetuo cum his confunduntur nata e κνίζω κνίσμα et κνισμός et κνισμώδης, nam sic ubique, non κνησμός et κνησμώδης scribendum esse censeo: eodem modo apud Xenophontem erratum esse olim Schneiderus perspexit κνίσμα optime reponi iubens. Contra κνήσματα, *ramenta*, reddendum Platoni est in Hippia Maiore p. 304. A. ubi editur: κνίσματά τοι ἐστὶ καὶ περιτμήματα τῶν λόγων.

Nunc quidem intactum evasit ταῦτ' ἄρα, ubi quod Schneiderus annotavit διά intelligendum, idem olim sciolo visum est, qui quum in Platonis Protagora p. 341. C. rectissime legeretur: ταῦτ' ἄρα καὶ μέμφεται τὸν Πιττακόν, in ora libri διά adscripsit, unde nata est vulgata lectio: [διὰ] ταῦτ' ἄρα. Optime Schneiderus in Symp. IV. 55. admonuit esse scribendum: ταῦτ' ἄρα — καὶ πρῴην ἐγώ σου ἤκουον εὐχομένου κτἑ. pro ταῦτα γάρ, sed Editores non audiunt.

In eadem § 28. in fine quod legitur οὗτοι μὲν δὴ οὕτως ἀνακαλὲξ ἔσκωψάν τε καὶ ἐσπούδασαν, luculenter demonstrat σκώπτειν apud Atticos plane idem esse ac παίζειν, nisi quod *iocari* et *ioculo* quid *facere* et *dicere* significat, non *ludere* etiam, quae utraque notio in verbo παίζειν coniuncta est. Multa passim huius rei exempla occurrunt praesertim apud Xenophontem et Platonem, unde fraus perpluit in Platonis

Theage p. 125. E. in verbis: *πάλαι, ὦ Σώκρατες, σκώπτεις* [*καὶ παίζεις*] *πρός με*, ubi emblema tenemus manifestum.

In § 29. *ὅτε μὲν πλούσιος ἦν πρῶτον μὲν ἐφοβούμην κτέ.* Restituenda Xenophonti quoque est forma Attica *ἦ*, quam librarii ex Atticorum scriptis paene funditus deleverunt. In Platonis Rep. I. 328. C. *εἰ μὲν γὰρ ἐγὼ ἔτι ἐν δυνάμει ἦν τοῦ ῥαδίως πορεύεσθαι πρὸς τὸ ἄστυ* in libris optimis est, sed veram et antiquam lectionem *ἦ* servavit Porphyrius in Scholiis ad Odyss. Θ. 186. ubi docet *ὅτι οἱ ἀρχαῖοι μονογράμματον αὐτὸ προεφέροντο* (*τὸ ἦ*), sed vide quid designaverint scribae in omnibus exemplis ab eo allatis. Levissime et de nihilo fictam esse Hermanni sententiam »*ἦν pro imperfecto, ἦ pro aoristo habendum*" vix opus est dicere.

Non minus tralaticium et perpetuum mendum in vicinia conspicitur: *ἀποδημῆσαι δὲ οὐδαμοῦ ἐξῆν.* Graeculis solemne erat *ποῦ* dicere pro *ποῖ*, ut in *ποῦ ἄπει*; quos castigat Phrynichus p. 43. Eodem pacto sexcenties *που* pro *ποι* et *ὅπου* pro *ὅποι* substituunt, et *ἄλλοθι* pro *ἀλλόσε* aliaque huiusmodi committunt, quae omnia sine mora nobis ad certum usum Veterum corrigenda sunt: in his est *οὐδαμοῖ* quoque, quod isti in *οὐδαμοῦ* depravant sedulo, nos revocabimus ubicumque sententia *εἰς οὐδένα τόπον* requirit, ut in hoc Xenophontis loco.

Ionibus sunt relinquenda *ὅθι, πόθι, οὐδαμόθι*, quibus abutuntur nonnumquam Atticorum seri imitatores, Attici ipsi numquam usi sunt. Ludificantur enim nos scribae in Platonis Theage p. 125. A. *ἔχων ὅθι πέμψας αὐτὸν δημιουργὸν ἂν ἐποίησας τῆς σοφίας ἧς ἐπιθυμεῖ*, ubi *οἷ* reponendum esse apparet, et in Phaedone p. 108. B. *ἀφικομένην δὲ ὅθιπερ αἱ ἄλλαι*, ubi ipse Plato *οἷπερ αἱ ἄλλαι* scripserat, scioli attractionem non satis capientes turbas dederunt, ut saepius in talibus. Non mediocriter adiuveris Aristophanem in Avibus vs. 108. si pro elumbi senario:

ποδαπὼ τὸ γένος; — ὅθεν αἱ τριήρεις αἱ καλαί.

ei reddere volueris:

ποδαπὼ δ'; — ὅθενπερ αἱ τριήρεις αἱ καλαί.

Turpi errore lapsus est ὁ Ἀντιαττικιστής in Bekkeri Anecdotis, quum ex cap. IV. 31. *οὐκέτι δὲ ἀπειλοῦμαι, ἀλλ' ἤδη ἀπειλῶ ἄλλοις* colligeret, *ἀπειλοῦμαι* recte pro *ἀπειλῶ* dici posse

p. 82, 25. Ἀπειλοῦμαι ἀντὶ τοῦ ἀπειλῶ. Ξενοφῶν ἐν Συμποσίῳ. Ἄλεξις·

διηπειλεῖτό μοι.

sic enim locus constituendus est. Vide autem mihi quam leves et futiles isti sint homunciones, quibus multi temere aliquid tribuere solent. Ἀπειλοῦμαι dicere pro ἀπειλῶ non multo peius est quam pro χαίρω dicere χαίρομαι. Quam sollerter id ex loco Xenophontis elicuerit vides. Cumulum his addidit quum ex Alexide afferret διηπειλεῖτό μοι. Nempe verba cum διά composita quae *certamen* et *contentionem* significant solent ferme medii formam induere. Τοξεύω, ut hoc utar, et ἀκοντίζω habent διατοξεύομαι et διακοντίζομαι: Xenophon Cyrop. I. IV. 4. κατῆρχεν — ἢ διατοξευσόμενος ἢ διακοντιούμενος ἀπὸ τῶν ἵππων. Theophr. Charact. 27. πρὸς τὸν ἑαυτοῦ ἀκόλουθον διατοξεύεσθαι καὶ διακοντίζεσθαι. Eodem modo dicebant διαξιφίζομαι, διαδορατίζομαι, et non dissimili διαβαπτίζομαι, διαπληκτίζομαι. Sic βοᾶν habet διαβοᾶσθαι pro διακεκραγέναι, Demosthenes p. 806, 2. πρὸς ἅπαντας ἀεὶ προαιρεῖται διαβοᾶσθαι καὶ μέμφεσθαι τὰ λεγόμενα, i. e. *clamoribus certare*. Sic λοιδορεῖν habet διαλοιδορεῖσθαι, δάκνω διαδάκνεσθαι, ἀγγέλλω διαγγέλλεσθαι, σπουδάζω διασπουδάζομαι, κελεύω διακελεύομαι. *Cantando certare* διᾴδομαι dicitur, non διᾴδω, cuius verbi aoristum servavit Phrynichus in Bekkeri Anecd. p. 37, 3. Διᾴσασθαι τὸ διαμιλλήσασθαι ἐν ᾠδῇ τινι. Sic Comicus nescio quis διακυνοφθαλμίζεται iocose dixit pro *certat impudentia* apud Hesychium. Διακολακεύομαι e κολακεύω productum habet Isocrates in Panathen. p. 266. B. αἱ μέγιςαι τῶν Ἑλληνίδων πόλεων οὐκ αἰσχύνονται διακολακευόμεναι πρὸς τὸν ἐκείνου πλοῦτον. Talia sibi quisque pro re nata inter loquendum aut in scribendo ex certa analogia fingebat, qualia sunt διαπονηρεύομαι *improbitate certare*, διαριςεύομαι, διασωφρονίζομαι, διαρετίζομαι, διακαλοκαγαθίζομαι, διαπιθανεύομαι, et alia quaedam. Teles in Stobaei Floril. 5, 67. Διογένης ἐπεί τις ἐτραχήλιζεν ἀσθενῶς ἔχοντα οὐ διετραχηλίζετο ἀλλὰ δείξας αὐτῷ τὸν κιόνα »βέλτιςε,“ ἔφη »τοῦτον ὧθει πρὸς τάδε.“ Διαπικραίνω, quod afferunt Lexicorum conditores, non est Graecum, sed διαπικραίνομαι. Hinc optime intelligi potest, cur Hedylus dicere potuerit in notissimo epigrammate apud Athenaeum p. 486. C:

ἡ διαπινομένη Καλλίςιον ἀνδράσι, θαῦμα
κοὐ ψευδές, νῆςις τρεῖς χόας ἐξέπιεν.

dixerunt Veteres διαπίνειν (vide Valckenaer. ad Herod. V. 18), sed ille communem omnibus analogiam secutus est, cum aequalibus omnibus, ut opinor. Sic Athenaeus ex ἀριςᾶν formavit διαριςᾶσθαι pro τῷ ἀριςᾶν διαμιλλᾶσθαι p. 412 F. Διαπολιτεύεσθαι quid sit, quum Harpocration male explicuerit, iuvat ad hanc lucem melius explicare: comparavit enim is v. Διαγορεύων διαγορεύειν — συναγορεύειν, διαφέρομαι — συμφέρομαι, διαφωνεῖν — συμφωνεῖν et διαπολιτεύομαι — συμπολιτεύομαι, quorum omnium eandem rationem esse contendit: διαγορεύων esse διάφορα καὶ οὐ τὰ αὐτὰ λέγων, itaque διαπολιτεύομαι esse διάφορα καὶ οὐ τὰ αὐτὰ πολιτεύομαι. Attice hoc dicitur τῆς πολιτείας οὐ τὴν αὐτὴν προαίρεσιν ἔχειν, sed graviter Grammaticus fallitur, nempe οἱ τὴν αὐτὴν τῆς πολιτείας προαίρεσιν ἔχοντες dicuntur διαπολιτεύεσθαι, qui earumdem partium sunt in rep. *de principatu certant inter se* aemuli: qui diversas partes sequuntur dicuntur ἀντιπολιτεύεσθαι. Multo etiam gravius peccavit Ammonius de D. V. p. 44. qui διαπολιτεύεσθαι dici narrat τοὺς ἐκ τῆς αὐτῆς πόλεως, ἀντιπολιτεύεσθαι δὲ τοὺς ἐξ ἑτέρας, quod quam futile commentum sit et plane absurdum unusquisque videt. Demosthenes et Hyperides, ut hoc utar, διεπολιτεύοντο, Phocion et Demosthenes ἀντεπολιτεύοντο. Hinc demum recte intelligitur locus Aeschinis in Ctesiph. p. 81. ἐγράφοντο γὰρ ἀλλήλους παρανόμων οὐ μόνον οἱ διαπολιτευόμενοι ἀλλὰ καὶ οἱ φίλοι τοὺς φίλους, *aemulos* enim dicit in rep., non *adversarios.*

Redeo nunc ad ἀπειλῶ, quamobrem hanc observationem commemorare institui. Dicebant omnes constanter ἀπειλῶ, sed eadem constantia omnes διαπειλοῦμαι dicebant: quod quum et ex analogia et omnium usu certissimum esse compereris certa emendatione et Aeschinis locum et Lysiae mecum restitues. Aeschinis locus est mendosus in Falsa Legat. § 136. καὶ τελευτῶντες προσέκρουον φανερῶς ἐν Μακεδονίᾳ καὶ διηπείλουν τοῖς τῶν Θηβαίων πρέσβεσιν, ubi quis punctum temporis dubitabit διηπειλοῦντο τοῖς — πρέσβεσιν reponere? Sequens ΤΟΙΣ, ut passim alibi, praecedentem syllabam ΤΟ absorpsit. Compara locum ex Timarchea § 43. διαπειλησαμένων δὲ

τοῦ Μισγόλα καὶ τοῦ Φαίδρου τοῖς ξένοις καὶ κελευόντων ἤδη ἀκολουθεῖν εἰς τὸ δεσμωτήριον, et non diu dubitabis, quin in loco Lysiae XII. 72. ἵνα μήτε ῥήτωρ μηδεὶς αὐτοῖς ἐναντιοῖτο μήτε ἀπειλοῖτο, turpis barbarismus sic removendus sit, ut μήτε διαπειλοῖτο rescribatur.

Quod apud Herodotum legitur II. 121. 3. εἰ δὲ τούτων ἀμελήσει διαπειλέειν αὐτὴν ὡς ἐλθοῦσα πρὸς τὸν βασιλέα μηνύσει αὐτὸν ἔχοντα τὰ χρήματα recipiendum est, quod optimi libri obtulerunt ἀπειλέειν, quo facto in libro VII. 15. νῦν δὲ καὶ διαπειλήσαν οἴχεται, statim perspicies duabus literulis voculae KAI male repetitis διαπειλῆσαν pro vera lectione ἀπειλῆσαν vitio esse natum.

Diligenter lectitavit ὁ ἀντιαττικιστής Xenophontis Symposium unde affert p. 79, 33. Ἀναπτερῶσαι: Ξενοφῶν Συμποσίῳ. ex IX. 5. πάντες ἀνεπτερωμένοι ἐθεῶντο. Elegans verbum ἀναπτεροῦν et apud Platonem occurrit et perfacete in Aristophanis Avibus v. 1439. et apud alios multos, ut non sit perspicuum cur id Grammaticus enotaverit. Eiusdemmodi est annotatio p. 84, 7. Βαλάντιον οὐχὶ φασὶ δεῖν λέγειν ἀλλὰ φάσκωλον. Ξενοφῶν Συμποσίῳ. Legitur. IV. 2. sed quid notius quam βαλάντιον? et quis est qui eo vocabulo non utatur? Rarius est quod annotavit p. 101, 28. Κεντρίζειν: Ξενοφῶν Συμποσίῳ. Solus enim Veterum, quod sciam, verbo κεντρίζειν Xenophon utitur, sed utitur saepius. Quod annotat p. 103, 33. Κρυφῇ ἀντὶ τοῦ λάθρᾳ. Ξενοφῶν Συμποσίῳ, respicit V. 8. μόνον κρυφῇ φερόντων, melius pro λάθρᾳ posuisset κρύβδην. Opponuntur enim inter se Athenis κρύβδην φέρειν τὴν ψῆφον et φανερὰν τὴν ψῆφον φέρειν notissimo usu. Scribarum flagitium vides p. 106, 19. Λαβύραν Ξενοφῶν Συμποσίῳ. σημαίνει τὸ χαίρειν. Legendum est ex Sympos. VIII. 30. Γάνυται — σημαίνει τὸ χαίρει. Alius Grammaticus in Bekk. Anecd. p. 230, 7. Γάννυται: γελᾷ, ἥδεται, χαίρει. tralaticio errore pro γάνυται. Affert denique p. 112, 2. Προσεκαύθη ἀντὶ τοῦ ἐκάη. Ξενοφῶν Συμποσίῳ. sed non intellexit quam iocosam irrisionem et reprehensionem verbum προσεκαύθη contineret in Sympos. IV. 23. Coqui dicuntur τὰ ὄψα, τὸ κρέας προσκάειν, et haec ipsa ubi nimio igne *adusta* sunt προσκαυθῆναι dicuntur, vasa quoque et patinae *adustae* dicuntur προσκε-

καῦσθαι. Luculentum exemplum est apud Alexidem Athenaei p. 383. C. Hinc igitur sumtum *προσκαυθῆναι* ad turpem et flagitiosum amorem urbane sciteque translatum est. Sed redeo ad ea, unde huc digressus sum.

In cap. IV. 32. bis in libris omnibus vitiose scriptum est *οὐκέτι οὐδὲ μέλει οὐδενί* et *οὐδὲ γὰρ ἔχω*, pro *οὐδὲν μέλει*, quod Hemsterhusius, et *οὐδὲν γὰρ ἔχω*, quod Heindorfius revocavit. Haec quoque scripturae discrepantia tralaticia est, atque adeo nostri est ubique arbitrii contemta futili Codicum auctoritate constituere *ἐκ τῶν συμφραζομένων* utrum *οὐδέ* an *οὐδέν* sit lectio verior. Iuvat ex Oratoribus Atticis locos complusculos sic depravatos apponere emendatiores. In Isocratis Archidamo 80. corrige *οὐδὲ γὰρ ἂν πολλῆς πραγματείας δεήσειεν*, ubi *οὐδέν* editur. Antiphonti redde V. 45, *οὔτε ἐν τῇ γῇ σημεῖον (οὐδὲν) οὐδὲ αἷμα ἐφάνη*, ubi necessarium *οὐδέν* interciderat. Redde Dinarcho II. 15. *ἀγαθὸν μὲν ὑμᾶς πεποίηκεν οὐδὲν πώποτε*, pro *οὐδὲ πώποτε*. In Lycurgi Leocratea 52, probanda est Bekkeri correctio: *οὐδ' ἐφ' ὑμῖν ἀποψηφίσασθαι Λεωκράτους* pro *οὐδὲν ὑμῖν*. Redde Aeschini II. 74. *περὶ μὲν τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως οὐδ' ἐνεχείρουν λέγειν* pro *οὐδὲν ἐνεχείρουν*. Redde Demostheni X. 8. *οὐδὲν ἐφροντίσατε οὐδ' ἐπεστράφητε οὐδὲ τούτων* pro *οὐδὲν τούτων*, et XX. 7. *ὅταν παντελῶς μηδὲν πλέον μέλλῃ εἶναι τοῖς χρηστοῖς οὖσιν*, pro *μηδὲ πλέον μέλλῃ [μηδὲν] εἶναι*, et ibid. § 140, *οὐδὲν ἐστιν ὄνειδος* pro *οὐδ' ἐστίν*. et XXI. 122. *οὐδὲν αὐτὸν ἠδικηκότα* pro *οὐδέ* et XXVI. 16. *οὐδὲν χρήσιμος* pro *οὐδέ*. Contra recte in Sympos. VIII. 3. emendatum est *οὐδὲ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ὑπερορᾷ* pro *οὐδὲν ἡμᾶς*, et multi adhuc loci similem emendationem exspectant.

In IV. 35. *ὁ μὲν αὐτῶν τάρκοῦντα ἔχει καὶ περισσεύοντα [τὰ] τῆς δαπάνης*, recte Dindorfius male repetitum ex superiore syllaba *τά* resecuit.

In IV. 36. *ποιοῦσι πολὺ δεινότερα τῶν ἀπορωτέρων*, imo vero *τῶν ἀπορωτάτων*, ut occupavit reponere Dindorfius. Est ista solemnis et perpetua in libris confusio, saepius iam a multis correcta, saepe etiam nunc corrigenda.

In § 37. *εἴ τις [πολλὰ ἔχων καὶ] πολλὰ ἐσθίων μηδέποτε ἐμπίπλαιτο*, optime Dindorf. emblema expunxit: praeterea *ἐμ-*

πίμπλαιτο scribendum. Miror quomodo idem pepercerit pronomini ἐγώ absurde repetito § 37. ἐγὼ δὲ οὕτω μὲν πολλὰ ἔχω ὡς μόλις αὐτὰ καὶ [ἐγὼ] αὐτὸς εὑρίσκω. In fine eiusdem § scribendum est μηδὲν μᾶλλον Καλλίου τουτουῒ τοῦ πλουσιωτάτου ῥιγῶν, pro τούτου et ῥιγοῦν. Satis enim constat de praesentibus si quis quem digito vel oculis designat οὑτοσί sine articulo cum nomine proprio coniunctum poni solere, et perinde vitiosum esse in tali re Καλλίας οὗτος et ὁ Καλλίας οὑτοσί. Itaque emendandum est IV. 43. Σωκράτης τε γὰρ οὑτοσί pro οὗτος, et IV. 61. τοιοῦτος μέντοι μοι δοκεῖ Ἀντισθένης εἶναι οὑτοσί, pro οὗτος: contra expunge articulum apud Isaeum IX. 2. ἔστι γὰρ [ὁ] Κλέων οὑτοσὶ ἀνεψιὸς Ἀστυφίλῳ, et in eiusdem fragmento I. ἀδελφὸς ἡμῖν ἐστὶν οὑτοσὶ [ὁ] Εὐφίλητος. Apud Lysiam XX. 1. legendum: ἂν εἷς ὢν οὑτοσὶ τυγχάνει Πολύστρατος, non οὗτος, et multi aliorum loci ad hanc rationem conformandi supersunt. Quod autem ῥιγῶν pro ῥιγοῦν rescripsimus, notum est Atticos illa forma uti solere, sed scribas hanc sedulo substituere.

In § 42. πολὺ δικαιοτέρους εἰκὸς εἶναι τοὺς εὐτέλειαν μᾶλλον ἢ πολυχρηματίαν σκοποῦντας, verbum σκοπεῖν ab huius loci sententia prorsus abhorret, quae ἀσκοῦντας postulat. Εὐτέλειαν ἀσκεῖν quam bene dicatur et quam bene huic loco conveniat et notum est et perspicuum. Quid vulgatius etiamnunc est quam

Χρήματα δίζησθαι, ἀρετὴν δ', ὅταν ᾖ βίος, ἀσκεῖν.

et quemadmodum ἀρετὴν ἀσκεῖν dicitur, sic quodlibet genus virtutis et laudis dicitur quis ἀσκεῖν. Nonnumquam, sicuti ἐπιτηδεύειν, de vitiis quoque, ut apud Platonem in Gorgia p. 508. A. σὺ δὲ πλεονεξίαν οἴει δεῖν ἀσκεῖν, γεωμετρίας γὰρ ἀμελεῖς, qui locus Xenophonteo simillimus est. Eodem modo ἀσκῶν in σκοπῶν depravatum est apud Platonem in Gorgia p. 526. D. ubi pro τὴν ἀλήθειαν σκοπῶν recipiendum est ἀσκῶν servatum ab iis, quos Heindorfius indicavit.

In § 44. ὥστε καὶ θεάσασθαι τὰ ἀξιοθέατα καὶ ἀκούειν τὰ ἀξιάκουστα, recte Dindorf. θεᾶσθαι reposuit ob seq. ἀκούειν, non ἀκοῦσαι. Solent talia apud bonos scriptores ἀντιστρέφειν, et librarios novimus θεᾶσθαι — θεάσασθαι, πειρᾶσθαι — πειράσασθαι, ἀκροᾶσθαι — ἀκροάσασθαι, ἰᾶσθαι — ἰάσασθαι et sim. confun-

dere: saepe etiam χρῆσθαι et χρήσασθαι. Platoni redde in Phaedro p. 231. B. οὔτε — προφασίζεσθαι, οὔτε — ὑπολογίζεσθαι, — αἰτιᾶσθαι, pro αἰτιάσασθαι. .Redde Demostheni p. 25, 23. πολὺ γὰρ ῥᾷον ἔχοντας φυλάττειν ἢ κτᾶσθαι πάντα πέφυκεν, pro κτήσασθαι. Luciano reddiderim in Bis Accusato cap. I. οὐδ' ὅσον κνῆσθαι τὸ οὖς, φασὶν, σχολὴν ἔχων, pro κνήσασθαι. Κνώμενοι apud eum saepe legitur, et Atticum κνῆσθαι vel e Platonis Gorgia p. 494. C. sumere potuit. Plane eodem modo προσκνῆσθαι a Graeculis corruptum est in προσκνίσθαι, προσκνίσασθαι et προσκνήσασθαι in Xenophontis Memor. I. II. 30, ubi nunc recte legitur: ἐπιθυμῶν Εὐθυδήμῳ προσκνῆσθαι ὥσπερ τὰ ὕδια τοῖς λίθοις.

In § 45. sic demum intelligam id quod Niceratus dicit, quum scriptum erit: ἐγὼ γὰρ ἥξω παρ' αὐτοῦ δανεισόμενος τὸ μηδενὸς προσδεῖσθαι. Οὕτω (γὰρ) πεπαιδευμένος ὑφ' Ὁμήρου ἀριθμεῖν — ϛαθμῷ καὶ ἀριθμῷ κτἑ.

Pessime abundat vocula καί in § 48. διὰ δὲ τὸ προειδέναι [καὶ] ὅ τι ἐξ ἑκάϛου ἀποβήσεται, quod indicasse satis est: praeterea delenda sunt verba [ἅ τε δεῖ καὶ ἃ οὐ χρὴ ποιεῖν] ex superioribus repetita non sine turpi orationis negligentia: sic optime coalescunt nunc male divulsa — ἐνύπνια καὶ οἰωνούς, οἷς ἐγὼ ὅταν μὲν πείθωμαι κτἑ.

Ad § 50. οὗτος μὲν δὴ ὁ λόγος οὕτως ἐσπουδαιολογήθη respexit Photius v. Σπουδάζω. — ἐπὶ δὲ τοῦ σεμνολογεῖν τὸ σπουδαιολογεῖν Ξενοφῶν Συμποσίῳ, sed fallitur homo doctus, ut vides: aliud enim esse σεμνολογεῖν, aliud σπουδαιολογεῖν perspicuum est.

In cap. IV. 55. πρώην pervulgato vitio scribitur, ut passim, pro πρῴην. Incredibile dictu est quot scribendi errores pepererit literula I a librariis suo arbitratu modo male omissa, modo negligenter addita. Nullus exstat liber scriptus, in quo istud genus vitii non sit frequens. Plerique scribae τὸ προσγεγραμμένον ἰῶτα solent plane omittere: hinc factum est ut etiamnunc pro ζῷον, ᾠόν, κρεᾴδιον, λάθρᾳ, κρύφᾳ cet. ζῶον, ὠόν cet. soleant scribi, et sic πρώην pro πρῴην. Hinc adiectiva in -ῶος nata sunt, quae nulla fuerunt umquam, sed in -ῷος olim exibant. Adscribunt contra male formis Doricis in -ω pro -ου exeuntibus, et dualibus, ut in Antiphanis loco apud

Stob. Floril. 100, 32. *ὥσπερ πονηρῷ ζωγράφῳ* pro *πονηρῷ ζωγράφῳ*, et passim. Praeterea saepissime diphthongus *ῃ* male in *ηϊ* resolvitur, ut in *ληΐζομαι* pro *λῄζομαι*, aliisque similibus. Felix est Meinekii emendatio in Antipatri loco apud Stob. Floril. 67, 25. *τὸ γαμεῖν τῶν χαλεπωτάτων εἶναι δοκεῖ, τὸν δὴ θεὸν ἐξουσίαν διδόντα πρὸς ἀκολασίαν — ἰσόθεον νομίζουσι*, pulchre emendavit *τὸν δ' ᾔθεον* (*βίον*) — *ἰσόθεον νομίζουσιν*. Tangit Antipater Romanos *coelibes coelites* dictitantes. Scriptum fuerat ΤΟΝΔΗΘΕΟΝ de more pro ΤΟΝΔΗΙΘΕΟΝ. Sic in Platonis, qui fertur, Hippia Minore p. 369. A. *οὐ χρή* olim male legebatur pro *non uteris*, *οὐ χρῇ*. In Platonis Phaedro p. 242. A. egregius Bodleianus exhibet sine sensu *ἐπειδὰν ἀποψυχῃ μεν*, nempe in antiqua scriptura ΑΠΟΨΥΧΗΙΜΕΝ omissum est *ι* iterum, quod in ΑΠΟΨΥΧΗ iam erat omissum, et sic periit manus Platonis *ἐπειδὰν ἀποψυχῇ ἴμεν*, quam futiles correctores in *ἀποψύξῃ* et *ἴωμεν* depravarunt. Eadem medicina, qua non est alia lenior, barbarismum eximet e Maximo Tyrio XXVII. 4. *ἐὰν μὲν ἐπὶ τὸ καλὸν φαινόμενον ἡ ψυχὴ ἄξῃ, ἔρως καλείσθω τοῦτο, οὐκ ἐπιθυμία*, vertunt *»nos impellit animus,"* quasi *ἦξα* pro *ἤγαγον* dici possit. Emenda *ᾄξῃ*: saepe *ἀΐξαι*, *ᾆξαι* et *ἄξαι* confusa sunt.

Plane sensu vacuum est quod legitur IV. 64 *οὗτος ἄν μοι δοκεῖ — πολλοῦ ἂν ἄξιος εἶναι καὶ πόλεσι καὶ φίλοις καὶ συμμάχοις κεκτῆσθαι*. Videor mihi et ipsam Xenophontis manum reperisse et simul corruptelae originem. Veram scripturam facillime elicere poteris usus hac incerti Grammatici annotatione in Bekkeri Anecd. p. 412, 9. *Ἄξιος λαβεῖν ὁ μισθός: τοῦτο τῶν εἰς κάλλος ἠσκημένων, σημαίνει δέ τι τοιόνδε· ἄξιός ἐστιν ὁ μισθὸς ὥστε λαβεῖν αὐτόν, ἔστι δὲ παρὰ Κρατίνῳ.* deinde Homerica quaedam exempla affert et sic pergit: *καὶ Σοφοκλῆς·* (imo vero Euripides in Medea 319).

γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὔτως ἀνήρ,
ῥᾴων φυλάσσειν ἢ σιωπηλὸς σοφός.

ὁ δὲ νοῦς· ῥᾷον ἄν τις φυλάξαιτο τὸν ὀξύθυμον ἢ τὸν κρύπτοντα διὰ σιγῆς τὴν ὀργήν. Intelligisne iam quid Xenophon scripserit? Nempe quemadmodum Cratinus *ἄξιος λαβεῖν ὁ μισθός* dixerat, sic Xenophon dedit *πολλοῦ ἄξιος — καὶ πόλει καὶ φίλοις σύμμαχος κεκτῆσθαι*, quorum sententia est: *τὸν τοιοῦτον καὶ*

πόλει καὶ φίλοις πολλοῦ ἄξιόν ἐστι σύμμαχον κεκτῆσθαι. Non dissimili modo Plato dixit in Phaedro p. 238. A. ἐπωνυμίαν οὔτε καλὴν οὔτε ἐπαξίαν κεκτῆσθαι. Intelligisne etiam sciolos, quum exquisitum dicendi genus καὶ εἰς κάλλος ἠσκημένον non satis caperent, suo more turbare et grassari coepisse? Interposito temere καί coniunxere καὶ φίλοις [καὶ] συμμάχοις κεκτῆσθαι, quoniam φίλους καὶ συμμάχους saepe coniunctos videre assueti erant. Deinde καὶ πόλει in eandem labem tractum est et sic est natum καὶ πόλεσι καὶ φίλοις καὶ συμμάχοις: interea, ut vides, sententia loci periit. Cur sit legendum καὶ πόλει (non πόλεσι) καὶ φίλοις manifestum est, quum de *uno* haec dicantur, qui et de rep. et de amicis bene mereatur. Sine articulis sic dici solere καὶ πόλει καὶ φίλοις supra ad Hieronem demonstravimus. Compara Memor. I. II. 48 et I. VI. 9.

In cap. V. 2. μόνον τὸν λαμπτῆρα ἐγγὺς προσενεγκάτω. Necesse est ut τις inseratur, quod nunc quidem intelligi non potest, ut in αὐλησάτω II. 21, quoniam unius tantum erat hoc facere ex omnibus qui aderant, quamobrem legendum est ἐγγύς (τις) προσενεγκάτω. Saepius τις perire solet, ut supra iam ostendimus, aut in εἷς depravari. In Sympos. I. 8. ἐννοήσας (τις) τὰ γιγνόμενα, ex Aristide τις revocatum est, in Xenophontis libris omnibus omissum. Excidit τις et apud Antiphontem V. 91. ἐν μὲν γὰρ ἀκεστῷ πράγματι καὶ ὀργῇ χρησαμένους καὶ διαβολῇ πειθομένους (emenda πιθομένους) ἔλαττον ἐστιν ἐξαμαρτεῖν. μεταγνοὺς γὰρ ἔτι ἂν ὀρθῶς βουλεύσαιτο. Pessime corruptus locus est: ἔτι ἂν ὀρθῶς natum est ex veteris scripturae reliquiis ΕΠΑΝΟΡΘΩΣ * * *, id est ἐπανορθώσ(αιτο), quo recepto suppleverim μεταγνοὺς γὰρ (ἄν τις τὸ γεγονὸς) ἐπανορθώσαιτο. Eadem temeritate interpolator paulo ante § 90. dederat: ἀποψηφισαμένοις μὲν ὑμῖν ἐμοῦ νῦν ἔξεστι τότε χρῆσθαι ὅ τι δὴ βούλεσθε (corrige ὅ τι ἂν βούλησθε), ἀπολογήσασθαι οὐδὲ βουλεύσασθαι ἔτι περὶ ἐμοῦ ἐγχωρεῖ. Luce clarius est pro ἀπολογήσασθαι dedisse Oratorem ἀπολέσασι δέ, quod omnium primus Dobraeus perspexit. Unde igitur illa absurda scriptura? Nempe supererat in libro vetusto ac lacero ΑΠΟΛ * * * * ΟΥΔΕ, quod Graeculus de suo supplevit, quemadmodum isti lacunas explere solent scilicet. Expeditior est

emendandi via in Demosthenis Midiana § 131. οὐ γὰρ ἡγεῖτο λαμπρὸν οὐδὲ νεανικὸν — ὅ τι ἂν τις πρὸς ἕνα εἷς διαπράττηται, ἀλλ' εἰ μὴ φυλὴν ὅλην — προπηλακιεῖ — ἀβίωτον ᾤετ' ἔσεσθαι τὸν βίον αὐτῷ. Vitiosum est τις, nam ipse Midias verbi διαπράττηται subiectum est: τις ex ΕΙΣ natum et sic scribendum: ὅ τι ἂν εἷς πρὸς ἕνα διαπράττηται. Sed revocat me Xenophon ad sese.

In cap. IV. 9. nullo pacto ferri potest: ἡ μὲν δὴ παῖς καὶ ὁ παῖς κρύφα ἀνέφερον. Ridiculum enim est τὰς ψήφους ἀναφέρειν pro διαφέρειν, quo utuntur in ea re Attici omnes, et ipse Xenophon paullo ante: ἀλλὰ διαφερόντων τὰς ψήφους. Saepissime vidi ΔΙ in Ν depravari, et contra: itaque suspicor veterem lectionem ΚΡΥΦΑ ΔΙέφερον male repetita literula Α in ἀνέφερον abiisse, et Xenophonti κρύφα διέφερον restitui oportere. Deinde recte Dindorf. pro διέπραττε τόν τε λύχνον κτέ., διεπράττετο τόν τε λ. emendavit. Quid enim tritius in tali re quam διαπράττεσθαι?

In cap. VI. 1. Heindorfio obtemperatum oportuit φιλήματα delendum esse admonenti. Ne Graeca quidem est haec verborum compositio: οἱ μὲν τὰ νικητήρια [φιλήματα] ἀπολαμβάνειν τὸν Κριτόβουλον ἐκέλευον. In § 2. quum Hermogenes interrogatus τί ἐστι παροινία; respondisset: εἰ μὲν ὅ τι ἐστὶν ἐρωτᾷς οὐκ οἶδα· τὸ μέντοι μοι δοκοῦν εἴποιμ' ἄν, Socrates: ἀλλὰ δοκεῖ τοῦτο, inquit. Quis hoc intelligit? Sed non *videri* hoc, sed *satis esse* Socrates dixerat: ἀλλ' ἀρκεῖ τοῦτο, noto et frequenti usu, v. c. in Memor. II. I. 8. et aliis locis. Vides quam facile ΑΡΚΕΙ in ΔΟΚΕΙ potuerit corrumpi.

In cap. VI. 6. pro ἆρα σὺ, ὦ Σώκρατες, ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος; admonuimus iam ante legendum esse videri: ἆρα σὺ εἶ Σωκράτης ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος;

In iis quae § 7. Socrates dicit: ἄνωθεν μέν γε ὄντες ὠφελοῦσιν, ἄνωθεν δὲ φῶς παρέχουσιν, nonnulli viderunt ὕοντες pro ὄντες veram lectionem esse. Nemo ante Valckenaerium, cuius haec est in Schedis annotatio: »*Quid, obsecro, hic* ὄντες *efficit? Corrigo* ἄνωθεν μέν γε ὕοντες ὠφελοῦσιν. *Saepe* θεός *dicitur* ὕειν *Xenophonti*." Mihi quoque ὕοντες verissimum esse videtur, sed eo recepto locus nondum persanatus est, sed nullo negotio persanari potest scribendo: ἄνωθεν μέν γε ὕον-

τες ὠφελοῦσιν, ἄνωθεν δὲ φῶς παρέχοντες, qua compositionis forma nihil apud Xenophontem tritius. Ubi ὄντες labem concepit, nescio quis παρέχοντες in παρέχουσιν correxit scilicet.

In § 8. nondum poenitet olim correxisse: εἰπέ μοι, πόσους ψύλλου πόδας ἐμοῦ ἀπέχεις; ταῦτα γάρ σέ φασι γεωμετρεῖν. pro ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει; Dindorfius ψύλλης — ἀπέχεις; recepit. Syracusanus homo ex sua dialecto ψύλλος retinuit pro ψύλλα, quemadmodum IX. 2. dixit: εἶτα παιξοῦνται πρὸς ἀλλήλους. Nemo enim Atticorum παιξοῦμαι dixit umquam aut ἔπαιξα aut πέπαικται, aut quidquam huiusmodi. Ψύλλος non ψύλλα Syracusanos dixisse, Epicharmum et alios, Photius v. Ψύλλα et Hesychius docebunt. Quomodo ψύλλου in ψύλλα abire potuerit perspicuum est: deinde male sedulus corrector ψύλλα — ἀπέχει de suo dedit, sententiae securus.

In cap. VII. 2. ἐπεὶ δ' ᾖσεν, quoniam res ipsa docet concinuisse omnes, ἐπειδὴ ὁ Σωκράτης ἦρχεν ᾠδῆς, in ἐπεὶ δ' ᾖσαν emendandum est. Deinde recte Dindorfius θαυματουργήσειν recepit pro θαυμασιουργήσειν: θαύματα enim haec sunt, non θαυμάσια. Quod statim dicit Socrates: κινδυνεύσω ἐγὼ τῷ ὄντι φροντιστὴς εἶναι, quis semel admonitus dubitabit κινδυνεύω emendare? Non dubitabit certe assiduus lector Platonis, apud quem κινδυνεύω sic positum frequentissimum est. Non *futurum* est id quod dicit Socrates, sed nunc cum maxime fiebat: νῦν οὖν σκοπῶ, inquit, (ubi et φροντίζω poterat dicere) ὅπως ἂν κτἑ. Futurum quando recte ponatur ostendam ex alio Xenophontis loco, quem simul gravi mendo liberabo. Legitur in Memorab. II. iii. 17. ἐὰν οὖν ἐμοῦ ταῦτα ποιοῦντος ἐκεῖνος μηδὲν βελτίων γίγνηται; Τί γὰρ ἄλλο, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἢ κινδυνεύσεις [ἐπιδεῖξαι] σὺ μὲν χρηστός τε καὶ φιλάδελφος εἶναι, ἐκεῖνος δὲ φαῦλός τε καὶ οὐκ ἄξιος εὐεργεσίας; ubi quum infinitivum ἐπιδεῖξαι expunxeris oratio Graeca erit et sana. Ἐπιδεῖξαι εἶναι pro ὢν foedissimus est soloecismus, et requireretur ἐκεῖνον δὲ φαῦλον ὄντα. Resecto molesto emblemate omnia sunt expedita et aperta: illic igitur rectissime κινδυνεύσεις εἶναι scriptum est: nempe ὅταν ὁ ἀδελφὸς μηδὲν βελτίων γίγνηται.

Permirum est quod legitur VII. 3. τὸ ἐπὶ τοῦ τροχοῦ ἅμα

περιδινουμένου γράφειν τε καὶ ἀναγιγνώσκειν θαῦμα μὲν ἴσως τι ἐςὶν κτἑ. Equidem non concesserim id esse θαῦμα, nam satis apparet id esse etiam paulo plus quam θαῦμα, nempe παντάπασιν ἀδύνατον. Ut satis sit mirabile, sed tamen huiusmodi ut fieri possit, emenda περιδινουμένους: ipsi enim in rota velociter circumacta sedentes tamen in ea vertigine scribebant aliquid et legebant.

In § 4. χαλκίον scribendum est, non χαλκεῖον; et in § 5. πολὺ ἂν οἶμαι αὐτούς τε ῥᾶον διάγειν καὶ τὸ συμπόσιον [πολὺ] ἐπιχαριτώτερον εἶναι, quoniam πολὺ ἂν ita praemittitur, ut ad utramque sententiae partem aequaliter sit referendum, perspicuum est repetitum πολύ insiticium esse et expungendum.

In § 7. πᾶσα μὲν ἡ πόλις οἶδε, πολλοὺς δ' οἶμαι καὶ τῶν ξένων, diligenter videndum an non πολλοὶ δ', οἶμαι, καὶ τῶν ξένων sit verius.

In cap. VIII. 1. μεγέθει μὲν πάντας ἐπέχοντος, ψυχῇ δὲ ἀνθρώπου ἰσουμένου, quod pro ἰσουμένου Dindorfius ἱδρυμένου substituit laudandum est, sed perficies emendationem scribendo ἐνιδρυμένου. Post pauca bene ἂν expunxit Stephanus ex verbis εἰκὸς ἡμᾶς — ἔρωτος μὴ [ἂν] ἀμνημονῆσαι, sed Editores non audiunt.

In § 3. οὐχ ὁρᾶτε ὡς σπουδαῖαι μὲν αὐτοῦ αἱ ὀφρύες, admissa Heindorfii correctione ἢ οὐχ ὁρᾶτε, scribendum est αἱ ὀφρῦς.

In § 5 Antisthenem sic dixisse existimo: ἀεὶ τοιαῦτα ποιεῖς, τότε μὲν τὸ δαιμόνιον προφασιζόμενος τότε δ' ἄλλου του ἐφιέμενος, deinde nescio quem ad τοιαῦτα ποιεῖς adscripsisse οὐ διαλέγῃ μοι, quae verba irrepserunt postea in alienam sedem, ita ut nunc legatur τότε μὲν τὸ δαιμόνιον προφασιζόμενος [οὐ ιαλέγῃ μοι] τότε δέ κτἑ.

In cap. VIII. 13. mendosus locus est, φιλεῖν γε μὴν τῶν μὲν τὸ ἦθος ἀγαμένων ἀνάγκη ἰδία καὶ ἐθελουσία καλεῖται. ad quem Valckenaerius in Schedis annotavit: »*Cur propria necessitas? Quomodo* φιλεῖν τινός *Graece dicitur? Corrigo:* φιλία γε μὴν τῶν τὸ ἦθος ἀγαμένων ἀνάγκη ἡδεῖα καὶ ἐθελουσία καλεῖται." In ἡδεῖα pro ἰδία Dindorfius quoque incidit.

In § 13. ἅπερ καὶ πρὸς τὰ σιτία διὰ πλησμονὴν, ταῦτα ἀνάγκη καὶ πρὸς τὰ παιδικὰ πάσχειν, scribe ταὐτὰ ἀνάγκη,

vel rectius etiam ταῦτ' ἀνάγκη. Diximus de ea re in superiobu .

Quod in libris est § 15, διὰ τοῦτο καὶ ἐπαφροδιτωτέρα, recte Ernestus et Valckenaer. in Schedis. καὶ ἀνεπαφροδ., sed primus Dindorfius — διτοτέρα pro — διτωτέρα correxit. Passim scribae in talibus hallucinantur et praecedente longa vocali -ώτερος solent scribere, in quibus omnibus ineptum est aliquid tribuere Codicibus.

In § 17. pro mendosis verbis, μήτ' ἂν παρά τι ποιήσῃ, facile est ad intelligendum quid sententia loci unice postulet, sed ipsa Xenophontis manus ex illa scriptura manifesto elici non potest. Veri simillimum est μήτ' ἂν παρακμάσῃ Xenophontem scripsisse, quod Iacobsius coniecit. Valckenaer. in Schedis de παρηβήσῃ cogitaverat. Librarius ex libro perroso aut lacero Symposium describens, quum quid esset scriptum expedire non posset, id dedit quod sibi videre videbatur. Παρακμάζειν et παρηκμακώς in ea re trita sunt.

In § 19. vulgata lectio ἃ σπεύδει πράττειν πέρα τῶν παιδικῶν, optime correcta est in παρὰ τῶν παιδικῶν. Usitatum est dicere πράττειν ἀγαθόν τι παρὰ τῶν θεῶν, deinde sic dicebant ut Xenophon in Hellen. I. IV. 2. ἔλεγον ὅτι Λακεδαιμόνιοι πάντων ὧν δέονται πεπραγότες εἶεν παρὰ βασιλέως, et sic παρὰ τῶν παιδικῶν πράττειν τι quid sit perspicuum est.

In § 25. pervulgatum librorum vitium semel emendatum est, semel relictum. Editur: οὐ γὰρ ὅπως πλείονος ἄξιος γένηται ἐπιμελεῖται ἀλλ' ὅπως αὐτὸς ὅτι πλεῖστα ὡραῖα καρπώσεται. Quod est in libris καρπώσηται bene est emendatum, sed eadem opera ὅπως πλείονος ἄξιος γενήσεται correctum oportuit.

Non uno mendo inquinatus est locus VIII. 26. καὶ μὴν καὶ τῶν παιδικῶν ὅσα μὲν ἂν εἰδῇ ὅτι ὁ τοῦ εἴδους ἐπαρκῶν ἄρξει τοῦ ἐραστοῦ, εἰκὸς αὐτὸν τἆλλα ῥᾳδιουργεῖν, ubi corrigendum est ὃς μὲν ἂν εἰδῇ, et abiecto articulo ὅτι τοῦ εἴδους ἐπαρκῶν ἄρξει i. e. ὅτι ἄρξει ἐὰν τοῦ εἴδους ἐπαρκῇ. Reponendum esse ὃς μὲν ἂν pro ὅσα colligo e Graecorum consuetudine, qui talia πρὸς τὸ σημαινόμενον componere assolent, idque Xenophontem nunc quoque fecisse et sequens αὐτόν arguit et plane confirmat id quod sequitur ὃς δ' ἂν γιγνώσκῃ ὅτι κτέ.

In § 29. pro ὅσων δὲ ψυχαῖς ἀγχσθείη non est ulla dubitatio quin ψυχάς unice verum sit.

Soloecum est in § 31. Ἀχιλλεὺς Ὁμήρῳ πεποίηται — Πατρόκλῳ — τιμωρῆσαι, requiro enim τιμωρήσας. Dicebant enim Ὅμηρος ποιεῖ aut πεποίηκέ τινα λέγοντά τι ἢ ποιοῦντα ἢ πάσχοντα: et eodem modo Ὁμήρῳ πεποίηται ἤτοι λέγων τι ἢ πράττων. Sic Plato in Gorgia p. 525. D. Ὅμηρος — πεποίηκεν ἐν ᾅδου τὸν ἀεὶ χρόνον τιμωρουμένους Τάνταλον καὶ Σίσυφον. Θερσίτην δὲ οὐδεὶς πεποίηκε μεγάλαις τιμωρίαις συνεχόμενον, et sic passim loquuntur alii.

In § 32. ἀπολογούμενος ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ συγκυλινδουμένων, duplex suspicio formam συγκυλινδουμένων premit. Attici enim aut κυλίνδω et κυλίνδομαι aut καλινδοῦμαι dixisse videntur: sequiores κυλινδῶ et κυλινδοῦμαι usurpabant et ex formis κυλίσω, ἐκύλισα, penultima longa, et κεκύλισμαι et ἐκυλίσθην elicuerunt formam κυλίω, veteribus inauditam. Eodem modo Veteres ἀλίνδω et ἀλίνδομαι dicebant, et ἀλῖσαι et ἐξαλῖσαι, Graeculi ἀλινδοῦμαι usurpant, et ἀλῖσαι indocte referunt ad formam ἀλίζω: vid. Pierson. ad Moerid. p. 52. Itaque συγκαλινδουμένων reponerem, nisi praepositionem σύν ab ea re alienam esse viderem, quae mihi ἐγκαλινδουμένων videtur postulare. Facile est ad intelligendum quid sit συγκυλίνδεται τῇ γυναικί, non item quomodo quis ἀκρασίᾳ συγκαλινδεῖσθαι dicatur. Obiter redde illud ipsum Michaëli Psello, cuius locum attulit L. Dindorfius ad Steph. v. Ἐγκυλίω, nihili enim est τὴν πολλοῖς ἐγκυλισθεῖσαν ἀνδράσι γυναῖκα, sed scripserat homo συγκυλισθεῖσαν. Eodem modo Maximus Tyrius XX. 4. Penelopes procos dicit συγκυλινδεῖσθαι τῆς νυκτὸς θεραπαινιδίοις. Ἐγκαλινδεῖσθαι in talibus et ab ipsa rei natura commendatur et multorum usu certam fidem habet. Perinde est καλινδεῖσθαι ἔν τινι et ἐγκαλινδεῖσθαί τινι. Platonica sunt καλινδεῖσθαι ἐν ἀμαθίᾳ, ἐν πάσῃ ἀμαθίᾳ, et odiose ἐν δικαστηρίοις καλινδεῖσθαι, quemadmodum quis proprie ἐν πηλῷ, aut ἐν βορβόρῳ dicitur καλινδεῖσθαι, et Priamus apud Homerum κυλινδόμενος κατὰ κόπρον. Rectissime igitur notans *foedas* et *flagitiosas* libidines dixit ὑπὲρ τῶν ἀκρασίᾳ ἐγκαλινδουμένων. Diversum loquendi usum Veterum et recentiorum demonstrat Hesychii Ἐγκαλινδούμενος: ἐγκυλιόμενος, qui addit: Ἐγκαλινδεῖται:

ἐνανας͵ρέφεται, *ἐνδιατρίβει*, recte, nisi quod rei *immundae* ac *turpis* notionem continet. Non aliter accipiendus est locus Isaei in Orat. V. 44. *οὐδὲ τὰ ἀναθήματα — εἰς τὴν πόλιν κεκόμικας, ἀλλ' ἐν τοῖς λιθουργείοις ἔτι καλινδεῖται*, ubi *κυλινδεῖται* editur. Eodem modo accipitur *ἐν ἀγορᾷ κυλίνδεται*, et *καλινδεῖσθαι ἐν ἀγορᾷ*, et apud Aristotelem: *περὶ τὴν ἀγορὰν κυλίεσθαι*, quod non est *in foro versari*, (quae honestissima res est), sed dicuntur id facere *τὰ περιτρίμματα τῆς ἀγορᾶς*, *ὁ ἀγοραῖος ὄχλος*, homines otiosi et male feriati, quum in foro conterunt ac perdunt diem. Dicuntur haec omnia cum contemtu aut reprehensione aut indignatione, ut *ἀλύω* et *ῥέμβομαι* et *φθείρομαι* cum compositis quibusdam *περιφθείρομαι*, *ἀποφθαρῆναι*, *προσφθαρῆναι*, aliisque. Sic et *καλίνδησις* et *ἐγκαλίνδησις* ponuntur in re turpi, *καλινδήσεις ἐν γυναίοις*, *ἐν πόρναις*, caeterisque eiusdemmodi.

Ex his igitur Lexicorum emendanda ratio est: *ἐγκυλῖσαι*, ut hoc utar, apud Pherecratem Stobaei Floril. CXVI. 12.

εἰκῇ μ' ἐπῆρας ὄντα τηλικουτονὶ
πολλοῖς ἐμαυτὸν ἐγκυλῖσαι πράγμασιν,

ad *ἐγκυλίνδω* est referendum, et eodem modo *εἰσεκύλισα* in Aristoph. Thesmoph. 651.

εἰς οἷ' ἐμαυτὸν εἰσεκύλισα πράγματα,

ubi Ravennas *εἰσεκύλησα* exhibet, et *ἐσκυλίσας* ibid. vs. 767. referenda sunt ad formam *εἰσκυλίνδω*. Sic etiam *ἐξεκυλίσθη* apud Homerum, *ἐκκυλισθήσει* in Aeschyli Prometheo, *εἰς ἔρωτας ἐκκυλισθέντας* apud Xenoph. Memor. I. II. 22. et *ἐὰν δὲ ἐκκυλισθῇ ἐκ τῶν δικτύων* in Xenophontis Cyneg. VIII. 8, et quidquid huiusmodi apud Veteres occurrit ad formam *ἐκκυλίνδω* referendum est, quae forma apud Sophoclem et Aristophanem exstat. Sic *κατακεκυλισμένοι ἀπὸ τῶν ἵππων* in Cyrop. V. III. 1. et *μὴ κατακυλισθῇ δειμαίνοντες* apud Herod. V. 16. ad *κατακυλίνδω* pertinent, non ad *κατακυλίω*, quae forma temporibus demum Macedonicis in usu esse coepit. In Aristophanis Ranis vs. 536. Ravennas servavit *μετακυλίνδειν*, casu fortasse, sed haec vera lectio est, non *μετακυλινδεῖν*, quod editur. In Aristophanis Pace vs. 7. vera lectio *περικυλίσας τοῖν ποδοῖν*, quae in libris depravata est in *περικυκλίσας*, ad *περικυλίνδω* referenda est, quae forma reddenda Platoni in

Legg. p. 895. E. τῷ περικυλίνδεσθαι, non περικυλινδεῖσθαι. Προκυλίνδομαι et προκαλινδοῦμαι sic differunt, ut hoc *adulantis* sit et *adorantis*, illud *supplicis*. In utrumque locum subrepit in libris vitiosa forma προκυλινδεῖσθαι. Itaque Demostheni de F. L. p. 450, 5. redde οὗτος δ' ἐκείνῳ (Aeschines Philippo) προὐκαλινδεῖτο καὶ τοὺς παιᾶνας ᾖδεν, et eadem opera redde Aristophani in Avibus 501. προκαλινδεῖσθαι τοῖς ἰκτίνοις, et 502. ἐκαλινδούμην ἴκτινον ἰδών, ubi Ravennas προκυλινδεῖσθαι servat et contra metrum ἐκυλινδόμην. Ἐπικυλίνδω supra Xenophonti reddidimus, et nondum poenitet in Vespis vs. 201. reposuisse:

ἀνύσας τι προσκύλισον· οἴμοι δείλαιος.

pro προσκύλιέ γ'· οἴμοι: nemo enim dubitabit quin forma κυλίω Aristophanis aetate plane fuerit inaudita, et quid sibi vult ridiculum γε? Sed e diverticulo in viam.

In cap. VIII. 33. θαυμαστὰ λέγων εἴ γε οἱ — ἀναισχυντεῖν πρὸς ἀλλήλους ἐθιζόμενοι οὗτοι μάλιστα αἰσχύνονται αἰσχρόν τι ποιεῖν, miror neminem sensisse vitium in αἰσχύνονται, quod tamen admodum perspicuum est. Et Valckenaerius quidem sensit, cuius in Schedis haec est brevis annotatio: »*scribendum reor* αἰσχυνοῦνται," verissime: futurum enim in talibus ponitur ad significandum factum non esse umquam neque fieri posse quod quis dixerit, et omnino θαυμαστὸν εἰ, δεινὸν εἰ, et similia omnia cum futuro coniunguntur ubi admirationem aut indignationem aut huiusmodi quid movet, non id quod quis fecit aut facit, sed id quod facturus esse videtur. Demosthenes Orat. LVII. 27. πῶς οὐ δεινὸν εἰ τοὺς παῖδας ὁ βουλόμενος κρινεῖ: et in Orat. XXIV. 99. πῶς οὐ δεινὸν εἰ — ἔσται, et in Orat. XXI. 212. εἴπερ εἰσὶ φίλοι καὶ δεινὸν εἰ μὴ πλουτήσει Μειδίας ἡγοῦνται, et ubi praesens cum futuro componitur in Orat. XX. 71. οὔκουν αἰσχρὸν εἰ αἱ μὲν παρὰ τοῖς ἄλλοις δωρεαὶ βέβαιοι μένουσιν αὐτῷ, τῆς δὲ παρ' ὑμῶν μόνης τοῦτ' ἀφαιρεθήσεται; et apud Xenophontem in Cyrop. V. III. 47. πάνυ γὰρ αὐτῷ ἐδόκει θαυμαστὸν εἶναι εἰ οἱ μὲν βάναυσοι ἴσασι τῆς ἑαυτοῦ τέχνης ἕκαστος τῶν ἐργαλείων τὰ ὀνόματα — ὁ δὲ στρατηγὸς οὕτως ἠλίθιος ἔσοιτο ὥστε οὐκ εἴσοιτο τῶν ὑφ' ἑαυτῷ ἡγεμόνων τὰ ὀνόματα, ex quo loco satis colligitur θαυμαστὸν εἰ αἰσχύνονται ab eo dici qui rem mirabilem sed tamen

veram commemorat, contra *θαυμαστὸν εἰ αἰσχυνοῦνται* ab eo, cui ea res, quoniam absurda sit, numquam usu ventura videatur.

In § 35. *κἂν μὴ ἐν τῇ αὐτῇ πόλει ταχθῶσι τῷ ἐραστῇ*, vehementer probo Dindorfii correctionem *ἐν τῇ αὐτῇ τάξει ταχθῶσι.* Suspicor olim *τάξει* excidisse, deinde Graeculum de more *vocabulum bene Graecum* supplevisse.

In § 39. *Σόλων — νόμους ἀρίστους τῇ πόλει κατέθηκεν*, miror unde importuna praepositio accesserit, sed hoc scio retineri non posse et *ἔθηκεν* esse reponendum. Quis enim inducere poterit in animum *νόμους κατατιθέναι* pro *τιθέναι* Graece dici posse?

Inepte legitur § 39. *πρόξενοι δὲ καὶ κατάγονται ἀεὶ παρὰ σοὶ οἱ κράτιστοι αὐτῶν.* Callias erat enim, ut opinor, *πρόξενος*, non Lacedaemonii: corrigendum itaque *πρόξενος δ' εἶ καὶ κτἑ.*

In § 41. *εἰ δ' ὑμῖν δοκῶ σπουδαιολογῆσαι μᾶλλον ἢ παρὰ πότον πρέπει*, suspicor *σπουδαιολογεῖσθαι* esse verius, quoniam et praesens tempus unice rei convenit, et forma *σπουδαιολογεῖσθαι* certiorem habet fidem quam *σπουδαιολογεῖν*, et propter similem analogiam in *δικαιολογεῖσθαι, μικρολογεῖσθαι, κοινολογεῖσθαι, ὑψηλολογεῖσθαι, ἀκριβολογεῖσθαι*, aliis, et propter testimonium disertum Xenophontis in Anabasi I. IX. 27. *προσκαλῶν τοὺς φίλους ἐσπουδαιολογεῖτο.* Similia confunduntur et alibi. Apud Demosthenem p. 421, 20. *σὺ δ' ἐκεῖ — καταισχύνας τούτους ἐνθάδε σεμνολογεῖ*, veram lectionem solus Parisinus S. servavit, a caeteris omnibus aut in *σεμνολογεῖς* depravatam aut in *σεμνολογῇ.* Hinc apud Aeschinem II. 93. reposuerim: *καὶ σεμνολογεῖ ἡμῖν*, pro librorum omnium scriptura *σεμνολογεῖς.*

In cap. IX. 1. *καὶ [ὁ Λύκων] ὁ πατὴρ αὐτῷ συνεξιὼν κτἑ.* Non dubitabis puerile emblema resecare. Nulla in re magis insulsum et inficetum sciolorum ingenium apparet quam in additamentis istiusmodi, quae pariter in Graecis Latinisque scriptoribus pullulant. Exempla huius rei multa iam subinde attuli, quibus pauca addam. Cicero in prima actione in Verrem XVII. 51. ad praetorem M'. Acilium Glabrionem his verbis se convertit: »*id ne accidat tu tua sapientia —, M'. Gla-*

brio, potes providere. — Fac tibi paternae legis [Aciliae] *veniat in mentem.*" Ridiculum emblema vides. Post pauca § 52. »*Si* [Glabrionis] *patris vim et acrimoniam ceperis* —, *si avi* [Scaevolae] *prudentiam* —, *si soceri* [Scauri] *constantiam*" cet. non sunt haec fortasse tam ridicula, sed non ferenda tamen. Nota est omnibus Graecorum consuetudo, qua filium clari patris solent *πατρόθεν προσαγορεύειν* honoris causa aut cum gravitate quadam interdum et iocosa, veluti *ὦ παῖ Κλεινίου, ὦ παῖ Μένωνος, ὦ παῖ Ἀρίστωνος, ὦ παῖ Σωφρονίσκου, ὦ παῖ Φιλίππου*, aliaque quam plurima. Notabilis in hanc rem est Platonis locus in Lyside 204. E. *σὺ γὰρ πάνυ τι αὐτοῦ τοὔνομα λέγουσιν ἀλλ' ἔτι πατρόθεν ἐπονομάζεται διὰ τὸ σφόδρα τὸν πατέρα γιγνώσκεσθαι αὐτοῦ.* In his igitur scioli genio indulgent et sedulo nomina sibi nota apponunt, ut apud Herodotum VII. 10. *σὺ δὲ, ὦ παῖ Γωβρύεω* [*Μαρδόνιε*], *παῦσαι λέγων λόγους ματαίους*, et apud Platonem in Lyside p. 204. B. *ὦ παῖ Ἱερωνύμου* [*Ἱππόθαλες*], ubi intactum evasit p. 207. B. *ὦ παῖ Δημοφῶντος, πότερος ἡμῶν πρεσβύτερος;* et p. 209. A. *μή σὺ τοῦτό σε, ὦ παῖ Δημοκράτους, κωλύῃ*, et in Menone p. 76. E. *ὦ παῖ Ἀλεξιδήμου.* Sed recurrit vitium in Cratylo p. 384. A. *ὦ παῖ Ἱππονίκου* [*Ἑρμόγενες*]. Tenemus interpolatorem in Phaedone p. 89. C· *παρακαλῶ τοίνυν, ἔφη, οὐχ ὡς Ἡρακλῆς ἀλλ' ὡς Ἰόλεως* [*τὸν Ἡρακλῆ*], nam, praeterquam quod inficetum est emblema, Graeculus utitur vitiosa forma sequiorum *τὸν Ἡρακλῆ*, quum Veteres constanter *τὸν Ἡρακλέα* dixissent. Vidimus supra *Περικλῆς* inepte insertum in Protagorae loco: idem emblema removendum est ex Alcibiade I. p. 124 C. *ὁ ἐπίτροπος ὁ ἐμὸς βελτίων ἐστὶ καὶ σοφώτερος ἢ* [*Περικλῆς*] *ὁ σός.* Affine genus est interpolationis in Ione p. 531. D. *ὦ φίλη κεφαλή* [*Ἴων*], et in Critone p. 54. D. *ὦ φίλε ἑταῖρε* [*Κρίτων*], et p. 44. B. *ὦ δαιμόνιε* [*Σώκρατες*] et p. 44. C. *ὦ μακάριε*, [*Κρίτων*], et in Hippia Maiore p. 293. D. *ὦ δαιμόνιε, φησὶ*, [*Σώκρατες*], et alia quaedam eiusdemmodi. Unum tantum addam ex Herodoto IX. 91. *ὦ ξεῖνε Σάμιε, τί τοι τὸ οὔνομα; ὁ δὲ εἶπε* »*Ἡγησίστρατος.*" *ὁ δὲ ὑπαρπάσας τὸν ἐπίλοιπον λόγον — εἶπε· Δέκομαι τὸν οἰωνὸν* [*τὸν Ἡγησίστρατον*], *ὦ ξεῖνε Σάμιε*, quae satis est indicare. Nunc ad Symposium redeo.

Nempe unus mihi locus corrigendus restat in cap. VIII. 6.

ἐῴκεσαν γὰρ οὐ δεδιδαγμένοις τὰ σχήματα ἀλλ' ἐφιεμένοις πράττειν ἃ πάλαι ἐπεθύμουν, ubi emendandum est ἀλλ' ἐφειμένοις πράττειν. Non saepe parcunt sequiores Graeculi formis εἶκα et εἷμαι, ἀφεῖκα, ἐφεῖκα, παρεῖκα cet. et ἀφεῖμαι, ἐφεῖμαι, παρεῖμαι, ἀνεῖμαι cet., quae olim abierant in desuetudinem. Passim igitur illas formas obscuratas esse animadvertes et confundi ἀφιέμενος, ἀφέμενος et ἀφειμένος similiaque omnia: unde consequitur nostri esse ubique arbitrii constituere quae sit vera scriptura et cuique loco conveniens, et librorum futiles discrepantias in talibus negligi et contemni oportere. Nil igitur curamus h. l. quod in libris est aut in Iuntina aut in Aldina, clamat ipsa loci compositio δεδιδαγμένοις et ἐφειμένοις inter se opposita a Xenophonte olim fuisse. Quam sit illa confusio frequens, sic demonstrare iuvat, ut locos compluscũlos adhuc ea labe affectos apponam emendatiores. Apud Lycurgum in Leocratea § 37. scribendum est οἱ ἀφειμένοι τοῦ ϛρατεύεσθαι, non ἀφιέμενοι, similiterque in § 40. τοὺς τοῖς σώμασιν ἀπειρηκότας — καὶ ὑπὸ τῶν νόμων τοῦ ϛρατεύεσθαι ἀφειμένους, non ἀφιεμένους. Contra in Philippi Epistola apud Demosth. Orat. XII. 14. repone μὴ προέμενος δὲ τὸ χωρίον pro προειμένος, et apud Demosth. Orat. XXIII. 157. lege πείθουσι τὸν Ἀρτάβαζον τοῦ μὲν τιμωρεῖσθαι τὸν Χαρίδημον ἀφέσθαι (non ἀφεῖσθαι), ἀποϛεῖλαι δ' ὑπόσπονδον, mirifice enim πείθουσι coniungitur cum *perfecto*. Sed perfectum restituendum est in Demosth. Orat. LIX. 104. τοῖς οὕτω φανερῶς ἐνδεδειγμένοις τὴν εὔνοιαν τῷ δήμῳ καὶ προειμένοις ἅπαντα, non προεμένοις. In Isocratis Archidamo § 74. facile intelliges τῆς μὲν πόλεως ἀφέσθαι scribendum esse, non ἀφεῖσθαι, similiterque § 83. ἀφέσθαι τῆς πόλεως τολμήσαιμεν, ubi frustra Urbinas ἀφεῖσθαι obtulit, quod cum verbo τολμᾶν coniungi non potest. In eiusdem Antidosi § 42. ἐκείνως ὑμᾶς ἡγοῦμαι τάχιϛ' ἂν ἀφεῖσθαι τῆς δόξης ταύτης, video novissimum Editorem Urbinatis auctoritatem ausum esse spernere et veram lectionem ἀφέσθαι recipere.

Utar nunc, ut soleo, nonnullis Symposii locis, ex quorum comparatione loci quidam aliorum in integrum restitui possint. Quod legitur in Symp. I. 11. συνεσκευασμένος δὲ παρεῖναι ἔφη πάντα τἀπιτήδεια ὥϛε δειπνεῖν τἀλλότρια, simillimum

est verbis parasiti apud Nicomachum Stobaei Floril. XIV. 7. vs. 41.

πάντα γὰρ πρόσεστί μοι
ὅσαπερ ἔχειν τἀλλότρια τὸν δειπνοῦντα δεῖ,

ubi duobus verbis transpositis legendum est τὸν τἀλλότρια δειπνοῦντα δεῖ.

Quod dicit Xenophon III. 4. λέγω ὑμῖν ἐφ' ᾧ μέγιστον φρονῶ, et similiter μέγα φρονεῖν ἐπί τινι et μέγιστον φρονεῖν recurrit § 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, et eodem sensu § 14. ἐπὶ τίνι μάλιστα ἀγάλλει; et passim omnes eodem modo loquuntur, pessime depravatum est apud Aeschinem de F. L. § 125. ὁ Βυζάντιος Πύθων, ἄνθρωπος περὶ τὸ γράφειν λόγους μέγα φρονῶν, neque ulla esse potest dubitatio quin ἐπὶ τῷ γράφειν Orator scripserit, quod olim a Wolfio commendatum Editores repudiarunt. Μέγα φρονεῖν solet in μεγαλοφρονεῖν a Graeculis depravari, ut μεῖζον φρονεῖν in μείζω φρονεῖν, et φρονεῖν μέγιστον saepe corrumpitur in φρονεῖν μέγιστα et φρονεῖν μάλιστα. In Symp. III. 9. ἐπὶ πενίᾳ μέγα φρονῶ nemo mirabitur Stobaeum μεγαλοφρονῶ afferre, quod nemo probabit utpote ex sequiorum συνηθείᾳ arreptum. Cur igitur servabimus in Isocratis Areopagitico § 43. τοὺς ἐλευθέρως τεθραμμένους καὶ μεγαλοφρονεῖν εἰθισμένους, quum μέγα φρονεῖν ab ipso scriptum esse appareat, quemadmodum in § 73, ubi μεγαλοφρονεῖν in libris omnibus legitur praeterquam in Urbinate, qui solus μέγα φρονεῖν servavit. Manifestum vitium ex Demosthenis Orat. XXVIII. 2. ἐλέγξαι πειράσομαι πρῶτον ἐφ' ᾧ φρονεῖ μάλιστα, sic tolle ut rescribas φρονεῖ μέγιστον.

Verba Xenophontis III. 11. Καλλιππίδης ὁ ὑποκριτὴς ὑπερσεμνύνεται ὅτι δύναται πολλοὺς κλαίοντας (κλάοντας) καθίζειν, admonent me loci corrupti in Cyropaedia II. ii. 14. τοῦ κλάειν καθίζοντος τοὺς φίλους — ἔμοιγε δοκεῖ ἐλάττονος ἄξια διαπράττεσθαι ὁ γέλωτα αὐτοῖς μηχανώμενος, ubi requiro τοῦ κλάοντας καθίζοντος, ut statim διὰ τοῦ κλάοντας καθίζειν et § 15. κλάοντας ἐκείνους πειράσει καθίζειν, quod et ratio suadet et confirmat usus. Nam quod Dindorfius sic tuetur κλάειν καθίζοντος ut dicat sententiam in καθίζειν inesse eandem ac si ποιεῖν dictum esset, fallitur. Καθίζω (καθιῶ, καθῖσα) significant καθῆσθαι ποιῶ, et de quibus καθῆσθαι est usitatum dicere,

de iis omnibus transitive dicitur *καθίζειν*. Dicuntur *οἱ δικαςαὶ καθῆσθαι*, dicitur *ὁ ἄρχων καθίζειν τὸ δικαςήριον*; sic *ἡ πόλις καθίζει νομοθέτας*, *ὁ ςρατηγὸς τὸ ςράτευμα καθίζει*, sic *καθίζειν τινὰ εἰς τὸν βασίλειον θρόνον* dicitur, et alia plura eiusdemmodi. Si quem poëta *sedentem* capite obvoluto *induxit* dicitur eum *καθῖσαι ἐγκαλύψας*, et sic Rhapsodus, qui coronae circum se sedenti, aut histrio, qui spectatoribus in cavea sedentibus lacrymas ciet, dicitur *αὐτοὺς κλάοντας καθίζειν*, ut in Platonis Ione p. 535. E. *ἐὰν μὲν κλάοντας αὐτοὺς καθίσω αὐτὸς γελάσομαι ἀργύριον λαμβάνων, ἐὰν δὲ γελῶντας, αὐτὸς κλαύσομαι ἀργύριον ἀπολλύς*, et ex verissima Schneideri emendatione in Memorab. II. i. 12. *ἐπίςανται οἱ κρείττονες τοὺς ἥττονας καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ κλάοντας καθίσαντες δούλοις χρῆσθαι*, ubi in libris est *καθιςάντες* errore non infrequenti. Itaque quemadmodum dicitur *κλάων κάθηται*, sic pro *ποιεῖν τινὰ κλάοντα καθῆσθαι* dicitur *κλάοντά τινα καθίζειν*, quamobrem participii usus necessarius plane est nec potest in infinitivum converti nisi ab eo qui quid sit *καθίζειν* non cogitet aut nesciat. Quod Dindorfius ex Polluce attulit II. 89. *Ξενοφῶν τὸ ἐκάθισεν ἀντὶ τοῦ καθίσαι ἐποίησεν* novo indicio est quam nihil sit illis Grammaticis tribuendum. Attici omnes eo sensu verbo *καθίζειν* utuntur, et nemo Atticorum veterum *ἐκάθισεν* umquam dixit sed *καθῖσεν*, quod in *καθεῖσεν* et *ἐκάθισεν* sequiores depravant, sicuti futurum *καθιῶ* in *καθίσω* et *καθήσω* et alia corrumpere assolent. Apud Demosthenem p. 31, 10. pro vera lectione *νομοθέτας καθίσατε* a Bekkero feliciter restituta libri servant *καθίςατε* et optimus S. pessime *καθιςᾶτε*, et p. 707, 28. *σκέψασθαι καθ' ὅ τι τοὺς νομοθέτας καθιεῖτε* nullus liber veram scripturam servavit, sed *καθίητε*, *καθεδεῖτε*, *καθεδεῖται*, *καθεδιεῖται* et optimus S. *καθίειτε*, hoc enim ex ΚΑΘΙΕΙΤΕ homo indoctus elicuit. Felicius evasit ΚΑΘΙΕΙ pag. 997, 23: *οὐκοῦν ἐφ' ἑκάςῳ τούτων δικαςήριον ἡμῖν ἡ πόλις καθιεῖ*; sed in Xenophontis Anabasi I. ii. 4. pro *ἐπαγγελλόμεθα δὲ Ἀριαίῳ, ἐὰν ἐνθάδε ἔλθῃ, εἰς τὸν θρόνον τὸν βασίλειον καθιεῖν αὐτόν*, optimi libri pessimas lectiones *καθίσειν* et *καθήσειν* exhibent: in deterioribus est *καθιεῖν* ex nescio cuius correctione certissima. *Καθίζειν*, quamquam minus saepe, etiam intransitive

ponitur, idque reponendum est in Aristophanis Thesmoph. 79. ubi legitur:

καὶ πῶς, ἐπεὶ νῦν γ' οὔτε τὰ δικαστήρια
μέλλει δικάζειν, οὔτε βουλῆς ἔσθ' ἕδρα;

sed τὰ δικαστήρια μέλλει καθίζειν ab ipso poëta profectum esse arbitror.

Diximus καθεῖσα et ἐκάθισα pro καθῖσα scribi solere: affinis error misere corrupit Plutarchi locum ἐν τοῖς Λακωνικοῖς ἀποφθέγμασι p. 212. B. Agesilaus, inquit, ἔπεισε τὴν ἀδελφὴν Κυνίσκαν εἰς ἅρμα καθίσασαν Ὀλυμπίασιν ἀγωνίσασθαι, deleta praepositione emenda Κυνίσκαν ἅρμα καθεῖσαν. Quis verbi καθιέναι in ea re usum nescit?

Locus Xenophontis IV. 63, ἔναγχος δὲ δήπου καὶ πρὸς ἐμὲ ἐπαινῶν τὸν Ἡρακλεώτην ξένον κτέ., optime demonstrat quomodo corrigendus sit locus incerti Rhetoris, qui Longini nomine circumfertur, περὶ ὕψους cap. 44. ὅπερ ἐζήτησέ τις τῶν φιλοσόφων προσέναγχος, barbarum hoc quidem est vocabulum sed corrigendum esse apparet πρὸς ἐμὲ ἔναγχος, qui locus vel solus declarat fugisse rationem virum doctum, qui nuper illum libellum a Plutarcho scriptum esse probare conatus est. Plutarchus numquam scribere potuit: τῶν φιλοσόφων τις ἐζήτησε πρὸς ἐμέ, quasi vero ipse aliud quoddam studiorum genus sequeretur et profiteretur.

Si in Symp. V. 7, in verbis πολὺ ἂν σὺ μεῖζον ἢ ἐγὼ ἀποδάκοις, ex aliquo libro ἀποδάκοιμι afferretur, exploderetur ab omnibus scriptura inepta et ab loci compositione plane abhorrens. Cur igitur aequissimis animis ferimus apud Demosthenem p. 43, 19. τὰ τῆς τύχης, ἥπερ ἀεὶ βέλτιον ἢ ἡμεῖς ἡμῶν αὐτῶν ἐπιμελούμεθα pro ἐπιμελεῖται, quam veram et probam lectionem futilis corrector nescio quis pronomini ἡμεῖς accommodavit et de suo apposuit [καὶ τοῦτ' ἐξεργάσαιτο], quod emblema rectissime Dindorfius eiecit.

Manifestum est in Symp. VIII. 14. bene emendasse Stephanum ὅσονπερ χρόνον ἴῃ ἐπὶ τὸ φρονιμώτερον pro ᾖ. Saepe haec inter se confusa et permutata fuerunt, saepius etiam ἰέναι et εἶναι, et longe frequentissime ἄν et ἰάν, cuius rei et ipsi subinde exempla quaedam attulimus. Cratetis versiculus est apud Athen. p. 267. F. in Marciano Codice sic scriptus:

ἔγχει, κύαθε. ποῦσθ' ἡ κύλιξ; λιανίζουσα. σεαυτήν. unde bene Dindorfius elicuit: *διάνιζ' ἰοῦσα σαυτήν.* In Antiphontis *τετραλογίᾳ* A. *β.* 3 et 4. scribendum est *τὴν ὑποψίαν εἰς ἐμὲ ἰοῦσαν* et § 6. *ἡ ὑποψία εἰς ἐμὲ ἰοῦσα* pro *οὖσαν* et *οὖσα*, et sic iam Reiskium voluisse video. Fidem faciet locus in vicinia A. *γ.* 2. *εἰς τούτους ἂν ἡ ὑποψία ἧκεν.*

In Symp. IX. 6. *ὥστε καὶ τοὺς παρόντας ἅπαντας συνομόσαι ἂν ἦ μὴν τὸν παῖδα καὶ τὴν παῖδα ὑπ' ἀλλήλων φιλεῖσθαι.* Quid tritius est quam *ἦ μήν iurandi* verbis subiectum? Attamen hoc quoque scribae indocti obscurarunt apud Xenophontem Ephesium in Hirschigii Eroticis p. 213, 13. *τὸν ἥλιον ἐπόμνυσι καὶ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ θεοὺς σεμνὴν τηρήσειν γάμων ἁγνήν, μέχρι ἂν κτἑ.* Ridiculum est *σεμνήν*: emenda *ἦ μὴν τηρήσειν γάμων ἁγνήν*, ut apud Heliodorum ibid. p. 295, 16. *ἐπώμνυ δ' ὅμως — ἦ μὴν ἅπαντα οὕτω ποιήσειν*, et p. 361, 15. *θεοὺς ἐπόμνυμι πάντας ἦ μὴν λυθήσεσθαί σοι πάντα τήμερον*, et passim. Menander apud Priscianum XVIII. p 228.

ὄμνυμί σοι τὸν ἥλιον
ἦ μὴν ἀποίσειν σοι γραφὴν κακώσεως.

quae verba sunt uxoris iratae ad maritum, in quibus optime Meinekius *ἀποίσειν* pro *ποιήσειν* recepit. Forensis enim locutio est *ἀποφέρειν τινὶ γραφήν.* Propterea hunc locum attuli ut ostenderem *οἴσω* et composita cum *ποιήσω* permisceri, et ex ea observatione locum ex Demosthenis quarta, quae fertur, Philippica restituerem. Editur p. 151, 23. *ἀπάτης λόγος μεστὸς, ἀργύριον μὲν τῷ λέγοντι ποιήσων, τὰ δὲ πράγματα τῆς πόλεως τοῖς ἐχθροῖς ἐγχειριῶν*, sed *ποιήσων* manifesto corruptum est. Dici potest quis *ποιεῖν ἀργύριον πολύ*, quemadmodum et *ἐργάζεσθαι χρήματα πολλά* et *πλέον ἀργύριον ἀπὸ σοφίας εἴργασται* (Plat. Hipp. Mai. p. 282. D.), et *πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς εἰργασάμην* (p. 282. E.), et multa similia: unde cuivis facile est mendo liberare locum in vicinia p. 282. B. *ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος — χρήματα πολλὰ εἰργάσατο [καὶ ἔλαβεν] ἐκ τῆσδε τῆς πόλεως·* si quis scire volet unde importuna verba huc invecta sint perlegat modo locum. In eadem vicinia sequiorum additamenta pullulant. Laudandus Stallbaumius, qui annotatiunculam [*περὶ Ἀναξαγόρου λέγεται*] p. 283. A. a Platonis verbis secreverit, sed p. 283. C. *τέρας λέγεις [καὶ θαυμα-*

στόν], ὦ Ἱππία, nihil suboluisse hominibus doctis prope dixerim τέρας ἐστίν. Sic rustici dicuntur πολλὰς κριθὰς ποιεῖν καὶ οἶνον πολύν, et πολὺν καὶ σῖτον καὶ οἶνον ποιοῦντες (Demosth. p. 1048, 24), ubi laetus fuerit segetum et vinearum proventus: sed haec ipsa demonstrant quam perverse dicatur ὁ λόγος τῷ λέγοντι ἀργύριον ποιεῖν. Emenda τῷ λέγοντι οἴσων: postquam TI male repetitum ΠΟΙΣΩΝ peperit non defuit qui ποιήσων corrigeret scilicet. Sed manum de tabula.

Accedo ad Ἀπομνημονεύματα Socratis, qui liber eximius prae caeteris libris Xenophonteis longe emendatior et paucis tantum *sententiae* vitiis, paulo pluribus *dictionis* infectus circumfertur. De utroque genere seorsim iuvat dicere et primum quidem de iis locis, ubi per scribarum negligentiam et correctorum temeritatem sententia laborat. Offendo statim I. I. 7. in verbis: τεκτονικὸν μὲν γὰρ ἢ χαλκευτικὸν ἢ γεωργικὸν — ἢ στρατηγικὸν γενέσθαι, πάντα τὰ τοιαῦτα μαθήματα καὶ ἀνθρώπου γνώμῃ αἱρετὰ ἐνόμιζεν εἶναι, molestum est enim καί in καὶ ἀνθρώπων γνώμῃ, quasi vero etiam alia quam *humana* mente illae artes addisci possent. Μαθήματα vitiosum est et una syllaba auctius quam dederat Xenophon, qui μαθητά scripserat et addiderat copulam καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, quae verba de more in longae enumerationis fine collocata fuerunt: unde hanc habebimus scripturam: ἢ στρατηγικὸν γενέσθαι καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, μαθητὰ καὶ ἀνθρώπου γνώμῃ αἱρετὰ ἐνόμιζεν εἶναι, quae tam simplex quam vera est.

Contrario errore male addita copula pessumdedit locum II. v. 5. σκοπῶ μὴ ὥσπερ ὅταν τις οἰκέτην πονηρὸν πωλῇ καὶ ἀποδιδῶται τοῦ εὑρόντος οὕτω καὶ τὸν πονηρὸν φίλον, ὅταν ἐξῇ τὸ πλεῖον τῆς ἀξίας λαβεῖν, ἐπαγωγὸν ᾖ προδίδοσθαι. Recipiendum est ex bono Codice ἀποδίδοται et καί expungendum, ut sententia tam sana sit quam perspicua: sumit sibi hoc Socrates, quod concedent omnes: ὅταν τις πονηρὸν οἰκέτην πωλῇ, τοῦ εὑρόντος ἀποδίδοται, *quando quis servum nequam venditat, quovis pretio abiicit*, idque sic in comparatione posuit: ὥσπερ, ὅταν τις οἰκέτην πονηρὸν πωλῇ, ἀποδίδοται τοῦ εὑρόντος οὕτω καί κτἑ. Poterat et sic dicere: ὥσπερ τις οἰκέτην πονηρὸν πωλῶν τοῦ εὑρόντος ἀποδίδοται. Luculenter hic locus demonstrat quid inter πωλεῖν et ἀποδίδοσθαι intersit: πωλεῖν dicitur qui

emtorem *quaerit*, *ἀποδίδοσθαι* qui *reperit*, ut Latine *venditare* et *vendere*. Hinc intelligitur quomodo accipienda sint verba in Symposio VIII. 21: *ὁ ἐν ἀγορᾷ πωλῶν καὶ ἀποδιδόμενος*. Hinc etiam melius constituenda sunt quae de formis usitatis verborum *πωλεῖν* et *ἀποδίδοσθαι* supra annotavimus. Ἀποδίδομαι enim habet *ἀποδώσομαι* et *ἀπεδόμην*, sed perfectum *πέπρακα*, et in forma passiva *πέπραμαι*, *ἐπράθην*, *πεπράσομαι* et praesens *πιπράσκομαι*. Πωλεῖν frequentissime ex ipsa natura rei aut in praesenti tempore aut in imperfecto occurrit, sed habet tamen et reliquas formas ex se natas, ut futurum *πωλήσει* apud Aristophanem Athen. p. 525. A.

ἐπηκολούθουν κἠντεβόλουν προσκείμενοι
ὅπως ἔχων τὸν παῖδα π ω λ ή σ ε ι 'ς Χίον,

id est *venditatum iret*, et passive *πωλήσεται* apud Eubulum Athen. p. 640. B.

ἐν τῷ γὰρ αὐτῷ πάνθ' ὁμοῦ π ω λ ή σ ε τ α ι
ἐν ταῖς Ἀθήναις σῦκα, κλητῆρες, βότρυς.

id est *venalia erunt*, *venibunt*. Quid sit *ἀποδίδοσθαι τ ο ῦ ε ὑ ρ ό ν τ ο ς*, et quod legitur in Aeschinis Timarchea § 96. *οὐδὲ τῆς ἀξίας ἕκαςον τῶν κτημάτων — ἀλλὰ τοῦ ἤδη ε ὑ ρ ί σ κ ο ν τ ο ς ἀπεδίδοτο*, non potest melius cognosci quam ex verbis Theophrasti in Charact. XV. 1. *καὶ π ω λ ῶ ν τ ι μὴ λέγειν τοῖς ὠνουμένοις πόσου ἂν ἀ π ό δ ο ι τ ο, ἀλλ' ἐρωτᾶν τ ί ε ὑ ρ ί σ κ ε ι*. Ubi emtor ipse rei venalis pretium suo arbitratu constituit quodcumque pretii obtulerit venditori, aut si quid in auctione plurimum licitanti addictum fuerit, quod pecuniae ex ea venditione redactum est appellatur *τὸ εὑρίσκον* vel *τὸ εὑρόν*, miro usu sed certissimo. Mirum enim non est rem ipsam, quae sic vendatur, dici *εὑρίσκειν τιμήν* aut simile quid, sed *τὸ εὑρόν* dici pretium, quod rei sic venditae venditor accipiat, quum *τὸ εὑρεθέν* potius exspectasses. Sed omnem dubitationem eximunt vetustae inscriptiones, in quibus ΤΟΕΥΡΟΝ eo sensu disertissime scriptum est. Ipse Venetiis in Museo Seminarii vidi inscriptionem Rhodiacam editam a Boeckhio in C. I. G. II. p. 592[b] sqq., in qua sic scriptum est: *ὅ τε ἀρχερανιςὰς καὶ τοὶ λογιςαὶ καὶ ὁ ἐπιςάτας οἵ κα ἀεὶ ἐν ἀρχᾷ ἔωντι καὶ πριάσθων ςέφανον καὶ διλήμνιον καὶ ἀναγορεύσαντες τᾷ δεύτερον*

ΑΜΕΡΑΙΤΑΝΣΥΝΟΔΩΝΑΠΟΔΟΣΘΩΝΚΑ *
* ΟΕΥΡΟΝΚΑΤΑΒΑΛΕΤΩΕΙΣΤΟΚΟΙΝΟΝ
ΟΕΠΙΣΤΑΤΑΣ.

id est, ut vides: κα(ὶ τ)ὸ εὑρὸν καταβαλέτω εἰς τὸ κοινὸν ὁ ἐπιστάτας, et etiam in aliis quibusdam inscriptionibus eadem locutio recurrit. Tenemus igitur manifestos sciolos, qui in Codd. quibusdam Xenophontis τοῦ εὑρόντος temere in τοῦ εὑρεθέντος aut in τοῦ τυχόντος depravarunt, et in Aeschinis libris nonnullis τοῦ εὑρίσκοντος refinxerunt in τοῦ εὑρισκομένου.

Iterum καί male irrepsit I. ii. 49. Φάσκων κατὰ νόμον ἐξεῖναι παρανοίας ἑλόντι [καὶ] τὸν πατέρα δῆσαι, quoniam in *solo* patre ea res locum habet.

Vehementer officit sanae sententiae perverse additum participium I. ii. 25. (Alcibiades et Critias) ὠγκωμένω μὲν ἐπὶ γένει, ἐπηρμένω δ' ἐπὶ πλούτῳ, πεφυσημένω δ' ἐπὶ δυνάμει, διατεθρυμμένω δ' ὑπὸ πολλῶν ἀνθρώπων, ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις [διεφθαρμένω] καὶ πολὺν χρόνον ἄπο Σωκράτους γεγονότε τί θαυμαστὸν εἰ ὑπερηφάνω ἐγενέσθην; Acutissime vidit Pluygersius διεφθαρμένω a sciolo male additum expungi oportere, quo facto clara luce locus splendet. Διεφθαρμένος cum ἐπὶ τούτοις coniungi non potest, et solum dativum admittit: sed etiamsi πᾶσι τούτοις διεφθαρμένω esset scriptum, quid attinebat haec verba, quibus sententia oneratur et impeditur, superioribus tamquam inutile pondus appendere? Putabat sciolus ἐπὶ πᾶσι τούτοις eodem sensu esse positum atque ἐπὶ γένει, ἐπὶ πλούτῳ, ἐπὶ δυνάμει, et desiderari participium, unde illa penderent. Si, ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις μέγα φρονοῦντε, vel μεγαλαυχουμένω, vel simile quid supplevisset, poterat fraus aliquanto tutius latere. Significat vero ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις *his omnibus denique accedere*, quod diu Socratis consuetudine et sermonibus caruissent.

Sequiorum additamentum obscurat sententiam I ii. 35. ἵνα τοίνυν μὴ ἀμφίβολον ᾖ [ὡς ἄλλο τι ποιῶ ἢ τὰ προηγορευμένα] ὁρίσατέ μοι κτέ., ubi quid tandem sibi velint verba ὡς — προηγορευμένα, suspicari magis quam perspicue intelligere possis, neque ἀμφίβολον ὡς recte coniunguntur, sed ἀμφίβολον εἰ dicendum erat.

Eiecto emblemate expedies locum in vicinia I. ii. 34. ζῶν

ἕκαστος ἑαυτοῦ, ὃ πάντων μάλιστα φιλεῖ, [τοῦ σώματος] ὅ τι ἂν ἀχρεῖον ᾖ καὶ ἀνωφελὲς αὐτός τε ἀφαιρεῖ καὶ ἄλλῳ παρέχει, expulso τοῦ σώματος emenda ἕκαστος ἑαυτοῦ, ὃν πάντων μάλιστα φιλεῖ, ὅ τι ἂν ἀχρεῖον ᾖ κτἑ. ad novissima verba annotavit quis τοῦ σώματος, quod quum irrepsisset, ὅ pro ὅν corrector substituit et nata est bella lectio, quae hodie circumfertur. Addito τοῦ σώματος non magis opus est quam ut § 53. reponatur τὸ ἑαυτοῦ σῶμα κατατέμνειν pro ἑαυτὸν δὲ κατατέμνειν.

Elapsa necessaria vocula laborat sententia I. III. 3: οὔτε γὰρ τοῖς θεοῖς ἔφη καλῶς ἔχειν, εἰ ταῖς μεγάλαις θυσίαις μᾶλλον ἢ ταῖς μικραῖς ἔχαιρον. Supplendum esse οὔτε γὰρ (ἂν) τοῖς θεοῖς ἔφη καλῶς ἔχειν, unusquisque statim admonitus intelliget, et clare demonstrant quae sequuntur. Vel solum εἰ ἔχαιρον rem conficit: namque si recta oratione Xenophon uti voluisset, *certum* est ei sic fuisse dicendum: οὔτε γὰρ ἂν τοῖς θεοῖς καλῶς εἶχεν εἰ — ἔχαιρον. πολλάκις γὰρ ἂν αὐτοῖς — ἦν κεχαρισμένα· οὔτ' ἂν τοῖς ἀνθρώποις ἄξιον ἦν ζῆν κτἑ. Eadem medicina sanandus est locus II. VIII. 2. καὶ πόσον χρόνον οἴει σοι τὸ σῶμα ἱκανὸν εἶναι μισθοῦ τἀπιτήδεια ἐργάζεσθαι; imo vero πόσον (ἂν) χρόνον οἴει κτἑ. In iis, quae Eutherus respondet: μὰ τὸν Δί', οὐ πολὺν χρόνον, expuncto χρόνον, quod inficete et contra Atticam consuetudinem repetitum est, revoca voculam in tali re usitatam et scribe: μὰ τὸν Δί', οὐ πολύν γε. Iterum ἄν excidit II. VIII. 6. οὕτω γὰρ ἥκιστα μέν σε οἶμαι ἐν αἰτίᾳ εἶναι, μάλιστα δὲ τῇ ἀπορίᾳ βοήθειαν εὑρεῖν. intelligisne οὕτω γὰρ (ἂν) ἥκιστα μέν κτἑ. necessario requiri? Recurrit vitium idem in Mem. I. II. 9. λέγων ὡς μωρὸν εἴη τοὺς μὲν τῆς πόλεως ἄρχοντας ἀπὸ κυάμου καθιστάναι, κυβερνήτῃ δὲ μηδένα ἐθέλειν χρῆσθαι κυαμευτῷ μηδὲ τέκτονι μηδ' αὐλητῇ, ubi μηδέν' ἂν ἐθέλειν ex antiqua scriptura ΜΗΔΕΝΑ reponendum est. Utrum in recta oratione οὐδεὶς ἐθέλει an οὐδεὶς ἂν ἐθέλοι dicendum fuisse existimas? An factum est umquam? An fieri potuit umquam? Itaque ἐθέλοι ἄν necessarium est et in oratione indirecta ἄν servari oportet.

Articulus elapsus est I. III. 11. (ἆρ' οὐκ ἂν οἴει) σπουδάζειν ἀναγκασθῆναι ἐφ' οἷς οὐδ' ἂν μαινόμενος σπουδάσειεν; non potest

μαινόμενος sic poni pro *μαινόμενός τις*. Rescribe: *οὐδ' ἂν (ὁ) μαινόμενος σπουδάσειεν*.

Contra vitiose abundat *ἴσως* in I. iv. 13. *σοὶ δὲ συμβουλεύω ἀπενιαυτίσαι. μόλις γὰρ ἂν [ἴσως] ἐν τοσούτῳ χρόνῳ τὸ δῆγμα ὑγιὴς γένοιο*, non possunt enim *μόλις* et *ἴσως* coniungi, ut perspicuum est. Quaeris unde *ἴσως* sit natum. Respondeo ex antiqua et vera lectione ΠΩΣ, nam dedisse Xenophontem *μόλις γὰρ ἂν πως ἐν τοσούτῳ χρόνῳ κτἑ.* Saepe *μόλις (μόγις) πως* ab Atticis coniunguntur, ut in Cyropaed. I. iv. 8. *οὐ μὴν ἀλλ' ἐπέμεινεν ὁ Κῦρος μόλις πως*, et saepe apud Platonem. Dirimuntur *μόλις πως*, ut reliqua omnia istiusmodi, voculis *μέν*, *δέ*, *δή*, *τοι*, *γάρ*, *γὰρ ἂν* et similibus, ut apud Platonem de Legg. I. p. 644. D. *μόλις μέν πως ἐφέπομαι*, et alibi.

Multum sublevabis sententiam in Mem. I. iv. 8. si plane deleto emblemate [*ἐρώτα γοῦν καὶ ἀποκρινοῦμαι*] voculam *μέν* inserueris ac sic scripseris: *σὺ δὲ σαυτὸν (μὲν) δοκεῖς τι φρόνιμον ἔχειν, ἄλλοθι δὲ οὐδαμοῦ οὐδὲν οἴει φρόνιμον εἶναι;*

Contra sententiam respondet Aristodemus § 9: *μὰ Δί', οὐ γὰρ ὁρῶ τοὺς κυρίους κτἑ.*, sed *νὴ Δί'* ab eo dictum oportuit et sine controversia dictum est. Saepius scribae *νὴ Δία* et *μὰ Δία* aliud agentes inter se confuderunt, cuius rei unum exemplum ex hoc ipso Xenophontis libro sumtum attulisse satis esto. Legitur IV. vi. 10. ubi Socrati roganti: *οἱ ἄρα μὴ φοβούμενοι τὰ τοιαῦτα διὰ τὸ μὴ εἰδέναι τί ἐστιν οὐκ ἀνδρεῖοί εἰσι;* respondet Euthydemus: *νὴ Δία. πολλοὶ γὰρ ἂν οὕτω γε τῶν τε μαινομένων καὶ τῶν δειλῶν ἀνδρεῖοι εἶεν.* Obloquetur stultissime ipse sibi, donec *μὰ Δία* restitueris.

Librarii, qui oscitanter *νὴ Δία* et *μὰ Δία* inter se permutant, saepissime in Doricis *ναὶ τὸν Δία* et *οὐ τὸν Δία* et *ναὶ τὼ σιώ* Spartanorum impingere solent. In Plutarchi Apophth. p. 208. D. scripserunt: *Ναὶ δῆτα, εἴ γ' ἐστι δίκαιον*, pro *Ναὶ Δία*. Male ibid. p. 241. B. editur *νὴ τὼ σιώ, τᾶς καλᾶς γε*, pro *ναὶ τὼ σιώ*. Eodem modo peccarunt p. 189. F. *νὴ τὼ σιώ, κατέκτανόν τευ, εἰ μὴ ὠργιζόμαν*, tu repone: *ναὶ τὼ σιώ, κατέκτανον ἄν τυ, αἰ μὴ ὠργιζόμαν.* Idem mendum *νὴ τὼ σιώ* recurrit p. 233. B. et p. 235. E. et F. Mendosius etiam p. 208.

E. *νὴ τὼ θεώ* dederunt, quod muliercularum in Attica iusiurandum est. Quum inter omnes constet Dores pro *νή* et *μά* semper *ναί* et *οὐ* ponere, miror nondum esse a quoquam emendatum Plauti locum in Captivis vs. 880 sqq. (IV. II. 100 sqq.) ubi *μὰ τὸν Ἀπόλλω* legitur contra sententiam pro *ναὶ τὸν Ἀπόλλω*, et *νὴ τὰν Κόραν*, *νὴ τὰν Πραινέστην*, *νὴ τὰν Σιγνίαν*, *νὴ τὰν Φρουσινῶνα*, *νὴ τὰν Ἀλάτριον* contra usum loquendi pro *ναὶ τὰν Κόραν* cet. *Ναὶ τὰν Κόραν* Graecis in Italia et Siculis crebro erat in ore. Aristophanes Vesp. 1438:

εἶθ' ἡ Συβαρῖτις εἶπεν· εἰ ναὶ τὰν Κόραν
ἐπίδεσμον ἐπρίω, νοῦν ἂν εἶχες πλείονα.

Caeterum vide quomodo scribae mulcaverint verba *ἀλλὰ ναὶ τὼ σιώ* in Anab. VI. VI. 34, et plaudes Dindorfio *εἶπεν· Οὐ τὼ σιώ* reponenti in Anab. VII. VI. 39, et in Agesilao V. 5. pro *εἶπεν οὑτωσί*.

In I. IV. 15. *ὥσπερ σὺ φῂς πέμπειν αὐτούς*, recte sensit Dindorfius *σοί* necessarium esse, sed quod *σὺ σοὶ φῄς* recepit, poterat simpliciore correctione sententiam restituere: *ὥσπερ σοὶ φῄς κτἑ.* Notissimum est *σύ* et *σοί* passim permisceri, cuius rei supra exempla quaedam attulimus.

In I. VI. 9. *ποτέρῳ [ἡ] πλείων σχολή*, suadente sententia *ἡ* expungendum.

In I. VII. 2. (*οἱ αὐληταὶ*) *σκεύη τε καλὰ κέκτηνται καὶ ἀκολούθους πολλοὺς περιάγονται*, quoniam haec dicuntur de tibicinibus in hominum celebritate versantibus aut in publicum prodeuntibus, *σκεύη καλά* inepte commemorantur, quae *speciosam* aedium *suppellectilem* significant. Sententia loci postulat ut *ornatus* eorum et *ornamenta* commemorentur, quibus induti artis suae specimina edere solebant: itaque corrige *σκευήν τε καλὴν κέκτηνται.* Nota et res et nomen apud artifices scenicos et musicos omnes. Arionem auctor est Herodotus I. 24. *ἐνδύντα τε πᾶσαν τὴν σκευὴν καὶ λαβόντα τὴν κιθάρην* cecinisse in navi, et passim similia leguntur. Quod addidit Xenophon *καὶ ἀκολούθους πολλοὺς περιάγονται* egregie facit ad emendandum locum Demosthenis in Orat. XXXVI. 45. *σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς — καὶ τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγεις καὶ ζῇς ἀσελγῶς*, ubi reponendum est necessario *περιάγει.* Discrimen inter *περιάγω* et *περιάγομαι* tam perspicuum est quam

perpetuum. Si quem *circumductamus* spectaturum aliquid, aut omnino si cui damus operam ut circumiens inspiciat aliquid aut agat, eum περιάγειν dicimur; sin autem quis quaqua incedit *secum trahit* aliquem, cuius opera officioque utatur, eum περιάγεσθαι dicitur, ut herus pedissequos, aut tyrannus satellites. Quid Codicibus opus est ad demonstrandum in Cyropaed. II. II. 28. scribendum esse: ἀλλ' ἦ καὶ σὺ κατὰ τὸν Ἑλληνικὸν τρόπον ὅτι καλόν ἐστι περιάγει τοῦτο τὸ μειράκιον; pro περιάγεις, quod male comparavit Dindorfius cum Cyrop. I. III. 3. Astyages Cyrum εἴ που ἐξελαύνοι ἐφ' ἵππου χρυσοχαλίνου περιῆγεν, nam Cyro gratificans haec faciebat, non sibi aliquem usum aut oblectamentum aut honorem ex ea re quaerens. Qui ad bellum proficiscens uxorem aut concubinas aut scorta secum trahit, qui in publicum prodiens aut discipulorum agmen trahit secum, aut quemlibet gregem, aut pueros symphoniacos, aut tibicinas, aut quidquid est huiuscemodi, περιάγεσθαι eos omnes dicitur. In Epinici fragmento apud Athenaeum p. 497. A. emendandum est:

ἔστι δ' ἐλέφας. — (τί φής;) ἐλέφαντας περιάγει;

ubi infeliciter admodum περιάγεις coniecerunt. Contra rectissime dicitur ὁ τριήραρχος, qui sua navi summum ducem vehit τὸν στρατηγὸν περιάγειν, et sic Demosthenes dixit in Orat. L. 52. ἵν' αὐτοκράτωρ ὢν ὁ Κάλλιππος τῆς νεὼς περιάγοι τὸν Καλλίστρατον, ex quibus satis intelligitur quam ridicule quis παῖδας ἀκολούθους dicatur περιάγειν pro περιάγεσθαι. Eadem est ratio verborum ἐπάγειν et ἐπάγεσθαι: et συμπεριάγειν et συμπεριάγεσθαι. Tyranni satellites συμπεριάγονται, sed qui candidato ambienti se suffragaturum pollicetur apud Plutarchum in Apophth. Roman. p. 200. C. ἐπαγγέλλεται συμπεριάξειν. Quod qui fecerat ipse repente *petere* coepit. Corrige igitur locum Plutarchi, ubi scribitur: ἐξηπατήθησαν. ἀπηγγέλλετο γὰρ αὐτὸς ἐν ἀγορᾷ περιιών, sed rescribendum est παρήγγελλε γὰρ αὐτός, nam *petere* παραγγέλλειν dicitur, ut notum est. Sed ad Memorabilia redeo, ubi in usu verbi ἄγειν alio modo peccatum est II. I. 23: ἐὰν οὖν ἐμὲ φίλην ποιήσῃ [ἐπὶ] τὴν ἡδίστην τε καὶ ῥάστην ὁδὸν ἄξω σε, ubi postulante loci sententia et loquendi usu ἐπί inducendum est. Inspice modo locum vicinum § 29: ἐννοεῖς ὡς χαλεπὴν καὶ μακρὰν ὁδὸν — ἡ γυνή

σοι αὕτη διηγεῖται; ἐγὼ δὲ ῥᾳδίαν καὶ βραχεῖαν [*ὁδὸν*] *ἐπὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἄξω σε*, in quo loco qui aurem habet importunum *ὁδόν* ferre non poterit.

Decipit nos corrupta scriptura in Memorab. II. IV. 19. *καὶ μὴν ἀδελφώ γε ὁ θεὸς ἐποίησεν ἐπὶ μείζονι ὠφελείᾳ ἀλλήλοιν ἢ χεῖρέ τε καὶ πόδε καὶ ὀφθαλμὼ τἄλλα τε ὅσα ἀδελφὰ ἔφυσεν ἀνθρώποις*, emendandum esse censeo *ὅσα ἀδελφὰ ἔφυσεν ἄνθρωπος.* Plurimis exemplis notum est quomodo veteres in talibus verbo *φύειν* utantur. Is cui dentes nascuntur dicitur *φύειν ὀδόντας*, sic *φύειν τρίχας*, *φύειν πώγωνα*, *φύειν κέρατα*, *πτερὰ φύειν*, aliaque similia. *Φύειν πτερά* legitur apud Aristophanem in Avibus vs. 785:

οὐδὲν ἔστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον ἢ φῦσαι πτερά.

in eadem fabula vs. 106. scripserim:

οὐκ, ἀλλὰ τὸν χειμῶνα πάντα τὤρνεα
πτερορρυοῦμεν κᾆθις ἕτερα φύομεν,

pro *πτερορρυεῖ τε.* Addo lepidum Alexidis locum apud Athen. p. 362. C.

μὴ γένοιτό μοι μόνῳ
νύκτωρ ἀπαντῆσαι καλῶς πεπραγόσιν
ὑμῖν περὶ τὸν βαλλισμόν· οὐ γὰρ ἄν ποτε
θοἰμάτιον ἀπενέγκαιμι μὴ φύσας πτερά.

Notus est Herodoti locus II. 68. *γλῶσσαν μοῦνον θηρίων οὐκ ἔφυσε* (*ὁ κροκόδειλος*), et sic plerique loquuntur. Eleganter et iocose *νοῦν φύειν* aut *φρένας φύειν* dicuntur qui *sanam mentem adipiscuntur*, et qui ex insania aut stultitia *resipiscunt.* Sic igitur homines dicuntur *φῦσαι χεῖρέ τε καὶ πόδε καὶ ὀφθαλμώ*, id est *a natura habere*: quod quum sequiores ignorarent *ἔφυσεν ἄνθρωπος* in *ἀνθρώποις* depravarunt, ut *ἔφυσεν* ad *θεός* referendum esse videretur. Sed Xenophon de Deo *ἐμφύειν* solet dicere, veluti I. IV. 13 et 16, et IV. III. 11. et aliis locis.

In Mem. II. VI. 17. *Ὃ ταράττει σε, ὦ Κριτόβουλε, ὅτι πολλάκις ἄνδρας καὶ* (*τὰ*) *καλὰ πράττοντας καὶ τῶν αἰσχρῶν ἀπεχομένους ὁρᾷς ἀντὶ τοῦ φίλους εἶναι στασιάζοντας ἀλλήλοις*, nemo docebit quomodo *ὃ ταράττει σε* intelligi possit, et quis tandem pronomini *ὅ* sit locus. Deleveris molestum vocabulum: omnia recte et ordine procedent. Sed qui tandem fieri potuit, inquies, ut *ὅ* adderetur? Videor mihi id reperisse. O ex

Θ natum est, et ΟΤΑΡΑΤΤΕΙ est dittographia: ΘΡΑΤΤΕΙΣΕ antiqua et proba scriptura est, cui supra scripsit aliquis ΤΑ vetustae formae *θράττει* supponens vulgatam *ταράττει*. Verbum *θράττειν* satis notum est: saepius aetatem tulit in Platonis libris, cuius testimonia conquisivit Ruhnken. ad Tim. v. Ἐνθράττειν, apud quem videbis vetus *ἐνέθραξαν* a scribis in *ἐνετάραξαν* depravatum, ut apud Xenophontem *θράττει* in *ταράττει*. Ex Platonis locis unum proferam ut eum obiter gravi mendo liberem. Legitur in Phaedone p. 86. E. *ἀλλ' ἄγε, ὦ Κέβης, λέγε τί ἦν τὸ σὲ αὖ θρᾶττον ἀπιστίαν παρέχει*, quae scriptura quum manifesto mendosa sit, Stallbaumius ex duobus libris *ὃ σέ* pro *τὸ σέ* recepit. Sed est ea levissima scioli correctiuncula, qua nihil adiuvamur: *τί ἦν ὃ ἀπιστίαν παρέχει*; dici non potest, sed *τί ἐστιν*. De suo addidit olim nescio quis *ἀπιστίαν παρέχει*, et Plato haec tantum dederat: *τί ἦν τὸ σὲ αὖ θ ρ ᾶ τ τ ο ν*; Illud ipsum *θράττει σε*, quod Xenophonti reddimus, legitur apud Aristotelem in Rhet. III. xɪ. 2. ubi philosophus *τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα* commemorans ita dicit: *οἷον τὸ Θεοδώρου εἰς Νίκωνα τὸν κιθαρῳδόν· Θ ρ ά τ τ ε ι σ ε. προσποιεῖται γὰρ λέγειν τὸ θ ρ ά τ τ ε ι σ ε καὶ ἐξαπατᾷ. ἄλλο γὰρ λέγει.* Quid igitur erat quod diceret quum *θράττει σε* videretur dicere? Nempe *Θράττης εἶ*, *e Thressa natus es*, ut satis Aristoteles ipse confirmat addens: *εἰ μὴ ὑπολαμβάνει Θρᾷκα εἶναι, οὐ δόξει ἀστεῖον εἶναι.* Is ipse iocus redarguere potest Dindorfii suspicionem *θράττειν* non esse ex *ταράττειν* collisum, ut *φροίμιον* ex *προοίμιον*, aliaque, neque igitur *α* longum habere. Nisi enim *α* productum esset in *θράττει σε* non potuissei *θράττης εἶ* sono referre, ut ex ambiguo iocus nasceretur. Itaque *θρᾶττον* scribendum et *θρᾶξαι φρένας* apud Aeschylum Prom. 628, et *ἐπιθρᾶξαι* apud Hesychium. Nampe syncopen passa omnia vicinam vocalem producunt, ut *κέκρᾱκα* (ex *κεκέρᾰκα*) *πέπρᾱκα*, *κέκληκα* (ex *κεκάλεκα*), alia. Hinc *τρᾱχύς* priorem productam habet et Iones *τρηχύς* dicebant, quod Aristophani reddendum in Pace vs. 1086.

οὐδέποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τ ρ η χ ὺ ν ἐχῖνον.

et vs. 1114.

οὐ γὰρ ποιήσεις λεῖον τὸν τ ρ η χ ὺ ν ἐχῖνον.

utrobique male *τραχύν* editur, quod et a versu epico alienum

est et ab eiusdem *παρῳδίᾳ*. Τετρήχει Homericum his cognatum esse perspicuum est, quod Hesychius interpretans: *τετάρακτο ἢ θορύβου πλήρης ἦν*, ipsius Aristarchi verba mihi servasse videtur. Sed ad Xenophontis Memorabilia revertendi tempus est.

Contra sententiam *ἐν τῇ πόλει* insertum est in Memor. III. I. 1. *ἔλεξε πρός τινα τῶν ξυνόντων ὃν ᾐσθάνετο βουλόμενον τῆς τιμῆς ταύτης (τῆς ϛρατηγίας) [ἐν τῇ πόλει] τυγχάνειν*. Recurrit statim idem vitium in § 2. *τὸν βουλόμενον [ἐν] τῇ πόλει ϛρατηγεῖν*, quod ita dictum est ut risum moveat, namque *οἱ ϛρατηγοί* ubi cum imperio sunt non solent esse *ἐν τῇ πόλει*, et quum habent potestatem non possunt esse alibi quam *ἐν τῇ πόλει*. *Στρατηγεῖν τῇ πόλει* contra rectissime dicitur, ut *ἄρχειν τοῖς Ἀθηναίοις*. Eadem fraude *ϛρατηγόν* interpolatum est II. II. 4. *δεῖ οὖν τὸν ϛρατηγοῦντα τοῦτο παρασκευάζειν τοῖς ἑλομένοις αὐτὸν [ϛρατηγόν]*, quod quam pueriliter sit additum statim senties. Idem vocabulum sciolus de suo adiecit in Demosthenis Aristocratea § 149. *τὸν μὲν Ἰφικράτην ἀποϛράτηγον ἐποιήσατε, Τιμόθεον δ' ἐπ' Ἀμφίπολιν καὶ Χερρόνησον ἐξεπέμψατε [ϛρατηγόν]*, credidit enim nescio quis eo vocabulo esse opus et non sensit quam iners et inficetum esset hoc additamentum. Multo etiam foedius mendum in simili re commaculat locum Demosthenis in Orat. XIII. 19. *δοῦλοι τῆς ἐπὶ τῷ χειροτονεῖσθαι χάριτος περιέρχονται τελεσθῆναι ϛρατηγὸς ἕκαϛος σπουδάζων, οὐκ ἀνδρὸς ἔργον οὐδὲν πρᾶξαι*. Quid potest ineptius dici quam *τελεσθῆναι ϛρατηγός*, nisi forte ineptior etiam videbitur Schaeferi interpretatio: *operam dantes ut strategiae initientur mysteriis*, quae Pergero Hesychii interprete quam Schaefero dignior est. Unde sit natum *τελεσθῆναι* non dispicio, sive e lacunae supplemento sive ex futili correctione antiqui mendi ΕΡΕΘΗΝΑΙ, sed hoc video nihil nisi *αἱρεθῆναι ϛρατηγός* scribi umquam potuisse, ut apud Xenophontem III. II. 1. *ϛρατηγεῖν ᾑρημένῳ τῳ* et III. III. 1. *ἱππαρχεῖν ᾑρημένῳ* et III. IV. 1. *τίνες ϛρατηγοὶ ᾕρηνται*, et passim apud omnes. Quis est qui credat in lingua Atheniensium pro *αἱρεῖσθαι, ἑλέσθαι* et *αἱρεθῆναι* aliud verbum quodlibet substitui in tali re posse?

Subolet mihi vitium in Memor. III. iii. 9, ubi quum dixisset Socrates: ὅτι ἐν παντὶ πράγματι οἱ ἄνθρωποι τούτοις μάλιστα ἐθέλουσι πείθεσθαι οὓς ἂν ἡγῶνται βελτίστους εἶναι, triplex huius rei exemplum affert: καὶ γὰρ ἐν νόσῳ ὃν ἂν ἡγῶνται ἰατρικώτατον εἶναι τούτῳ μάλιστα πείθονται, καὶ ἐν πλοίῳ οἱ πλέοντες ὃν ἂν κυβερνητικώτατον, καὶ ἐν γεωργίᾳ ὃν ἂν γεωργικώτατον. Non potes non sentire quam sit importunum οἱ πλέοντες et quam scitae huius loci compositioni officiat, sed si deleveris, manca oratio erit et ne satis vera quidem, nam saepe Socrati ἡ ναυτικὴ ἀταξία solet esse in ore, ut III. v. 6. (οἱ ἐν ταῖς ναυσὶν) ὅταν μηδὲν φοβῶνται μεστοί εἰσιν ἀταξίας. Huic incommodo optime medeberis et simul unde natum sit οἱ πλέοντες intelliges, si mecum repones: καὶ ἐν πλῷ ὃν ἂν κυβερνητικώτατον. Dicitur enim ἐν νόσῳ καὶ ἐν πλῷ καὶ ἐν γεωργίᾳ eodem sensu atque ὅταν νοσῶσι καὶ πλέωσι καὶ γεωργῶσιν, atque hoc ipsum est quod sententia loci requirit. Alia ratio est loci III. ix. 10. ubi componuntur ἐν νηῒ — καὶ ἐν γεωργίᾳ — καὶ ἐν νόσῳ — καὶ ἐν σωμασκίᾳ, in quibus omnibus dicitur ὁ ἐπιστάμενος ἄρχειν, quod verum est: τῶν ἐν τῇ νηῒ πάντων ὁ ἐπιστάμενος ἄρχει et in alto et in portu, non tantum ὅταν πλέωσιν. Confusa esse πλοίῳ et πλῷ nemo mirabitur qui meminerit eorum quae de ea re ad Oeconomicum annotavimus.

Mendum inest in Nicomachidae querela III. iv. 1. ἐμὲ μὲν οὐχ εἵλοντο ὃς ἐκ καταλόγου στρατευόμενος κατατέτριμμαι καὶ λοχαγῶν καὶ ταξιαρχῶν καὶ τραύματα ὑπὸ τῶν πολεμίων τοσαῦτα ἔχων, quod sic optime deprehendes, et deprehensum statim sanabis, si diligenter animadverteris quo sensu κατατρίβομαι vel κατατέτριμμαι ποιῶν τι dicatur. Facillime id colligi potest ex Aristophanis fragmento apud Athen. p. 184. E.

ὅστις αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος
εἶτά με σκάπτειν κελεύεις;

et e Platonis loco de Rep. III. p. 405. B. ὅταν τις τὸ πολὺ τοῦ βίου ἐν δικαστηρίοις φεύγων τε καὶ διώκων κατατρίβηται, similibusque locis, ubi τὸ κατατετρῖφθαι non *detritum esse* significat aut *attritum*, sed quod Latine dicitur *tritum esse* et Graece τρίβων εἰμί, et usurpatur de singulari peritia, quam quis ex longo usu collegerit. Itaque κατατέτριμμαι στρατευόμενος is di-

cit, qui in stipendiis faciendis aetatem contrivit et ex ea re eximiam rei militaris peritiam sibi comparavit, et *αὐλοῖς καὶ λύραισι κατατέτριμμαι χρώμενος* illius oratio est, qui rei musicae diutissime operam dedit eamque nunc egregie callet, sed neque illius neque huius vires adhuc imminutae aut attritae esse significantur: uterque *tritum* se esse praedicat, non *detritum* et multo labore *fractum*. Quomodo se Nicomachides queri poterat esse praeteritum si confectum se laboribus et exhaustum esse ultro fateretur? Ubi hoc mihi dederis simul hoc dabis *κατατέτριμμαι τοσαῦτα τραύματα ἔχων* absurdum esse. Quid igitur legendum est? Nempe *καὶ τραύματα ὑπὸ τῶν πολεμίων τοσαῦτα ἔχω*. Duplex militis querela est: praeteritum se indignatur qui tot stipendia fecerit et in bello tot vulnera acceperit. Idem semper est et ubique veteranorum ingenium, eadem oratio: sic se bonos milites et fortes esse declarant: stipendia sua enumerant, narrant vulnera et cicatrices ostentant: *ἅμα δὲ τὰς οὐλὰς τῶν τραυμάτων ἀπογυμνούμενος ἐπεδείκνυεν*. Audivimus haec omnes et vidimus. Luculentum exemplum est apud Livium XLV. 39. fin. Quomodo *ἔχω* in *ἔχων* abierit manifestum est: scribae *ταξιαρχῶν καὶ λοχαγῶν καὶ* — *ἔχων* aliud agentes coniunxerunt.

In Memor. III. v. 3. mendum est in verbis: *ἀλλὰ μὴν φιλοτιμότατοί γε καὶ* φιλοφρονέστατοι *πάντων εἰσίν· ἅπερ οὐχ ἥκιστα παροξύνει κινδυνεύειν ὑπὲρ εὐδοξίας τε καὶ πατρίδος*. Nesciebam *comitatem* hanc vim habere, ut animos ad virtutem inflammaret. Mendosum est *φιλοφρονέστατοι*, in quo quid lateat, ipsa loci sententia ad verum ducente, reperisse mihi videor et eadem opera erroris originem deprehendisse. Xenophon dederat: *φιλοτιμότατοί γε καὶ* μεγαλοφρονέστατοι *πάντων εἰσίν*, sed librarius quum *φιλοτιμότατοι* scripsisset *τὸ* φιλο — *ἔναυλον ἔχων* iisdem syllabis etiam sequens adiectivum inchoavit, quod genus erroris in describendo saepe omnes committimus, et saepe in Codd. Graecis commissum videmus. Dabis mihi Athenienses fuisse *μεγαλοφρονεστάτους πάντων*, et optime coniungi *φιλοτιμίαν* et *μεγαλοφροσύνην*, et iis maxime animos ad virtutem inflammari, denique saepius vocabulo *μεγαλόφρων* in tali re Xenophontem uti.

Expellendum emblema est III. v. 4. *Ἀθηναῖοι δὲ οἱ πρότερον*

[ὅτε Βοιωτοὶ μόνοι ἐγένοντο] πορθοῦντες τὴν Βοιωτίαν φοβοῦνται μὴ Βοιωτοὶ δῃώσωσι τὴν Ἀττικήν. Quae verba removenda esse censemus non tantum pueriliter abundant, sed sententiae aperte adversantur. Dici poterat ὁπότε συμμάχων ἐρῆμοι εἶεν aut huiusmodi quid, sed ὅτε μόνοι ἐγένοντο de *una* certa occasione dictum esse apparet: quod manifesto est a Periclis sententia alienum. Praeterea νῦν requiro, οἱ πρότερον πορθοῦντες τὴν Βοιωτίαν (νῦν) φοβοῦνται κτέ.

Ferri non potest ἔς' ἂν in III. v. 6. ἔς' ἂν δὲ ἢ χειμῶνα ἢ πολεμίους δείσωσιν. Revocandum est ὅταν δέ ex aliis libris, quod etiam sine libris ipsa sententia postulante reponendum fuisset. Melius revocabis ἔς' ἂν in Sophoclis Philocteta vs. 1330, ubi ex libris editur:

ὡς ἂν αὐτὸς ἥλιος
ταύτῃ μὲν αἴρῃ, τῇδε δ' αὖ δύνῃ πάλιν,

sed optime ἔς' ἂν correxit Brunckius, quem nemo sequitur. In Herodoti loco, quem ut alios plures Sophocli obversatum esse suspicor, VIII. 143. ἔς' ἂν ὁ ἥλιος τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἴῃ τῇ περ καὶ νῦν ἔρχεται, pro τῇ περ emendandum esse τήνπερ arbitror.

Vitiat sententiam articulus perverse additus III. v. 8. εἰ μὲν ἐβουλόμεθα χρημάτων αὐτοὺς ὧν [οἱ] ἄλλοι εἶχον ἀντιποιεῖσθαι. Cogitanti tibi quo sensu οἱ ἄλλοι dicatur ridere subibit. Vetus corruptela dudum a Schneidero deprensa adhuc inquinat locum in Mem. III. v. 9. εἰ τούς γε παλαιοτάτους ὧν ἀκούομεν προγόνους αὐτῶν ἀναμιμνήσκοιμεν αὐτοὺς [ἀκηκοότας] ἀρίςους γεγονέναι. Optimum factu est molestum et absurdum participium Schneidero obtemperantes resecare. Si quaeris unde natum putem, suspicor ἀκούομεν elicuisse glossam ἀκηκόαμεν, eamque forma vicinis accommodata insinuasse sese in alienam sedem.

In § 24. οὐδέ intelligi non potest et corrigendum: οὐ λανθάνεις με ὅτι οὐκ οἰόμενος — ἀλλ' ἐγχειρῶν με διδάσκειν κτέ.

Feliciter emendavit Hirschigius locum III. vi. 8. ἐὰν μὲν ἡ τῆς πόλεως (δύναμις) κρείττων ᾖ, — ἐὰν δὲ ἥττων τῶν ἐναντίων. quis enim admonitus non sentit ἐὰν δὲ ἡ τῶν ἐναντίων esse Xenophontis manum?

Suspecta mihi sunt verba quae leguntur III. vi. 7. τί δὲ

οἴει διαφέρειν ὃ σὺ ποιεῖς ἢ τῶν ἀσκητῶν ὄντα κρείττω τοὺς ἰδιώτας φοβεῖσθαι; Haud scio an ποιεῖν exciderit et sic legi oporteat: ὃ σὺ ποιεῖς (ποιεῖν) ἢ — φοβεῖσθαι; Pervulgata dicendi forma est qualis et alibi passim legitur et apud Demosth. Orat. XXIII. 31. διαφέρει δὲ τί τοῦτο τοῦ ὡς αὐτὸν ἄγειν; sed retrahit me Antiphanis locus apud Stobaeum in Floril. 74, 9:

τί φῄς; λαθεῖν ζητῶν τι πρὸς γυναῖκ' ἐρεῖς
τὸ πρᾶγμα; καὶ τί τοῦτο διαφέρειν οἴει
ἢ πᾶσι τοῖς κήρυξιν ἐν ἀγορᾷ φράσαι;

haec enim Porsoni emendatio pro τί τοῦτο διαφέρει ἢ πᾶσι κτἑ. numeros optime restituit et loco Xenophontis confirmatur, qui contra Antiphanis comparatione sanus et integer esse intelligitur. Quod in sqq. reponere volebam σὺ γὰρ τοῖς πρωτεύουσιν κτἑ. pro οὐ γάρ, video olim occupasse Schneiderum, ac miror neminem certam emendationem recepisse. Qui locum diligenter inspicient sat scio σὺ γάρ aliquando recepturos.

Socrates meretriculae III. xi. 10. ita suadet: δεῖ τὸν μὲν ἐπιμελόμενον ἀσμένως ὑποδέχεσθαι, τὸν δὲ τρυφῶντα ἀποκλείειν, sed, credo, de istarum quaestu erit actum ubi τοὺς τρυφῶντας coeperint excludere. Medebitur malo una literula, vel potius tenuis lineola, quae describentium aciem olim fugerat in scriptura ΔΕ̄ΤΡΥΦΩΝΤΑ, id est τὸν δ' ἐντρυφῶντα ἀποκλείειν. Satis tritum et notum est ἐντρυφᾶν τινι, *petulanter et proterve alicui illudere;* ut apud Euripidem in Cyclope vs. 588:

μέμφει τὸν ἐραστὴν κἀντρυφᾷς πεπωκότι;

Callicratidas apud Plutarchum in Apophth. Lacon. p. 222. E. Cyri fastum non ferens ἀπηλλάγη εἰς Ἔφεσον πολλὰ ἐπαρώμενος κακὰ τοῖς πρώτοις ἐντρυφηθεῖσιν ὑπὸ βαρβάρων καὶ διδάξασιν αὐτοὺς ὑβρίζειν διὰ πλοῦτον.

Etiam aliud Socratis consilium eidem mulierculae datum scribae ex prudenti fecerunt pessimum III. xi. 14. Quaerenti Theodotae πῶς ἂν ἐγὼ λιμὸν ἐμποιεῖν τῳ τῶν παρ' ἐμοὶ δυναίμην; respondet ὁ εἴρων his verbis: εἰ πρῶτον μὲν τοῖς κεκορεσμένοις μήτε προσφέροις μήτε ὑπομιμνήσκοις, — ἔπειτα τοὺς δεομένους ὑπομιμνήσκοις ὡς κοσμιωτάτῃ τε διαίτῃ καὶ τῷ φαίνεσθαι βουλομένη χαρίζεσθαι καὶ διαφεύγουσα, ἕως ἂν ὡς μάλιστα δεηθῶσιν, inserenda est enim negandi particula καὶ τῷ

(μὴ) φαίνεσθαι βουλομένη, quod commendatur, ne dicam ipsa rei natura, et iis quae praecedunt τῇ κοσμιωτάτῃ διαίτῃ et sequenti participio διαφεύγουσα, nam, si voluisset haec inter se opponere Socrates φαίνεσθαι βουλομένη et διαφεύγουσα, non coniunxisset haec copula καί, sed εἶτα διαφεύγουσα aut huiusmodi quid, unde ea res appareret, dixisset. Excidisse μή nihil habet quod mireris. Saepe necessaria negatio in libris omissa est, cuius rei et ipsi subinde exempla attulimus, quibus unum et alterum ex Demosthene addere iuvat, qui in Orat. IX. 11. Philippum Olynthiis dixisse refert ὅτι δεῖ δυοῖν θάτερον ἢ ἐκείνους ἐν Ὀλύνθῳ μὴ οἰκεῖν ἢ αὐτὸν ἐν Μακεδονίᾳ, quod intelligi non poterit donec restitueris ἢ αὐτὸν (μὴ) ἐν Μακεδονίᾳ. In eiusdem oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας § 212. male Graece legitur οὐ μὰ Δί', οὐκ ἀπηγόρευε καλεῖν, Graecum est ἀπηγόρευε (μὴ) καλεῖν.

Contra sententiam adhuc editur III. xiv. 7. ἔλεγε δὲ καὶ ὡς τὸ εὐωχεῖσθαι ἐν τῇ Ἀθηναίων γλώττῃ ἐσθίειν καλοῖτο. Dindorfius, qui olim istam lectionem conatus erat defendere, agnovit errorem suum in praefatione ad Demosthenem pag. LXII. Edit. Teubn., et Demostheni p. 630, 28. reddens suum: τὰ γὰρ χρήματα ἄποινα ὠνόμαζον οἱ παλαιοί, in Xenophonte probavit emendationem Reiskii ὡς τὸ ἐσθίειν — εὐωχεῖσθαι καλοῖτο. Lenius est cum aliis τό solum transponere: ὡς εὐωχεῖσθαι — τὸ ἐσθίειν καλοῖτο. Caeterum ista Socratis opinio non seria est, sed iocosa et iocularis. Est aliquid inter τὸ ἐσθίειν et τὸ εὐωχεῖσθαι, quod nescit nemo.

Nemo facile dicet quid sibi velit imperfectum διηγοῦντο in Memor. II. III. 2. ἄλλοι μὲν οὖν αὐτῷ πρὸς ἄλλους οὕτως ὁμιλοῦντι παραγενόμενοι διηγοῦντο· ἐγὼ δὲ ὅτε πρὸς Εὐθύδημον τοιάδε διελέγετο παρεγενόμην. Quod Heindorfius coniecit διηγοῖντο summo viro imprudenti excidisse videtur. Emendandum est διηγοῦνται, nempe in iis quae de Socrate *scripserunt.* Xenophon diu post Socratis mortem τὰ Ἀπομνημονεύματα scribere coepit, quum multi iam certatim multa de Socrate memoriae prodidissent. Satis est apposuisse verba e Xenophontis Apologia Socratis § 1. γεγράφασι μὲν περὶ τούτου καὶ ἄλλοι, καὶ πάντες ἔτυχον τῆς μεγαληγορίας αὐτοῦ, et ex Memor. I. IV. 1. εἰ δέ τινες Σωκράτην νομίζουσιν, ὡς ἔνιοι γράφουσί τε

καὶ λέγουσι περὶ αὐτοῦ τεκμαιρόμενοι κτἑ. ubi quae sequuntur arguunt neque de Platone haec dici neque de Antisthene aut Aeschine aut ullo alio ex Socraticorum numero, sed nescio quem Socratis obtrectatorem illis temporibus notum reprehendi. Laudes Socratis post viri mortem omnibus erant in ore. Ea res permovit Polycratem sophistam Atheniensem ut, quo consilio *Βουσίριδος ἀπολογίαν* et aliam Clytaemnestrae scripserat, quum materiae difficultate ingenium exercere et ostentare voluisset, teste Quintiliano I. O. II. xvii. 4, eodem *Σωκράτους κατηγορίαν* scriberet. Ista Polycratis *κατηγορία Σωκράτους* multorum plausum tulit et magnam movit admirationem. Ea ipsa res Xenophontem impulit ut contra scriberet, et sic *τὰ Σωκράτους Ἀπομνημονεύματα* ad redarguendam Polycratis *κατηγορίαν Σωκράτους* a Xenophonte composita sunt et edita. Itaque si quando a Xenophonte *ὁ κατήγορος* commemoratur, non Meletus significatur, aut Anytus, aut Lyco, *οἱ γραψάμενοι Σωκράτην*, sed Polycrates, cuius *κατηγορία Σωκράτους* erat tum in hominum elegantiorum manibus.

Dicam breviter quibus indiciis et argumentis id collegerim et mihi firmiter persuaserim. In iis, qui Polycratis orationem in Socratem scriptam commemorant, duo tantum sunt testes idonei et fide digni, Isocrates et Favorinus. Isocrates ad ipsum Polycratem scribens in Busiride § 4. ita dicit: *αἰσθανόμενος οὖν οὐχ ἥκιστά σε μεγαλαυχούμενον ἐπί τε τῇ Βουσίριδος ἀπολογίᾳ καὶ τῇ Σ ω κ ρ ά τ ο υ ς κ α τ η γ ο ρ ί ᾳ πειράσομαί σοι ποιῆσαι καταφανὲς ὅτι τοῦ δέοντος ἐν ἀμφοτέροις τοῖς λόγοις διήμαρτες.* Deinde, postquam *τὴν Βουσίριδος ἀπολογίαν* acerbe reprehendisset, sic pergit: *Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρήσας, ὥσπερ ἐγκωμιάσαι βουλόμενος, Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητήν, ὃν ὑπ' ἐκείνου μὲν οὐδεὶς ᾔσθετο παιδευόμενον, ὅτι δὲ πολὺ διήνεγκε τῶν ἄλλων ἅπαντες ἂν ὁμολογήσειαν.* Unde occasionem arripuit hominis odiose sic irridendi: *Socrates ipse*, inquit, *si tuam accusationem cognoscere posset, τοσαύτην ἄ ν σ ο ι ἔ χ ο ι χ ά ρ ι ν τῆς κατηγορίας ὅσην οὐδενὶ τῶν ἐπαινεῖν αὐτὸν εἰθισμένων.* Quam ignorabat Socratis animum et ingenium lividus rhetor, qui haec scripsit, tam admirator sui quam Socratis et Platonis et Socraticorum omnium osor et contemtor. Ex his igitur manifestum est Polycratem ingenii ostentandi causa *post*

mortem Socratis istam accusationem conscripsisse, sive, ut Bentleii verbis utar (in Dissertat. de Epistolis Socratis cap. VI.) »*Polycratis orationem in Socratem fuisse tantum declamationem exercitationemque scholasticam, non veram orationem Athenis habitam.*" Manifestum igitur est illis temporibus constitisse inter omnes Socratem praestantissimum virum iniquo iudicio fuisse circumventum, ut nihilo minus fuerit παράδοξον Socratem *accusare*, quam Busiridem et Clytaemnestram *defendere*. Quid de Socrate mortuo cives sui existimarent apparet vel ex his verbis Lysiae ex oratione πρὸς Αἰσχίνην τὸν Σωκρατικόν apud Athen. p. 611. E. οἰόμενος τουτονὶ Αἰσχίνην Σωκράτους γεγονέναι μαθητὴν καὶ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀρετῆς πολλοὺς καὶ σεμνοὺς λέγοντα λόγους οὐκ ἄν ποτε ἐπιχειρῆσαι οὐδὲ τολμῆσαι ἅπερ οἱ πονηρότατοι καὶ ἀδικώτατοι ἄνθρωποι ἐπιχειροῦσι πράττειν, ubi si locum diligenter expenderis emendandum esse intelliges Σωκράτους γενόμενον μαθητήν. Praeterea manifestum est illam Socratis accusationem placuisse multis, quamobrem iste οὐχ ἥκιστα ἐπὶ ταύτῃ ἐμεγαλαυχεῖτο et *placebat sibi*, quam ipsam rem Isocratis aemulationem et invidiam movisse suspicor. Polycratis κατηγορία Σωκράτους aetatem tulit et ab eruditis lectitabatur, unde nata est olim falsa et perversa opinio eam ipsam orationem in ipso iudicio contra Socratem esse habitam, cuius rei unum testem producere iuvat. Quintilianus in Inst. Orat. II. xvii. 4. ita scribit: »*Equidem illos, qui contra disputarunt* (rhetoricam artem non esse) *non tam sensisse quod dicerent, quam exercere ingenia materiae difficultate credo voluisse, sicut Polycratem cum Busirin laudaret et Clytaemnestram: quamquam is, quod his dissimile non esset, composuisse orationem, quae* est habita *contra Socratem, dicitur.*" Vides Quintilianum in ea opinione esse τήν τε Βουσίριδος ἀπολογίαν καὶ τὴν Κλυταιμνήστρας ingenii exercendi causa a Polycrate scriptam esse, sed τὴν Σωκράτους κατηγορίαν ab eo esse compositam ut ea accusator in iudicio contra Socratem uteretur. Nempe quum Polycratis, quem Socrati aequalem fuisse constabat, acris et vehemens Socratis accusatio exstaret, proclivi et excusabili errore eruditi homines illam ipsam in iudicio habitam esse suspicati, deinde satis leviter de suo commenti sunt Meletum, indisertum hominem, Polycrati dedisse

negotium, ut sibi orationem in Socratem conscriberet, qua apud iudices uteretur, idque Polycratem hominem pauperculum mercede fecisse. Falsum hoc esse et commenticium vides, sed erat olim illa pervulgata opinio. Diogenes Laërtius II. 38. *ἀπηνέγκατο μὲν οὖν τὴν γραφὴν* (*κατὰ τοῦ Σωκράτους*) *ὁ Μέλητος, εἶπε δὲ τὴν δίκην Πολύευκτος, συνέγραψε δὲ τὸν λόγον Πολυκράτης ὁ σοφιστής, ὥς φησιν Ἕρμιππος.* Fieri non potest, ut hoc Hermippus scripserit, homo perdoctus et diligens, quem disertissimum Isocratis testimonium fugere non potuit, praesertim quum et de Isocrate et *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* accurate multa conscripserit. Commemoraverat, opinor, Hermippus alicubi Polycratis *κατηγορίαν Σωκράτους*, unde Diogenes, nullius iudicii homo, collegit in ipso iudicio habitam esse eum dicere. Itaque *ὅτι συνέγραψε Πολυκράτης Σωκράτους κατηγορίαν* verissime Hermippus memoriae prodidit, sed eam aut a Meleto, aut a Polyeucto, nequissimo demagogo (qui tamen, credo, suas ipse orationes scriptitabat) in Socratis iudicio esse habitam Diogenis error est, quales permultos commisit. Quum diu iste opinionis error inveterasset Favorinus *τὴν Σωκράτους κατηγορίαν* lectitans certo indicio fraudem deprehendit et redarguit. Audi Diogenem Laërtium II. 39. *Φαβωρῖνος δέ φησιν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀπομνημονευμάτων μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον τὸν Πολυκράτους κατὰ Σωκράτους· ἐν αὐτῷ γάρ, φησὶ, μνημονεύει τῶν ὑπὸ Κόνωνος τειχῶν ἀναστιθέντων, ἃ γέγονεν ἔτεσιν ἓξ τῆς Σωκράτους τελευτῆς ὕστερον*, ubi scribendum esse *ὃ γέγονεν*, non *ἃ γέγονεν*, verbo iam supra monuimus. Quid igitur Favorinus deprehendit? *μὴ εἶναι ἀληθῆ τὸν λόγον*, id est: non esse revera hanc orationem in ipso iudicio contra Socratem habitam, id quod luce clarius ex Isocratis testimonio apparet. Verissime igitur Perizonius ad Aelian. V. H. XI. 10. »*Revera enim Polycrates scripsit Socratis accusationem, non autem eam, qua usi sunt Anytus et Melitus, verum aliam aliquamdiu post, ingenii, ut videtur, ostentandi causa, certe eodem animo, quo scripsit idem Busiridis laudationem.*" Assentitur his Kusterus ad Suidam v. Πολυκράτης, et novis argumentis idem acute demonstravit Bentleius in Dissertatione de Epist. Socrat. cap. VI. Quam me delectat Bernhardy, qui Bentleii immemor Perizonio et Kustero sic obloquitur (ad Sui-

dae locum l.): »*Kusteri tamen sive Perizonii coniecturam evertit Themistius, qui Polycratem tradit mercede conductum ab Socratis accusatoribus orationem confecisse.*" Themistii locus, quem primus omnium indicavit Menagius ad Diogen. Laërt. II. 58. huiusmodi est: »*Socratis iudices*, inquit, *ἐγοητεύθησαν ὑπὸ τοῦ λόγου, ὃν συνέγραψε* (*μὲν* inserendum) Πολυκράτης, *Ἄνυτος δὲ ἐμισθώσατο.* Hem idoneum et locupletem testem! *ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς*, ut iocatur alicubi Lucianus. Ista fabella aliquot saeculis ante Themistium in vulgus sparsa fuerat, et eruditi omnes et erudituli in talibus quidquid alicunde inaudivissent temere solebant arripere, et ponere pro certis quae nullum auctorem, nullum testem idoneum haberent. Eadem nunc esse solet in plerisque levitas, qua testium fidem et auctoritatem ponderare negligunt et ad testimonium dicendum quoslibet homunciones ineptissimos et futilissimos inconsiderate admittunt. Nonne ineptum, quaeso, est et absurdum in ea re, in quam inquirimus, Themistii testimonio aliquid tribuere, aut Aeliani, aut Sophistae, qui Epistolas Socraticas finxit, aut Suidae, aut stolido Graeculo, qui in Hypothesi Isocratei Busiridis nescio quid nugarum corrasit aut de suo commentus est? Nonne est, quaeso, ineptum et absurdum istis quidquam credere, qui sexcenties in manifesta inscitia et turpi fraude et ridiculis erroribus deprehensi sunt? Quis potest, dicam enim libere quod sentio, sine nausea et fastidio Themistium legere, *aulicum adulatorem*, (ut verissime pronuntiat Reiskius, sani iudicii homo et liberi oris et assentationis osor acerrimus) quis Themistium sine risu legere potest neque acutum neque eruditum scriptorem, sed *ἐκ τῶν παρατυχόντων ἀκουσμάτων*, aut etiam *παρακουσμάτων*, ut Sophistarum natio solet, *ὅ ττι κεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἔλθῃ* in decrepita Graecia declamitantem? Quam multos habemus scriptores Graecos minimi pretii, aut etiam (ut plane dicam quod sentiam) nullius prorsus pretii, stercoreos homines et plane contemnendos! Quem non pudeat in rebus antiquioribus Philostratorum alicuius testimonio uti, aut Maximi Tyrii, aut Himerii, aut si quis alius eiusdem farinae scriptor ad nos perduravit? Ipsi, credo, subriderent si sibi in talibus aliquam fidem haberi cognoscere possent, quae

undecumque arrepta securi iterant. Ecqua fabula potest esse futilior et certioribus indiciis deprensa refutari quam quae narratur de Meleto Aristophanem contra Socratem subornante? Ecquod commentum manifestius teneri potest? Habet tamen suos testes omnium rerum imperitos, historiae et chronologiae imperitissimos, sed eo confidentiores impudentioresque. Quicumque in Aeliani Varia Historia libri II. caput 13. perlegere volet et istam nugarum et mendaciorum farraginem paulo diligentius inspicere et perscrutari, tantam impudentiam pertaesus non aegre feret, si quis scriptores tam stultos fastidire et despicatui habere audebit.

Sed missum facio et Aelianum et Themistium et quidquid est testium istiusmodi, ut accedam ad demonstrandum id, quod ante posui, Xenophontem in Memorabilibus non Meleti aut Anyti, sed Polycratis *κατηγορίαν Σωκράτους* refutare. Ac primum quidem Meleti accusatio numquam est edita, neque Anyti neque Lyconis. Xenophon perspicue diserteque declarat *nescire sese* quibus tandem argumentis reum damnaverint: *πολλάκις ἐθαύμασα*, inquit in ipso exordio operis, *τίσι ποτὲ λόγοις Ἀθηναίους ἔπεισαν οἱ γραψάμενοι Σωκράτην ὡς ἄξιος εἴη θανάτου τῇ πόλει.* Dabit mihi unusquisque *θαυμάζω πῶς*, et Latine *miror, quo pacto*, et similia omnia eodem sensu dici a Graecis et Romanis, quo nunc dicere solemus *non intelligo*, *non capio*, *non assequor*, ut in illo Horatiano:

> sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
> fugerit,

et passim sic occurrit. Post pauca Xenophon iterum: *ὡς οὐκ ἐνόμιζεν οὓς ἡ πόλις νομίζει θεοὺς ποίῳ ποτ' ἐχρήσαντο τεκμηρίῳ*; quod ita dictum est, ut eum id *plane nescire* appareat. Nempe accusatorum oratio nulla erat edita, ipse peregre abfuerat, anni plurimi interea praeterierant, neque ipsi in patriam redeundi potestas facta est umquam. Iure adeo quaesiverit aliquis: quid attinebat Socratem post tot annos, quum apud omnes exquisitissimis laudibus efferri soleret, ab accusatorum calumniis olim intermortuis tam sedulo vindicare? Quum nescio quis ad Herculem laudandum prodiisset, salse quaesivit aliquis ex auditorum corona: *τίς γὰρ αὐτὸν ψέγει;* Sed Xenophontem videbis acriter cum aliquo accusatore con-

tendere: saepe eum audies odiosas accusatoris criminationes commemorantem, saepe ipsa accusatoris verba referentem: inspice I. II. 9, 12, 49, 51, 52, 56 et 58, quibus locis omnibus *ὁ κατήγορος ἔφη* ita dicitur, ut ex ipsa illius oratione certa crimina ipsius verbis afferantur. Quis autem sit *ὁ κατήγορος οὗτος*, certo indicio colligere poteris ex Memorab. I. II. 12. si memineris eorum, quae ex Isocrate paulo ante expromsimus: *Σωκράτους δὲ κατηγορεῖν ἐγχειρήσας — Ἀλκιβιάδην ἔδωκας αὐτῷ μαθητὴν, ὃν ὑπ' ἐκείνου οὐδεὶς ᾔσθάνετο παιδευόμενον.* Audi nunc Xenophontem: *ἀλλ', ἔφη ὁ κατήγορος, Σωκράτει ὁμιλητὰ γενομένω Κριτίας τε καὶ Ἀλκιβιάδης πλεῖστα κακὰ τὴν πόλιν ἐποιησάτην*, quod crimen Xenophon summa ope purgare et diluere nititur. Novum hoc crimen erat et ante Polycratem inauditum. Itaque Plato, qui Socrati reo adfuit, in Apologia ista ne attigit quidem. Polycrates diu post scribens callide admodum et astute ex vetere civium odio in Critiam et Alcibiadem Socrati dudum mortuo gravem invidiam conflavit, quam Xenophon omnibus viribus ab eo depellere conatur. Isocrates Critiam non nominat, sed solum Alcibiadem, quem cives sui vivum ferre non potuerant, mortuum multi admirabantur, commemorat, ut Polycratem illo modo, quo supra ostendimus, odiose deridere posset. Aeschines contra in Timarchea § 173. Alcibiadem praeteriit et Critiam nominavit solum (quod solum suo proposito conveniebat, ut Isocrateo Alcibiadem tantum) his verbis: *ἔπειθ' ὑμεῖς, ὦ Ἀθηναῖοι, Σωκράτην μὲν τὸν σοφιστὴν ἀπεκτείνατε, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκὼς ἕνα τῶν τριάκοντα τῶν τὸν δῆμον καταλυσάντων κτἑ.* Undenam haec aliunde hausisse Aeschinem putemus quam ex ipsa Polycratis *κατηγορίᾳ Σωκράτους*? Dubitare vix poteris, ubi Lysiam quoque scripta oratione Polycrati respondisse compereris. Terebatur olim eruditorum manibus Lysiae *ἀπολογία Σωκράτους*, a Platonica toto coelo diversa. Platonis Apologia scripta est ad Socratis accusatores et iudices acerba et mordaci ironia deridendos. Lysias *δικῶν καὶ πραγμάτων ἐμπειρότατος ὢν* apologiam Socratis composuit huiusmodi, qua iudices ad reum innocentem absolvendum summa dicendi et persuadendi arte impellere potuisset. Erat Lysiae *Ἀπολογία Σωκράτους*, ut in vitis X. Oratorum apud Plutarchum legitur

p. 836. B. *ἐστοχασμένη τῶν δικαστῶν*, et plane abhorrens ab illa Socratis *μεγαληγορίᾳ*, quam Xenophon in Apol. Socrat. 1. ultro fatetur *ἀφρονεστέραν φαίνεσθαι* iis, qui nescirent Socrati mortem quam vitam tum fuisse potiorem. Quod olim suspicabar Lysiae orationem, quemadmodum Polycratis, *οὐκ ἀληθῆ εἶναι*, sed Polycrateae accusationi fuisse oppositam, verum esse mihi demonstravit perdoctum incerti Grammatici Scholion ad Aristidis Panathen., quod primus omnium e tenebris protraxit Leo Allatius in lepidissimo dialogo *de scriptis Socratis*, in quo satagit *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* et causam absurdissimam eruditissime et venustissime defendit. Allatius, ut Romae solent, ita Graece sciebat, ut quae ab inepto Graeculo inficete admodum putideque scripta essent, illi ab ipso Socrate aut Xenophonte aut Aeschine aut Aristippo sic scribi potuisse viderentur, et quae intelligenti nauseam pariunt cum admiratione legeret. Sed nihil ea res impedit quo minus quis eruditam supellectilem ingentem conquirat et dapes exquisitissimas apponat, in quibus ne mica quidem sit salis. Haec est igitur ignoti Grammatici annotatio: *διὰ τὸ διϊπετὲς Παλλάδιόν φησι τὸ ἀπὸ Τροίας. Ὁ γὰρ Δημόφιλος* (veram lectionem *Δημοφῶν* viri docti recte reposuerunt) *παρὰ Διομήδους ἁρπάσας εἰς τὴν πόλιν ἤγαγεν, ὡς Λυσίας ἐν τῷ ὑπὲρ Σωκράτους πρὸς Πολυκράτην λόγῳ.* Legitur hoc disertum testimonium in Scholiis ad Aristidis Panathen. in Vol. III. p. 320. Dind. Tenemus nunc novam fraudem eorum, qui principum virorum vitas commentis mendaciisque contaminarunt. Quemadmodum Aristophanem a Meleto instigatum esse finxerunt et Polycratem Anyto orationem mercede conscripsisse, sic a Socrate Lysiacam orationem et lectam et improbatam mentiuntur. Lysiam multi narrant, quorum antiquissimus testis est Romanorum Cicero de Orat. I. 54. Graecorum Diogenes Laërt. II. 40. scriptam orationem Socrati attulisse quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur. Exspectasset, opinor, Lysias donec Socrates, quem sciebant omnes facundissimum virum esse, *καὶ τοῖς διαλεγομένοις αὐτῷ πᾶσι χρώμενον ἐν τοῖς λόγοις ὅπως βούλοιτο* (Xenoph. Memor. I. ii. 14), tali auxilio se usurum esse aliquo modo significasset. Disertissimum esse Socratem accusatores probe sciebant. Plato in Apolog. p. 17. A.

(οἱ κατήγοροι) ἔλεγον ὡς χρὴ ὑμᾶς εὐλαβεῖσθαι μὴ ὑπ' ἐμοῦ ἐξαπατηθῆτε ὡς δεινοῦ ὄντος λέγειν, deinde ὁ εἴρων dicendi se imperitum esse disertissime demonstrat. Quid Lysiae responderit Socrates pro se quisque magna cum libertate comminiscitur, eodem iure quo nunc unusquisque nostrum fingat aliquid, quod Socratem inducat dicentem. Quod Diogenes sine teste affert ineptum est: οὐ γὰρ καὶ ἱμάτια καλὰ καὶ ὑποδήματα εἴη ἂν ἐμοὶ ἁνάρμοςα; Aliquid dicet Socrates si γυναικεῖα addideris, et sic ferme satis salse, sed verbosius, respondet apud Ciceronem, ex cuius verbis conieceris apud Diogenem olim scriptum fuisse: οὐ γὰρ σικυώνια ὑποδήματα εἴη ἂν ἐμοὶ ἁνάρμοςα; sed quid Valerio Maximo facias, quo teste VI. IV. Ext. 2. Socrates: »*Aufer*, inquit, *quaeso*, *istam*, *nam ego si adduci possem*, *ut eam in ultima Scythiae solitudine perorarem*, *tum me ipse morte mulctandum concederem*." O hominem nugatorium et scriptorem ineptum! Plura attulit Davisius ad Cicer. Tusc. Quaest. I. 29. in his Stobaei locum ex Floril. 7, 56. nescio unde sumtum, ubi Socrati orationem recusanti Lysias καὶ μὴν κάλλιςον αὐτὸν εἶναι dixisse narratur. Cui Socrates: καὶ τὰ ῥόδα κάλλιςά ἐςιν, ἀλλ' οὐ πρέπει μοι τὸ ςεφάνωμα. Τεθνήξει τοίνυν, ἔφη ὁ Λυσίας, εἰ μὴ οὕτως ἀπολογήσει. Ὁ δέ· εἰ γάρ, ἔφη, καὶ μὴ νῦν, πάντως τεθνήξομαι, quae omnia sunt ex eadem fabularum et commentorum officina. Multis annis post Socratis mortem Lysias adversus Polycratem Socratis defensionem suscepit, idemque fecisse Xenophontem et ex eadem accusatione aliquid commemorare Aeschinem, quo magis omnia perpenderis, eo res videbitur esse manifestior.

In iisdem pereruditis ad Aristidem Scholiis exstat alterum testimonium tam luculentum et disertum, ut controversiam omnem dirimat. Legitur Vol. III. p. 480. Dind. τοῦτο δ' οὐκ ἀργῶς εἶπεν ἀλλ' ἐπειδὴ οἶδε τὸν Σωκράτη πρὸς τοὺς νέους ἀεὶ τὸν Ὀδυσσέα θαυμάζοντα διὰ τὴν τοιαύτην πρᾶξιν, ὡς Πολυκράτης ἐν τῷ κατ' αὐτοῦ λόγῳ φησὶ καὶ Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Πολυκράτην ὑπὲρ αὐτοῦ. Quae sequuntur corrupta et mutila sunt: ὁ μὲν (Polycrates) συνιςῶν ὅτι τὴν δημοκρατίαν ἐκ τούτου καταλύειν ἐπεχείρει ἐπαινῶν τὸν Ὀδυσσέα τοῖς μὲν βασιλεῦσιν ἐπαινοῦντα (lege παραινοῦντα) λόγῳ, τοὺς δὲ

ἰδιώτας τύπτοντα, οὐδὲν λέγων φροντίζειν μᾶλλον αὐτοῦ τῆς τάξεως· διὰ τοῦτο οὖν καὶ αὐτὸς τίθησιν. Patet excidisse ὁ δὲ (Lysias) οὐδὲν λέγων φροντίζειν κτἑ. sed quid Lysias Polycrati responderit Codicis lacuna videtur abstulisse. Compone nunc mihi cum his Xenophontis locum ex Memor. I. ιι. 58. τὸ δὲ Ὁμήρου ὁ κατήγορος ἔφη πολλάκις αὐτὸν λέγειν ὅτι Ὀδυσσεύς

ὅντινα μὲν βασιλῆα καὶ ἔξοχον ἄνδρα κιχείη κτἑ.

et nihil esse poterit certius quam ὁ κατήγορος ἔφη significare ὁ Πολυκράτης ἔφη ἐν τῇ Σωκράτους κατηγορίᾳ.

His igitur perspicue demonstratis et firmiter constitutis aestimare licet quam lubrica fides sit multarum rerum, quae testes plurimos et locupletissimos habere putantur. Aeschinis Timarchea in iudicio habita est annis 54 post Socratis condemnationem, et iam tum credebatur Socrates illo crimine concidisse, de quo veri accusatores ne cogitaverant quidem. Adhortatur Orator iudices ut de Timarcho sumant poenas quemadmodum olim de Socrate sumsissent, ὅτι Κριτίαν ἐφάνη πεπαιδευκώς. Iam tum ipse Meletus et Anytus usi esse putabantur criminationibus, quas Sophista diu post Socratis mortem de suo erat commentus. Etiam in illa re Atheniensibus dici poterat quod dixit Demosthenes: πολύ τι σκότος, ὡς ἔοικεν, ἐστὶ παρ' ὑμῖν πρὸ τῆς ἀληθείας. Poterat tamen, si quis hoc ageret et omnia diligenter perpenderet, res ipsa docere in Socratis iudicio neque Alcibiadis neque Critiae mentionem ullam factam esse aut etiam fieri potuisse. Unum testem oculatum habemus, cui de Socratis iudicio narranti credi possit, Platonem. Plato in Apologia subinde ipsa accusatorum verba in ipso iudicio a se audita refert, veluti p. 17. A. et imprimis p. 29. C. ubi ipsum Anyti exordium servavit: Ἄνυτος ἔφη ἢ τὴν ἀρχὴν μὴ δεῖν ἐμὲ δεῦρο εἰσελθεῖν ἢ ἐπειδὴ εἰσῆλθον οὐχ οἷόν τε εἶναι τὸ μὴ ἀποκτεῖναί με, λέγων πρὸς ὑμᾶς, ὡς εἰ διαφευξοίμην ἤδη ἂν ὑμῶν οἱ υἱεῖς ἐπιτηδεύοντες ἃ Σωκράτης διδάσκει πάντες παντάπασι διαφθαρήσονται. Agnoscimus ingenium et orationem hominis, quem Plato in Menone describit inde a pag. 89. E. ubi demiror non ab omnibus receptam esse evidentem correctionem εἰς καλὸν ἡμῖν Ἄνυτος ὅδε παρεκαθέζετο pro αὐτὸς ὅδε, praesertim quum multis exemplis constet ΑΝΥΤΟΣ in αὐτός facillime depravari solere. Imprimis audi

quam acerbe in sophistas invehatur corruptores iuventutis p. 91. C. et quomodo Socrati oblique malum minetur p. 94. C.

Eorum autem omnium, quae Xenophon ab accusatore dicta commemorat, nihil prorsus a Platone auditum esse facile videbis. Ne verbo quidem ea crimina attingit, quae a Xenophonte diligentissime diluuntur. Praeterea Xenophon: *ὁ κατήγορος ἔφη* solet dicere, quasi *unus* fuerit accusator, Plato *tres* accusatores in Socratem dixisse disertis verbis tradidit et ex Anyti oratione verba quaedam commemorat. Et Meletus quidem et Lyco exigui pretii homines fuerunt, Anytus contra et ditissimus et summis honoribus usus et eximiis in remp. meritis unus omnium potentissimus in rep. illis temporibus fuit. Hinc Socrates in Platonis Apolog. p. 18. B. ita dicit: *οὓς ἐγὼ μᾶλλον φοβοῦμαι ἢ τοὺς ἀμφὶ Ἄνυτον, καίπερ ὄντας καὶ τούτους δεινούς*, et in Xenophontis Apolog. § 29. Socrates *Ἄνυτον παριόντα ἰδὼν εἶπεν· Ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρὸς ὡς μέγα τι καὶ καλὸν διαπεπραγμένος εἰ ἀπέκτονέ με.* Meletus poëta mediocris, adolescens, nemini notus, fere pro puero ridetur in Apologia, et in Euthyphrone p. 2. B. *νέος τίς μοι φαίνεται καὶ ἀγνώς. ὀνομάζουσι μέντοι αὐτόν, ὡς ἐγῷμαι, Μέλητον. ἔστι δὲ τὸν δῆμον* (corrige *τῶν δήμων*) *Πιτθεύς, εἴ τινα νῷ ἔχεις Πιτθέα Μέλητον, οἷον τετανότριχα καὶ οὐ πάνυ εὐγένειον, ἐπίγρυπον δέ.* quibus respondet Euthyphro: *οὐκ ἐννοῶ, ὦ Σώκρατες.* Potuitne mordacius obscurum adolescentulum perstringere? Lyco et Meletus igitur *σκιαὶ ἀΐσσουσιν*: in Anyto, potentissimo viro, erant omnia, de quo pauca quaedam accuratius exponam ad demonstrandum illo accusante de Alcibiade et Critia mentionem ad iudices nullam fieri potuisse, sed multo serius demum ad invidiam Socrati mortuo conflandam istud crimen a Sophista esse fictum. *Ἄνυτος ὁ Ἀνθεμίωνος* in maximis divitiis natus et educatus est a patre, qui sordido opificio tantas opes ipse collegerat. *Βυρσοδέψης* enim fuit, ut Cleon antea fuerat, quem tam acerbe hoc quoque opprobrio Aristophanes insectatur. Anytus igitur *πλούσιος ἦν ἐκ σκυτοδεψικῆς*, ut pereruditus Grammaticus ad Platonis Apologiam annotavit, et Anytus ipse quum filium suum ad istum quaestum institueret a Socrate dicitur *τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν* in Xenophontis Apologia § 29. Plato Anyti patrem eodem nomine urba-

nissime, sed non minus mordaciter (cuius rei summus est artifex) exagitat in Menone p. 90. A. ubi quo quaestu ad tantas opes is pervenerit homo urbanus reticet, sed ita tamen ut sordidius id opificium fuisse et non pro tanto filii fastu et superbia acuto lectori satis declaret. Hinc optime sentiri potest quis aculeus insit in verbis Platonis, ubi Anytum dicit *ὑπὲρ τῶν δημιουργῶν ἀχθόμενον* Socratem in iudicium de capite adduxisse in Apolog. p. 23. E. Anytus igitur ad remp. accessit et summos a populo honores adeptus est, teste Platone l. l. *αἱροῦνται αὐτόν*, inquit, (*οἱ Ἀθηναῖοι*) *ἐπὶ τὰς μεγίϛας ἀρχάς*. Constat eum *ϛρατηγῆσαι* et cum imperio classi praefuisse sub extrema belli Peloponnesiaci tempora *ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος*, Olympiadis XCII. anno quarto, id est anno 40$\frac{8}{9}$ a. Chr. Servavit huius rei certam memoriam Diodorus Siculus XIII. 64. Ephorum aut Theopompum describens. Lacedaemonii occasione usi Pylum necopinato invadunt, qua re cognita Athenienses auxilio submittunt *ναῦς τριάκοντα καὶ ϛρατηγὸν Ἄνυτον τὸν Ἀνθεμίωνος*, qui quum propter tempestates Maleam promontorium superare non potuisset re infecta Athenas reversus est: interea Pylus nullo negotio expugnatur. Apud Athenienses illis temporibus in tali re Praetori re male gesta iudicium perduellionis (*προδοσίας*) et certum exitium erat paratum. Anytus igitur divitiis suis ad illam pestem depellendam callide usus est: in iudicium de capite adductus iudices largitione corrupit et sic evasit. Diodori verba sunt: *ἐφ' οἷς ὁ μὲν δῆμος ὀργισθεὶς καὶ καταιτιασάμενος αὐτοῦ προδοσίαν μετέϛησεν εἰς κρίσιν, ὁ δ' Ἄνυτος ἰσχυρῶς κινδυνεύων ἐρρύσατο χρήμασι τὴν ψυχὴν καὶ πρῶτος Ἀθηναίων δοκεῖ δικαϛήριον δωροδοκῆσαι.* In his *δωροδοκῆσαι* pro *δεκάσαι* Diodori vitio positum est, de qua re supra monuimus, sed *μετέϛησεν εἰς κρίσιν* scribarum socordia pro *κατέϛησεν*, quem errorem Dindorfium fugisse miror, nam quid est tritius quam *καθιϛάναι εἰς κρίσιν*, et *εἰς κρίσιν* aut *εἰς ἀγῶνα καταϛῆναι*? Idem mendum Dindorfii oculos effugit in Diod. Sic. XIII. 75. 8. *τοὺς δὲ ἀπὸ τῆς μάχης διασωθέντας μεθιϛάντες εἰς κρίσιν φυγῇ κατεδίκαζον*, imo vero *καθιϛάντες*. In libro XV. 94. 1. in Codd. est *πάλιν κατέϛησαν τὸν πόλεμον*, cui Dindorfius substituit *κατεϛήσαντο πόλεμον*, equidem *κατέϛησαν εἰς πόλεμον* verum esse arbitror. Eiusdem iu-

dicii et largitionis Plutarchus meminit in Coriolano cap. XIV. *Ἀθήνησι δὲ λέγεται πρῶτος ἀργύριον δοῦναι δικαςαῖς Ἄνυτος ὁ Ἀνθεμίωνος προδοσίας περὶ Πύλου κρινόμενος ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς ἤδη τελευτῶσιν.* Gravissimum eiusdem fraudis auctorem habemus Aristotelem apud Harpocr. v. *Δεκάζων*: — *Ἀριςοτέλης δ' ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ Ἄνυτόν φησι καταδεῖξαι τὸ δεκάζειν τὰ δικαςήρια.* Aristoteles demum bene Graece et Attice dixit: *Ἄνυτος κατέδειξε τὸ δεκάζειν*, sequiores neque *καταδεῖξαι* servarunt neque *δεκάζειν.* Is igitur ne iuventus Attica corrumperetur acerrime cavebat, qui paucis ante annis turpi largitione primus omnium pessimo exemplo iudices corruperat. Anytus opibus et honoribus potens Alcibiadis amator fuerat, et quem Socrates ad virtutem instituebat, eundem Anytus officiose demerendo et blandiendo et adulando depravabat. Huius rei tria luculenta testimonia aetatem tulerunt, Satyri apud Athen. XII. p. 534, Plutarchi in Alcibiade cap. IV, et iterum in *Amatorio* p. 762. D. *ἴςε γὰρ δήπου ὡς Ἀνύτῳ* (*τῷ* addendum) *Ἀνθεμίωνος ἐρῶντι μὲν Ἀλκιβιάδου, ξένους δὲ ἑςιῶντι φιλοτίμως καὶ λαμπρῶς, ἐπεκώμασεν ὁ Ἀλκιβιάδης καὶ λαβὼν ἀπὸ τῆς τραπέζης εἰς ἥμισυ τῶν ἐκπωμάτων ἀπῆλθεν. Ἀχθομένων δὲ τῶν ξένων καὶ λεγόντων· ὑβριςικῶς σοι κέχρηται καὶ ὑπερηφάνως τὸ μειράκιον. Φιλανθρώπως μὲν οὖν, ὁ Ἄνυτος εἶπε, πάντα γὰρ ἐνῆν αὐτῷ λαβεῖν, ὁ δὲ κἀμοὶ τοσαῦτα καταλέλοιπεν*, quae quis admiratus exclamat: *ὦ Ἡράκλεις, ὡς ὀλίγου διελύσατο πρὸς Ἄνυτον τὴν ἀπὸ Σωκράτους καὶ φιλοσοφίας πατρικὴν ἔχθραν, εἰ πρᾶος ἦν οὕτως περὶ ἔρωτα καὶ γενναῖος.* Similia his Plutarchus in Alcibiade et Satyrus narrat apud Athenaeum ex aliquo vetere scriptore et illis temporibus aequali sumta. Ecquid videtur Anytus Socratem criminari potuisse *quod Alcibiadem corruperit?* Sed multo graviora etiam argumenta sunt, cur id non tantum impudentissimum, sed etiam absurdum, omnibus debeat videri. Qui Alcibiadem adolescentulum tam perdite amaverat easdem atque ille in rep. partes secutus eandem fortunam expertus est quum Triginta Tyranni in viros populares saevire coeperunt. Per vim oppressa rep. et alios, unde sibi timebant, ex civitate expulerunt, et tres principes Thrasybulum, Anytum et Alcibiadem. Hoc se nolente et dissuadente factum esse a caeteris trigin-

taviris Theramenes in curia praedicat apud Xenophontem in Hellen. II. III. 42. οὐδ' αὖ ἐδόκει μοι οὔτε Θρασύβουλον οὔτε Ἄνυτον οὔτε Ἀλκιβιάδην φυγαδεύειν. Horum igitur summa fuit animorum et consiliorum conspiratio ad patriam ex illa servitute vindicandam: sed quum Alcibiades in illo exsilio Critiae artibus necatus esset, Thrasybulus et Anytus forti et strenua opera Athenas liberaverunt. Quum exules audaci incepto Phylen occupassent Anytus ibi cum imperio fuit, ibique illud prudentiae et clementiae specimen edidit, quod memoriae prodidit Lysias κατ' Ἀγοράτου § 77, 78 et 82. Itaque recuperata patria et restituta libertate plurimum omnium in civitate valuisse cum Thrasybulo Anytum facile esset ad intelligendum etiam sine diserto Isocratis testimonio κατὰ Καλλιμάχου § 23. Θρασύβουλος καὶ Ἄνυτος μέγιστον μὲν δυνάμενοι τῶν ἐν τῇ πόλει, πολλῶν δ' ἀπεστερημένοι χρημάτων, εἰδότες δὲ τοὺς ἀπογράψαντας, ὅμως οὐ τολμῶσιν αὐτοῖς δίκας λαγχάνειν οὐδὲ μνησικακεῖν, ἀλλ' εἰ καὶ περὶ τῶν ἄλλων μᾶλλον ἑτέρων δύνανται διαπράττεσθαι, ἀλλ' οὖν περί γε τῶν ἐν ταῖς συνθήκαις ἴσον ἔχειν τοῖς ἄλλοις ἀξιοῦσιν. ex quibus verbis satis apparet Thrasybulum et Anytum, liberatores patriae, omnium civium potentissimos in rep. post restitutam Democratiam fuisse. Quis dubitat quin Alcibiades, nisi Critiae fraude interemtus fuisset, et a Thrasybulo et a vetere amatore Anyto lubentissimis in eiusdem gratiae et potentiae societatem receptus esset tertius, quemadmodum antea calamitatis et exsilii socius fuisset? Nemo, qui haec diligenter perpenderit, inducere poterit in animum fieri potuisse ut in ipso Socratis iudicio crimini reo daretur quod apud Xenophontem legitur Mem. I. II. 12. ἀλλ', ἔφη ὁ κατήγορος, Σωκράτει ὁμιλητὰ γενομένω Κριτίας καὶ Ἀλκιβιάδης πλεῖστα κακὰ τὴν πόλιν ἐποιησάτην. Quem ista dixisse putabimus? Meletumne? an Lyconem? an ipsum Anytum? Meletus adolescentulus, et nemini notus in civitate homuncio, vix natus erat quum Alcibiades triginta fere annis ante [1]) ineunte adolescentia Socratis

---

1) *Triginta* annis ante Socratis iudicium Pericles diem suum obiit, quocum Alcibiades πρὶν εἴκοσιν ἐτῶν εἶναι, *quo tempore Socratis consuetudine utebatur*, nonnulla disseruisse narratur in Memor. I. II. 40.

familiaritate et sermonibus subinde uteretur, quibus statim abstinuit ut primum ad remp. accessit, teste ipso Xenophonte § 16. *ὡς γὰρ τάχιστα κρείττονε τῶν συγγιγνομένων ἡγησάσθην εἶναι* (Critias et Alcibiades), *εὐθὺς ἀποπηδήσαντε Σωκράτους ἐπραττέτην τὰ πολιτικά.* Ex Anyti persona idem crimen etiam absurdius est. Anytum tu credas Critiam et Alcibiadem sic coniungere potuisse calamitatis suae alterum auctorem, alterum socium, infestissimum inimicum et adversarium acerrimum Critiam cum Alcibiade dulcissimo amico eorumdem consiliorum, eiusdem spei participe? Ne novisse quidem arbitror Anytum aliquam olim Socratem inter et Alcibiadem admodum adolescentem notitiam fuisse, aut, si quam maxime huius rei meminisset, quis credat talem virum stulte existimaturum fuisse res ab illo aut in rep. aut in bello gestas ulla ex parte Socrati et Socratis institutioni esse imputandas? Acuto naso *οἱ πολιτικοὶ* philosophos omnes et sophistas suspendebant, ut Callicles Socratem in Platonis Gorgia. Filium suum adolescentulum a Socrate depravari Anytus querebatur, ut statim videbimus, non Critiam, non Alcibiadem: quos si olim discipulos habuisset Socrates, ea res non crimen, sed decus ac laudem, ei afferre Anyto debebat videri, ut videbatur Isocrati, qui Callicli multo erat quam Socrati similior. Sed sophisticum istud crimen est et inane, quod diu post, Anyto iam vita functo caeterisque illarum rerum et hominum aequalibus intermortuis, poterat odiose urgeri, sed in ipso iudicio etiam ipsis accusatoribus ridiculum et ineptum visum fuisset. Habeat igitur suas sibi criminationes Polycrates, qui primus omnium, ut Isocrates loquitur, *τῷ Σωκράτει ἔδωκεν Ἀλκιβιάδην μαθητήν*, qui Alcibiadem Socrati discipulum *de suo dedit* et commentus est, rem et Anyto et aequalibus omnibus perinde inauditam. Plato igitur, qui ipsos accusatores audivit in Socratem dicentes, de eo crimine, quod non audivit, verbum nullum facit. Xenophon diligenter refutat novum accusatorem, qui multis annis post vanam et inanem criminationem a se ipso excogitatam in Socratem proferens aequalibus aliquid dicere videbatur.

Anytus, ne quid omittam, a Plutarcho narratur auctor fuisse plebisciti, quo Athenienses Herodoto historiarum scriptori

decem talenta decreverint. Locus est in libro *de Herodoti malignitate* p. 862. B. Ἡρόδοτος, inquit, *δέκα τάλαντα δωρεὰν ἔλαβεν ἐξ Ἀθηνῶν Ἀνύτου τὸ ψήφισμα γράψαντος*, teste Diyllo, quem quamquam Plutarchus argumento serviens *haud contemnendum auctorem* appellat, tamen rem omnem *ἐκ τῆς κατεψευσμένης ἱστορίας* arreptam esse arbitror neque attinere quaerere quomodo Anytus psephisma scripserit, quod numquam fuerit scriptum. Viden ut omnia scateant fabulis et commentis? Sed nugandi palmam omnibus praeripit nescio quis, qui Epistolas Socraticas finxit, non ut cuiquam imponeret, nam multis demum saeculis post nati sunt Leones Allatii, quibus ipse Socrates ista visus est scribere potuisse, sed animi causa aut ad stilum exercendum. In his Epistola XIV. scripta esse fingitur statim post Socratis mortem ab Aeschine ad Xenophontem, quem Spartae nunc esse scribit. Queritur enim Xenophontem damnato Socrate *Athenis non fuisse, εἶναι δὲ περὶ Λακεδαίμονα.* Scribit idem Xenophontis filios Athenis esse et Socratis orationem diligenter conscriptam ad patrem misisse. O hominem minimi pretii et omnium rerum ignarum! Ne hoc quidem sciebat Xenophontem in Asia tum fuisse et neque uxorem neque liberos habuisse. Tam egregius testis memoriae prodidit Meletum Polycratis oratione usum: *ὁ δὲ λόγος ἦν Πολυκράτους τοῦ σοφιστοῦ, ὃν ἐκεῖνος — κακὸν κακῶς ἐπιτρίψας κατέβη.* Demonstravit Bentleius, ut supra ostendimus, quid de Polycratis oratione esset statuendum, sed quod Hermippum credidit in eodem errore fuisse atque Quintilianum et Themistium, qui istam *Σωκράτους κατηγορίαν* revera in iudicio habitam esse opinati sunt, falli Bentleium existimo, quemadmodum manifesto fallitur, ubi novi erroris in historia Socratis commissi Hermippum arguit, quem praeclarum et eruditissimum scriptorem fuisse omnium minime fugiebat Bentleium. Itaque »*ne quem tam praeclari scriptoris auctoritas deterreat*" Hermippi alium errorem etiam graviorem in historia Socratis dicit se monstraturum. Namque Hermippum auctorem esse Socratem quoque in eorum numero fuisse, qui Gryllum, Xenophontis filium, quum in eadem, qua Epaminondas, pugna cecidisset, scripta oratione laudaverint: »*qui error*," inquit, »*non minus quam* XXXVII. *annorum est, qui mortem Socratis*

inter et pugnam apud Mantineam intersunt." Ain vero? Hermippum serio credidisse dicis Socratem Grylli in Mantinensi proelio occisi laudes scripta oratione celebrasse, qui non tantum XXXVII annis post Socratis mortem cecidit, sed natus adeo est annis aliquot postquam Socrates est mortuus. Equidem istiusmodi eruditionem non emam vitiosa nuce. Sed una literula et nos et Hermippum expediet. Non enim *Socratem* sed *Isocratem* hoc fecisse scripserat, id quod per temporum rationes utique fieri potuit, quamquam factum esse mihi quidem non videtur simile veri. Recte nunc editur apud Diogenem Laërt. II. 55. Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράϛου καὶ Ἰσοκράτην φησὶ Γρύλλου ἐγκώμιον γεγραφέναι, ex certa Luzacii emendatione pro καὶ Σωκράτην. Saepe librarii σωκράτης et ἰσοκράτης ineptum in modum confuderunt, nusquam ineptius quam hoc loco, ubi εἴρωνα Atticum repente praeter naturam et propositum orationes scribentem induxerunt, idque in laudem illius, qui post eius mortem natus sit. Ἰσοκράτης et Σωκράτης in libris crebro permutari docebit Geelius in Bibl. Crit. Nova I. p. 62, et Walz. in Rhet. Gr. I. p. 22. Noli dubitare quin idem mendum insideat Teleti in Stob. Floril. 40. 8. καὶ Σωκράτην μὲν ἐπαινοῦσιν ὅταν ἐπιλαμβανόμενος Ἀθηναίων λέγῃ· οἱ μὲν γὰρ ϛρατηγοὶ ἐφ' οἷς καλλωπίζονται ὑπερόριοι τεθαμμένοι εἰσί, τὰ δ' ὀνείδη τῆς δημοκρατίας ἐν τοῖς δημοσίοις τάφοις, namque palam est corrigi oportere καὶ Ἰσοκράτην μὲν ἐπαινοῦσιν κτέ. Ioculari mendo legebatur apud Menandrum Rhet. II. 1. εἰ μὲν τυραννουμένην ἐπαινοίης πόλιν δεῖ ὡς βασιλευομένην ἐπαινεῖν, ὡς ἐν τοῖς Κοκλείοις ὁ Κράτης πεποίηκεν. Veram lectionem primus omnium restituit Meursius in Misc. Lacon. p. 125, ὡς ἐν τῷ Νικοκλεῖ ὁ Ἰσοκράτης πεποίηκεν. Sed haec obiter. Bentleius in illa parte dissertationis paulo festinantius scribens, quum summam rei praeclare constituisset, ἐν τοῖς κατὰ μέρος subinde erravit, ut statim de Anyto scribens in novum errorem se implicuit, de quo mox dicemus. Sed prius ostendemus quae res Anyti iram in Socratem moverit. Luculentum testimonium in hanc rem Xenophon dicet in Socratis Apologia § 29. Socrates, inquit, post condemnationem Ἄνυτον παριόντα ἰδὼν εἶπεν· ἀλλ' ὁ μὲν ἀνὴρ ὅδε κυδρὸς, ὡς μέγα τι καὶ καλὸν

διαπεπραγμένος εἰ ἀπέκτονέ με, ὅτι αὐτὸν τῶν μεγίϛων ὑπὸ τῆς πόλεως ὁρῶν ἀξιούμενον οὐκ ἔφην χρῆναι τὸν υἱὸν περὶ βύρσας παιδεύειν. Vides Anytum, *βυρσοδέψου* filium, paternum quaestum opimum non intermittere sed ad sordidum istud opificium filium instituere suum. Veri simillimum est Anytum multis divitiis per exilium spoliatum (*πολλῶν ἀπεϛερημένον χρημάτων*, teste Isocrate l. supra l.) afflictam rem familiarem eodem quaestu, quo olim magnas opes pater collegisset, restituere coepisse. Socrates et patrem ab isto opificio revocasse videtur et cum Anyti filio sic egisse ut eum ad liberaliora studia idoneum esse iudicaret. Hinc Anyti irae: hinc ei Socrates iuventutis corruptor, qui nisi de medio fuerit sublatus de disciplina et moribus iuventutis actum esse fremebat in Platonis Apolog. p. 17. A. De suo ipsius filio debebat dicere: *οὑμὸς υἱὸς ἐπιτηδεύων ἃ Σωκράτης διδάσκει παντάπασι διαφθαρήσεται*, sed honestius et speciosius de tota iuventute dicere maluit. Hoc quoque crimen in accusatoris caput recidit: ipse filium Anytus depravavit et perdidit. Quod moriturus Socrates erat vaticinatus: *Φημὶ αὐτὸν ἐπὶ τῇ δουλοπρεπεῖ διατριβῇ, ἣν ὁ πατὴρ αὐτῷ παρεσκεύακεν, οὐ διαμενεῖν, — προσπεσεῖσθαι δέ τινι αἰσχρᾷ ἐπιθυμίᾳ καὶ προβήσεσθαι μέντοι πόρρω μοχθηρίας*, comprobavit eventus. Turpissimo vitio, temulentiae, se dedidit: *οὔτε νυκτὸς οὔτε ἡμέρας ἐπαύετο πίνων καὶ τέλος οὔτε τῇ ἑαυτοῦ πόλει οὔτε τοῖς φίλοις οὔτε αὑτῷ ἄξιος οὐδενὸς ἐγένετο.* Xenophontis haec verba sunt in Apologia § 30. sq., quam Memorabilium partem ultimam esse Geelio prorsus assentior. Xenophon igitur Memorabilia sic concludit, ut Anyti potentissimi accusatoris vitae exitum cum Socratis damnati et interfecti sorte componat. *Ἄνυτος μὲν δή*, inquit, *διὰ τὴν τοῦ υἱοῦ πονηρὰν παιδείαν καὶ διὰ τὴν αὑτοῦ ἀγνωμοσύνην ἔτι καὶ τετελευτηκὼς τυγχάνει κακοδοξίας.* Ex his potissimum verbis colligas quo tempore Polycrates *τὴν Σωκράτους κατηγορίαν* conscripserit, cui Lysias *τὴν Σωκράτους ἀπολογίαν*, Xenophon *τὰ Σωκράτους ἀπομνημονεύματα* opposuit, et quam Isocrates *ἐν τῷ Βουσίριδι* deridet, quos tres libros circa eadem fere tempora in lucem editos esse ipsa rei natura docet. Quum Polycratis accusatio *διὰ τὸ παράδοξον* plausum et admirationem multorum movisset, Lysias et Xenophon et Isocrates alius alio modo so-

phistam adorti sunt. Commemoravit Polycrates moenia Urbis a Conone restituta anno 393. a Chr. annis sex post Socratis mortem, qui anno 399. damnatus est. Videtur Sophista Cononis laudes aliquo pacto orationi inseruisse, et illius in remp. merita Critiae et Alcibiadis iniuriis in remp. opposuisse. Critias urbis munimenta *deiecit*, perpetuum id istius et *τῶν τριάκοντα* apud Oratores Atticos opprobrium, Conon *restituit*. In eiusdem invidiae societatem Alcibiadem quoque trahebant. Lysias in Orat. XIV. 39. Alcibiadis filium sic insectatur: *εἴ τις ὑμῶν ἢ τοὺς τεθνεῶτας ἐν τῇ ναυμαχίᾳ ἐλεεῖ ἢ ὑπὲρ τῶν δουλευσάντων τοῖς πολεμίοις αἰσχύνεται ἢ τῶν τειχῶν καθῃρημένων ἀγανακτεῖ — τούτων ἁπάντων χρὴ τὸν τούτου πατέρα αἴτιον ἡγεῖσθαι.* Vides quam laeta haec sit Sophistae dicendi materies. Interea non est recordatus illas res aliquanto serius esse gestas, unde colligimus annos post Socratis iudicium effluxisse complures. Nemo enim in recenti rerum memoria sic errare potest: post multorum demum annorum intervallum istiusmodi errores et temporum confusiones facili negotio committuntur, quales multas Plato in Dialogis commisit. Anytus diem iam obierat quum haec scriberentur, Socratis familiares plerique erant intermortui et succreverat nova soboles, quae nova in Socratem crimina facile admittebat. Apparet hinc quam vehementer opinio Kruegerum fefellerit ad Clintoni Fast. Hellen. statuentem Isocratis Busirin extrema Olympiade 95. circa annum 396. a. Chr. esse compositum, id est tribus annis antequam Athenarum moenia Conon restituit, quum annis aliquot postea demum scribi potuisse manifestum sit. Annum ipsum, circa quem Polycrates horum omnium stilum in sese acuerit, definire velle temerarium est. Satis erit hoc tenere Anytum illo tempore iam obiisse diem et *etiam post mortem* et ob filium depravatum et ob ipsius ingenii perversitatem *male audivisse.* Quam plane disertum illud Xenophontis testimonium vel solum redarguit sequiorum fabellas de sera Atheniensium ob necatum Socratem poenitentia et accusatorum poenis suppliciisque, de quibus Diogenes Laërtius II. 43. scribit, et quos ibi laudavit Menagius. Iocosa sunt, quae Plutarchus ibi laudatus memoriae prodidit de odio, quo cives omnes in Socratis accusatores arserint, in libello

περὶ φθόνου καὶ μίσους p. 538. A. *τοὺς Σωκράτην συκοφαντήσαντας*, inquit, *ὡς εἰς ἔσχατον πονηρίας ἐληλακότας, οὕτως ἐμίσησαν οἱ πολῖται καὶ ἀπεστράφησαν ὡς μήτε πῦρ αὔειν μήτ' ἀποκρίνεσθαι πυνθανομένοις, μὴ λουομένοις κοινωνεῖν ὕδατος, ἀλλ' ἀναγκάζειν ἐκχεῖν ἐκεῖνο τοὺς παραχύτας ὡς μεμιασμένον.* Quam gaudeo Atheniensium multorum *φιλοπονηρίαν*, de qua multi cives Attici acerbe queruntur, in hac Socratis causa in tam admirabilem *μισοπονηρίαν* esse conversam. Haec ipsa videtur causa fuisse, cur Anytus, qui domi suae balneo uti potuerat et sic partem molestiarum compendifacere, maluerit cum caeteris gulam sibi laqueo frangere quam ista diutius perpeti. Diserta Plutarchi verba sunt: *ἕως ἀπήγξαντο*, inquit, *μὴ φέροντες τὸ μῖσος.* Ea omnia nescio quomodo Xenophontem fugisse videntur, neque poterant eum certiorem facere filii, quoniam nati nondum erant. Sed Anytus, ut Themistius auctor est, non manus sibi conscivit, sed in exilium eiectus est et ab Heracleensibus in Ponto lapidibus obrutus periit: *Ἄνυτος ἔφυγεν ἐκ τοῦ ἄστεος*, inquit, *καὶ αὐτὸν κατέλευσαν διὰ Σωκράτην οἱ Ἡρακλεῶται οἱ ἐν τῷ Πόντῳ*, et ne dubitare possis addidit: *καὶ νῦν δείκνυται Ἀνύτου αὐτόθι σῆμα ἐν τῷ προαστείῳ οὐ μακρὰν θαλάττης.* Ne hoc quidem Xenophon umquam rescivisse videtur. Multum etiam metuo, ut umquam Aeschines, cui Socrates iure damnatus esse videtur, oculis suis viderit statuam ex aere Socrati a gratis civibus positam, nisi forte auream fuisse Tertulliano, locupleti testi, credere malumus: vide Diog. Laërt. II. 43. et annotationes Menagii, cui *auream* fuisse non videbatur incredibile, namque non erat »*nescius plures in Graecia tunc temporis aureis statuis fuisse donatos, etiam ex privatis, Gorgiam Leontinum, Phrynen meretricem etc.*" Minus etiam ea res tibi mirabilis esse videbitur, ubi didiceris ab incerto auctore *τῆς ὑποθέσεως εἰς τὸν Ἰσοκράτους Βούσιριν* Athenienses *σωφρονισθῆναι διὰ τοῦ λοιμοῦ τοῦ ἐγκατασκήψαντος αὐτοῖς διὰ τὸν Σωκράτους θάνατον.* Idem psephisma Atheniensium solus nescio unde indagavit (non enim *ἐκ τῶν Κρατέρου ψηφισμάτων* sumtum esse opinor): *μηδένα δημοσίᾳ λέγειν περὶ Σωκράτους*, quod prudentissimum decretum est, ut vides. Ex eodem teste solo constat Socratem accusatum esse *ὅτι καινὰ δαιμόνια εἰσφέρει τοῖς Ἀθηναίοις λέγων*

δεῖν σέβειν ὄρνεα καὶ κύνας καὶ τὰ τοιαῦτα, καὶ διὰ τοῦτο διαφθείρει τοὺς νέους τοὺς μανθάνοντας. Hoc quoque crimen Xenophontem fugisse videtur et, ut opinor, etiam ipsum Polycratem, nisi forte de ea re dixit in secunda Socratis accusatione, cuius notitiam uni Suidae debemus v. Πολυκράτης — *τοὺς κατὰ Σωκράτους λόγους δύο Ἀνύτῳ καὶ Μελήτῳ γράψας.* Hoc tantum miror cur non eadem opera Lyconi tertiam scripserit, praesertim quum Maximus Tyrius, gravis auctor, si quis alius, et Themistio certe non postponendus, de Socratis accusatoribus agens ita dixerit in Dissert. IX. 2. *Σωκράτην Μέλητος μὲν ἐγράψατο, Ἄνυτος δὲ εἰσήγαγε, Λύκων δὲ ἐδίωκεν*, et quoniam ea verba Atticos scriptores legere solitis non satis perspicua sunt, et ne ipsum quidem Maximum quid inter *γράφεσθαι* et *εἰσάγειν* et *διώκειν* interesset scivisse puto, addo vicinum locum: *καὶ Μελήτου γραφομένου ὑπερεώρα καὶ Ἀνύτου εἰσάγοντος κατεφρόνει καὶ Λύκωνος λέγοντος κατεγέλα*, hoc quidem perspicuum est: Lyco contra Socratem *orationem habuit*, teste Maximo Tyrio; itaque *διώκειν* illi est *κατηγορεῖν* et *in reum dicere*, quamobrem mirum est, ut modo dicebam, Polycratem, auctore Suida, Meleto et Anyto duas orationes scripsisse, Lyconi non scripsisse.

Sed satis iocorum: istos quidem mirifice nugari neque miramur neque magno opere curamus. Bentleium miror, quomodo istis nugatoribus aliquid potuerit credere. Ille enim in Dissert. de Epist. Socrat. cap. VII. Meletum interfectum esse scribit, sed Anytum in exsilium tantum missum et eius Heracleae in Ponto postea degentis complures mentionem facere, cuius rei testes producit Themistium et Augustinum de Civ. Dei VIII. 3. cum Diogene Laërtio. Themistius, ut vidimus, Anytum lapidibus obrutum scribit, Augustinus contra *voluntario atque perpetuo exilio* evasisse. Quo habitatum concesserit non commemorat. Diogenes Laërt. II. 43. Anytum narrat quum forte Heracleam venisset ab Heracleensibus statim finibus suis excedere iussum. Idem in Antisthene VI. 9. sic scribit: (Ἀντισθένης) *καὶ Ἀνύτῳ τῆς φυγῆς αἴτιος γενέσθαι δοκεῖ καὶ Μελήτῳ τοῦ θανάτου. Ποντικοῖς γὰρ νεανίσκοις κατὰ κλέος τοῦ Σωκράτους ἀφιγμένοις περιτυχὼν ἀπήγαγεν αὐτοὺς πρὸς τὸν Ἄνυτον εἰπὼν ἐν ἤθει σοφώτερον εἶναι τοῦ Σω-*

κράτους. ἐφ' ᾧ διαγανακτήσαντας τοὺς περιεςῶτας ἐκδιῶξαι αὐτόν. Itaque Anytus, *ὁ ἐςρατηγηκώς*, liberator patriae, civium unus omnium cum Thrasybulo et opibus et populi gratia potentissimus, serio narratur in exilium pulsus esse a quibusdam, qui forte circumstabant, quum eum Antisthenes in via publica mordaci dicto perstrinxisset. Haud vidi magis. Hoc vero est »*fabulas pueris narrare, non historiam scribere.*"

Non melioris notae sunt caeterae fabulae, nec verae nec veris similes. Quis non subrideat ad Diogenis Laërtii narrationem II. 43. *'Αθηναῖοι δ' εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥςε κλεῖσαι καὶ παλαίςρας καὶ γυμνάσια.* Credebat fortasse *in luctu publico* istiusmodi quid fieri solitum. Quod de balneis publicis supra ex Plutarcho attulimus etiam festivius est. Anytus, si Plutarcho credimus, non est e civitate eiectus, non ab Heracleensibus necatus, sed *ἀπήγξατο οὐ φέρων τὸ μῖσος.* Etiam ex his luculenter apparet *ὡς σαθρόν ἐςι φύσει πᾶν ὅ τι ἂν μὴ ἐξ ἀληθείας ᾖ συγκείμενον.*

Anytus autem quamquam neque suspendit sese propter civium odium, neque Heracleae lapidibus est obrutus, neque Antisthenis opera in exilium eiectus est, tamen quum Xenophon Memorabilibus Socratis ultimam manum imponeret *διὰ τὴν τοῦ υἱοῦ πονηρὰν παιδείαν καὶ διὰ τὴν αὐτοῦ ἀγνωμοσύνην ἔτι καὶ τετελευτηκὼς ἐτύγχανε κακοδοξίας.* Putasne Xenophontem quum haec scriberet et Anyti sortem cum Socratis componeret, de Anyti exilio aut calamitate inaudivisse quidquam? Contra Socratis laudes sedulo multi et sermonibus et scriptis concelebrabant, eratque magnus numerus *τῶν ἐπαινεῖν αὐτὸν εἰθισμένων*, ut Isocratem modo audivimus dicentem, Socraticorum osorem et contemtorem. Sic igitur Xenophon Mem. IV. III. 2. rectissime potuit dicere: *ἄλλοι μὲν οὖν αὐτῷ πρὸς ἄλλους οὕτως ὁμιλοῦντι παραγενόμενοι διηγοῦνται, ἐγὼ δὲ ὅτε πρὸς Εὐθύδημον τοιάδε διελέγετο παρεγενόμην*, ubi *διηγοῦνται* de Socraticorum *scriptis* magis quam de sermonibus accipiendum. Nunc ad reliqua transeo.

Rectissime Hirschigius admonuit in IV. IV. 11. *δῆλος εἶ καὶ νῦν διαφεύγειν ἐγχειρῶν τὸ ἀποδείκνυσθαι γνώμην [ὅ τι νομίζεις τὸ δίκαιον]*, emblema esse resecandum, namque Hippiam respicere quod paulo ante dixerat § 9. *ἀρκεῖ γὰρ ὅτι τῶν ἄλλων*

καταγελᾷς ἐρωτῶν μὲν καὶ ἐλέγχων πάντας, αὐτὸς δ' οὐδενὶ θέλων ὑπέχειν λόγον οὐδὲ γνώμην ἀποφαίνεσθαι περὶ οὐδενός, in quibus verbis mendosum esse ἀρκεῖ intelligo, sed quid in eo verbo lateat excogitare non possum. Verbum ἀποδείκνυμαι in § 18. a Schneidero repositum pro ἐπιδείκνυμι in verbis: ἐγὼ μὲν οὖν τὸ αὐτὸ ἐπιδείκνυμι νόμιμόν τε καὶ δίκαιον εἶναι, Editores non receperunt. Certo tamen usu diremta esse ἐπιδείκνυμι, ἐπιδείκνυμαι et ἀποδείκνυμαι satis constat: praeterea quis negabit ἐπιδείκνυμι participium postulare? Et quomodo Socrates sic statim subiungere potuit: σὺ δ' εἰ τἀναντία γιγνώσκεις δίδασκε?

Videtur sciolus vocabulum unum addidisse de suo IV. v. 11: ὅςις γὰρ τὰ μὲν κράτιςα μὴ σκοπεῖ, τὰ ἥδιςα δὲ ἐκ παντὸς τρόπου ζητεῖ [ποιεῖν], nam Graeci non tam negligenter loquuntur, ut sese τὰ ἡδέα aut τὰ τερπνά dicant ποιεῖν, sed πάσχειν. Satis est τὰ ἥδιςα ζητεῖν, ut in Epicharmi versu, quo Socrates utitur II. I. 20:

ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μῶσο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

Percurram nunc iterum Memorabilia ut eos locos, ubi sermonis Attici nitor aut compositionis elegantia aut scribendi venustas scribarum negligentia obscurata et imminuta et laesa esse videtur, ordine recenseam.

Ex dittographia natum est I. I. 12. πότερά [ποτε] — ἤ, non admittit enim πότερα — ἤ intensivam illam voculam, et facile haec confunduntur quia in Codd. πότερα fere sic scribitur ut syllabae πό duae litterulae τρ supra scribantur, unde tam saepe πότερα et πότερον permiscentur.

Invenuste et inficete δοκεῖν repetitum esse I. I. 14. καὶ τοῖς μὲν οὐδ' ἐν ὄχλῳ δοκεῖν αἰσχρὸν εἶναι λέγειν ἢ ποιεῖν ὁτιοῦν, τοῖς δὲ οὐδ' ἐξιτητέον εἰς ἀνθρώπους εἶναι [δοκεῖν], qui Atticorum lectione subactam aurem habent Pluygersio mecum concedent.

In eadem § circa finem ἀπολεῖσθαι in ἀπολέσθαι refingendum est: οὔτ' ἂν γενέσθαι ποτὲ οὐδὲν οὔτ' ἀπολέσθαι. Constans enim veterum usus in tali compositione duplicem aoristum requirit, quoniam ἄν sic collocatum in utrumque verbum vim exserit suam. Librariis perpetuo futuri et aoristi formas temere permiscentibus ineptum est in talibus quidquam credere.

Quod Xenophon I. I. 17. scribit οὐδὲν θαυμαςὸν — παρα-

γνῶναι τοὺς δικαςὰς perspicuum est παραγνῶναι significare *secus iudicasse, in iudicando errasse*, cuius usus nemo facile aliud exemplum ex scriptoribus Atticis afferet, sed unusquisque talia pro re nata sibi componit, quae statim ab unoquoque recte intelliguntur. Sic recentiores Graeculi in Codicibus describendis utuntur verbo παραγράφειν, et lectores in extremo libro veniam rogat librarius ἤν τι ὁ γράφων παραγράψῃ, *si quem in scribendo errorem commiserit.* Hinc suspicor in Hellen. II. III. 36. παρανενομικέναι pro παρανενομηκέναι probandum esse in verbis: οὐ μέντοι θαυμάζω γε τὸ Κριτίαν παρανενομικέναι, id est *secus existimasse*, ὅτε γὰρ ταῦτα ἦν οὐ παρὼν ἐτύγχανεν. Nemo umquam dixerat παρανομίζω eo sensu, quemadmodum nemo οἱ δικαςαὶ παρέγνωσαν dixerat, sed omnibus ita dicere linguae analogia permittebat.

In I. II. 3. καίτοιγε οὐδεπώποτε transponendum censeo καίτοι οὐδεπώποτέ γε, et eodem modo IV. II. 7. καίτοι τοσούτῳ γε reponendum pro καίτοι γε τοσούτῳ. Veteres eodem modo καίτοι — γε dirimebant atque καὶ μήν — γε, οὐ μήν — γε, ἀλλ' οὖν — γε, νὴ Δία — γε, et similia quaedam. Sequiores coniungere solent καίτοιγε, quae res antiquorum monumentis subinde vitium attulit. Recte scriptum est IV. VII. 5. καίτοι οὐδὲ τούτων γε et IV. VIII. 2. καίτοι τὸν ἔμπροσθέν γε, et passim.

In Mem. I. II. 14. ἐγενέσθην — τὼ ἄνδρε τούτω —, ἤδεσαν — προειρήσθον — ὁμιλησαίτην — ἐγενέσθην — ἐπραξάτην — ἐπραττέτην — ὠρεχθήτην. Offendit pluralis ἤδεσαν in illa longa dualium serie, nec dubito quin Xenophon ἤςην scripserit, sed scribae formis ἤςην, ἦσμεν, ἦςε et ἦσαν indixere bellum, easque passim obliterarunt ut vix emerserint. Exempla alias complura attulimus, quibus unum addo Demosthenis locum in Orat. XLIX. 46. πάντες γὰρ ἴςε τὸν πατέρα τὸν ἐμὸν οὐ τῶν δημοσίων ἀδίκως ἐπιθυμοῦντα, sententia clamat Oratorem dixisse: *nam sciebatis omnes*, itaque πάντες γὰρ ἤςε a Bekkero lubenter accipimus. Contra forma ἤςην invito Aristophani obtruditur in Avibus vs. 19.

τὼ δ' οὐκ ἄρ' ἤςην οὐδὲν ἄλλο πλὴν δάκνειν,

ubi ἤςην verum est, Attici enim in illa locutione εἶναι, non εἰδέναι, usurpant. Amphis apud Diog. Laërt. III. 28.

ὦ Πλάτων, Πλάτων,
ὡς οὐδὲν ᾔσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον,

ubi perperam οἶσθα reponere voluerunt. Caeterum pervetus iste opinionis error est. In Codicibus Aristophanis duplex olim scriptura ferebatur ᾔστην et ᾔειστην, non ἴστην, ut etiamnunc in scholio vitiose legitur. Probavit ᾔειστην Grammaticus nescio quis, qui formas ᾔστην, ᾔσμεν, ᾔστε et ᾔσαν exemplis munivit in Etymol. Magno p. 438, 54.

Ibid. in § 21. τῶν ἐν μέτρῳ πεποιημένων [ἐπῶν], parendum est iis qui ἐπῶν removendum esse censuerunt.

Ibid. in § 22. τοὺς εἰς φιλοποσίαν προαχθέντας καὶ τοὺς εἰς ἔρωτας ἐκκυλισθέντας, rectissime viri docti ἐκκυλισθέντας probaverunt pro ἐγκυλισθέντας, namque ἐξοκείλαντας significat diciturque de eo, qui a recto tramite deflectit et in aliquod turpe vitium flagitiumve delabitur. Sed idem requiro in praeced. εἰς φιλοποσίαν προαχθέντας, et παραχθέντας a Xenophonte scriptum esse suspicor. Παράγειν est *ab officio deducere* et *flectere in vitium*, non προάγειν, quod quemadmodum προτρέπεσθαι, *ad virtutem impellere* significat. Idem mendum est commissum in Demosthenis Prooem. 52. ubi προήγαγον ὑμᾶς positum est pro *in fraudem vos impulerunt*, quod est παρήγαγον ὑμᾶς.

In § 22. ὧν πρόσθεν ἀπείχοντο κερδῶν — τούτων οὐκ ἀπέχονται, corrige οὐκέτι ἀπέχονται, ut paulo ante: χρημάτων δυνάμενοι ἀπέχεσθαι πρὶν ἐρᾶν ἐρασθέντες οὐκέτι δύνανται.

In § 29. pro εἰπεῖν ὅτι ὑϊκὸν αὐτῷ δοκοίη πάσχειν ὁ Κριτίας, verissima mihi lectio esse videtur: ὅτι οἱ ὑϊκόν τι δοκοίη πάσχειν. Pronomen οἱ tritum apud antiquiores saepe a scribis omittitur, saepe in αὐτῷ mutatur, aut alio quo modo corrumpitur. In Anabasi I. i. 1. scribendum est ἐβούλετό οἱ τὼ παῖδε ἀμφοτέρω παρεῖναι, ubi pronomen libri omnes omittunt, quemadmodum et I. ii. 8, III. i. 5, VII. i. 38. a multis omittitur indicante Bornemanno. Vix elapsum est in Memorab. I. ii. 52. ὅτι θαυμαστόν οἱ δοκοίη εἶναι. In iis quae statim sequuntur Dindorfius recte ὕδια pro ὑΐδια scripsit, ut demonstrant similes formae ἰχθύδια, βοτρύδια, καρύδια, aliae.

In § 36. ἄν τίς με ἐρωτᾷ νέος, rescribe ἄν τί με ἐρωτᾷ

νέος, si quid *ex me quaeret adolescens,* et § 37. *φυλάττου ὅπως μὴ — ποιήσεις,* pro *ποιήσῃς.*

In § 42. tandem intellectum est vere Reiskium *νομίσαν* pro *ἐνόμισαν* emendasse in verbis: *πότερον δὲ τἀγαθὰ νομίσαν δεῖν ποιεῖν ἢ τὰ κακὰ (τὸ πλῆθος τοὺς νόμους ἔγραψεν)*;

In § 44. verba *ἀλλὰ βιασάμενος* tam pueriliter et ieiune apposita sunt in his: *ὅταν ὁ κρείττων τὸν ἥττω μὴ πείσας [ἀλλὰ βιασάμενος] ἀναγκάσῃ ποιεῖν ὅ τι ἂν αὐτῷ δοκῇ,* ut ab alio quolibet potius quam ab ipso Xenophonte addita esse existimem.

Atticam loquendi formam obscurarunt Graeculi in § 46. *εἴθε σοι, ὦ Περίκλεις, τότε συνεγενόμην ὅτε δεινότατος σαυτοῦ ταῦτα ἦσθα.* Alcibiades dixerat: *ὅτε δεινότατος αὐτὸς αὑτοῦ ταῦτα ἦσθα,* ut populares solebant, et omnes qui exquisitius loquebantur. *Αὐτὸς αὑτοῦ* et *αὐτοὶ ἑαυτῶν* in tali re constanter dicitur nec minus in prima secundaque persona quam in tertia. Simillimus locus est Euripidis in Platonis Gorgia laudatus p. 484. E. et hinc passim ab aliis: *συμβαίνει γὰρ τὸ τοῦ Εὐριπίδου· λαμπρός τ' ἐστὶν ἕκαστος ἐπὶ τούτῳ*

κἀπὶ τοῦτ' ἐπείγεται
νέμων τὸ πλεῖστον ἡμέρας τούτῳ μέρος
ἵν' αὐτὸς αὑτοῦ τυγχάνει κράτιστος ὤν.

ubi vitiose *τυγχάνῃ* in libris legitur et Platonis et Aristotelis et Plutarchi et caeterorum, qui haec attulerunt. *Αὐτός* in simili loco intercidit apud Plutarchum in Cleomene cap. 33: *ὁπότε νήφοι μάλιστα καὶ σπουδαιότατος αὑτοῦ γένοιτο,* imo vero *σπουδαιότατος αὐτὸς αὑτοῦ.*

In Mem. I. II. 48. *καὶ Χαιρεκράτης καὶ Ἑρμοκράτης, Hermocrati* substituendus est *Ἑρμογένης*, ut primus omnium monuit Groen van Prinsterer Prosopogr. Plat. p. 225. Quid pepererit errorem vides, vel potius audis.

In § 52. *ὥστε μηδαμοῦ παρ' αὐτοῖς τοὺς ἄλλους εἶναι πρὸς ἑαυτόν,* id est *μηδενὸς ἀξίους αὐτοῖς εἶναι δοκεῖν πρὸς ἑαυτόν. Οὐδαμοῦ εἶναι* et *οὐδαμοῦ φαίνεσθαι* eo sensu passim Athenienses audies dicentes: exempla vide apud Wyttenbach. ad Phaedon. p. 182. Eodem modo dixit Demosthenes in Orat. LVII. 16. *οὐκ ἠγνόει ὅτι εἰ λόγος ἀποδοθήσοιτο — οὐδαμοῦ γενήσονται οἱ μετὰ τούτου συνεστηκότες,* ubi *γενήσοιντο* postu-

lat Graecitatis ratio et loquendi usus, a quo numquam Atticos deflectere, si hoc ages, facile animadvertes.

Quod dixit Xenophon in § 54. *μισθὸν τίνειν* Ionicum est: Athenienses constanter in sermone populari compositis tantum utebantur duobus *ἀποτίνειν* et *ἐκτίνειν*, et pro *μισθὸν τίνειν* solebant *μισθὸν τελεῖν* dicere. Xenophon in Memorabilibus quoque *ἔνια ξενίζει* et utitur verbis quibusdam, quae in Ionia et Asia trita erant, in Attica non item. Huiusmodi est I. III. 7. *ὑποθημοσύνη* pro *συμβουλή*: lubenter Iones pro *παραινεῖν* et *συμβουλεύειν* dicebant *ὑποτίθεσθαι*, et hinc *ὑποθῆκαι* pro *παραινέσεις* et sic *ὑποθημοσύνη* est *consilium*, quod quis cui suggessit. Eodem refero *λεωργότατον* I. III. 9. et plaudo Ruhnkenio, qui III. IX. 6. *ἀδαημοσύνην* in lucem revocavit pro *ἀνεπιστημοσύνην*. Iones dicebant *ἴδρις*, *ἄϊδρις*, *ἀδαής*, *ἀδαήμων* et *ἀδαημοσύνη*, ex quibus *ἀδαής* legitur in Cyrop. I. VI. 19. *Ἀδαημοσύνη* olim Homero reddi debuerat Odyss. Ω. 245. ex Apollonii Lex. Hom. v. *Ἀδαήμονες*, sed Editores *ἀδαημονίη* retinere maluerunt, quam formam analogia respuit. Quidquid enim adiectivorum est in — *μων* exeuntium, ut *μνήμων*, formant ex sese nomina in — *μοσύνη* exeuntia, ut *μνημοσύνη*. Diversa ratio est in *εὐδαίμων*, *εὐδαιμονία* et cet., in quibus — *μων* non est paragogicum.

In Memor. I. II. 57. nequidquam a multis admoniti sunt Editores *ἀγαθούς* esse expungendum e verbis: *ἐργάζεσθαί τε ἔφη καὶ ἐργάτας* [*ἀγαθοὺς*] *εἶναι*, quod non est minus stultum ac si in vicinia legeretur *ἀργοὺς καὶ κακοὺς ἀπεκάλει*. Socrates inter se opposuerat *τὸ ἐργάτην εἶναι* et *τὸ ἀργὸν εἶναι*: itaque sic ratiocinatur: *τοὺς μὲν ἀγαθόν τι ποιοῦντας ἐργάτας εἶναι, τοὺς δὲ κυβεύοντας ἀργούς*; itaque vel caecus videat inepte addi *ἐργάτας ἀγαθούς*.

Praepositionem addiderim in I. III. 6. *τὰ πείθοντα μὴ πεινῶντας ἐσθίειν*, nam verum est quod Stobaeus servavit *τὰ ἀναπείθοντα*.

Mendum pervulgatum haesit I. III. 9. *οὗτος κἂν εἰς μαχαίρας κυβιστήσειε κἂν εἰς πῦρ ἅλλοιτο*, concinnitas postulat *ἅλαιτο*, quod in *ἄλοιτο* primum, deinde in *ἅλλοιτο* de more abiit. Contrario errore scribitur in Vespis vs. 1305:

εὐθὺς γὰρ ὡς ἐνέπλητο πολλῶν κἀγαθῶν
ἐνήλατ', ἐσκίρτα, πεπόρδει, κατεγέλα,

ubi, ut vides, ἐνήλλετ' est reponendum.

Triplex vitium inquinat locum in I. III. 6. ubi pro τοὺς μὲν πρόσθεν ὀδόντας scribendum τοὺς μὲν ἔμπροσθεν noto certoque omnium usu; deinde transponenda praepositio est in verbis λεαίνειν et καταθεῖναι et sic legendum: τοὺς δὲ γομφίους — καταλεαίνειν — καὶ τὸ ϛόμα — πλησίον ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν θεῖναι. Ut enim καταλεαίνω in talibus usitatum est, sic *deposuisse* pro *collocasse* a loci sententia abhorret. Ut ex λεῖος καταλεαίνω Veteres formabant, sic ex θεῖος ἐπιθεάζειν Attici derivabant, et περιθεοῦν ex τὸ θεῖον, et τελεοῦν ex τέλειος, et Ἀρεοπαγίτης ex ὁ Ἄρειος πάγος, aliaque similia, in quibus formis semidocti Graeculi saepe turbant aut ει revocantes aut aliis modis, veluti quum formam ἐπιθοάζειν finxerunt, quae plane nihili est.

Continuo aliud vitium apud Xenophontem conspicitur in verbis: ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποχωροῦντα δυσχερῆ, ἀποϛρέψαι τοὺς τούτων ὀχετοὺς καὶ ἀπενεγκεῖν ᾗ δυνατὸν προσωτάτω ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων, nam quis verbum ἀποϛρέφειν in huiusmodi negotio recte positum esse existimabit? Corrige ἀποτρέψαι, quod cum nomine ὀχετός tam apte quam eleganter coniungitur, quod ubi feceris diligenter erit videndum servarine debeant verba καὶ ἀπενεγκεῖν. Ἀποφέρειν enim in tali re mirifice ponitur, ut Latinum *auferre*. Caeterum non heri aut nudius tertius ea labes libros Xenophontis infecit. Longinus qui dicitur περὶ ὕψους cap. 43. κατὰ τὸν Ξενοφῶντα τοὺς τούτων ὅτι πορρωτάτω ὀχετοὺς ἀπέϛρεψεν, et Plutarchus a Ruhnkenio laudatus: ἀποϛρέφων ὥσπερ ὀχετοὺς πορρωτάτω, vulgatam tuentur. Longino non esse credendum supra luculento exemplo demonstravimus, neque in tam facili errore et tam frequenti magno opere nos Plutarchi auctoritas movebit.

In Memor. I. III. 15. legitur: »*Socrates in cibo, in potu, in rebus Venereis continentissimus* ᾤετο οὐδὲν ἧττον ἀρκούντως ἥδεσθαι τῶν πολλὰ ἐπὶ τούτοις πραγματευομένων, λυπεῖσθαι δὲ πολὺ ἔλαττον, miror quomodo ἀρκούντως neminem offenderit: neque enim ἀρκούντως, ἀποχρώντως et sim. gradationem admittunt, ut ἧττον ἀρκούντως vel μᾶλλον ἀρκούντως cogitari dicive possit:

neque ἀρκούντως ἥδεσθαι recte dicuntur οἱ πολλὰ ἐπὶ τούτοις πραγματευόμενοι, qui *immodicam* voluptatem sera poenitentia solent emere. Remove importunum et molestum ἀρκούντως, et sana ac perspicua erunt omnia: οὐδὲν ἧττον ἥδεσθαι — λυπεῖσθαι δὲ πολὺ ἔλαττον.

In verbis I. iv. 10. ὅσῳ μεγαλοπρεπέστερον ἀξιοῖ σε θεραπεύειν τοσούτῳ μᾶλλον τιμητέον αὐτό, excidit participium ὄν, prorsus necessarium ad sententiam ὅσῳ μεγαλοπρεπέστερον (ὂν) ἀξιοῖ, quod olim Wyttenbachius et Schneiderus admonuerunt, sed nemo praebuit aurem. Facillime ὂν excidere multis exemplis constat. Ut uno exemplo utar, ὂν excidit in Demosthenis Leptinea § 15. τὸ μὲν τοίνυν τῆς πόλεως ἦθος καὶ ἐπ' ἄλλων πολλῶν ἴδοι τις ἂν τοιοῦτον, imo vero τοιοῦτον ὄν.

Prorsus assentior Pluygersio I. iv. 15. ἢ ὅσ' ἂν ἀκούσῃ ἢ ἴδῃ ἢ μάθῃ [ἱκανωτέρα ἐστὶ] διαμεμνῆσθαι, frigidum emblema expungenti.

In § 17. οἴεσθαι οὖν χρὴ καὶ τὴν ἐν τῷ παντὶ Φρόνησιν τὰ πάντα ὅπως ἂν αὐτῇ ἡδὺ ᾖ οὕτω τίθεσθαι, persuadet mihi Pluygersius pro ἡδὺ ᾖ emendandum esse δοκῇ. Dici potest ὅπως ἂν αὐτῇ ἀρέσκῃ, vel φίλον ᾖ, sed ἡδύ et γλυκύ et similia ab rei natura aliena esse intelligo.

In Memor. I. v. 1. καὶ πῶς ἂν οἰηθείημεν τὸν τοιοῦτον ἢ ἡμᾶς σῶσαι ἢ τοὺς πολεμίους κρατῆσαι, quoniam perspicuum est ἂν cum οἰηθείημεν, non cum infinitivis σῶσαι et κρατῆσαι, esse coniungendum, aoristi usus ab loci sententia alienus est, quae futurum σώσειν et κρατήσειν requirit. Pervulgatum hoc genus mendi est, saepe e libris, saepe ex ingenio apud multos correcti. Nulla Codicum auctoritas efficere umquam poterit, ut οἶμαι τὸν τοιοῦτον σῶσαι significare posse credamus idem atque τὸν τοιοῦτον σώσειν. Veteres aut ἂν addebant aut futurum ponebant: sequiores sic peccare satis compertum est, quamobrem nobis cavendum est ne istorum errores impune Antiquorum scripta inquinent.

In I. v. 2. εἰ — βουλοίμεθα, ἆρ' ἀξιόπιστον εἰς ταῦτα ἡγησόμεθα τὸν ἀκρατῆ; longe potior est lectio a Stobaeo servata ἡγησαίμεθ' ἄν, et post pauca ἔργων ἐπιστασίαν pro ἐπίστασιν, et in § 4, ταύτην πρώτην ἐν τῇ ψυχῇ κατασκευάσασθαι, pro ταύτην πρῶτον et in § 5. δουλεύοντι δὲ — ἱκετευτέον

τοὺς θεούς pro δουλεύοντα — ἱκετεύειν. In iis, quae statim praecedunt ἄν transponendum est et sic legendum: τίς γὰρ ἂν ἄνευ ταύτης ἢ μάθοι τι ἀγαθόν, vulgo ἄν inter τι — ἀγαθόν medium inseritur. Postquam γὰρ ἄν, ut passim, in γάρ est depravatum, necessaria vocula loco alieno interposita est.

Verbum simplex scribarum errore substitutum est composito I. vi. 2. ζῇς γοῦν οὕτως ὡς οὐδ' ἂν εἷς δοῦλος ὑπὸ δεσπότῃ διαιτώμενος μείνειεν, requiro παραμείνειεν. Opponuntur enim inter se, quemadmodum φεύγω et μένω, sic ἀποδιδράσκω sive δραπετεύω et παραμένω, ut apud Platonem in Menone p. 97. D. ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ ἀποδιδράσκει καὶ δραπετεύει, ἐὰν δὲ δεδεμένα παραμένει, et in Xenophontis Oeconom. III. 4. Hinc Παρμένων servi nomen natum est, hinc servi fideles παραμόνιμοι esse dicuntur, ut II. iv. 5. ποῖον δὲ ἀνδράποδον οὕτως εὔνουν καὶ παραμόνιμον; Turpe est in II. x. 3. ὑπηρέτην ἑκόντα τε καὶ εὔνουν καὶ παράμονον, nondum receptam esse Valckenaerii emendationem παραμόνιμον, quod sine vitio elapsum est in III. xi. 11. εὐεργεσίᾳ δὲ καὶ ἡδονῇ τὸ θηρίον τοῦτο ἁλώσιμόν τε καὶ παραμόνιμόν ἐστιν.

Assentior iis, qui in I. vi. 2. ἀνυπόδητός τε καὶ ἀχίτων διατελεῖς, censuerunt ἀχίτων (ὢν) διατελεῖς esse supplendum. Non credo pro ἀνυπόδητός εἰμι διὰ τέλους omisso participio Graece dici posse ἀνυπόδητος διατελῶ. Rectissime addi ὤν negat nemo, et quis non statim intelligit quomodo interciderit? Intercidit iterum eadem de causa II. ii. 14. φυλάξει μὴ — ἐν ἐρημίᾳ φίλων ἀναφανῇς, ubi similiter φίλων (ὢν) ἀναφανῇς suppleverim, et apud Demosthenem de F. L. § 336. τούτων γὰρ ἁπάντων ἡμῖν αἴτιος σὺ δέδειξαι, ubi requiro ἁπάντων (ὢν) ἡμῖν αἴτιος κτέ.

Quamdiu feremus I. vi. 6. βαδίζοντα ὅπου ἂν βούλωμαι pro ὅποι? Certum est ὅπου vitiosum esse, notum est unde ὅπου irrepserit; quin igitur mendum tollimus?

Ibid. § 7. μελετήσαντες — κρείττους γίγνονται πρὸς ἃ ἂν μελετῶσιν, res ipsa clamat πρὸς ἃ ἂν μελετήσωσιν emendari oportere. Servata a Stobaeo vera lectio temere spreta est.

In § 9. ποτέρῳ ἡ πλείων σχολὴ τούτων ἐπιμελεῖσθαι. Supra iam diximus deleto articulo ποτέρῳ πλείων σχολή legendum.

Stobaeus ποτέρῳ πλέον σχολή servavit, quod propius vero est.

Recte vidit Pluygersius in I. vii. 5. et II. i. 1. τοιάδε et τοιαῦτα esse transponenda, ut legatur τοιαῦτα διαλεγόμενος, non τοιάδε, et mox τοιάδε λέγων, non τοιαῦτα.

In Memor. II. i. 20: αἱ μὲν ῥᾳδιουργίαι καὶ ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἡδοναὶ οὔτε σώματι εὐεξίαν ἱκαναί εἰσιν ἐνεργάζεσθαι, οὔτε ψυχῇ ἐπιστήμην ἀξιόλογον οὐδεμίαν ἐμποιοῦσιν. Ipsa loci compositio postulat ut ἐμποιεῖν pro ἐμποιοῦσιν restituatur, quod a Pluygersio admonitus verum esse intelligo. Saepius ostendimus Graeculos hac chorda oberrantes et antiquae orationis concinnitatem depravantes, ut in Oeconom. VI. 5. ubi καταγνύναι in καταγνύουσι corruperunt, et aliis locis. Novum eiusdem erroris exemplum annotabimus infra ad III. vi. 37.

Satis nunc constat vitiosam scripturam esse II. i. 22. κεκοσμημένην τὸ μὲν σῶμα καθαριότητι pro καθαρειότητι. Dubitari non potest quin καθάρειος solum Graecum sit, ut μεγάλειος et ἀσφάλειος, et καθαρείως et καθαρειότης, de qua re subinde aliquid annotavimus. Miror iudicium Pollucis VI. 27. καθαριότητι χαίρων, ὁ γὰρ καθάριος ἰδιωτικόν, καίτοι τὸ καθαρίως παρὰ Ξενοφῶντι εἴρηται, cui ter reddenda diphthongus, ut passim aliis locis, ubi Bekkerus ι servavit, sed certa analogia et usus ει requirunt. Adverbium καθαρείως recte reposuit Dindorfius in Cyropaed. I. iii. 8, ubi in καθαρίως libri omnes conspirant. Mira res sit καθαρείως probum esse, καθάρειος non item. Sed satis redarguunt grammatici errorem Comicorum loci, quorum elegantissimus est Menandri apud Suidam v. Εὐρωτιῶν.

Εἰς τὰ καθάρεια λιμὸς εἰσοικίζεται.

Mundities igitur ubicumque commemoratur καθαρειότης appellanda erit, ut apud Platonem Epin. p. 984. A. καθαρειότητι διαφέροντα, non καθαριότητι, et sic alibi saepius.

Contrarium errorem quam in καθαρείως cet. scribae committere solent in φιλόνικος, φιλονικία et φιλονικεῖν, in quibus assueti sunt ει scribere φιλόνεικος, φιλονεικία et φιλονεικεῖν, veluti II. iii. 17. νομίζω γὰρ αὐτὸν ἐπειδὰν αἴσθηταί σε προκαλούμενον ἑαυτὸν εἰς τὸν ἀγῶνα τοῦτον πάνυ φιλονεικήσειν, ubi apparet dici debere νικᾶν ἐπιθυμήσειν et φιλονικήσειν reponendum. Invicto argumento demonstrari potest antiquam scriptu-

ram ΦΙΛΟΝΕΙΚΟΣ, utpote ex *νίκη* non ex *νεῖκος* compositam, productam vocalem non diphthongum postulare. Neutra enim in — *ος* adiectiva composita formant in — *ής* exeuntia, *δέος ἀδεής*, *γένος ἀγενής*, *κλέος ἀκλεής*, *βλάβος ἀβλαβής* aliaque quam plurima: *τὸ νεῖκος* igitur ex analogia certissima *φιλονεικής* ex sese peperisset, ut *Πολυνείκης*, quem frater in Phoenissis *νεικέων ἐπώνυμον* dicit esse. Sed *νίκη φιλόνικος* format ut *καλλίνικος*. Deprehenso semel errore veram ubique lectionem reponendam esse apparet. Nusquam hoc audacius facies quam in Memor. III. iv. 3. *ἀλλὰ καὶ φιλόνικός ἐϛιν*, — *οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ ὁσάκις κεχορήγηκε πᾶσι τοῖς χοροῖς νενίκηκεν*; Luculentus etiam locus est Aristotelis in Rhetor. I. 10. *ὁ δὲ φιλότιμος διὰ τιμὴν, ὁ δ' ὀξύθυμος δι' ὀργὴν, ὁ δὲ φιλόνικος διὰ νίκην.*

Narrat Prodicus II. i. 22. *τὴν Κακίαν κατασκοπεῖσθαι θαμὰ ἑαυτὴν, ἐπισκοπεῖν δὲ καὶ εἴ τις ἄλλος αὐτὴν θεᾶται*· sed *ἐπισκοπεῖν* corruptum est, vera lectio a Pluygersio reperta est *περισκοπεῖν*. Qui hoc faciunt *circumspicere* solent et *ἐπισκοπεῖν* ab ea re prorsus alienum est. Quam facile et quam frequenter confundantur *περί* et *ἐπί* (in verbis compositis sic scribi solita $\overset{\epsilon}{\pi}$ et $\overset{\pi}{\epsilon}$) in vulgus notum est. Quod annotavit Pollux III. 108. *ἐπὶ δὲ νοσοῦντος ἐπισκοπεῖν φησὶ Ξενοφῶν*, sciendum est omnibus scriptoribus Graecis hunc usum esse communem. Qui aegrotantem *visit* sive medicus est sive amicus dicitur eum *ἐπισκοπεῖν* sive *ἐπισκοπεῖσθαι*, quarum formarum promiscuus semper usus fuit. Vera multis videbitur esse aegrotantis querela apud Philemonem Stob. Floril. 100, 5.

πολὺ μεῖζόν ἐϛι τοῦ κακῶς ἔχειν κακόν
τὸ καθ' ἕνα πᾶσι τοῖς ἐπισκοπουμένοις
δεῖν τὸν κακῶς ἔχοντα πῶς ἔχει λέγειν.

hinc demum recte intelligitur Philippi iocus apud Demosthenem IX, 12. *τοῖς ταλαιπώροις Ὠρείταις τουτοισὶ ἐπισκεψομένους ἔφη τοὺς ϛρατιώτας πεπομφέναι κατ' εὔνοιαν. πυνθάνεσθαι γὰρ αὐτοὺς ὡς νοσοῦσιν*, et sic passim *ἐπισκοπεῖν νοσοῦντα* vel *ἀσθενοῦντα* vel *κακῶς ἔχοντα* legitur. *Περισκοπεῖν* idem est atque *περιβλέπειν*, *περιαθρεῖν*, quemadmodum *παρασκοπεῖν* plane idem significat atque *παραβλέπειν*, et ut Aristophanes de

Socrate dixit in Nubibus vs. 361. τὠφθαλμὼ παραβάλλειν, id est *limis adspicere, limis intueri*. In Platonis loco Comici versiculum laudantis Symp. p. 221. B. τὸ σὸν δὴ τοῦτο — βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων ἠρέμα παρασκοπῶν καὶ τοὺς φιλίους καὶ τοὺς πολεμίους, si cum Bekkero περισκοπῶν repones, leporem et venustatem loci omnem pessumdabis.

In § 24. διοίσει corruptum est: post pauca, in verbis ἢ τί ἰδὼν ἢ τί ἀκούσας τερφθείης ἢ τίνων ὀσφραινόμενος ἢ ἁπτόμενος ἡσθείης ἂν vitiose abundat secundum τί et male ἂν abest, quare scribendum ἰδὼν ἢ ἀκούσας et τίνων ἂν ὀσφραινόμενος ἢ ἁπτόμενος.

A Stobaeo lubens accipio in § 28. οἱ θεοὶ διδόασι, pro θεοὶ διδόασι· deinde in § 30. ἵνα μὲν ἡδέως φάγῃς — ἵνα δὲ ἡδέως πίνῃς, etiam sine Stobaei indicio unusquisque veram lectionem πίῃς poterat reperire. Revoca et obiter Atticum ἐμπίμπλασαι pro ἐμπίπλασαι.

Excidit vocabulum ex Graecitatis ratione necessarium in § 32. ἔργον δὲ καλὸν οὔτε θεῖον οὔτ' ἀνθρώπινον χωρὶς ἐμοῦ γίγνεται, supplendum enim: ἔργον δὲ καλὸν (οὐδὲν) οὔτε θεῖον κτέ. ut in III. iii. 8. οὔτε ἵππων οὔτε ἱππέων ἀγαθῶν καὶ ἀλκίμων οὐδὲν ὄφελος, et alibi passim.

Contra sciolus nomen proprium de suo ineleganter inseruit in § 33. ὦ παῖ τοκέων ἀγαθῶν [Ἡράκλεις]. Ostendimus saepius quam facile talia irrepant.

Nemo dicat quo sensu διώκει sit positum in § 34. οὕτω πως διώκει Πρόδικος τὴν ὑπ' Ἀρετῆς Ἡρακλέους παίδευσιν. Lenissima est Hemsterhusii et Ruhnkenii correctio διῴκει, nisi quod imperfecto nullus est locus. Itaque a Stobaeo διοικεῖ gratus accipio.

Miror quomodo Dindorfius parcere potuerit manifesto soloecismo in II. ii. 3. ὡς οὐκ ἂν μείζονος κακοῦ φόβῳ τὴν ἀδικίαν παύσοντες. Num Graecum esse putavit οὐκ ἂν παύσων vel οὐκ ἂν παύσοιμι? An propter librorum fidem? Quis melius quam Dindorfius longo usu didicit in omnibus omnium libris futuri et aoristi formas contra scriptoris sententiam vel cum soloecismo aut adeo barbarismo perpetuo confundi solere? Quid certius constat quam Graeculos ἂν cum *aoristorum* participiis coniunctum, ubi futuri temporis notionem subesse animadvertissent, mirari primum, deinde temere antiquam scripturam

convellere et de suo stulte et impudenter futuri formas substituere? Intactum evasit IV. II. 6. ὡς οὐκ ἂν ἄλλως ἀξιόλογοι γενόμενοι. Non utor exemplo in II. II. 13. οὐδὲν ἂν τούτου πράξαντος quia locum male habitum esse intelligo, et participium aliquod excidisse suspicor, veluti οὔτε ἄλλο καλῶς καὶ δικαίως οὐδὲν ἂν (γενόμενον) τούτου πράξαντος. Quod Reiskius inserebat, πραττόμενον, recte habere poterat si τούτου πράττοντος esset scriptum.

Qui ἂν cum futuris coniungi posse opinati sunt, quorum magnum agmen conquiri possit, non alio opinionis praesidio utuntur quam Codicum auctoritate, in quibus passim istiusmodi scripturae circumferuntur, ut in Platonis Apologia p. 30. B. ὡς ἐμοῦ οὐκ ἂν ποιήσοντος ἄλλα, et apud Thucyd. V. 15. γνόντες νῦν μᾶλλον ἂν ἐνδεξομένους, et VI. 20. οὐδ' ἂν τὴν ἀρχὴν τὴν ἡμετέραν εἰκότως ἀντ' ἐλευθερίας προσδεξομένας, et apud Demosthenem p. 128, 28. πάλαι τις ἡδέως ἂν ἴσως ἐρωτήσων κάθηται, et alibi saepe. Quid erit autem in sermonis Graeci ratione et usu satis certum si librariorum testimoniis erit standum? Nullum sic vitii genus, nihil quod malesanum aut absurdum sit, poterit redargui et confutari. Reperietur testis aliquis corruptus, quem reiicere aut destruere non licebit. Sed nemo tam ferreus est ut istis omnia esse credenda existimet. Tanta enim vis est lectionum absurdissimarum in omnibus libris fideliter servatarum, quas nemo sine fastidio et nausea adspicere possit. Itaque si cuiusque scripturae fides ex interiore Graecitatis intelligentia diuturno legendi et meditandi usu prudenter collecta aestimanda erit, contemtis minimi pretii testibus sexcenties in manifesto errore et mendacio deprehensis, οὐκ ἂν παύσοντες ut soloecum explodetur ab omnibus, et οὐκ ἂν παύσαντες aliquando Xenophonti restituetur.

In Memor. II. II. 5. (ἡ μήτηρ τὸ βρέφος) τρέφει πολὺν χρόνον — οὐκ εἰδυῖα τίνα τούτων χάριν ἀπολήψεται, huius scripturae vitium optime monstrabit apposita vera lectio, quam nobis servavit Stobaeus: οὐκ εἰδυῖα εἴ τινα τούτων χάριν ἀπολήψεται.

In vicinia § 8. οὐδεπώποτε αὐτὴν οὔτ' εἶπα οὔτ' ἐποίησα οὐδὲν ἐφ' ᾧ ᾐσχύνθη, cogitandum est ecquid boni sit in Stobaei le-

ctione ἠσχύνθην pro ἠσχύνθη. Facile talia confunduntur, ut in II. VIII. 1. ἐπειδὴ γὰρ ἀφῃρέθημεν τὰ ἐν τῇ ὑπερορίᾳ κτήματα, ἐν δὲ τῇ Ἀττικῇ ὁ πατήρ μοι οὐδὲν κατέλιπεν ἀναγκάζομαι κτὲ. concedetur mihi, ut opinor, ἀφῃρέθην μέν a Xenophontis manu esse profectum.

In II. III. 1. οἱ χρησιμώτερον νομίζουσι χρήματα ἢ ἀδελφούς, recte emendare Pluygersium ἢ ἀδελφόν sequentia demonstrabunt: καὶ ταῦτα τῶν μὲν ἀφρόνων ὄντων, τοῦ δὲ φρονίμου κτὲ. Recte idem § 9. αὐτόν expungi iubet e verbis: εἰ κύνα μὲν — ἐπειρῶ εὖ ποιήσας πραΰνειν [αὐτόν].

Mendosum est in Mem. II. III. 18. τὼ χεῖρε, ἃς ὁ θεὸς ἐπὶ τὸ συλλαμβάνειν ἀλλήλαιν ἐποίησεν, certum est ἀλλήλοιν rescribi oportere. Satis tandem constat in duali numero triplicis generis unam et eandem formam esse in articulo, pronominibus, adiectivis et participiis. Graeculis et librariis omnibus ea res ignota fuit: itaque passim temere antiquas et verissimas scripturas suo arbitratu depravarunt. Vix elabuntur τούτω τὼ πόλεε, τούτω τὼ ἡμέρα, τούτω τὼ γυναῖκε, et similia omnia. Sequiores finxerunt τὰ et ταῖν, ταύτα et ταύταιν, αὐτὰ et αὐταῖν, ἀλλήλα et ἀλλήλαιν cet., eaque omnia impudenter admodum antiquis scriptoribus Atticis affricant, quos audacter omnibus istiusmodi mendis purgabimus, et primum omnium Xenophonti suum ἀλλήλοιν reddemus. Vide quomodo mulcaverint librarii antiquam lectionem καὶ μίαν ἄμφω τούτω τὼ ἡμέρα λογίζονται in Cyrop. I. II. 11. et τὼ γυναῖκε ibid. V. V. 2. Saepius commaculat forma ταῖν θεαῖν pro τοῖν θεοῖν et aliorum scripta et Comoedias Aristophanis. Turpe mendum inquinat Aristophanis Pacem vs. 847. apud Bergkium:

πόθεν δ' ἔλαβες ταύτα σύ; — πόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ.

nam ταύτα pro τούτω barbarum plane est. Revocata librorum omnium scriptura ταύτας recipienda est Hirschigii emendatio:

πόθεν δ' ἔλαβες ταύτας; — ὁπόθεν; ἐκ τοὐρανοῦ.

Agnosces sciolorum manum et in his Menandri apud Suid. v. Ἄβρα.

μήτηρ τέθνηκε ταῖν ἀδελφαῖν ταῖν δυοῖν
ταύταιν. τρέφει δὲ παλλακή τις τοῦ πατρὸς
αὐτάς, ἅβρα τῆς μητρὸς αὐτῶν γενομένη.

nam poëta dederat: τοῖν ἀδελφαῖν τοῖν δυοῖν τούτοιν. Ne dubites inspice Codicum lectiones in Isocratis Panegyr. § 73, ubi nunc recte τοῖν πολέοιν τούτοιν editur.

In Memor. II. v. 2. scribe δυοῖν μναῖν pro δύο: recte dicitur δύο μναῖ, δύο μνᾶς et δύο μνῶν, sed ubi duali numero μναῖν utuntur formam δυοῖν addere solent. Passim occurrit δυοῖν ποδοῖν, δυοῖν ὀβολοῖν et sim.: δυοῖν ἐν ἐτοῖν dicebant, sed ἐν ἔτεσι δυσίν aut ἐν δύ' ἔτεσιν. Δυεῖν vitiosa est sequiorum forma, quam scribae tam saepe Veteribus affricuerunt, ut multis proba et retinenda aut etiam e libris recipienda esse videatur. Δυοῖν μναῖν et alibi legitur et apud Antiphanem Athen. p. 691. D.

στακτὴ δυοῖν μναῖν οὐκ ἀρέσκει μ' οὐδαμῶς.

In Memor. II. v. 3. forma inusitata et mendosa nimis diu servata est in verbis: τὸν δ' οὐδ' ἂν ἡμιμναίου προτιμησαίμην, emenda προτιμήσαιμ' ἄν, cuiusmodi errores crebro committuntur in libris, ut in Nubibus vs. 783:

ὑθλεῖς· ἄπερρ', οὐκ ἂν διδαξαίμην σ' ἔτι,

ubi correxisse nondum poenitet διδάξαιμ' ἄν. Facile unusquisque comperiet προτιμᾶσθαι nusquam pro προτιμᾶν dici, ut neque τιμᾶσθαι pro τιμᾶν, et certum mendum lenissima mutatione sic tolli. Perpetua est in talibus elisio, quo facilius error nascitur. Noli dubitare quin et II. III. 11. Xenophon scripserit κατάρχοιμ' ἄν, non κατάρχοιμι ἄν, quod servant omnes.

Retrahe fugitivam particulam II. VI. 2. ubi quaerenti Socrati: οὐ δοκεῖ σοι καὶ οὗτος χαλεπὸς φίλος εἶναι; Critobulus respondet: πάνυ. Non enim sic dixit, sed πάνυ γε: ut omnes constanter cives et populares solebant.

Ibid. § 5. εὔορκος δὲ καὶ εὐξύμβολος ὢν τυγχάνειν καὶ φιλόνεικος πρὸς τὸ μὴ ἐλλείπεσθαι εὖ ποιῶν τοὺς εὐεργετοῦντας αὐτόν, non fero usum verbi compositi ἐλλείπομαι, quod a sententia loci et loquendi usu abhorret, sed simplex λείπεσθαι requiro, tritum in ea re apud omnes pro ἥττω εἶναι sive ἡττᾶσθαι. Quod Ischomachus Socrati dicit in Oecon. XVIII. 5. ταῦτα οὐδὲν ἐμοῦ λείπει γιγνώσκων, et ipse dixerim omnibus, qui Graecos scriptores diligenter lectitarunt. Hic quoque luce clarius est φιλόνικος unice verum esse.

Quod dicit Socrates II. vi. 7. ὃν ἂν τοῖς πρόσθεν (ἵπποις) ὁρῶ καλῶς χρώμενον τοῦτον καὶ ἄλλοις οἶμαι καλῶς χρῆσθαι, apparet eum χρήσεσθαι dixisse, quod vel additum πρόσθεν demonstrat, et quod praecedit: δῆλον εἶναι καὶ τοὺς ὑστέρους εὐεργετήσοντα.

Periit articulus in § 17. ἄνδρας καὶ καλὰ πράττοντας καὶ τῶν αἰσχρῶν ἀπεχομένους, imo vero καὶ (τὰ) καλά, ut in § 18: τῶν τε καλῶν μάλιστα ἐπιμελόμεναι καὶ τὰ αἰσχρὰ ἥκιστα προσιέμεναι. Nec minus perspicuum est ὄντας inserendum esse in § 27: πολὺ δὲ κρεῖττον τοὺς βελτίστους ἐλάττονας (ὄντας) εὖ ποιεῖν ἢ τοὺς χείρονας πλείονας ὄντας.

Ut nonnumquam alibi, οὖν ante οὐ neglectum periit II. vi. 32. ubi ὡς (οὖν) οὐ προσοίσοντος τὰς χεῖρας reponendum est. Contra οὖν sensu vacuum est in vicinis: οὐδὲ τὸ στόμα [οὖν] — πρὸς τὸ στόμα προσοίσεις; Itaque veri simile est οὖν a correctore in ora libri appositum in alienam sedem immigrasse.

In § 35. bis rescribe ἢ ἐπὶ τοῖς σαυτοῦ pro ἑαυτοῦ. Iam alibi admonuimus in § 36. προμνηστρίας scribendum esse, non προμνηστρίδας, et ἐθέλειν expungendum esse videri in verbis οὐκ [ἐθέλειν] ἐπαινεῖν. Contra ἐθέλειν pro ἐθέλοις in § 37. restituendum est: τοιοῦτός μοι φίλος εἶ, οἷος, ἂν μέν τι αὐτὸς ἔχω ἐπιτήδειον εἰς τὸ φίλους κτήσασθαι, συλλαμβάνειν μοι, εἰ δὲ μή, οὐκ ἂν ἐθέλειν κτέ. ubi οὐκ ἂν ἐθέλοις editur, quod compositionem loci plane perturbat. Simili de causa apud Aeschinem de F. L. § 299. scribendum est: οὐδὲ μικρὸν φροντίζειν pro φροντίζει. Προμνηστρίας corrigendum esse olim accurate docuit Valckenaer. ad Euripidis verba in Hippolyto vs. 589. τὴν κακῶν προμνήστριαν.

In Mem. II. vii. 8. revoca formam Atticam ὠφελησόμεναι, quae saepius alibi illaesa evasit, pro ὠφεληθησόμεναι, et in § 11. futurum repone: νῦν δέ μοι δοκῶ — ὑπομενεῖν αὐτὸ ποιῆσαι pro ὑπομένειν.

In Mem. II. x. 1. ἄν τίς σοι τῶν οἰκετῶν ἀποδρᾷ, nulla est controversia quin legendum sit ἄν τίς σε — ἀποδρᾷ. Pessime comparant verba vicina § 2. ἐάν τίς σοι κάμνῃ τῶν οἰκετῶν, quorum diversissima ratio est. Dativus recte ponitur in ea re, quae alicuius misericordiam moveat, non in aliquo flagitio aut vitio. Atticis solemne est dicere ὁ παῖς ἀπέδρα με, miro

usu sed tritissimo, ut apud Demosthenem in Orat. LIX. 49. ἀπέδρα τὸν Φρυνίωνα εἰς Μέγαρα, et in Cyrop. I. iv. 13. ἥν τις ἀποδρᾷ σε τῶν οἰκετῶν, ubi olim Graeculi suum ἀποδράσῃ substituerunt, ut assolent, unde haec nata est lectio: ἥν τις ἀποδράσῃ τῶν οἰκετῶν σε, quae dudum est emendata. In huius verbi formis multa turbarunt sequiores Graeculi, quo factum est ut Veterum monumenta ea contagione implerentur. Graeculi sexcenties ἀπέδρασα dicebant et, si Grammaticis fides, ἀπέδρων quoque, imperite fictum ex ἀπέδρα, ut ἔζην ex ἔζη. Itaque passim magistri popularium errorem reprehendunt de usu Veterum admonentes et exempla sedulo afferentes: vid. Bekkeri Anecd. p. 11, 1. 419, 13 et p. 1066. Quod autem ἀπέδραν pro ἀπέδρασαν poni docent, abutuntur Sophoclis noto loco in Aiace vs. 168.

ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν | παταγοῦσιν.

in soluta oratione aut in Comoedia ἀπέδραν pro ἀπέδρασαν non magis in usu est quam ἔβαν aut ἔσαν pro ἔβησαν et ἔστησαν. Dicebant omnes ἀπέδρασαν et ἐγὼ δ' ἀπέδραν μόνος et ἐξέδραν et διέδραν, et ἀποδρῶ (ἀποδρᾷς, ἀποδρᾷ), ἀποδραίην, ἀποδρᾶναι, ἀποδράς, et ἀποδράσομαι et ἀποδέδρακα. Haec omnia scribae pessimis modis depravare solent, ut in Theophrasti Charact. 18, 2. ἵνα φυλάττηται αὐτὸ μὴ ἐν τῇ ὁδῷ ἀποδράσῃ, cui redde ἀποδρᾷ. In Lysiae Orat. VI. 28. Reiskius ἀποδρὰς τοῦτον reposuit pro ἀποδράσας. Sine vitio evaserat ἀποδράς § 27. Ἀποδράσασθαι concoquere potuit Lobeck. ad Phrynich. p. 738. sed nihil certius est quam ἀποδράσεσθαι ubique oportere rescribi. Similia saepe video tolerari dicam an negligi ab Editoribus, ut τεύξασθαι, ἄξασθαι, φεύξασθαι, θήσασθαι, et alia. Fastidiunt viri docti merito ineptam scripturam διαδρήσηται apud Herod. III. 135. ὅκως μὴ διαδρήσηταί σφεας ὁ Δημοκήδης, ἀλλά μιν πάντως ὀπίσω ἀπάξωσιν. Potestne foedior barbarismus committi quam in διαδρήσηται et ἀπάξωσιν? Sed non minorem nauseam eadem forma movere debet in iis scriptoribus, quos a Graeculorum faece iure segregamus. Male Dionem Cassium solet Lobeckius ineptissimis scriptoribus immiscere. Aelianum peccasse nemo mirabitur, et Flavium Iosephum, et Heliodorum, et Byzantinorum pessimum quemque, quos scatere istiusmodi vitiis constat inter

omnes. In Dione Cassio ἐξέδρασε non magis ferendum est quam ἀποδράσαντες in Plutarcho, aut in Aristotele ἕως ἂν διαδράσῃ. Invexerunt talia omnia homunciones id genus, quales Herodoto διαδρήσηται affricuerunt. In Euripidis Heraclidis vs. 14. ἐξέδρᾶμεν indoctas manus effugere non potuit. Scribae dederunt:

> πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἤθελ' Εὐρυσθεὺς κτανεῖν.
> ἀλλ' ἐξέδραμον. καὶ πόλις μὲν οἴχεται,
> ψυχὴ δ' ἐσώθη.

Contra metrum, contra sententiam: verum quid ista scribae curant? In Antiphontis Orat. V. 46. μηδ' ἐμοὶ ἐγγενέσθαι ἄξαι τὸν ἄνδρα καὶ βασανίσαι αὐτόν, sunt qui sanum putent turpem barbarismum, Lobeckio credentes (ad Phryn. p. 287.) »*Atticos ἄξαι non funditus ignorasse.*" Dobraeus veram lectionem ἐλέγξαι reperit. In Thucydidis libro VIII. 25. τῷ σφετέρῳ αὐτῶν κέρα προσεξάξαντες, rem acu tetigit Dindorfius προσεξάξαντες reponens.

In Memor. III. I. 7. οἵ τε πλίνθοι καὶ τὰ ξύλα — συντίθενται, potior videtur Stobaei scriptura συντίθεται. Ibidem § 8. mirifice turbata sunt verba ἐν τῷ πολέμῳ τούς τε πρώτους ἀρίστους δεῖ τάττειν καὶ τοὺς τελευταίους, ἐν μέσῳ δὲ τοὺς χειρίστους, sed quoniam perinde certum est et quid dicat Socrates et quomodo hoc sit Graece dicendum, non dubitabis reponere: πρώτους τε τοὺς ἀρίστους δεῖ τάττειν καὶ τελευταίους, ut in vicinia recte legitur: πρῶτον μὲν καὶ τελευταῖον τὸ κάλλιστον τάττειν: deinde a Stobaeo acceperim μέσον δὲ τὸ χείριστον, pro ἐν μέσῳ δέ, et post pauca διαμάρτοιμεν pro διαμαρτάνοιμεν.

Non esse Graecum arbitror quod III. III. 2. legitur ἡ δὲ ἀρχή, ἐφ' ἧς ᾕρηται, sed ἐφ' ἥν, ut in Platonis Menone p. 90. B. αἱροῦνται γοῦν αὐτὸν ἐπὶ τὰς μεγίστας ἀρχάς, et alibi saepius. In § 7. ὅπως δέ σοι πείθωνται, quod Stobaeus offert πείθονται in πείσονται refictum verum erit.

In III. IV. 7. recte Stobaeus ὡς οἱ ἀγαθοὶ οἰκονόμοι ἀγαθοὶ στρατηγοὶ ἂν εἶεν, vulgo articulus male omittitur. Idem in § 11. pro ἐκεῖνο ταμίας exhibet ταμιείς, quod non erat spernendum, sed lenissime in ταμιεῖς emendandum. Sic enim dicebant, ut τιθεῖς quoque, non τίθης, quod redde Demostheni in Timocratea § 107. νόμον τιθεῖς, et § 122. τοὺς μὲν ἀφιεῖς,

pro *τίθης* et *ἀφίης*. Novum indicium verae lectionis Stobaeus affert in § 12. *μὴ καταφρόνει — τῶν οἰκονομικῶν ἀνδρῶν*, ubi quod dedit *μὴ καταφρόνει εὖ* in *οὖν* emendandum est.

Qui in III. v. 2. *πότερον ἐκ Βοιωτῶν — ἢ ἐξ Ἀθηνῶν* adversus eos, qui verissime *Ἀθηναίων* emendarunt, Codicum fidem implorant »*in voce toties lecta*" nescire videntur *ἀθῆναι*, *ἀθηναῖοι* et *ἀθήνησιν* in libris perpetuo confundi solere. Nempe scribae in voce toties lecta utuntur compendio $\overset{\theta\theta}{\alpha}$, quo haec omnia significantur. Hinc apud Demosthenem p. 122, 15. dubitatio est utrum *τῶν Ἀθηναίων κοινῶν* an *τῶν Ἀθήνησι κοινῶν* verum sit. Apud Plutarchum Tom. II. p. 185. E. vitiose legitur: *ἐπεὶ δὲ ἐξέπεσε τῶν Ἀθηναίων πρῶτον, εἶτα καὶ τῆς Ἑλλάδος*, quis enim dubitat quin *ἐξέπεσε τῶν Ἀθηνῶν* sit corrigendum? Apud Hesychium v. *Λίθος* et *Λιθωμόται*, legitur *λίθον* esse *τὸ ἐν τῇ θείᾳ ἐκκλησίᾳ βῆμα*. Scin quid sit legendum? nempe *ἐν τῇ* $\overset{\theta}{\alpha}$ (i. e. *Ἀθήνησιν*) *ἐκκλησίᾳ*. Notissima res est vel ex Harpocratione v. *Λίθος*. In libello Xenophontis *περὶ πόρων* I. 8: *Ἀθηναίοις δὲ γειτονεύουσιν αἳ καὶ αὐταὶ πλεῖστον ἀπέχουσι τῶν βαρβάρων*, quanto melius cum Weiskio legetur *Ἀθήναις δὲ γειτονεύουσιν*.

Suspectum est *συνενηνοχέναι* in III. v. 22. *πολλὰ μὲν οἶμαί σε — πανταχόθεν συνενηνοχέναι*: in tali re aut *συνάγειν* ponitur aut *συλλέγειν*, itaque aut *συνηχέναι* aut *συνειλοχέναι* mihi vera lectio esse videtur. *Συνῆχας* et *συνάγω* in re simillima occurrunt IV. ii. 8. et in eadem re *συνειλεγμένον* § 1. *Συμφέρειν* ita usurpari non arbitror: *συμφορεῖν* in usu est, sed dicitur ferme cum reprehensione et contemtu. Forma *ἦχα*, *συνῆχα* sim. errores parit, quia Graeculi Macedonicam formam *ἀγήοχα* et *συναγήοχα* usu receperant.

In Memor. III. vi. 1. corrigendum est *τῶν μὲν ἄλλων οἰκείων τε καὶ φίλων οὐδείς — Σωκράτης δὲ μόνος*, ubi in libris est *ὄντων ἄλλων*, subinepte: *quum essent alii*, quasi hoc quisquam nesciret. Usitato more *οἱ μὲν ἄλλοι* praecedit, ut quod primarium esset emineret.

In § 6. *πῶς γὰρ οἷόν τε μὴ εἰδότα γε τὰ ἀναλώματα* (scrib. *τἀναλώματα*) *καὶ τὰς προσόδους ἐπιμεληθῆναι τούτων*, cum Pluygersio lego *τούτου*, id est *τοῦ πλουσιωτέραν τὴν πόλιν ποι-*

ἐστὶν, quod praecedit. Scribae pronomen vicinis accommodarunt.

Pravo accentu scribitur III. vii. 6. ἀποδῶνται pro ἀπόδωνται, et III. xi. 5. προσπτῆται pro πρόσπτηται. Ἀποδῶνται non minus vitiosum est ac si quis ἀπολῶνται vellet scribere pro ἀπόλωνται.

Ad haec mihi in mentem venit loci Thucydidei II. 60. ubi Pericles demonstrans τὸν τοῦ δήμου προστάτην oportere γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίν τε εἶναι καὶ χρημάτων κρείσσω, ita dicit: ὅ τε γὰρ γνοὺς καὶ μὴ σαφῶς διδάξας ἐν ἴσῳ καὶ εἰ μὴ ἐνεθυμήθη, ὁ δ' ἔχων ἀμφότερα τῇ δὲ πόλει δύσνους οὐκ ἂν ὁμοίως τι οἰκείως φράζοι, προσόντος δὲ καὶ τοῦδε χρήμασι δὲ νικωμένου τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν πωλοῖτο. In Codd. tenuissima quaedam verae scripturae vestigia apparent: πωλοῖτο in plurimis est, in uno et altero πολοῖτο et ἀπολοῖτο. In hoc ΑΠΟΛΟΙΤΟ latet ipsa Thucydidis manus ἀπόδοιτο, quo semel reperto νικώμενος pro νικωμένου emergit. Haec igitur est vera scriptura, προσόντος δὲ καὶ τοῦδε (poterat dixisse eodem sensu ἔχων δὲ καὶ τόδε) χρήμασι δὲ νικώμενος τὰ ξύμπαντα τούτου ἑνὸς ἂν ἀπόδοιτο, quae scriptura commendatione non indiget, satis enim se ipsa commendabit, iis potissimum qui cogitent quam alienum sit a loci sententia πωλοῖτο. Prima mali labes fuit, ut suspicor, νικωμένου ad praecedens προσόντος stulte accommodatum.

Secunda persona scribarum errore in tertiam depravata est in III. viii. 10. ὅποι πάσας ὥρας αὐτός τε ἂν ἥδιστα καταφεύγοι καὶ τὰ ὄντα ἀσφαλέστατα τιθοῖτο, namque καταφεύγοις facile senties requiri. Fefellit eos τὰ ὄντα subiectum esse verbi τιθοῖτο, et accusativum esse rati adaequarunt καταφεύγοι — τιθοῖτο.

In Mem. III. ix. 12. ἐάν τις τῷ εὖ εἰπόντι μὴ πείθηται, optime πίθηται servavit Stobaeus. Ab eodem lubens accipio III. x. 1. ἡ γραφική ἐστιν εἰκασία, pro γραφική ἐστιν ἡ εἰκασία, quod vel de coniectura reponi debuisset.

In III. ix. 14. ἐρομένου δέ τινος αὐτόν, τί δοκοίη αὐτῷ κράτιστον ἀνδρὶ ἐπιτήδευμα εἶναι, ἀπεκρίνατο· εὐπραξίαν: respondit, credo, εὐπραξία.

Futurum reponendum pro coniunctivo est III. xi. 9. μηχα-

νήσεται ὅπως ἐμβαλεῖ αὐτοὺς εἰς τὰ σὰ δίκτυα, pro ἐμβάλῃ. Ὅπως *quo pacto* significans coniunctivum respuit, quemadmodum ὅςις in talibus: ἔπεμψε πρέσβεις οἵτινες διαλέξονται, aut ζητεῖν ὅτῳ κακόν τι δώσομεν, aliisque sexcentis, ubi coniunctivi usus soloecismum faceret.

In Mem. III. XII. 1. dicenti Socrati ὡς ἰδιωτικῶς τὸ σῶμα ἔχεις, ὦ Ἐπίγενες, Epigenes respondet: ἰδιώτης μέν εἰμι, ὦ Σώκρατες. Noli credere eum sic dixisse, namque μέν nihil significat, et nihil excogitabis quod cogitando supplendum esse videatur. Dixit Epigenes, quod unusquisque Graecorum in tali re solebat dicere: ἰδιώτης γάρ εἰμι. Sic enim loquuntur qui simul assentiuntur et cur ita sit causam reddunt. Vide II. VII. 14. ἐγὼ γάρ εἰμι ὁ καὶ ὑμᾶς αὐτὰς σώζων κτέ. et II. VI. 15. ἑώρων γὰρ ῥήτορας φαύλους ἀγαθοῖς δημηγόροις φίλους ὄντας, et passim alibi γάρ sic positum occurrit.

In Mem. III. XIII. 6. ἐμοὶ μὲν δοκεῖ, ἔφη, βέλτιον ἐμοῦ, scribendum est Veterum more ἐμοὶ μὲν δοκεῖν, i. e. ὅσον μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, ut in Platonis Menone p. 81. A. ἀληθῆ, ἔμοιγε δοκεῖν, καὶ καλόν, et in Euthyd. p. 273. A. καὶ ἄλλοι μαθηταὶ ἅμα πολλοὶ, ἐμοὶ δοκεῖν, et aliis locis.

Dittographia lectorem ludificatur in Mem. IV. I. 5. οἴεται τὰ πρὸς τὸν βίον αὐτῷ ἢ καλῶς ἢ ἱκανῶς παρεσκευάσθαι. Vetus et genuina scriptura ΑΥΤΩΙΚΑΛΩΣ in αὐτῷ ἱκανῶς corrupta est: adscripsit aliquis corrector καλῶς: denique utraque lectio sic coaluit, ut alii ἢ καλῶς ἢ ἱκανῶς, alii ἢ ἱκανῶς ἢ καλῶς exhibeant.

In Mem. IV. II. 6. νομίζων τῇ σιωπῇ σωφροσύνης δόξαν περιβάλλεσθαι, corrige περιβαλεῖσθαι.

Tralaticio mendo in IV. II. 12. διεξηγήσασθαι scribitur. Vera lectio ἐξηγήσασθαι a Stobaeo servata est, qui in § 14. pro κακουργεῖν multo meliorem lectionem κλέπτειν obtulit. Saepius notavimus δι et ἐξ inter se confundi, aut ex dittographia perperam coniungi. Novum exemplum praebet Teles in Stobaei Floril. 5, 67. οὐ Κράτης καὶ Διογένης πένητες ἦσαν; καὶ πῶς ῥᾳδίως διεξήγαγον; imo vero ῥᾳδίως διήγαγον.

Manifesto mendosum est ibid. § 17. ποτέρωθι τὴν ἀπάτην ταύτην θήσομεν; imo vero ποτέρωσε. Respondetur enim recte: πρὸς τὴν δικαιοσύνην, et recte post pauca scribitur τοῦτο αὖ

ποτέρωσε θετέον; Talia saepius videbis permutari. Pessime ἑτέρωθι legitur apud Demosthenem in Orat. XVII. 16. ἄλλους τε ἑτέρωθι καὶ τὸν παιδοτρίβην εἰς Σικυῶνα κατήγαγεν, emenda sodes ἑτέρωσε. Apud Dionys. Halic. A. R. V. 11. pro μεταθέσθαι δὲ τὴν οἴκησιν ἑτέρωθί γέ ποί ποτε γῆς, ἕως ἂν ἐν ἀσφαλείᾳ γένηται τὰ κοινά, corrigendum est ἑτέρωσέ ποι γῆς et ἐν ἀσφαλεῖ. Dudum idem mendum sublatum oportuit ex Aristophanis Equitt. 953.

ἐξέδεταί σου τοὖψον, ὅταν σύ που ἄλλοσε χάσκῃς,

cui redde σύ ποι ἄλλοσε. In Xenophontis Hellen. II. II. 2. bene Dindorfius edidit: διδοὺς ἐκεῖσε μόνον πλέουσιν ἀσφάλειαν, ἄλλοσε δ' οὔ, pro ἄλλοθι δ' οὔ, sed praeterea ἐκεῖσε μέν correctum oportuit pro ἐκεῖσε μόνον. Saepissime μόνον pro μέν scribi et quae sit huius rei causa ad Euripidem ostendam

In sqq. Stobaeus in § 22. recte omittit γε prorsus inutile in verbis τῶν [γε] τὰ τοιαῦτα ἐπισταμένων, et supervacuum δέ in § 24. εἰπέ μοι, — εἰς Δελφοὺς [δὲ] ἤδη πώποτε ἀφίκου; et αὐτό in § 31. πρῶτον μὲν γὰρ [αὐτὸ] τὸ ὑγιαίνειν. Ibid. § 39. scribendum est τούτους μὲν εἰς τὸν δῆμον θήσομεν pro τοὺς μὲν τυράννους, quod a sententia alienum est.

Persuadet mihi Pluygersius ὄν excidisse in IV. III. 6. τὸ δὲ καὶ ὕδωρ ἡμῖν παρέχειν οὕτω πολλοῦ ἄξιον ὥστε καὶ φύειν κτέ. et suppleri oportere ἄξιον (ὂν) ὥστε. Participium ὄν sic positum in magno semper periculo versabatur, praesertim in unciali scriptura, ubi repetitum ON facillime describentium oculos fugiebat. Hinc saepe factum est ut necessarium participium interiret, et ex interiore Graecitatis intelligentia a Criticis revocaretur. Idem remedium etiamnunc multi loci exspectant.

In Mem. IV. IV. 10. οὐδὲ εἷς ἄδικος ἂν εἴη, Atticam compositionem servavit Stobaeus οὐδ' ἂν εἷς ἄδικος εἴη, quam lubenter accipimus.

Notabilis locus est de perfecto passivo κεῖσθαι pro τεθεῖσθαι apud Veteres usitato in Mem. IV. IV. 21. Dixerat οἱ ἄνθρωποι τοὺς νόμους ἔθεντο et τοὺς θεοὺς οἶμαι τοὺς νόμους τούτους τοῖς ἀνθρώποις θεῖναι, et post pauca δίκην διδόασιν, inquit, οἱ παραβαίνοντες τοὺς ὑπὸ τῶν θεῶν κειμένους νόμους et τοὺς ὑπ' ἀνθρώπων κειμένους νόμους ἔνιοι παραβαίνοντες διαφεύ-

γουσι τὸ δίκην διδόναι· quo exemplo quid potest esse luculentius?

Excidit necessaria copula IV. iv. 24. νόμιμον, ἔφη, παραβαίνεται δὲ καὶ τοῦτο, supplendum enim censeo: νόμιμον (μὲν), ἔφη. Facile perit μέν, et saepius illa vocula ex fuga retrahenda est.

Supersunt duae formae Veteribus inusitatae et a Graeculis ἐκ τῆς συνηθείας usitatis substitutae IV. vi. 6, et IV. viii. 9. Illic vitiose οἶδας legitur pro οἶσθα, hic πόμα pro πῶμα.

Utar denique paucis quibusdam Memorabilium locis ad scripturam in aliis aliorum scriptorum aut muniendam aut corrigendam.

In Teletis suavissimo fragmento apud Stobaeum Floril. 5, 67. in verbis: οὐχ ὁ πεινῶν ἥδιςα ἐσθίει καὶ ἥκιςα ὄψου δεῖται; καὶ ὁ διψῶν ἥδιςα πίνει καὶ ἥκιςα τὸ μὴ παρὸν ποτὸν ἀναμένει; ἢ πεινᾷ τις πλακοῦντα ἢ διψᾷ χιόνα; fuit qui novissimum vocabulum tentaret et ἢ διψᾷ Χῖον reponeret. Cave credas. Teles et caetera ex Memorabilibus sumsit I. vi. 5. οὐκ οἶσθ' ὅτι ὁ μὲν ἥδιςα ἐσθίων ἥκιςα ὄψου δεῖται, ὁ δὲ ἥδιςα πίνων ἥκιςα τοῦ μὴ παρόντος ἐπιθυμεῖ ποτοῦ; qui locus, si quid iudico, ex Telete emendandus est sic ut duplex participium ex fuga retrahatur, quod nunc cum insigni sententiae detrimento desideratur. Nempe sic esse supplendum arbitror: ὁ μὲν (πεινῶν) ἥδιςα ἐσθίων et ὁ δὲ (διψῶν) ἥδιςα πίνων. Quod nunc editur frugalitatis laudem aut commendationem nullam continet. Etiam helluones tibi assentientur ὅτι ὁ ἥδιςα πίνων ἥκιςα τοῦ μὴ παρόντος ποτοῦ ἐπιθυμεῖ. Non esse tentandum χιόνα intelliges e Memor. II. i. 30. ἵνα δὲ ἡδέως πίῃς — τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς, et saepius Comici idem luxuriae genus commemorant. In Euthyclis fragmento apud Athen. p. 124. B. legendum est:

πρῶτος μὲν οἶδεν εἰ χιὼν ἔς' ὠνία,

non εἶδεν. Dexicrates ibid.

εἰ δὲ μεθύω καὶ χιόνα πίνω καὶ μύρον
ἐπίςαμ' ὅτι κράτιςον Αἴγυπτος ποιεῖ,

ubi ἐπίςαμ' ὅτι felix est Meinekii emendatio pro ἐπὶ ςόματι. Stipes, qui Codicem Marcianum ex vetustissimo libro litteris

uncialibus exarato descripsit ΕΠΙΣΤΑΜΟΤΙ aliud agens sic depravavit.

Verba Xenophontis Mem. II. ii. 12. ἢ καὶ τῆς παρὰ τούτων εὐνοίας οἴει δεῖν ἐπιμελεῖσθαι, declarant quomodo emendari oporteat locum in Oratione I. κατ' Ἀριστογείτονος § 64. πάντες οὗτοι συνεστᾶσι. προδέδοσθε. ἡ παρ' ἐμοὶ μόνον εὔνοια λοιπή. Fieri non potest quin Orator scripserit: ἡ παρ' ἐμοῦ μόνου εὔνοια, ut Attici omnes constanter loquuntur. Plato in Phaedro p. 232. A. ἀντὶ τῆς δόξης τῆς παρὰ τῶν ἀνθρώπων. Sic saepe τιμωρία παρά τινος dicitur et ἐπικουρία et βοήθεια, et δεήσεις et φόβος παρά τινος, sed saepissime εὔνοια, ut apud Demosth. de Corona § 3. τῆς παρ' ὑμῶν εὐνοίας διαμαρτεῖν, et alibi ἡ παρὰ θεῶν εὔνοια. Eodem modo ὁ παρ' ἐμοῦ λόγος dicebant et τὰ παρ' ἐμοῦ, τὰ παρ' ἡμῶν et sim. sed vitio eadem locutio nata est apud Aristophanem in Lysistr. 243.

σὺ μὲν βάδιζε καὶ τὰ παρ' ὑμῶν εὖ τίθει,
τασδὶ δ' ὁμήρους κατάλιφ' ἡμῖν ἐνθάδε,

ubi sententia requirit τὰ παρ' ὑμῖν.

Non uni loco emaculando utilia sunt verba Xenophontis in Mem. II. ix. 5. νομίσας δὲ ὁ Ἀρχέδημος ἀποστροφήν οἱ τὸν Κρίτωνος οἶκον μάλα περιεῖπεν αὐτόν. Ionica huius verbi forma reddenda Parthenio est in Narrat. Amator. cap. 15. οὐ μεθίει τε αὐτὸν ἀμφιπεσοῦσά τε καὶ ἐξηρτημένη πᾶσαν ὥραν, nam sententia loci ἀμφιέπουσα postulat. Alio modo περιέπειν concepit vitium apud Heliodorum in Hirschigii Eroticis p. 263, 35. ἐμὲ δ' ἐμακάριζον καὶ περιείποντο ἐντεῦθεν παντοίως. Lenissimo remedio sanabis locum rescribendo: περιεῖπον τὸ ἐντεῦθεν. Gravius multo verbum idem corruptum est apud Plutarchum *de Herodoti malignitate* p. 867. E. τρηχέως δὲ περιενεχθέντες — δρησμὸν ἐβούλευον εἰς τὴν Ἑλλάδα. Apud Herodotum *benigne habere* dici solet εὖ περιέπειν, et *male mulcare*, τρηχέως περιέπειν, περιέπειν τρηχύτατα. Itaque τρηχέως δὲ περιεφθέντες certa coniectura reponi potuisset, etiam si vera lectio non illaesa apud Herodotum exstaret VIII. 18.

Accedo nunc ad duos libros περὶ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας et περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας, qui quamquam a plerisque non esse ipsius Xenophontis putantur, antiqui tamen et boni scriptoris esse facile est unicuique ad intelligendum. Uterque

autem pessimis modis mutilatus est et corruptus. Quae exstant ex maiore opere excerpta sunt, tenui filo consuta eademque lacunis lacera et plurimis mendis obsita, ut saepius neque sententia ulla ullo modo exsculpi possit, neque ulla spes certae emendationis affulgeat, etiam si quis omnes ingenii vires diu et multum intenderit. Nihil aliud effici potest nisi ut ex his veluti frustulis eximiae cuiusdam tabulae diffractae et comminutae maculas quasdam et sordes eluas, id quod propter illarum reliquiarum praestantiam sedulo faciam. Nempe mihi quidem cur hi libri non ab ipso Xenophonte scripti esse existimentur nihil causae esse videtur: contra neminem alium praeter Xenophontem utriusque libri esse auctorem multa suadent ut credam. De qua re primum omnium iuvat dicere. Ordiar ab illo loco, qui legitur XI. 8. *ὅτι μὲν παλαιότατοι οὗτοι οἱ νόμοι* (leges Lycurgi) *σαφές· ὁ γὰρ Λυκοῦργος κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας λέγεται γενέσθαι.* Manifestum est ea verba id significare quod eruditi historici et temporum indagatores aliquanto post Xenophonteam aetatem dicere solent *κατὰ τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδον.* Plutarchus in Lycurg. cap. 1. de Lycurgi aetate disputans quum sententias Aristotelis, Eratosthenis, Apollodori et Timaei exposuisset ita pergit: *δίδωσι δὲ καὶ Ξενοφῶν ὑπόνοιαν ἀρχαιότητος ἐν οἷς τὸν ἄνδρα λέγει γεγονέναι κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας*, quibus non admodum acute addidit: *γένει μὲν γὰρ Ἡρακλεῖδαι δήπουθεν ἦσαν καὶ οἱ νεώτατοι τῶν ἐν Σπάρτῃ βασιλέων. ὁ δὲ ἔοικε βουλομένῳ τοὺς πρώτους ἐκείνους καὶ σύνεγγυς Ἡρακλέους ὀνομάζειν Ἡρακλείδας.* Hos Euripides et Tragici *Ἡρακλείδας* appellant, et pictores, ut in Aristophanis Pluto vs. 385. Caeteri eos *τοὺς Ἡρακλέους παῖδας* appellare solent, ut saepe in Panegyrico Isocrates, sed eosdem *Ἡρακλείδας* Xenophon nominat in Memor. III. v. 10. Xenophontem apparet non hos dicere, sed eos, qui ab longo exilio reversi et aliis Peloponnesi partibus et Laconica potiti sunt: quibus quod Lycurgum aequalem fuisse narrat vehementer fallitur, sed est ea ipsa res indicio hunc *περὶ τῆς Λακώνων πολιτείας* libellum perveterem esse et illius aetatis quum nondum haec a quoquam diligentius explorata et temporibus suis divisa essent. Vides Plutarchum indubitanter hunc libellum Xenophonti tribuere et eius auctoritate securum uti, quam cum doctissimi

cuiusque sententia componit. Ubi hoc dixisset Xenophon Plutarchus ne addidit quidem, ut in libro omnibus noto. Nempe hunc librum omnes pro Xenophonteo legerant ante Demetrium Magnetem, qui primus omnium *οὐκ ἔφη εἶναι Ξενοφῶντος τὴν Ἀθηναίων καὶ Λακεδαιμονίων πολιτείαν*, teste Diogene Laërt. II. 57. Disertum est Polybii testimonium VI. 45. *ἄξιον ἐπιστῆσαι πῶς οἱ λογιώτατοι τῶν ἀρχαίων συγγραφέων Ἔφορος, Ξενοφῶν, Καλλισθένης, Πλάτων τὴν Κρητῶν πολιτείαν ὁμοίαν καὶ τὴν αὐτὴν εἶναί φασι τῇ τῶν Λακεδαιμονίων*, ex quo simul intelligitur nonnisi excerpta Xenophontei operis exstare, ut in quibus de Cretensium rep. nulla omnino fit mentio. *Δημήτριος ὁ Μάγνης*, homo multarum litterarum, Ciceroni aequalis, Attico etiam familiaris (vid. Scheurleer de Demetrio Magnete pag. 3), abiudicasse Xenophonti hos libellos videtur simili fere de causa atque Dinarcho orationem *κατὰ Δημοσθένους* apud Dionysium Halicarn. cap. 1. Tom. V. p. 632. Reisk. ubi: *καὶ νομίσειεν ἄν τις*, inquit, *εὐήθεις εἶναι τοὺς ὑπολαβόντας τὸν λόγον τὸν κατὰ Δημοσθένους εἶναι τούτου. πολὺ γὰρ ἀπέχει τοῦ χαρακτῆρος.* Eodem igitur modo suspicor illos libellos erudito Critico visos esse *ἀπέχειν τοῦ Ξενοφωντείου χαρακτῆρος*, neque orationis Xenophonteae colorem et habitum in iis apparere: de cuiusmodi re anceps admodum esse solet iudicium, ubi aliae omnes *πίστεις* desint. Non esse nobis illam Criticorum auctoritatem magnopere extimescendam, praesertim eorum, qui circa illa tempora vixerunt, satis constat. Quem moveat Caecilii in tali re iudicium aut Dionysii Halicarnassensis? Quis umquam Lysiae orationem *περὶ τοῦ σηκοῦ* eripiet, olim ei cum multis aliis ab imperito Critico abiudicatam, ut Photius docebit in Biblioth. Cod. 262. p. 489. Bekk. Demetrius, quem recentiores tantum non omnes sequuntur, Veterum omnino nemini persuasisse videtur. Plutarchus, qui nonnumquam Demetrio teste utitur, in hac re, ut vidimus, eius iudicium non curavit. Harpocration, qui et ipse Demetrii libros lectitavit et laudat, spreto illius iudicio in v. *Μόραι* componit Aristotelem *ἐν τῇ Λακεδαιμονίων πολιτείᾳ* cum Xenophonte *ἐν τῇ Λακώνων πολιτείᾳ*, et quum soleat sedulo suum *εἰ γνήσιος* adscribere, sine ulla suspicionis nota apponit Xenophontis verba ex XI. 4. Similiter Pollux VI. 142. *αὐτοσχεδιάζων καὶ ὡς*

Ξενοφῶν ἐν Λακώνων πολιτείᾳ αὐτοσχεδιαςής, τὸ γὰρ ἐν τῇ Νυκτὶ μακρᾷ Πλάτωνος αὐτοσχεδίασμα φαῦλον, sine dubitatione affert quod legitur XIII. 5. *ἡγήσαιο ἂν τοὺς μὲν ἄλλους αὐτοσχεδιαςὰς εἶναι τῶν ςρατιωτικῶν κτἑ.* In Plutarcheis compluscula ex eodem libro sumta omisso Xenophontis nomine leguntur, cuius rei unum exemplum apponam, sed luculentum. In *Institutis Laconicis* et alia leguntur e Xenophonte descripta et haec p. 237. D. *παῖς δὲ ὑπό τινος κολασθεὶς εἰ τῷ πατρὶ ἐξήγγειλεν αἰσχρὸν ἦν τῷ πατρὶ μὴ προσεντεῖναι ἀκούσαντα πάλιν ἑτέρας· ἐπίςευον γὰρ αὐτοῖς ἐκ τῆς πατρίου ἀγωγῆς μηδὲν* (*ἂν* addendum) *αἰσχρὸν προςάξαι τοῖς τέκνοις.* Compara haec cum Xenophonteis VI. 2. Incertus rhetor pereruditus, qui Longini nomine circumfertur, in libello *περὶ ὕψους* IV. 4. insignem locum Xenophontis *ἐκ τῆς Λακεδαιμονίων πολιτείας* (III. 6.) affert, quem a Timaeo imitatione expressum esse suspicatur. Plus etiam illi homini tribues, si memineris eum Xenophonteam orationem impense admirari et de industria quaedam de Xenophonte scripsisse, ut ipse testatur VIII. 1. Itaque quum Codicis sui lectione, ut supra ostendimus, deceptus (*τῶν ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένων* pro *ἐν τοῖς θαλάμοις*) Xenophontem graviter increpet ob ea, quae in libello *de rep. Lacedaemoniorum* scripsisset, apparet eum minime dubitasse, quin is liber ab ipso Xenophonte scriptus fuerit et a Timaeo lectus.

Demetrius Magnes, ut vidimus, etiam Dinarchi orationem *κατὰ Δημοσθένους* spuriam et suppositam esse statuerat, idque tam confidenter ut diceret *εὐήθεις εἶναι τοὺς ὑπολαβόντας τὸν λόγον τὸν κατὰ Δημοσθένους τούτου (τοῦ Δεινάρχου) εἶναι.* Dionys. Halic. Tom. V. p. 632. Hoc quoque iudicium nemo umquam curavit. Dionysius Halic. enumerans *τοὺς Δεινάρχου λόγους δημοσίους γνησίους* hanc quoque recenset pag. 654. *κατὰ Δημοσθένους περὶ τῶν Ἁρπαλείων*, et apponit prima verba »*Ὁ μὲν δημαγωγὸς ὑμῖν.*" Idem pag. 659. illa oratione utitur ad demonstrandum Demosthenis orationem esse quae Dinarchi vulgo putaretur. *Διφίλῳ δημηγορικὸς αἰτοῦντι δωρεάς.* »*Διὰ τὸ μὴ ῥᾴδιον εἶναι.*" *τοῦτον ἐπείσθην ὑπὸ Δημοσθένους γεγράφθαι λόγον, ὅτι τὰς δωρεὰς ἔγραψεν αἰτῶν Δημοσθένης, ὡς Δείναρχος ἐν τῷ κατὰ Δημοσθένους λόγῳ δεδήλωκεν.* Locus

est apud Dinarchum § 45. εἴπατέ μοι, πρὸς Διός, ὦ ἄνδρες, προῖκα τοῦτον οἴεσθε γράψαι Διφίλῳ τὴν ἐν Πρυτανείῳ σίτησιν καὶ τὴν εἰς τὴν ἀγορὰν ἀναθησομένην εἰκόνα; Vides quanti faciat Dionysius Demetrii iudicium paullo ante a se commemoratum. Harpocration quoque sine ulla suspicione eandem orationem Dinarcho tribuit v. Μετοικίσασθαι.

His igitur hoc certe vincam licere nobis τὴν τοῦ Δημητρίου κρίσιν ἐπικρίνειν. Et mihi quidem diu et multum utroque libello explorato et excusso, rebusque omnibus diligenter expensis neque in rebus quidquam inesse videtur, quod a Xenophonte profectum esse non possit ex Agesilai aliorumque Laconum sermonibus fando acceptum, neque oratio verborumque delectus et compositio abhorrere ab illa aetate et a Xenophontis nitore et venustate, praesertim in libro tam male habito, in brevius contracto et multis mendis obsito. Spirat ἡ τῶν Λακώνων πολιτεία illam Lycurgi et Spartanorum admirationem, quam paullo calidius illi concipiebant quos patriae Atticae et civitatis suae morum ac vitiorum taedebat pigebatque. Nulla sunt in hoc libello doctrinae paullo reconditioris vestigia, nulla historiae antiquioris notitia, nulla temporum vetustiorum paullo exactior cognitio. Apparet ubique illa inerudita et paene dixerim militaris et Spartana simplicitas, qua quidquid esset Spartae praeclarum et egregium in rebus omnibus, in bello, in rep., in vitae ac morum constitutione referretur ad unius Lycurgi singularem ac paene divinam sapientiam, quam Spartani omnes in omni sermone commemorare et celebrare solebant. Imbibit eandem admirationem Xenophon ex Agesilai et reliquorum Spartanorum familiaritate et sermonibus, unde haec verba statim in initio libri posuit: Λυκοῦργον τὸν θέντα τοὺς νόμους τούσδε καὶ θαυμάζω καὶ εἰς τὰ ἔσχατα σοφὸν ἡγοῦμαι. Alebant hanc admirationem principum Spartanorum non sermones magis quam exempla. Quid efficerent Lycurgi leges et instituta in Agesilai vita et moribus conspici Xenophon iudicabat. Quum ex hoc exemplo antiquae virtutis remp. Spartanorum spectaret, quis mirabitur illam Lycurgi disciplinam, unde tales viri prodirent, exquisitissimis laudibus ab illo efferri et in coelum tolli? Caeterum olim mutatos esse Spartanorum mores, degenerasse ab antiqua virtute plerosque, alios

avaros, alios luxuriosos esse, quoniam illa pestis occulta esse non poterat, Xenophon probe sciebat, sed (ut solent qui in aliqua re admiranda modum excedunt et prae nimia admiratione caecutiunt) paratum ei est dicere quum veritatis viribus coactus Lacedaemoniorum sui temporis vitia commemorasset: *οὐδὲν μέντοι δεῖ θαυμάζειν τούτων τῶν ἐπιψόγων αὐτοῖς γιγνομένων ἐπειδὴ φανεροί εἰσιν οὔτε τῷ θεῷ πειθόμενοι οὔτε τοῖς Λυκούργου νόμοις.* Non vidit Xenophon in quem errorem sese indueret, quum Lycurgi legibus omnia, civitatis moribus nihil tribueret. Illae leges quantumvis praestantissimae bene moratam civitatem nactae saluberrimae erant, sed in civitate vitiosa et corrupta ad mores emendandos nihil proficiebant. Caeterum ex illa querela, *φανεροί εἰσι τοῖς Λυκούργου νόμοις οὐ πειθόμενοι*, cave colligas Spartanos illorum temporum aut legibus non paruisse aut Magistratibus non fuisse satis dicto audientes. Quae scripta sunt VIII. 2. *ἐν τῇ Σπάρτῃ οἱ κράτιςοι καὶ ὑπέρχονται μάλιςα τὰς ἀρχὰς καὶ τῷ ταπεινοὶ εἶναι μεγαλύνονται καὶ τῷ ὅταν καλῶνται τρέχοντες ἀλλὰ μὴ βαδίζοντες ὑπακούειν*, ab oculato teste scripta sunt. *Viderat* haec Spartae Xenophon. Agesilaum ipsum potuit haec facientem videre. Plutarchus in Ages. 4. *τὸ πολεμεῖν τοῖς Ἐφόροις ἐάσας ἐθεράπευε, πάσης μὲν ἀπ' ἐκείνων πράξεως ἀρχόμενος, εἰ δὲ κληθείη θᾶττον ἢ βάδην ἐπειγόμενος.* Athenis contra viderat quod ante dicit: *ὅτι οἱ δυνατώτατοι οὐδὲ βούλονται δοκεῖν τὰς ἀρχὰς φοβεῖσθαι, ἀλλὰ νομίζουσι τοῦτο ἀνελεύθερον εἶναι.* Agnosces in his eundem, qui in Memorabilibus III. v. 16. scripserat: *πότε δὲ οὕτως Ἀθηναῖοι ὥσπερ Λακεδαιμόνιοι πείσονται τοῖς ἄρχουσιν, οἳ καὶ ἀγάλλονται ἐπὶ τῷ καταφρονεῖν τῶν ἀρχόντων*; Qui cives Magistratibus sic obtemperant, legibus non parere non possunt. Sed antiquas illas et durissimas Lycurgi leges *usus longi temporis, qui unus est legum corrector* (Liv. XLV. 32.) molliverat et tacito omnium consensu multa ab omnibus neglecta sustulerat, quae moribus civitatis non amplius accommodata essent. Haec nimis aspera et rigida »*usus, vita, mores, civitas ipsa respuebat*" ut loquitur in simili re Cicero pro Murena 35. § 74. In iis quae ferre poterant sic, uti vidimus, legibus magistratibusque parebant. Xenophon autem quum antiquam Spartanorum vitam et artes optimas maiorum

et disciplinam veterem et mores antiquos describeret, ea omnia imprudens ad sua tempora et Spartanos sibi aequales transferebat. Itaque quum *antiquitatis* memoriam ex Spartanorum sua extollentium sermonibus acceptam litteris consignaret et prisci temporis tamquam aureae cuiusdam aetatis imaginem eleganter depingeret, visus est et sibi et aliis *praesentem rerum statum* describere. Itaque Saturniae aetatis olim praeterlapsae virtutes et felicitatem enarrans, qualem seri posteri olim fuisse referebant, creditur suorum temporum mores narrare. Habent hoc praeter Aristotelem omnes, qui de Spartanis scribunt, Plutarchus ante omnes, qui quum e Veteri memoria ac fama admirabilia quaeque undique selecta componit putatur ab omnibus Spartanorum mores et instituta exponere. Hinc fit ut permulta memoriae prodita sint quae sano homini aut incredibilia et commenticia debeant videri, aut certe in maius aucta et amplificata et exornata; multa etiam quae manifesto falsa sint quaeque sic fieri omnino non potuisse appareat. Hinc, ne de Plutarcho dicam, Xenophon nonnumquam sibi ipse non satis constat et narrat quae inter se pugnent. Lycurgus ἔταξεν, inquit, *ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι, καὶ τοῦτο συμφέρειν τῇ εὐγονίᾳ νομίζων*, I. 6. Saluberrima lex et optima et aequissima.

Ὥρῃ ἐρᾶν, ὥρῃ δὲ γαμεῖν, ὥρῃ δὲ πεπαῦσθαι,

et quid est ineptius et magis ab illa Lycurgi disciplina abhorrens quam senex puellam in matrimonio habens? Apparet tamen continuo apud Xenophontem maritus senex uxorem habens in flore aetatis: *εἴ γε μέντοι συμβαίη γεραιῷ νέαν ἔχειν κτέ.* Quomodo, quaeso, hoc in tam bene morata civitate fieri umquam potuit? Ubi erant Lycurgi leges saluberrimae eo ipso consilio latae, ut quidquid conciperetur et nasceretur validum esset ac robustum? Disertissime Xenophon paulo ante: *ἀποπαύσας τοῦ ὁπότε βούλοιτο ἕκαστος γυναῖκα ἄγεσθαι* (nam sic scribendum est, non *βούλοιντο ἕκαστοι*) *ἔταξεν ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι.* Praeterea audi Plutarchum in Lycurg. 15. *ἐγάμουν δὲ δι' ἁρπαγῆς οὐ μικρὰς οὐδὲ ἀώρους πρὸς γάμον ἀλλὰ καὶ ἀκμαζούσας καὶ πεπείρους.* Intelligisne, imprimis memor Herodotei: *εἰ μὴ αὐταὶ ἐβουλέατο οὐκ ἂν ἡρπάζοντο* (I. 4.) quomodo senex iam plenis nubilem

annis invitam ducere, nedum *rapere* potuerit? Lycurgus autem, si Xenophonti credimus, quum videret senes diligenter servare uxores (quod nemo mirabitur), iis *permisit* . . . . . quid putas? nempe ut ipsi uxoribus suis alios viros unde conciperent parerentque ita quaererent, ut quod esset natum ipsi, id est mariti senes, tollerent pro suo educarentque. Sic certe uxores nihil erat opus servari eamque legem senibus maritis vehementer placuisse suspicor. Neque adeo mirum adulteria Spartae, teste Plutarcho, nulla omnino fuisse: *ὅλως ἄπιςον ἦν τὸ τῆς μοιχείας παρ' αὐτοῖς*, Plut. Lycurg. 15, ubi lepidum Spartani dictum refert docentis nullam Spartae in adulteros poenam fuisse constitutam, quoniam Spartae nemo esset adulter. Aristoteles de Lacaenarum moribus, ut videbimus, alia omnia memoriae prodidit, sed Plutarchus quasi oculatus testis et certiora edoctus ea nihil curat et verbo reiicit, in Lycurg. 14. Deinde cives Lycurgi legibus severissimis ad matrimonia capessenda compellebantur, et coelibi poenae graves et turpes contumeliae paratae. Verum his quoque, qui iustam uxorem ducere nollent, Lycurgus (mirabile dictu) permisit *ex aliena uxore formosa et foecunda sibi quaerere liberos πείσαντας τὸν ἔχοντα*, ut narrat Xenophon I. 8. qui eam rem et foeminis iucundam fuisse testatur et non displicuisse earum maritis. Ferebat aequo animo necessariam calamitatem senex Atticus, qui ita loquitur:

γαμῶ γέρων ὤν, οἶδα, καὶ τοῖς γείτοσιν.

Spartanis eadem res non erat ingrata: *οἱ γὰρ ἄνδρες βούλονται ἀδελφοὺς τοῖς παισὶ προσλαμβάνειν, οἳ τοῦ μὲν γένους καὶ τῆς δυνάμεως κοινωνοῦσι, τῶν δὲ χρημάτων οὐκ ἀντιποιοῦνται*, in quibus omnibus Xenophon Lycurgum admirari satis non potest. Sed ecce iterum sibi obloquitur quum dicit iis placere illud genus fratrum, *οἳ τῶν χρημάτων οὐκ ἀντιποιοῦνται*. Putabam neminem illic divitias curare et in ea quoque re conspici admirabilem Lycurgi ac paene divinam sapientiam, quod simul cum pecunia avaritiam omnem et luxuriae instrumenta omnia et omnes peccandi illecebras ex urbe et agro Lacedaemoniorum expulisset. Magnifica in hanc rem leguntur apud Plutarchum in Lycurg. cap. 9 et 10, magnifica apud Xenophontem cap. VII, imprimis quod de moneta publica ambo narrant

apud omnes decantatum: Xenophon sic: *νόμισμα τοιοῦτον κατεστήσατο, ὃ δέκα μνῶν μόνον ἂν εἰς οἰκίαν εἰσελθὸν οὔτε δεσπότας οὔτε οἰκέτας λάθοι. καὶ γὰρ χώρας μεγάλης καὶ ἁμάξης ἀγωγῆς δέοιτ' ἄν.* Plutarchus sic cap. 9: *ἀκυρώσας πᾶν νόμισμα χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν μόνῳ χρῆσθαι τῷ σιδηρῷ προσέταξε· καὶ τούτῳ δὲ ἀπὸ πολλοῦ σταθμοῦ καὶ ὄγκου δύναμιν ὀλίγην ἔδωκεν, ὥστε δέκα μνῶν ἀμοιβὴν ἀποθήκης τε μεγάλης ἐν οἰκίᾳ δεῖσθαι καὶ ζεύγους ἄγοντος.* Composui haec ut appareret Plutarchum sua a Xenophonte sumsisse. Melius autem Xenophon *plaustrum*, *ἅμαξαν*, quam Plutarchus *bigas*, *ζεῦγος*, in ea re posuit, sed quod hic *ζεύγους ἄγοντος* scribit, suspicor apud Xenophontem *καὶ ἁμάξης ἀγούσης* esse rescribendum. Pergit Xenophon sic: *χρυσίον γε μὴν καὶ ἀργύριον ἐρευνᾶται καὶ ἄν τί που φανῇ ὁ ἔχων ζημιοῦται.* Lepidus est Nicolaus Damascenus apud Stob. Floril. 44, 40, qui quum haec negligentius e libro Xenophontis excerperet haec dedit: *νομίσματι δὲ χρῶνται σκυτίνῳ· ἐὰν δὲ παρά τινι εὑρεθῇ χρυσὸς ἢ ἄργυρος θανάτῳ ζημιοῦται*, qui nihil aliud nisi *σκυτίνῳ* et *θανάτῳ* de suo addidit. Itaque, teste Xenophonte, nemo Spartae rem facere et opes colligere studebat: *τί γὰρ ἂν ἐκεῖ χρηματισμὸς σπουδάζοιτο*, inquit, *ἔνθα ἡ κτῆσις πλείους λύπας ἢ ἡ χρῆσις εὐφροσύνας παρέχει*; VII. 6. Est hoc quidem scite et eleganter dictum et res est admirabilis, sed nihil huiusmodi umquam Xenophon *viderat*, olim ita fuisse *fando acceperat* quum antiquis moribus viveretur. Longa dies multa in peius mutaverat aut plane in contrarium verterat quae olim praeclara fuissent. Laudatur Lycurgus quod omnium fortunas aequaverat: sua cuique pars agri assignata fuisse narratur, *ἡ Λακωνικὴ ἐφαίνετο πᾶσα πολλῶν ἀδελφῶν εἶναι νεωστὶ νενεμημένων*, Plut. Lyc. 8. Narrat idem Plutarchus *ὁ χρυσοῦς* neminem Spartae fuisse inopem: namque ut quisque natus esset et probatus, ita statim *κλῆρον αὐτῷ τῶν ἐννακισχιλίων προσένεμον*, in Lycurg. 16. Contra erat: *εἰς ὀλίγους ἧκεν ἡ χώρα*, ut refert Aristoteles (Polit. II. 6), qui addit: *ἔστι δὲ καὶ τῶν γυναικῶν σχεδὸν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο*, et maiorem partem civium in re tenui fuisse, ut vix *τῶν φιδιτίων μετέχειν* potuerint et sic ius civitatis retinere. Celebratur Lycurgi *τὸ σιδηροῦν νόμισμα*, et paupertas in honore habita in omnium conti-

nentia ac frugalitate. Sed haec olim fuerant. Pericles regem Spartanorum largitione corruperat, et quam multos alios constat ante Xenophontis aetatem αἰσχρῶς δωροδοκῆσαι. Iam olim metus fuerat ne Spartam avaritia perderet. Regibus Alcamene et Theopompo, in quorum regnum incidit ἡ τῶν Ὀλυμπίων θέσις, uno post Lycurgum saeculo (vide Plutarchi *Instituta Laconica* pag. 239. F.) oraculum est editum:

ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο γὰρ οὐδέν.

et quid sibi vult vetus dictum tota Peloponneso decantatum:

τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι,

apud Pollucem IX. 74? Pereleganter igitur dictum est ἐν τῇ Σπάρτῃ τῶν χρημάτων ἡ κτῆσις πλείους λύπας ἢ ἡ χρῆσις εὐφροσύνας παρέχει, sed ad Lycurgi tempora haec referenda sunt et Lycurgo proximam aetatem, non ad Xenophontis memoriam, qui haec non vidit, sed *audivit*. Talia multa in Spartanorum congressibus ex vetustissima memoria repetita iactabantur et ad Lycurgum auctorem confidenter referebantur: quae quamquam auctorem nullum, nullum testem habebant, tamen quia nemo redarguebat certa et explorata esse existimabantur. De Lycurgo et Lycurgi legibus et institutis aliquid certi reperire etiam vivo Xenophonte arduum erat negotium. *Scriptas* leges neque ipse reliquit et a civibus scribi vetuit, Plut. Lycurg. 13: μία τῶν ῥητρῶν ἦν μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις. Itaque summa erat facultas et affingendi Lycurgo quidlibet et contra abiudicandi, si quid illo non satis dignum videretur. Infamis Lacedaemoniorum κρυπτεία et ab Aristotele diserte instituta esse a Lycurgo traditur et a caeteris eius institutis non abhorret. Plutarchus obloquitur: οὐκ ἂν ἔγωγε προσθείην, inquit in Lycurg. 28, Λυκούργῳ μιαρὸν οὕτω τῆς κρυπτείας ἔργον ἀπὸ τῆς ἄλλης αὐτοῦ πρᾳότητος καὶ δικαιοσύνης τεκμαιρόμενος τὸν τρόπον. Sed sic omnia ad cuiusque arbitrium temere revocabuntur. Quam multa putemus Lacedaemone post Lycurgi aetatem mutata et novata esse? Earum rerum tamen propemodum omnium ipse auctor perhibetur, plurimaque de eo, in his minutissima quaedam et quae solis aequalibus nota esse possunt, commemorantur, ἀπομνημονεύματα, ἀποφθέγματα, ἐπιςολαί, in quibus vel Plutarcho minime suspicaci neque perspicaci homini suboluit aliquid ut

scriberet cap. 19. περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ τῶν τοιούτων [ἐπιστολῶν delendum arbitror] οὔτε ἀπιστῆσαι ῥᾴδιον οὔτε πιστεῦσαι. Itaque in magna fingendi facultate passim multas fabellas et commenta nata esse non est quod miremur: et hoc quidem omnium minime est mirabile quod ad Lycurgum auctorem reliquorum inventa et instituta referuntur, etiam ea, quae ab illo videantur alienissima. Lycurgus, ut hoc utar, neque cum imperio fuisse umquam videtur, neque rei bellicae dedisse operam, neque artes imperatorias excoluisse. Auctor est ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος τὸν Λυκοῦργον οὐδεμιᾶς ἁψάμενον πολεμικῆς πράξεως ἐν εἰρήνῃ καταστήσασθαι τὴν πολιτείαν, apud Plut. Lyc. 23. Facile credimus: pereruditus enim testis est et rei natura confirmat. Reges Archelaus et Charillus bella gerebant, quum Lycurgus remp. novis legibus constitueret. Archelaus et Charillus τὴν Αἴγυν εἷλον καὶ ἠνδραποδίσαντο, Pausan. III. II. 5. Iisdem quum aliquantum agri bello cepissent editum est oraculum:

εἶκεν ἐπικτήτου μοίρης λάχος Ἀπόλλωνι
ἥμισυ δάσσωνται πολὺ λώϊον ἔσσεται αὐτοῖς,

teste Oenomao apud Euseb. Praepar. Euang. V. 32. Charillus bella cum Argivis et Tegeatis gessit: captus ab his fidem dedit se Tegeatis arma posthac non illaturum. Dimissus non servavit fidem. Pausan. III. VII. 3. VIII. V. 9 et VIII. XLVIII. 4—5. Interea Lycurgus domi remp. constituebat. Spartanis serioribus aliter visum. Ἱππίας ὁ σοφιστὴς τὸν Λυκοῦργον πολεμικώτατόν φησι γενέσθαι καὶ πολλῶν ἔμπειρον στρατειῶν, Plut. l. l. Visne scire unde haec Hippias, homo levis, arripuerit? Non ex annalium vetustate, sed ex Lacedaemoniorum sermonibus: vide Platonem in Hippia maiore pag. 285. D. Indidem sumsit Philostephanus (apud Plut. l. l.) turmas equitum a Lycurgo esse constitutas. Eodem modo quod Xenophon narrat cap. XII. *quomodo Lycurgus cives suos castra metari docuerit*, id eum in Agesilai castris et praetorio credo audivisse. Ab eodem aut alio quodam amico Spartano accepisse videtur quod de Lycurgi aetate retulit ὅτι λέγεται κατὰ τοὺς Ἡρακλείδας γενέσθαι, quem gravissimum errorem in Agesilao non magno opere miramur, qui quum perveterem Lycurgum esse sciret eius aetatem cum ipsis primordiis rei Spartanae con-

iunxit, ut solent ineruditi in re chronologica mirifice omnia confundere. Simillimus huic error commissus est in Xenophontis Agesilao VIII. 7. ubi eius simplicitatem victus et frugalitatem extollens *θεάσθω τις*, inquit, *τὰς θύρας αὐτοῦ. εἰκάσειε γὰρ ἄν τις ἔτι ταύτας ἐκείνας εἶναι, ἅσπερ Ἀριςόδημος ὁ Ἡρακλέους ὅτε κατῆλθε λαβὼν ἐπεςήσατο*, ubi docti homines faciles credunt *ὁ Ἡρακλέους* significare *ὁ Ἡρακλέους (ἀπόγονος)*. Sed neque haec mirifica ellipsis serio refutanda est neque omnino hoc Graece dicitur, sed *ὁ ἀφ' Ἡρακλέους*. Lectio sana est, sed ipsius scriptoris error est, qui nesciebat Aristodemum *πέμπτον ἀφ' Ἡρακλέους* fuisse. Plutarchus in vita Agesilai hoc Xenophontis testimonio usus omisit sciens verba *ὁ Ἡρακλέους* cap. 19. *Agesilaus*, inquit, *ex Asia reversus pristinam victus simplicitatem retinuit*, *καὶ τὰς θύρας ἀφῆκεν οὕτως οὔσας σφόδρα παλαιὰς ὡς δοκεῖν εἶναι ταύτας ἐκείνας ἃς ἐπέθηκεν Ἀριςόδημος*, unde Xenophonti redde *ἐπεθήκατο* pro *ἐπεςήσατο*. Plutarchus enim *Ἀριςόδημος ὁ Ἡρακλέους* concoquere non poterat: rudior antiquitas sic errabat, sed ubi erudita studia excoli coepta sunt, nemo paullo doctior et historiae antiquioris non plane ignarus in tam immanem errorem poterat implicari. Quamquam enim in Regibus utriusque stirpis enumerandis non omnia in antiquissimis *Ἀγιάδαις καὶ Εὐρυπωντίδαις* satis certam et exploratam fidem habent, tamen inter omnes constabat quibus Regibus aequalis Lycurgus fuisset. Ephorus auctor est (apud Strabonem X. p. 481.) *Λυκοῦργον ὁμολογεῖσθαι παρὰ πάντων ἕκτον ἀπὸ Προκλέους γεγονέναι*, quem Proclem quum ab Hercule sextum fuisse constet (Herod. VIII. 131. coll. VII. 204.) consequitur verissime a Dieuchida apud Plut. Lyc. 1. Lycurgum dici fuisse *ἕκτον μὲν ἀπὸ Προκλέους, ἑνδέκατον δὲ ἀφ' Ἡρακλέους*. Satis etiam constabat Lycurgum *Χαρίλλου* (quem multi male *Χαρίλαον* appellant) *πρόδικον γενέσθαι*, cui in regum serie *ἐν τοῖς Εὐρυπωντίδαις* suus certus locus assignatus est (nempe est *ἕβδομος ἀπὸ Προκλέους*). Itaque Lycurgi aetas, quamquam non exactissima fide de ea est compertum, tamen intra tam arctos fines inclusa est, ut ad illius errorem, qui eum dicat *κατὰ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον γενέσθαι* non possis non subridere. Antiquitatis illi errores sunt, quum nondum quisquam haec di-

ligentius rimari et investigare instituisset, et nondum certa doctrinae fundamenta iacta essent, sed fama ex hominum sermonibus nata certam rerum fidem obscurare soleret. Cuius rei alterum exemplum ex antiquiore Spartanorum historia afferre iuvat. Ecqua fuisse potest Spartae insignior et gravior novatio quam ἡ τῶν πέντε ἐφόρων κατάστασις? Cuius quis auctor? Quis rem saluberrimam reperit, quae aliquanto plus quam Lycurgi leges Spartanorum reip. illam firmitatem et stabilitatem attulit, quam admirantur omnes? Una est et consentiens vox eruditorum omnium, qui Theopompum regem prudens illud temperamentum regiae potestatis ultro instituisse tradunt. Quod Cicero scribit de Legg. III. vii. 15. »*Nec Ephori Lacedaemone sine causa a Theopompo oppositi regibus, nec apud nos Consulibus tribuni,*" et de Rep. II. 33. 58. »*Ne Lycurgi quidem disciplina tenuit illos in hominibus Graecis frenos: nam Spartae regnante Theopompo sunt quinque, quos illi Ephoros appellant, constituti,*" idem Graeci testes confirmant qui post nata erudita Antiquitatis studia de iis rebus aliquid scripserunt. Aristoteles Polit. V. 9. auctor est Theopompum regem (qui ἐν τοῖς Εὐρυπωντίδαις nonus a Procle est, a Charillo tertius) μετριάσαντα τοῖς τε ἄλλοις καὶ τὴν τῶν Ἐφόρων ἀρχὴν ἐπικαταστῆσαι, additque quid uxori responderit imminutam ab eo regiam potestatem exprobranti. Idem ab Aristotele ἐν τῇ τῶν Λακώνων πολιτείᾳ accurate demonstratum esse probabile est. Plato in Legg. III. p. 692. A. diserte testatur *alium* (Lycurgum) instituisse τὴν τῶν ὀκτὼ καὶ εἴκοσι γερόντων δύναμιν ἰσόψηφον εἰς τὰ μέγιστα τῇ τῶν βασιλέων, *alium* Ephoros instituisse: ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῖν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν Ἐφόρων δύναμιν. Platonis et Aristotelis testimonia eleganter coniunxit Plutarchus in Lyc. 7. quem non aliunde quam ex Aristotelis libro *de rep. Lacedaemoniorum* sumsisse arbitror id quod continuo addit: ὅτι ἔτεσί που μάλιστα τριάκοντα καὶ ἑκατὸν μετὰ Λυκοῦργον ἡ τῶν Ἐφόρων ἀρχὴ κατεστάθη ἐπὶ Θεοπόμπου βασιλεύοντος. Charillus, Theopompi avus, annis 108. ante primam Olympiadem ad regnum pervenisse perhibetur, dicunturque τὰ Ὀλύμπια τεθῆναι Θεοπόμπου τὸ δέκατον ἔτος βασιλεύοντος, itaque duobus et viginti circiter annis post, id

est circa annum 754, Ephori instituti sunt. Dixeris rem satis exploratam esse videri. Audi nunc alios testes: Diogenes Laërt. I. 68: *Χείλων πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους τοῖς βασιλεῦσι παραζευγνύναι*, quae verba frustra docti homines in aliam sententiam distorquent, ne Chilone auctore, qui Soloni aequalis fuit, Ephori instituti esse dicantur. Immanis error est, sed in Diogene nil mirandum. Addit Diogenes: *Σάτυρος δὲ Λυκοῦργον*: et Satyrum quidem contemnere et eius fidem elevare facile est: verum quid Herodoto facias, qui in libro I. 65. sic scribit: *μετὰ δὲ τὰ ἐς πόλεμον ἔχοντα ἐνωμοτίας καὶ τριηκάδας καὶ συσσίτια πρός τε τούτοισι τοὺς ἐφόρους καὶ* (*τοὺς* addendum) *γέροντας ἔστησε Λυκοῦργος*. Falli in ea re historiae parentem equidem mihi prorsus persuadeo, quemadmodum paullo ante, ubi scribit Lycurgum *ἐπιτροπεῦσαι Λεωβώτεω ἀδελφιδέου μὲν ἑωυτοῦ βασιλεύοντος δὲ Σπαρτιητέων*, certum est eum errare et Charillum, non Labotam, Lycurgo patruelem fuisse eoque tutore usum, et nullum *ἐν τοῖς Εὐρυπωντίδαις* fuisse *Λαβώταν* sive (ut Iones dicebant) *Λεωβώτην*, sed *ἐν τοῖς Ἀγιάδαις*. Herodoti aetate sic errari poterat: audiverat haec Herodotus ab ipsis Spartanis: *ὡς αὐτοὶ Λακεδαιμόνιοι λέγουσι* scribit. Nondum haec Aristoteles, nondum Ephorus exactissima cura erant perscrutati. Volitabat fama ex hominum sermonibus rumoribusque collecta

tam ficti pravique tenax quam nuncia veri.

Facile credam nescivisse ipsum Agesilaum caeterosque Xenophontis amicos Spartanos quis quo tempore Ephoros instituisset. Quid igitur? Hoc quoque ad Lycurgi sapientiam refertur. Audi Xenophontem VIII. 3. *εἰκὸς δὲ καὶ τὴν τῆς ἐφορείας δύναμιν τοὺς αὐτοὺς τούτους συγκατασκευάσαι*, in quibus verbis nonnulli sine causa haeserunt. Namque apertum est Xenophontem dicere Lycurgum, quum Ephoros institueret, in ea re principum civitatis opera *adiutum* fuisse videri: *ὁ μὲν Λυκοῦργος τὴν τῆς ἐφορείας δύναμιν κατεσκεύασεν* (idque ipsum ex hoc loco excerpsit Stobaeus Flor. 44, 37), *οἱ δὲ κράτιστοι τῶν ἐν τῇ πόλει αὐτῷ, ὡς εἰκὸς, συγκατεσκεύασαν*. Ephoros a Lycurgo institutos pro certo ponit, principum civitatis consensu institutos esse probabile esse dicit. Error est vetus et (*ὡς εἰκός*) ante Aristotelem et Ephorum omnibus communis.

Ubi saepe animadverteris quousque illa fingendi licentia in communi omnium inscitia progredi potuerit, quidquam mirari desines. Duplex fabellarum et mendaciorum fons est et scaturigo. Fama ex hominum *αὐτοσχεδιαζόντων* sermonibus olim nata, et semidoctorum plurima temere scriptitantium impudens socordia. Quid Romulus inter coenam de re futilissima cum amicis iocatus fuerit serio proditum memoriae est a summo viro et Censorio L. Calpurnio Pisone Frugi apud Gell. N. A. XI. 14. Nymphodorus (apud Sophoclis Scholiast. ad Oedip. Colon. 337.) Sesostridis edictum memoriae mandavit huiusmodi: *ὁ γὰρ Σέσωστρις — τοὺς μὲν ἄνδρας φιλοὺς εἶναι, τὰς δὲ γυναῖκας ἀνιέναι τὰς τρίχας προσέταξε· καὶ τοὺς μὲν ἐπὶ τῶν κεφαλῶν φέρειν τὰ φορτία, τὰς δὲ ἐπὶ τῶν ὤμων ἠνάγκασε· ἔπειτα δὲ τοὺς μὲν καθημένους, τὰς δὲ ὀρθὰς ἑστώσας οὐρεῖν.* vide unde haec nugator arripuerit apud Herodotum II. 35. Eandem fidem merere arbitror eorum pleraque, quae Lycurgus aut serio aut ioculo dixisse perhibetur, quo retulerim: *σὺ γὰρ πρῶτον ἐν τῇ οἰκίᾳ σου ποίησον δημοκρατίαν* (Plut. Lyc. 19), aliaque multa eiusdemmodi.

Equidem igitur sic existimo, libellum *περὶ τῆς τῶν Λακώνων πολιτείας*, quem Veteres omnes pro Xenophonteo lectitarunt, etiam postquam Demetrius Magnes eum Xenophontis esse negasset, quum circa Xenophontis aetatem scriptus esse intelligatur et neque in rebus neque in oratione quidquam sit causae gravioris quamobrem a Xenophonte scribi non potuisse existimetur, sed contra et in rebus ipsis et in dictione insint unde Xenophontem auctorem agnoscamus, ei non esse eripiendum, donec et haec refutata sint et Demetrii Magnetis iudicium dicam an opinio gravioribus argumentis indiciisque luculentioribus stabiliatur.

Deinde hunc librum ita comparatum esse statuo, ut Lycurgi instituta et leges et reip. constitutionem magis ex Agesilai et aliorum sermonibus antiquas civitatis virtutes lubenter referentium cognoverit Xenophon, quam ex sua ipsius observatione et usu: itaque *antiquam civitatis vitam* magis quam aequalium ab eo describi, nisi quod nonnumquam antiquis illis admiscet nonnihil ex iis quae ipse vidisset: et sic sibi ipse quodammodo non constare et contra dicere videtur, ut supra

ostendimus. Solebant *olim* in flore ac robore aetatis maturas virgines et laboribus induratas in matrimonium *rapere*, et pudenter furtivam Venerem etiam cum uxore exercere, et quae alia huiuscemodi ex remota antiquitate lubenter Spartani hospitibus suis narrabant. Sed haec olim fuere: vivo Xenophonte *αἱ ἐπίκληροι*, quum locupletissimae essent, saepe etiam senibus in matrimonium dabantur, et a viris diligenter servabantur, sed frustra, ob insignem plerarumque nequitiam et impudicitiam. Quid Xenophon? Veteribus nova admiscet et ea narrat in quibus difficile est risum tenere. Durae leges sunt adversus caelibes latae, et poenae graves sunt et contumeliae etiam graviores. Haec antiqua sunt. »*Non placet uxorem ducere: a re uxoria abhorret animus: quaere tibi liberos ex aliena uxore formosa et foecunda πιθὼν τὸν ἔχοντα.*" Non sunt haec antiqua nec Lycurgea: non est eiusdem illa iubere et haec concedere. Impune igitur leges nimis durae mutatis moribus ab omnibus negligebantur. Uxorem ducere noluerat Dercylidas: exprobratum ei est (Plut. Lyc. 15): solet ita fieri, Epaminondae exprobratum idem est multisque aliis, sed nihil ob eam rem damni cepit aut dedecoris Dercylidas, quem Xenophon probe novit, ut opinor. Priscarum legum duritiem ferre cives non poterant: itaque *μὴ δυνάμενοι καρτερεῖν λάθρᾳ τὸν νόμον ἀποδιδράσκοντες ἀπέλαυον τῶν σωματικῶν ἡδονῶν*, teste Aristotele Polit. II. 6. et natura hominum et usu confirmante. Iam vidimus *ὅτι τῶν γυναικῶν ἦν τῆς πάσης χώρας τῶν πέντε μερῶν τὰ δύο.* Aristoteles eodem loco Pol. II. 6. haec addit: *νῦν δὲ ἔξεστι δοῦναί τε τὴν ἐπίκληρον ὅτῳ ἂν βούληται· κἂν ἀποθάνῃ μὴ διαθέμενος ὃν ἂν καταλίπῃ κληρονόμον οὗτος ᾧ ἂν θέλῃ δίδωσι.* Si qua esset controversia Reges ipsi iudicabant, teste Herodoto VI. 57, a quo Reges dicuntur *δικάζειν πατρούχου παρθένου πέρι, ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν, ἤν μήπερ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ*, ubi me nondum poenitet pro *πατρούχου*, quod absurdum est, reposuisse *παμούχου*, id est *ἐπικλήρου*. Quibus moribus putemus fuisse istas dotatas et impotentes Lacaenas? Respondet Aristoteles: *ζῶσιν ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν καὶ τρυφερῶς*, et post pauca: *καὶ πρὸς τὸν πόλεμον βλαβερώταται αἱ τῶν Λακώνων γυναῖκες ἦσαν. ἐδήλωσαν δὲ ἐπὶ τῆς τῶν Θηβαίων ἐμβολῆς. χρήσιμοι μὲν γὰρ οὐδὲν ἦσαν, ὥσπερ ἐν ταῖς*

ἄλλαις πόλεσι, θόρυβον δὲ παρέσχον πλείω τῶν πολεμίων. Alia omnia de Lacaenarum forti et invicto animo multi iactare solent, sed illa sunt veriora. Fatetur Plutarchus lapsu temporis Lacaenas impudicas factas esse (Lyc. 16.) et Agide regnante avaritiam et luxuriam pessumdedisse avitas virtutes (Lyc. 30). Haec omnia dudum erant in peius mutata quum Xenophon ex Asia in Peloponnesum venit, et a maiorum artibus degenerasse Spartanos vidit et non potuit dissimulare: sed vide mihi quanta utatur verborum lenitate et quam urbane nonnulla attingens magis quam aperiens tamen de antiqua virtute actum esse satis demonstret in cap. XIV, quale hoc est in § 5: ἦν μὲν ὅτε ἐπεμελοῦντο ὅπως ἄξιοι εἶεν ἡγεῖσθαι· νῦν δὲ πολὺ μᾶλλον πραγματεύονται ὅπως ἄρξουσιν ἢ ὅπως ἄξιοι τούτου ἔσονται: potestne gravius opprobrium reperiri quam quod illis lenissimis verbis continetur? Interponi caput XIV. incommode et alieno loco palam est, sed in libro tam mutilato et disiecto quis id magno opere mirabitur? Sunt qui interpolatum esse putent: non ferunt enim Xenophontem a se ipsum dissentire. Cur sibi non constet dedi operam ut ostenderem. Orationis habitus et color certe non referunt interpolatorem, habetque is ipse locus duo nova indicia aetatis, circa quam haec scripta esse colligas: νῦν δ' ἐπίσταμαι, inquit, τοὺς δοκοῦντας πρώτους εἶναι ἐσπουδακότας ὡς μηδέποτε παύωνται ἁρμόζοντες ἐπὶ ξένης. Num haec post annum 371. et Leuctricam calamitatem scribi potuisse putas? Pausanias IX. 6. 4. (οἱ Θηβαῖοι νικήσαντες) ἐν Λεύκτροις ἐπιφανεστάτην νίκην ὁπόσας γενομένας Ἕλλησιν ἴσμεν καθ' Ἑλλήνων καὶ δεκαδαρχίας, ἃς Λακεδαιμόνιοι κατέστησαν ἐν ταῖς πόλεσιν, ἔπαυσαν καὶ ἁρμοστὰς τοὺς Σπαρτιάτας ἐκβάλλουσιν, et iterum VIII. 52. 4, ubi hoc Epaminondam fecisse scribit. Scripta est ἡ τῶν Λακώνων πολιτεία, ut inter legendum ubique senties, nondum fracta et afflicta re Spartana, quum nemo tota Graecia illam stragem et perniciem Lacedaemoni impendere suspicaretur. Metuebant contra Graeciae populi ne Sparta vetus illud imperium infinitum recuperaret: νῦν δὲ πολλοὶ παρακαλοῦσιν ἀλλήλους ἐπὶ τὸ διακωλύειν ἄρξαι πάλιν αὐτούς, inquit XIV. 4 et 6. Verissime Morus admonet eiusdemmodi cohortationem in Isocratis Panegyrico inesse, quam orationem anno 380, novem ante pugnam Leu-

ctricam annis, constat esse compositam. Itaque circa eadem fere tempora τὴν τῶν Λακώνων πολιτείαν a Xenophonte scriptam esse mihi quidem veri simillimum esse videtur.

Quod ad orationem libri et stilum attinet verborumque delectum et compositionem, omnia veterem et probatum scriptorem referunt. Oratio sana et Attica est et a Xenophontis venustate et nitore non abhorret. Difficilius est quam nonnullis videtur linguam Atticam sic imitari ut nullo indicio pateat artificialem eam orationem esse, non nativam. Ostendimus saepius quam morosa, quam fastidiosa sit Attica dictio: ubi in re tenuissima imprudens peccaveris, ξένος ὢν ἑάλως. Nihil huiusmodi in hoc libello deprehendo. Oratio ubi non est a scribis vitiata simplex et venusta est et sine maculis. Agnosco in quibusdam Xenophontis dicendi genus et vocabula quaedam, quibus fere solus utitur, et ξενίζοντα ἄττα, quae in omnibus Xenophonteis sparsa sunt. Laconicis utitur ex amicorum ore exceptis, veluti ἐπὶ Φρουρᾶς XIII. 1 et 11. pro ἐπὶ ϛρατιᾶς, ut in Hellenicis saepe Φρουρὰν Φαίνειν. Hinc eum *qui est in aetate militari* τὸν ἔτι ἔμΦρουρον appellat V. 7. ut Aristoteles Polit. II. 7. eum *qui militiae vacationem impetravit* ἄΦρουρον nominat in his: ἔϛι γὰρ αὐτοῖς νόμος τὸν μὲν γεννήσαντα τρεῖς υἱοὺς ἄΦρουρον εἶναι, τὸν δὲ τέτταρας ἀτελῆ πάντων, quam legem sic interpreter, ut militiae vacationem illi ex lege datam fuisse statuam, qui reip. tres milites ex se natos praebuisset, ut Sp. Ligustinus apud Livium XLII. 34. »*Quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, necdum aetas vacationem daret, tamen, quum quatuor milites pro me uno vobis dare possem, aequum erat me dimitti.*" Laconicum est ἁρμόζω pro ἁρμοϛής εἰμι XIV. 2, et ἀσυΦέλικτον τὴν βασιλείαν παρέξειν pro *firmam et stabilem* XV. 7. Imprimis huc referendus est usus *soli* Xenophonti proprius verbi σκηνοῦν pro σιτεῖσθαι, *cibum capere*, unde συσκηνοῦν Xenophonteum est pro συνδειπνεῖν, et σύσκηνος pro σύνδειπνος, et συσκήνια pro συσσίτια, et διασκηνοῦν pro ἄπο δείπνου γενόμενον ἀναπαύεσθαι, et ipsa σκηνή pro σίτησις. Haec omnia passim eo sensu leguntur in *Anabasi* et in *Cyropaedia* et in *Hellenicis:* praeter Xenophontem qui ita loquatur novi neminem. Hoc igitur indicio agnosco Xenophontem V. 2. παραλαβὼν τοὺς Σπαρτιάτας οἴκοι

σκηνοῦντας — εἰς τὸ φανερὸν ἐξήγαγε τὰ συσκήνια, sic solus Xenophon τὰ φιδίτια appellavit, quae caeteri συσσίτια. Ibid. V. 5. ἐς' ἂν διασκηνῶσιν: quis umquam eo sensu dixit διασκηνοῦν praeter Xenophontem in Hell. IV. VIII. 18. et in Cyropaed. III. I. 38? Ibid. V. 4. οὕτω γε μὴν συσκηνούντων, neminem ita locutum esse reperies nisi unum Xenophontem, qui iterum eo verbo utitur XIII. 1. συσκηνοῦσι δὲ τῷ βασιλεῖ οἱ πολέμαρχοι, ubi praeter Xenophontem caeteri omnes dixissent συνδειπνοῦσιν. Eodem modo utitur nomine σύσκηνος VII. 4 et IX. 4 et XIII. 7. Vitio natum est ὁμοσκηνοῦν, quod in Cyropaedia bis legebatur II. I. 25. ἐν τῷ ὁμοσκηνοῦν et post pauca ὁμοσκηνοῦντες, quae forma analogiae repugnat et plane barbara est. Graecam formam ὁμοῦ σκηνοῦν et ὁμοῦ σκηνοῦντας optime reposuit Dindorfius. Ὁμόσκηνος enim Graecum est et ὁμοσκηνία, sed quis nescit inde ὁμοσκηνεῖν formari posse, ὁμοσκηνοῦν non posse? Caeterum notandum est eo usu, quem Xenophon a Spartanis traxisse videtur, non σκηνεῖν, συσκηνεῖν, διασκηνεῖν, neque σκηνᾶν cet., sed σκηνοῦν dici et συσκηνοῦν et διασκηνοῦν, in qua re saepius scribae titubant. Agnosco praeterea Xenophontis usum in κνεφαῖος XIII. 3. ἄρχεται τούτου τοῦ ἔργου ἔτι κνεφαῖος pro ἑωθινός, ὄρθριος, eo enim sensu Xenophon saepius ἅμα κνέφα et ἀμφὶ κνέφας dixit. Sed plane egregium indicium est Xenophonteae dictionis in XII. 5. ubi in libris est absurda lectio: δεῖ δὲ οὔτε περίπατον οὔτε δρόμον ἐλάσσω ποιεῖσθαι ἢ ὅσον ἂν ἡ μόρα ἐφήκῃ. Neminem fugit sententiam plane contrarium postulare *longiorem*, non *breviorem*: itaque acute et feliciter viri docti pro ἐλάσσω reposuerunt μάσσω, sollerter usi Suidae indicio v. Μάσσων: μακροτέρα. Ξενοφῶν· ἂν μὴ πολὺ μάσσων ὁδὸς ᾖ, quem ipsum Xenophontis locum, quum omnes Suidae Editores frustra quaesivissent, sollerter indagavit L. Dindorfius in Cyropaed. II. IV. 27. κέλευέ σοι τοὺς ἡγεμόνας, ἐὰν μὴ πολὺ ἐλάσσων ἡ ὁδὸς ᾖ, τὴν ῥάστην ἡγεῖσθαι, ubi ipsam Xenophontis manum μάσσων in optimo Codice Parisino A. servatam et Suidae indicio stabilitam et ab ipsa sententia flagitatam Dindorfius reposuit. Xenophon μάσσων, ut multa alia, a Spartanis sumsit. Unum his exemplum addam. Quis nescit Xenophonteum usum perfecti πέπαμαι pro κέκτημαι? Olim Iones eo usi sunt, unde apud Tra-

gicos subinde occurrit et in Solonis versiculo: crebro usu terebant Dores et Spartani, a quibus mutuatus est Xenophon, qui saepe utitur. Agnosces igitur Xenophontis manum VI. 4: *ἔθηκε τοὺς μὲν πεπαμένους καταλείπειν*, nam praeter Xenophontem nemo umquam in soluta oratione sic locutus est. Agnosco et Xenophontis ingenium ubi ea describit quae viderit ipse, non ab aliis fando acceperit: praesertim ubi ad rem militarem enarrandam accessit cap. XI sqq. in quibus non potes non sentire oculatum hunc testem esse et diu ac multum versatum in Spartanorum castris et in agmine et in proelio. Pellucet rei militaris studium et peritia singularis, et in hac parte operis se diutius immorari scribit XII. 7. Pellucet denique amabilis illa et candidissima Xenophontis pietas erga Deos, quae in militari viro facile in superstitionem quamdam excedit, ut in ipso Xenophonte videmus. Sed non idem animus, non eadem mens est in talibus eorum, qui in summo otio securi vitam agunt, et eorum, qui quotidie de anima et salute dimicant. Nemo hoc melius sensit et elegantius dixit quam ipse Xenophon in Hipparchico IX. 8: *εἰ δέ τις τοῦτο θαυμάζει ὅτι πολλάκις γέγραπται τὸ σὺν θεῷ πράττειν εὖ ἴςω ὅτι ἦν πολλάκις κινδυνεύσῃ ἧττον τοῦτο θαυμάσεται*, et quae plura in eandem sententiam ibi scribit. Plane Xenophontei candoris est quod legitur XIII. 3. »*Rex Spartanorum*, inquit, *ὅταν θύηται, ἀεὶ ἄρχεται τούτου τοῦ ἔργου ἔτι κνεφαῖος προλαμβάνειν βουλόμενος τὴν τοῦ θεοῦ εὔνοιαν*, postquam rem divinam fecissent praesentius esse deorum auxilium candidae animae opinabantur.

Haec igitur omnia aut redarguito aliquis, aut, si refellere non poterit argumenta haec esse et indicia mecum existimato, quapropter *ἡ τῶν Λακώνων πολιτεία* Xenophonti auctori non sit eripienda. Nunc ex illo libro menda quaedam et scripturae vitia eluere aggrediar. In rep. Laced. I. 3. *Λυκοῦργον*, inquit, *καὶ θαυμάζω καὶ εἰς τὰ ἔσχατα [μάλα] σοφὸν ἡγοῦμαι.* Quomodo, quaeso, *μάλα* coniungi potuit cum verbis *εἰς τὰ ἔσχατα?* Aliud est enim *μάλα σοφὸν εἶναι*, aliud *σοφίας εἰς τὸ ἔσχατον ἐληλακέναι*, quae res nullam accessionem aut cumulum admittit. Itaque molestum *μάλα* resecandum esse censeo. *Σοφὸς εἰς τὰ ἔσχατα* nove dictum est: usitatius

τὰ ἔσχατα in re molesta aut odiosa ponuntur: τὰ ἔσχατα πάσχειν aut λέγειν. Sic ἀνιᾶν εἰς τὰ ἔσχατα dicitur in Hellen. V. IV. 33, et in Anabasi II. VI. 1. φιλοπόλεμος ἐσχάτως aliquam habet reprehensionis notionem: sed quia ἐλαύνειν εἰς τὸ ἔσχατον in utramque partem dici solet, Xenophon εἰς τὰ ἔσχατα σοφόν admirabundus potuit dicere.

Revoca articulum I. 4. in verbis: ἐσθῆτας μὲν καὶ (τὰς) δούλας παρέχειν ἱκανὰς ἡγήσατο εἶναι, ταῖς δ' ἐλευθέραις κτέ. non patitur enim oppositio *servarum* et *ingenuarum*, ut articulus non utrisque aut apponatur pariter aut omittatur utrobique.

Desidero particulam ἂν in verbis I. 4. νομίζων ἐξ ἀμφοτέρων ἰσχυρῶν καὶ τὰ ἔκγονα ἐρρωμενέστερα γίγνεσθαι, ubi ἐρρωμενέστερ' ἂν γίγνεσθαι reponendum censeo. Cf. IV. 2. V. 2. XI. 3. et alibi passim, ubi *futurae* rei eventus probabilis significatur. Iterum intercidit ἂν in VI. 2. οὕτω πιστεύουσιν ἀλλήλους μηδὲν αἰσχρὸν προστάττειν τοῖς παισίν, ubi primum corrige πιστεύουσιν ἀλλήλοις, quod dictum est ex Attica consuetudine, cuius exempla quaedam ad Anabasin adscripsimus. Eodem modo dixit in Memor. II. VI. 6. ὃν ἂν ὁρῶμεν τοὺς πρόσθεν ἀνδριάντας καλῶς εἰργασμένον τούτῳ πιστεύομεν καὶ τοὺς λοιποὺς εὖ ποιήσειν. Deinde emenda μηδὲν ἂν αἰσχρὸν προστάττειν, sententia enim postulat: *nihil quod turpe sit imperaturos*, non *imperare*. Aliud mendi genus in simili sententia commissum est in II. 4, νομίζων οὕτω καὶ πρὸς ψύχη καὶ πρὸς θάλπη ἄμεινον ἂν παρασκευάσασθαι, imo vero παρεσκευάσθαι. Is error tam frequens in libris est, ut spreta eorum auctoritate nihil aliud indagandum sit quam utra scriptura cuique loco unice sit accommodata. Facile videbis et medium παρεσκευασάμην ferri non posse, et passivae formae plusquamperfectum requiri. Lycurgus recte existimabat, ὅτι οὕτως ἄμεινον καὶ πρὸς ψύχη καὶ πρὸς θάλπη παρεσκευασμένοι ἂν εἶεν. Iterum ἂν excidit II. 5. ἧττον δ' ἂν ὄψου δεῖσθαι, εὐχερέστερον δὲ πρὸς πᾶν ἔχειν βρῶμα, καὶ ὑγιεινοτέρως δ' ἂν διάγειν, ubi supplendum πρὸς πᾶν (ἂν) ἔχειν.

Quod reposuimus VI. 2. οὕτω πιστεύουσιν ἀλλήλοις pro ἀλλήλους, planissime confirmabit Plutarchus in *Institutis Laconicis* p. 237. E. Xenophontem sic describens: ἐπίστευον γὰρ αὑτοῖς

ἐκ τῆς πατρίου ἀγωγῆς μηδὲν (ἂν addendum) αἰσχρὸν προςάξαι τοῖς τέκνοις.

Elegantem verborum compositionem impedit et vitiat οὕτω μᾶλλον perperam insertum I. 5. in verbis: οὕτω δὲ συνόντων ποθεινοτέρως μὲν ἀνάγκη σφῶν αὐτῶν ἔχειν, ἐρρωμενέςερα δὲ γίγνεσθαι εἴ τι βλάςοι [οὕτω μᾶλλον], ἢ εἰ διάκοροι ἀλλήλων εἶεν, vides enim haec Veterum more ita composita esse ut duae partes copulis μέν et δέ iunctae ex praemissis οὕτω δὲ συνόντων suspensae sint.

Plurali numero singularis substituendus est in I. 6. ubi scribendum ἀποπαύσας τοῦ ὁπότε βούλοιτο ἕκαςος γυναῖκα ἄγεσθαι, pro ὁπότε βούλοιντο ἕκαςοι. In libris ἕκαςος sic scribi solet ut exitus vocabuli lectoribus supplendus relinquatur (ἕκας), unde multi errores suscepti sunt. Post pauca scripserim καὶ τοῦτο συμφέρειν τῇ εὐγονίᾳ νομίζων pro συμφέρον.

Bis periisse articulum suspicor in II. 3. καὶ πηδῆσαι δὲ (νομίζων) καὶ ἀναθορεῖν καὶ δραμεῖν θᾶττον ἀνυπόδητον, εἰ ἠσκηκὼς εἴη τοὺς πόδας, ἢ ὑποδεδεμένον, imo vero θᾶττον (τὸν) ἀνυπόδητον — ἢ (τὸν) ὑποδεδεμένον. Priorem articulum incuria, posteriorem male sedulus corrector exemisse videtur. Saepissime factum est ut sic articulus periret omissa syllaba quam repetitam oportuit, ut supra in Plutarcho Ἀνύτῳ Ἀνθεμίωνος scribi videmus pro Ἀνύτῳ τῷ Ἀνθεμίωνος, sed nusquam ea res plus importavit mali quam in Epicharmi (ut videtur) octonario apud Zenobium IV. 35:

Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτῳ Περιναίῳ τρέχει,

inserto necessario articulo metrum constabit, sed quid latet in Περιναίῳ? Apparet Heracliti patriam in Sicilia aut in Graecia maiore esse quaerendam: itaque statim emicat vera lectio:

Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτῳ τῷ Τεριναίῳ τρέχει.

Sat nota est Crotoniatarum colonia ἡ Τέρινα, unde nomen habet ὁ Τεριναῖος κόλπος. Scymnus in Perieg. vs. 303: *Italia*, inquit, μεγάλη Ἑλλὰς *appellata est propter Graecorum colonias :*

Ἑλληνικὰς γοῦν παραθαλαττίους ἔχει
πόλεις. Τέριναν πρῶτον, ἣν ἀπῴκισαν
Κροτωνιᾶται πρότερον.

sed redeo ad Remp. Lacedaemoniorum.

Quis non subridet ad haec verba II. 11. ἔθηκε τῆς ἴλης ἑκάστης τὸν τορώτατον τῶν εἰρένων ἄρχειν, si modo cogitat quid tandem ὁ τορώτατος significet. Pessime habitum fuisse apparet veterem librum, unde haec olim excerpta sunt, ut τορώτατον τῶν ἀῤῥένων (namque hoc servant libri omnes) scribi potuerit pro πρεσβύτατον τῶν εἰρένων. Haec enim vera scriptura videtur quam ipsa rei natura suggerit. Conf. V. 8. ἐπέταξε τὸν ἀεὶ πρεσβύτατον ἐν τῷ γυμνασίῳ ἑκάστῳ ἐπιμελεῖσθαι, et XIII. 7. οὓς δὲ δεῖ ἐπὶ τούτοις τετάχθαι ὁ πρεσβύτατος τῶν περὶ δαμοσίαν συντάττει. Lepidi sunt Lexicorum conditores, qui quum omnibus notam significationem vocabuli τορός plurimis exemplis aperuissent, addiderunt in *hoc uno* Xenophontis loco τὸν τορώτατον significare *validissimum*.

Quod saepe in hoc libro factum est, ut multis omissis reliquiae scripturae veteris absurde conglutinarentur, ut intelligendi nulla, emendandi, i. e. supplendi, perexigua spes sit, id factum esse videbis in II. 5—6. ubi Lycurgus narratur adolescentibus, quos εἴρενας Spartani appellant, σῖτον τάξαι τοσοῦτον ὡς ὑπὸ πλησμονῆς μὲν μήποτε βαρύνεσθαι, τοῦ δὲ ἐνδεεστέρως διάγειν μὴ ἀπείρως ἔχειν. Scite et perspicue haec dicta sunt: etiam quae sequuntur integra sunt, et propterea ad intelligendum facillima, praeter ea quae leguntur in fine: νομίζων τοὺς οὕτω παιδευομένους ὑγιεινοτέρως ἂν διάγειν καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγήσατο ἢ τὴν διαπλατύνουσαν τῷ σίτῳ. Ridicule haec dicuntur: perinde fere est in tali re εἰς μῆκος αὐξάνειν τὰ σώματα et τὰ σώματα ῥαδινὰ ποιεῖν: qui sic educantur et nutriuntur eorum corpora *procera* dicuntur et *gracilia* fieri. Itaque Xenophon nunc ita fere loquitur, ut Plautus: *hos quos videtis stare, hi stant ambo non sedent*, namque dicit: ἡγήσατο τὴν ῥαδινὰ τὰ σώματα ποιοῦσαν τροφὴν συλλαμβάνειν πρὸς τὸ τὰ σώματα ῥαδινὰ ποιεῖν, nisi quod bis idem non iisdem verbis dicit. Quid multa? Omnia recte procedunt usque ad αὐξάνεσθαι: νομίζων τοὺς οὕτω παιδευομένους — καὶ εἰς μῆκος ἂν αὐξάνεσθαι, quae verissima esse videmus omnes. Deinde perierunt quaedam in hanc fere sententiam: [πρὸς γὰρ ῥώμην τε καὶ τάχος] vel [εἰς γὰρ ἰσχύν τε καὶ τάχος] τὴν ῥαδινὰ τὰ

σώματα ποιοῦσαν τροφὴν μᾶλλον συλλαμβάνειν ἡγήσατο κτέ. recte enim in corpore procero et gracili plus roboris et agilitatis inesse dicas quam in eo, quod multo cibo distentum est et obesum. Iure apud Aristophanem in Pluto vs. 560. ἡ Πενία eos qui secum viverent ita laudat:

παρ' ἐμοὶ δ' ἰσχνοὶ καὶ σφηκώδεις καὶ τοῖς ἐχθροῖς ἀνιαροί.

cui quod respondet Chremylus:

ἀπὸ τοῦ λιμοῦ γὰρ ἴσως αὐτοῖς τὸ σφηκῶδες σὺ πορίζεις,

id ipsum est quod Xenophon Lycurgum dicit voluisse.

Transpositum male est ποτέ in II. 10. ubi scripserim: ὅπως δὲ μηδ' εἴ ποτε ὁ παιδονόμος ἀπέλθοι ἔρημοι οἱ παῖδες εἶεν ἄρχοντος, in libris ποτέ post ἔρημοι collocatum est. Conf. § 11.

In cap. III. 1. ὅταν γε μὴν ἐκ παίδων [εἰς τὸ μειρακιοῦσθαι] ἐκβαίνωσι, nescio quis de suo addidit verba εἰς τὸ μειρακιοῦσθαι, quae et frigidissime abundant neque cum verbo ἐκβαίνειν satis apte copulantur: praeterea μειρακιοῦσθαι non est probae et antiquae notae vocabulum. Eiusdem monetae vocabulum est ἐμφυσιῶσαι, quod legitur III. 4. Veteres in tali re dicebant ἐμφῦσαι, quod a Stobaeo servatum sine mora est recipiendum. In eadem § Heindorfium sequor scribentem: τὸ ἄρρεν φῦλον — ἰσχυρότερόν ἐςι τῆς θηλείας φύσεως, pro τῶν τῆς θηλείας (vel τῆς τῶν θηλειῶν) φύσεως.

Male scribitur III. 5. εἰς τὸ φιλίτιον et V. 6. ἐν τοῖς φιλιτίοις, nam satis constat φιδίτιον et φιδίτια Laconica esse, unde apud Hesychium Ἀφείδιτος ἡμέρα perperam legi intelligitur pro ἀφίδιτος ἁμέρα, et sicubi φειδίτια occurrit scriptura corrigenda est. Primam corripi demonstravit Dindorfius ex Antiphane Athenaei p. 142. F.

ἐν Λακεδαίμονι
γέγονας; ἐκείνων τῶν νόμων μεθεκτέον
ἐςίν. βάδιζ' ἐπὶ δεῖπνον εἰς τὰ φιδίτια,

ubi Codex unicus φειδίτια servat; sed quod Dindorfius φιλίτιον non φιδίτιον verum esse putat fallitur. Originem vocabuli frustra quaerimus, sed multo satius est eam nescire quam male sanas etymologias et aliorum et Plutarchi in Lyc. 12. stulte amplecti, ex quibus tamen ipsis scriptura vetus satis stabilitur. Aut enim de verbo φείδομαι aut φειδώ somniant, aut quum φιλίας συναγωγά interpretantur ita appellasse aiunt Veteres ἀντὶ

τοῦ Λ τὸ Δ λαμβάνοντας, ut Plutarchus loquitur, apud quem corrige ἀνδρεῖα pro ἄνδρια, et eodem modo apud Aristotelem in utilissimo loco Polit. II. 7. καὶ τό γε ἀρχαῖον ἐκάλουν οἱ Λάκωνες οὐ φιδίτια ἀλλ' ἀνδρεῖα (editur ἄνδρια), καθάπερ οἱ Κρῆτες, ᾗ καὶ δῆλον ὅτι ἐκεῖθεν ἐλήλυθεν. In eandem rem egregium Ephori testimonium exstat apud Strabonem X. p. 482: (ὁ Ἔφορος λέγει) τὰ συσσίτια ἀνδρεῖα παρὰ μὲν τοῖς Κρησὶ καὶ νῦν ἔτι καλεῖσθαι, παρὰ δὲ τοῖς Σπαρτιάταις μὴ διαμεῖναι καλούμενα ὁμοίως (ὡς addendum) πρότερον. Auctorem ac testem Ephorus locupletem produxerat: παρ' Ἀλκμᾶνι γοῦν οὕτω κεῖσθαι·

Φοίναις δὲ καὶ ἐν θιάσοισιν

ἀνδρείων παρὰ δαιτυμόνεσσι πρέπει παιᾶνα κατάρχειν.

ubi πὰρ δαιτυμόνεσσι legerim, quemadmodum et in eiusdem fragmento apud Schol. Odyss. γ. 171.

πὰρ θ' ἱερὸν σκόπελον πάρ τε Ψύρα,

pro παρά τε, et in lepidissimo parasiti dicto apud Epicharmum:

τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ πὰρ τήνοις ἐγών,

pro παρὰ τήνοις ἐγώ, ut editur in Aristotelis Rhet. III. 9. in fine. Sed redeo ad Xenophontem.

In cap. IV. 2. res ipsa clamat φιλονικία pro φιλονεικία esse scribendum. Deinde miror quomodo viri docti ferre potuerint μεγαλείως in § 6. οἱ δὲ ζημιοῦσι μεγαλείως. *Gravis* poena appellatur ζημία μεγάλη, quamobrem ζημιοῦν μεγάλως solebant dicere. *Magnifice punire* non est magis absurdum quam μεγαλείως ζημιοῦν. Iniuria contra reprehendunt viri docti μεγαλεῖον in I 3. μεγαλεῖον ἄν τι γεννῆσαι. Solent Attici in talibus γενναῖόν τι dicere, quo Xenophonti propter sq. γεννῆσαι erat abstinendum.

In cap. V. 2. corrigendum est γνοὺς ἐν τούτῳ πλεῖστα ῥᾳδιουργεῖσθαι, id est ἐν τῷ οἴκοι σκηνοῦν; vitiose editur ἐν τούτοις.

Periit vocabulum in V. 3. σῖτον δὲ ἔταξεν αὐτοῖς ὡς μήτε ὑπερπληροῦσθαι μήτε ἐνδεεῖς γίγνεσθαι. Supplendum: ἔταξεν αὐτοῖς (τοσοῦτον) ὥστε κτέ. Conf. II. 5 et XV. 3.

In § 3. inter ἀνέμιξεν et παιδεύεσθαι complura exciderunt, ut passim alibi, in quibus explicandis aut corrigendis opera luditur. In § 8. lacunam esse viderunt omnes, quomodo ex-

plenda esset non viderunt. Editur *ἀπὸ τῶν * σίτων οἱ μὲν διαπονούμενοι — εὔρωστοί εἰσιν, οἱ δὲ ἄπονοι ἀσθενεῖς.* Unum tantum vocabulum intercidit: emenda *ἀπὸ τῶν (αὐτῶν) σίτων*, et clara lux loco affulgebit. Praeterea non *εὔχροοι* sed *εὔχροι* scribendum, ut *εὖνοι.*

Multo gravior error lectores ludificatur in § 9. *οὐκ ἂν ῥᾳδίως τις εὕροι Σπαρτιατῶν οὔτε ὑγιεινοτέρους οὔτε τοῖς σώμασι χρησιμωτέρους.* Si vis scire quo sensu quis Attice *χρήσιμος τῷ σώματι* esse dicatur, inspice Aeschinis Timarcheam § 61. Reddamus igitur Xenophonti *τοῖς σώμασιν ἰσχυροτέρους*, quo in ea re omnes utuntur. Misere corruptum est et plane sensu vacuum in § 8. *ὡς μήποτε αὐτοὶ ἐλάττους τῶν σιτίων γίγνεσθαι.* In VI. 5. *αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐμβάλλειν*, consuetudo Attica *ἐπεμβάλλειν* vel *προσεμβάλλειν* requirit, et ut *πληγάς* omittatur. Utramque suspicionem stabiliet Plutarchus *Instit. Lacon.* p. 237. D. Xenophontem describens: *αἰσχρὸν ἦν τῷ πατρὶ μὴ προσεντείνειν ἀκούσαντα πάλιν ἑτέρας.*

Haerebis VIII. 3. in verbis: *ὅσῳ γὰρ μείζω δύναμιν ἔχει ἡ ἀρχή, τοσούτῳ μᾶλλον ἡγήσαντο αὐτὴν καταπλήξειν τοὺς πολίτας τοῦ ὑπακούειν*, nam quid facies verbis *τοῦ ὑπακούειν?* Excidisse praepositionem suspicor et *εἰς τὸ ὑπακούειν* reponendum.

Manifestum mendum certa emendatione tolli potest VIII. 4. *ἔφοροι ἱκανοὶ μέν εἰσι ζημιοῦν ὃν ἂν βούλωνται, κύριοι δ' ἐκπράττειν παραχρῆμα, κύριοι δὲ καὶ ἄρχοντας μεταξὺ καταπαῦσαι.* Corruptum est *ἱκανοί*, vera scriptura est *κύριοι μέν εἰσι*, quae noto compendio KOI exarata futilem librarium in fraudem impulit. Perspicuum est Xenophontem dicere: *Ephoris* ius est *multam dicere, et eam statim exigere, et magistratus potestate exuere, in vincula coniicere et in iudicium de capite adducere.* Num tu putas *ἱκανός εἰμι* eo sensu dici posse aut a quoquam dictum esse umquam? Aut *ἔξεστί μοι* aut *κύριός εἰμι* in tali re dicendum. Vide *κύριος* sic positum II. 2 et 10, IV. 6, XIII. 10. Praeterea facile intelliges Xenophontem usum esse eadem epanaphora, qua tam saepe solet, *κύριοι μέν — κύριοι δέ — κύριοι δὲ καί*, veluti III. 1. *παύουσι μὲν ἀπὸ παιδαγωγῶν, παύουσι δὲ ἀπὸ διδασκάλων*, et V. 4. *αἳ σφάλλουσι μὲν σώματα, σφάλλουσι δὲ γνώμας*, et passim.

In eadem § 4: *οὐχ ὥσπερ αἱ ἄλλαι πόλεις ἐῶσι τοὺς αἱρεθέν-*

τας ἀεὶ ἄρχειν τὸ ἔτος —, *ἀλλ' ὥσπερ οἱ τύραννοι* —, *ἥν τινα αἰσθάνωνται παρανομοῦντά τι, παραχρῆμα κολάζουσιν.* In caeteris civitatibus Magistratus potestatem *per totum annum retinent*, neque prius, si quid deliquerint, dant poenas, quam defuncti honore potestatem deposuerint. Ephoris contra ius est magistratus, si quid adversus leges commiserint, *circumscribere*, i. e. potestate exuere, et sic *statim* in eos animadvertere. Hoc Xenophontem dicere apertum est. Ut ea sententia in Graecis insit corrigendum est *ἐῶσι τοὺς αἱρεθέντας διάρχειν τὸ ἔτος.* Opponuntur enim inter se *ἐᾶν διάρχειν* et *ἄρχοντα μεταξὺ καταπαύειν*, ut modo dixerat: *κύριοι δὲ καὶ* (*οἱ Ἔφοροι*) *ἄρχοντας μεταξὺ καταπαῦσαι.* *Διάρχειν* eo sensu et alii dixerunt et Lysias, unde *Διῆρξα*: *διὰ τέλους ἦρξα* Harpocration attulit, qui melius *δι' ἔτους ἦρξα* scripsisset. ΔΙΑΡΧΕΙΝ in ΑΙ et ΑΕΙ *ἄρχειν* facillime depravatur, ut passim *δι* — *αι* — *αει* confundi videmus.

Ferrine posse putas VIII. 4. *ἥν τιν' αἰσθάνωνται παρανομοῦντά τι, εὐθὺς παραχρῆμα κολάζουσιν?* Num *παραχρῆμα* tibi videtur *εὐθὺς* sic additum commode admittere? *Παραχρῆμα* Atticum et vetus est, *εὐθὺς* et *εὐθέως* remanserunt in usu. Itaque sicubi haec coniuncta esse video, suspicio subit animum vocabulo antiquo et obsoleto adscriptum esse serius illud, quo omnes tum utebantur, ut apud Dinarch. I. 94. *ταύτην τὴν εἰσαγγελίαν* [*εὐθὺς*] *παραχρῆμα ἀναιρούμενος*, et in Isaei Orat. I. 11. *καὶ* [*εὐθὺς*] *ἐρωτῶντος τοῦ Δεινίου παραχρῆμα*, ubi e margine in *alienam* sedem irrepsit, et ibid. III. 7. *ἔδοξε παραχρῆμα* [*εὐθὺς*] *τότε τὰ ψευδῆ μαρτυρῆσαι*, et § 48. *παραχρῆμα* [*εὐθὺς*] *τότε ἐτιμωρήσω ἂν τὸν ἀδικοῦντα.* Eadem labes Antiphontem inficit I. 20. *ὁ μὲν οὖν Φιλόνεως* [*εὐθέως*] *παραχρῆμα ἀποθνήσκει.* Duo sunt apud Demosthenem loci eodem modo interpolati: in Orat. LII. 6. *ἔδειξεν* [*εὐθέως*] *παραχρῆμα*, et in Orat. XLVIII. 40. [*εὐθὺς*] *παραχρῆμα ὑπ' αὐτῶν ἐξελεγχθήσεται.* Ne te perturbet ea testium corruptorum frequentia, cogita olim antiquatum fuisse usum vocabuli *παραχρῆμα* et interpretationem aut desiderasse aut elicuisse. Hesychius: *Παραχρῆμα*: *παραυτίκα, ἀθρόως, εὐθέως.* Vocabulum, quod nobis et ex se ipso et legendi usu tam perspicuum et notum est, illis Graeculis erat fere inauditum. Tolle obiter ridicu-

lum vitium ex Hesychio: *ἀθρόως* enim corrupta scriptura est, *εὐθέως* emendata, ut statim in vicinia: Παραψίδες ἢ παροψίδες: *τὰ μεγάλα τρυβλία·* vides enim *παραψίδες* nihili vocabulum a nescio quo correctum esse in *παροψίδες*, deinde, uti fit, utramque scripturam coniunctam esse. Sine mendo Suidas: Παραχρῆμα: *παραυτίκα, εὐθέως.* Mirarisne etiam, sicubi *παραχρῆμα* legeretur Graeculos suum *εὐθύς* vel *εὐθέως* continuo adscribere? Corruptum *ἀθρόως* apud Hesychium admonet me loci ridicule corrupti apud Diodorum Sic. XI. 77. 6. de Ephialte: *οὐ μὴν ἀθρόως γε διέφυγε τηλικούτοις ἀνομήμασιν ἐπιβαλόμενος·* non vereor enim ne quis mihi obloquatur reponenti: *οὐ μὴν ἀθῷός γε διέφυγε*, quo vocabulo pro *ἀζήμιος* et alii passim utuntur et ipse Diodorus XIV. 76. *ἀθῷος τῶν ἀσεβημάτων*, et XVIII. 59. *ἀθῷον ἀφεικότας τῆς τιμωρίας*, et XX. 21. *ὁρῶντες ἀθῴους γεγονότας*, et alibi. Nunc ad Xenophontem revertor.

In cap. IX. 2. *ἕπεται τῇ ἀρετῇ σώζεσθαι — μᾶλλον ἢ τῇ κακίᾳ*, revoca necessarium articulum (*τὸ*) *σώζεσθαι*, et in § 4. rescribe *ἀγοράζει δὲ ἐν ταὐτῷ ὁ κακὸς τἀγαθῷ* pro *ἐν τῷ αὐτῷ*.

Mirum est etiamnunc circumferri manifestum mendum in X. 1. *ἐπὶ γὰρ τῷ τέρματι τοῦ βίου τὴν κρίσιν τῆς γεροντίας προσθείς κτέ.* namque *προθείς* scribi oportere palam est, idque olim Leunclavius reponi iussit, sed nemo recte monenti obtemperat. Quis nescit *πρό* et *πρός* in verbis compositis perpetuo inter se permutari? Itaque utra sit ubique scriptura verior ex cuiusque loci sententia et usu loquendi, non ex libris constituendum est. Quid autem certius est quam *κρίσιν προτιθέναι, προὐτέθη κρίσις, κρίσεως προτεθείσης* in tali re et debere dici et solere? Vetus hoc mendum Xenophonti inolevisse apparet ex Stob. Floril. 40, 44, ubi Nicolaus (Damascenus) *περὶ ἐθῶν* ex hoc ipso Xenophontis libello nonnulla in brevius contracta excerpsit, in quibus et haec sunt: *αἰσχρὸν δ' ἐςὶ δειλῶν* (corrige *δειλῷ*) *σύσκηνον ἢ συγγυμναςὴν ἢ φίλον γενέσθαι.* (vide IX. 4.) *κρίσις δὲ ταῖς γεροντίαις ἐπὶ τῷ τέρματι τοῦ βίου προστίθεται τοῖς τε εὖ ἢ κακῶς ζήσασιν.* Vides Nicolaum Xenophontis locum minime intellexisse et nescio quas *γεροντίας* somniasse, quibus vitae rationes reddendas fuisse. Lycurgum

dicit Xenophon senibus *ἐπὶ τῷ τέρματι τοῦ βίου* (*sexagenario maioribus*, ut e Plutarcho constat) *instituisse iudicium*, quis eorum dignissimus esset ut legeretur in *Senatum* (*τὴν γερουσίαν*), nempe hoc est *τὴν κρίσιν τῆς γερουσίας ὁ Λυκοῦργος π ρ ο ῦ θ η κ ε ν*, non *προσέθηκεν*, et sic effecit id quod Xenophon praedicat: *ἐποίησε μηδὲ ἐν τῷ γήρᾳ ἀμελεῖσθαι τὴν καλοκἀγαθίαν.* Quid autem esse potest disertius quam quod statim subiicit: *ὁ δὲ περὶ τῆς γερουσίας ἀγὼν ψυχῶν ἀγαθῶν κρίσιν παρέχει?* Senes exacta aetate de amplissimi ordinis honore animi virtutibus inter se contendere dicit. Caeterum quae Xenophon impense admiratur, eadem graviter reprehendit Aristoteles in Polit. II. 6. qui quod dicit: *τὴν αἵρεσιν τῶν γερόντων κατὰ τὴν κρίσιν εἶναι παιδαριώδη*, nemo mirabitur qui quomodum illud iudicium fuerit institutum legerit apud Plut. Lycurg. cap. 26. Neque Xenophon neque Plutarchus commemorant id quod iure Aristoteles improbat, *τὸ α ὐ τ ὸ ν α ἰ τ ε ῖ σ θ α ι τὸν ἀξιωθησόμενον τῆς ἀρχῆς. Lycurgus enim*, inquit, *φιλοτίμους κατασκευάζων τοὺς πολίτας τούτοις κέχρηται πρὸς τὴν αἵρεσιν τῶν γερόντων. οὐδεὶς γὰρ ἂν ἄρχειν αἰτήσαιτο μὴ φιλότιμος ὤν.* Redeo ad Xenophontis locum, in quo recte Dindorfius in verbis: *σπουδάζεται ὁ ἀγὼν μάλιστα τ ῶ ν ἀνθρώπων* importunum *τῶν* resecandum esse vidit. Verissimum est *μάλιστ' ἀνθρώπων*, quod tritum in talibus sciunt omnes. Scriptura vetus ΜΑΛΙΣΤΑΝΩΝ peperisse videtur *μάλιστα τῶν*, deinde ex dittographia natum est *μάλιστα τῶν ἀνθρώπων.*

Contra minus recte Dindorfius *ὅπου* eiecit ex § 4. *ἐπειδὴ κατέμαθεν ὅτι [ὅπου] οἱ βουλόμενοι ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀρετῆς οὐχ ἱκανοί εἰσι τὰς πατρίδας αὔξειν.* Sic certe positum *ὅπου* intelligi non potest, sed tu scribe *ἔστιν ὅπου*, id est *ἐν ἐνίαις πόλεσιν.* Facile intercidit *ἔστιν* noto compendiolo scriptum.

In cap. X. 4. *ἰδιῶται ἰδιωτῶν διαφέρουσιν ἀρετῇ οἱ ἀσκοῦντες τῶν ἀμελούντων*, ita demum bene Graece dictum erit ubi utrumque articulum sustuleris. Quum dicendum est *ἰδιῶται ἀσκοῦντες ἀρετὴν ἰδιωτῶν ἀρετῆς ἀμελούντων διαφέρουσιν*, qui Veterum eleganti verborum compositione utuntur ea verba sic disponere solent: *ἰδιῶται ἰδιωτῶν διαφέρουσιν ἀρετῇ ἀσκοῦντες ἀμελούντων*, ut apud Herod. IV. 157.

Aἰ τὺ ἐμεῦ Λιβύαν μαλοτρόφον οἶδας ἄμεινον
μὴ ἐλθὼν ἐλθόντος, ἄγαν ἄγαμαι σοφίαν σευ,

(nam sic, non *Λιβύην μηλοτρόφον* et *σοφίην* in oraculo Dorice edito scribendum) et sic saepe solent qui exquisitius scribunt, Plato ante omnes. Quemadmodum igitur in illa forma additi articuli orationem soloecam efficiunt, sic in hac quoque. Ex his optime emendari poterit locus Platonis in Euthydemo pag. 295. E. ubi editur: *σὺ γὰρ πάντως που κάλλιον ἐπίςασαι διαλέγεσθαι [ἢ ἐγὼ] τέχνην ἔχων ἰδιώτου ἀνθρώπου.* Emendandum est *σὺ γὰρ πάντως ἐμοῦ κάλλιον δύνασαι διαλέγεσθαι τέχνην ἔχων ἰδιώτου ἀνθρώπου.* Quid eo facias qui *ἢ ἐγώ* de suo inseruit? Sic igitur haec componuntur pro *σὺ τέχνην ἔχων κάλλιον ἐμοῦ ἰδιώτου ἀνθρώπου.*

Lacuna manifesta est in XI. 3. post verba *πολεμικωτάτην δ' εἶναι,* nam quae sequuntur de *clypeo* dici, demonstrat verbum *λαμπρύνεται,* quod de *armis* dicitur, de *lorica* potissimum et de *clypeo*, vid. Hell. VII. v. 20.

Multa etiam alia sunt in cap. XI. corrupta et impedita, quibus expediendis *τακτικός τις καὶ ςρατηγικὸς ἀνήρ* requiritur, sed mendum ex § 8. etiam *ἀπεριςάλπιγκτός τις* tollere potest. Editur sine sensu: *ὅταν μὲν γὰρ ἐπὶ κέρως πορεύωνται κατ' οὐρὰν δήπου ἐνωμοτία * ἕπεται.* Bis scriptum vocabulum semel omissum est: supple *ἐνωμοτία (ἐνωμοτίᾳ) ἕπεται,* et omnis erit sublata difficultas. Supra in § 6. malim: *τοῖς μὲν γὰρ ἡγεῖσθαι δέδοται, τοῖς δὲ ἕπεσθαι προστέτακται* pro *τέτακται.* Scriptum erat *3τέτακται,* et isti incognitam sibi praepositionis *πρός* siglam omiserunt. Deinde scribe more Attico *αἱ δὲ παραγωγαὶ ὥσπερ ὑπὸ κήρυκος τοῦ ἐνωμοτάρχου λόγῳ δηλοῦνται,* de quo genere loquendi saepe a Graeculis obscurato multa in priore parte annotavimus. Scribae etiam hic secundam praepositionem perperam inseruerunt: *ὥσπερ ὑπὸ κήρυκος [ὑπὸ] τοῦ ἐνωμοτάρχου.* In § 8. obiter pro *ἐκ τοῦ ὄπισθεν* repone Atticum *ἐκ τοὔπισθεν.*

In cap XIII. 2 *λαβὼν ὁ πυρφόρος πῦρ ἀπὸ τοῦ βωμοῦ προηγεῖται ἐπὶ τὰ ὅρια τῆς χώρας. ὁ δὲ βασιλεὺς ἐκεῖ αὖ θύεται Διὶ καὶ Ἀθηνᾷ. ὅταν δὲ ἀμφοῖν τούτοιν τοῖν θεοῖν καλλιερηθῇ τότε διαβαίνει [τὰ ὅρια τῆς χώρας]*, expunge male e vicinis a sciolo repetita, quae inepte abundant et aures offendunt. Ex his

redde articulum Nicolao Damasceno apud Stob. Flor. 44, 40: πῦρ ἀπὸ τοῦ βωμοῦ — ἐγκυσάμενος (ὁ) πυρφόρος λεγόμενος σύνεστι τῷ βασιλεῖ ἄσβεστον αὐτὸ τηρῶν.

Foeda corruptela conspicitur in § 4. πάρεισι δὲ περὶ τὴν θυσίαν πολέμαρχοι, λοχαγοί, πεντηκοστῆρες, ξένων στρατίαρχοι, στρατοῦ σκευοφορικοῦ ἄρχοντες καὶ τῶν ἀπὸ τῶν πόλεων δὲ στρατηγῶν ὁ βουλόμενος, quid enim multis verbis opus est ad demonstrandum ξένων στρατίαρχοι nil nisi scribarum flagitium esse: et res et nomen στρατίαρχος fraudem satis arguunt. Mihi nihil aliud in his latere videtur quam ΕΝΩΜΟΤΑΡΧΑΙ, quod quum in libro vetusto non satis perspicue appareret ξένων στρατίαρχοι nati sunt. Deinde στρατὸς σκευοφορικὸς quomodo dici possit non exputo, τὸ σκευοφορικὸν rectissime dici intelligo, quamobrem sic locum constituerim: πάρεισι δὲ — πεντηκοστῆρες, ἐνωμοτάρχαι, οἱ τοῦ σκευοφορικοῦ ἄρχοντες κτἑ.

Quam sint haec mutila et lacera intelligi potest ex XIII. 5. ὁ βασιλεὺς προσκαλέσας πάντας παραγγέλλει τὰ ποιητέα. ὥστε ὁρῶν ταῦτα ἡγήσαιο ἂν — Λακεδαιμονίους μόνους εἶναι τῷ ὄντι τεχνίτας τῶν πολεμικῶν. Quid est, quaeso, quod tantam Xenophonti moverit admirationem? Quo refertur ὁρῶν ταῦτα? Nempe ad ea, quae olim interciderunt, nisi forte putas Xenophontem in admirationem raptum ὅτι ὁ βασιλεὺς προσκαλέσας πάντας παραγγέλλει τὰ ποιητέα. Quod ex libris intercidit satis commode suppleri potest ex Thucydidis noto loco V. 66. unde obiter vitium exime: καὶ αἱ παραγγέλσεις, inquit, ἤν τι βούλωνται κατὰ τὰ αὐτὰ χωροῦσι καὶ ταχεῖαι ἐπέρχονται. Intelligisne quid sit in tali re ἐπιέναι? Non opinor. Corrigendum est ταχεῖαι περιέρχονται. Post pauca in § 8. simile verborum et sententiae exitium apparet: »*ubi in hostium conspectum ventum est*, inquit, χίμαιρα σφαγιάζεται αὐλεῖν τε πάντας τοὺς παρόντας αὐλητὰς νόμος καὶ μηδένα Λακεδαιμονίων ἀστεφάνωτον εἶναι· καὶ ὅπλα δὲ λαμπρύνεσθαι προαγορεύεται. Haec omnia recte et ordine procedunt, sed vide quid sequatur: ἔξεστι δὲ τῷ νέῳ καὶ κεκριμένῳ εἰς μάχην συνιέναι καὶ φαιδρὸν εἶναι καὶ εὐδόκιμον. Quid sibi vult ὁ νέος καὶ κεκριμένος εἰς μάχην συνιέναι? Omnibus enim pugnandum est. Quid ἔξεστι φαιδρὸν εἶναι? Num eos alias σκυθρωπάζειν coactos putas? Quid

εὐδόκιμον εἶναι ἔξεστιν? Merae ineptiae hae sunt. Id quod a Xenophonte scriptum est restitui non potest: quae fuerit omissorum verborum et depravatorum sententia ex aliis scriptoribus non est difficile ad intelligendum est potissimum ex his Plutarchi Lyc. 22. *(οἱ νέοι) μάλιστα παρὰ τοὺς κινδύνους ἐθεράπευον τὴν κόμην λιπαράν τε φαίνεσθαι καὶ διακεκριμένην.* Cf. Herod. VII. 208 et 209. Unde suspicari possis olim sic fuisse scriptum: *ἔξεστι δὲ τῷ νέῳ (λιπαρῷ) καὶ (τὰς κόμας δια)κεκριμένῳ εἰς μάχην ἰέναι*, sed hariolari hoc est et nihil sic efficitur, nisi ut ab interpretatione vulgatae scripturae cautus abstineas, unde nihil sani extundi potest, et metus est, si e talibus pertinacius aliquid elicere studeas, ne veri et certi sensum, qui in te est, obtundas et depraves. Quod Schneiderus reposuit *κεκτενισμένῳ* (ex Herodoti verbis VII. 208. *τοὺς δὲ ὥρα τὰς κόμας κτενιζομένους*) et barbarum est pro *ἐκτενισμένῳ*, et non significat id quod loci sententia requirit.

In cap. XIV. 3. nescio quomodo claudicat sententia in verbis *ἐπὶ τῷ κεκτῆσθαι.* Recto mihi talo stare videretur si *ἐπὶ τῷ (πλεῖστον) κεκτῆσθαι*, vel *(πάμπολυ) κεκτῆσθαι*, vel huiusmodi quid additum esset, et in § 4. quamquam ferri potest *ὅπως μὴ ῥᾳδιουργίας ἀπὸ τῶν ξένων ἐμπίμπλαιντο*, quanto melius et *Ἀττικώτερον* scriberetur *ἀναπίμπλαιντο* Ruhnkenius ad Tim. v. *Ἀνάπλεως* ostendet. Quanto etiam melius et antiquo scriptore dignius decurret sententia si *μέν* omissum revocabis et male repetitum *ἐπίσταμαι* expunges, ut sic legatur: *ἐπίσταμαι δὲ καὶ πρόσθεν μὲν ξενηλασίας γιγνομένας — νῦν δὲ τοὺς δοκοῦντας πρώτους εἶναι κτέ.*

In XV. § 5. *ὡς μήποτε ἀπορήσαι βασιλεὺς ἱερῶν ἤν τι δεηθῇ θεοῖς συμβουλεύσασθαι*, emendandum est *ἱερείων*, id est *θυμάτων*, namque hoc, non *θυσίας*, loci sententia flagitat. Quid notius est quam *ἱερεῖα* dici *τὰ θύματα, ἤτοι βοῦς ἢ πρόβατα ἢ ὗς ἢ ὅ τι ἂν τοῖς θεοῖς θύηται.* Notum est etiam *ἱερά* et *ἱερεῖα* inter se saepe permutari: vide Anab. VI. v. 1 et VII. viii. 3, ubi *ἰδὼν δὲ τὰ ἱερεῖα Εὐκλείδης εἶπεν* ex melioribus libris male receptum est; verum est quod habent deteriores *ἰδὼν δὲ τὰ ἱερά*, *exta* enim, quae haruspex inspicit, *τὰ ἱερά* appellantur, *victimae*, quae immolantur ad aras, *τὰ ἱερεῖα.*

Quod in Xenophontis Rep. Lacedaemoniorum XV. 7. legitur *καὶ ὅρκους δὲ ἀλλήλοις κατὰ μῆνα ποιοῦνται, ἔφοροι μὲν ὑπὲρ τῆς πόλεως, βασιλεὺς δ' ὑπὲρ ἑαυτοῦ*, ex ipsa rei natura incredibile mihi videtur *quot mensibus*, *κατὰ μῆνα*, ita esse fieri solitum, et confirmat me Nicolaus Damascenus apud Stob. Floril. 44, 40, qui ex hoc capite duos locos excerpsit: *ὑπανίςανται δὲ τῷ βασιλεῖ πάντες πλὴν τῶν ἐφόρων*, et *ὀμνύει δὲ πρὸ τῆς ἀρχῆς ὁ βασιλεὺς κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους βασιλεύσειν.* Quanto hoc propius fidem sit *in leges iurare* Regem tum quum primum regnum sit capessiturus (*πρὸ τῆς ἀρχῆς*) unusquisque sentit. Eadem Nicolai verba mendum inesse arguunt in iis, quae apud Xenophontem continuo sequuntur: *ὁ δὲ ὅρκος ἐςὶ τῷ μὲν βασιλεῖ κατὰ τοὺς τῆς πόλεως κειμένους νόμους βασιλεύσειν.* Graeci enim dicebant aut *κατὰ τοὺς τῆς πόλεως νόμους* aut *κατὰ τοὺς κειμένους νόμους*, coniungere autem utrumque non tantum inusitatum sed soloecum etiam est: sic enim dativus requireretur *κατὰ τοὺς τῇ πόλει κειμένους νόμους.* Itaque aut *τῆς πόλεως* inducendum est aut *κειμένους.*

Graviter officit sententiae vocabulum *οἶκοι* a .sciolo praepostere insertum in § 8: *αὗται μὲν οὖν αἱ τιμαὶ [οἶκοι] ζῶντι βασιλεῖ δέδονται*, enumeraverat enim Xenophon diligenter honores, qui Regi *domi militiaeque* haberentur cap. XIII et XV, quae in genuina libri forma continuata fuerunt, et manifesto opponuntur his sequentia: *αἱ δὲ τελευτήσαντι τιμαὶ βασιλεῖ δέδονται.* Caeterum patet novissima verba, quae casu hexametrum efficiunt:

τοὺς Λακεδαιμονίων βασιλεῖς προτετιμήκασιν,

olim non fuisse libelli clausulam, sed diligenter a Xenophonte descriptos esse honores Regi Spartanorum vita functo solitos haberi, nisi forte putas honores etiam tenuiores, quibus vivi reges afficerentur, accurate exposuisse Xenophontem, summos ac paene divinos, quibus mactarentur post mortem, silentio praeteriisse; illis denique in calce libri probabile est nonnulla fuisse adiecta de corrupta vetere disciplina neglectisque Lycurgi legibus et moribus depravatis, quorum nunc exiles quaedam reliquiae in cap. XIV. supersint.

Utar denique loco ex hoc libello ad restituendum fragmentum Menandri apud Stobaeum Flor. 30, 7:

ἀργὸς δ' ὑγιαίνων τοῦ πυρέττοντος πολὺ
ἀθλιώτερος, διπλάσια γοῦν ἐσθίει μάτην.

quomodo octonarius restituendus sit haec verba Xenophontis monstrabunt XIV. 4. *καὶ διμοιρίᾳ γε ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐτίμησεν, οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν κτὲ.* unde Menandro reddemus:

ἀθλιώτερος, διπλάσια γοῦν κατεσθίει μάτην.

Transeo ad reliquias libelli *περὶ τῆς Ἀθηναίων πολιτείας*, quae multo sunt exiliores et longe etiam vitiosiores quam quae *de rep. Lacedaemoniorum* excerpta supersunt. Pauca quaedam in iis integra sunt: pleraque tam misere corrupta ut nullus exitus reperiatur neque ulla sententiae indagandae et in integrum restituendae spes superesse videatur. Saepe inter legendum senties complura intercidisse et quod esset verborum et syllabarum in libro lacero et mutilato reliquum temere in unum conflatum et conglutinatum esse. Exemplum unum de multis hoc esto II. 17: *ἢν δὲ μὴ ἐμμένωσι ταῖς συνθήκαις ἢ ὑφ' ὅτου ἀδικεῖ ὀνόματα ἀπὸ τῶν ὀλίγων οἳ συνέθεντο.* In talibus qui sapit hoc solum intelligit ista neque intelligi a quoquam neque emendari ullo modo posse. Eadem est conditio et *τῶν Θεοφράστου χαρακτήρων* passim et Lysiae orationis VIII. et complurium fragmentorum e Tragicis et Comicis apud Grammaticos servatorum, quibus nec caput nec pes constat et in quibus omnis emendandi opera luditur. Deposita haec sunt et conclamata. Abstinendum est. Saepe autem mihi in excutiendis explorandisque laceris istis antiqui operis laciniis subnata suspicio est ex aliquo Dialogo haec esse depromta, in quo de Atheniensium rep. duo inter se sic collocuti essent ut alter eam graviter reprehenderet, cui alter ita responderit ut ea omnia iure reprehendi fateretur sed aliter quam sic democratiam constare non posse demonstraret, veluti I. 1: *ὅτι μὲν εἵλοντο τοῦτον τὸν τρόπον τῆς πολιτείας οὐκ ἐπαινῶ. — ἐπεὶ δὲ ταῦτα οὕτως ἔδοξεν αὐτοῖς ὡς εὖ διασώζονται τὴν πολιτείαν καὶ τἄλλα διαπράττονται ἃ δοκοῦσιν ἁμαρτάνειν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησι τοῦτ' ἀποδείξω,* (ubi inserta Attico more copula legerim *διασώζονταί (τε) τὴν*

πολιτείαν, ut appareat εὖ communiter ad διασώζονται et διαπράττονται esse referendum) et iterum III. 1: τῆς Ἀθηναίων πολιτείας τὸν μὲν τρόπον οὐκ ἐπαινῶ, ἐπειδήπερ δ' ἔδοξεν αὐτοῖς δημοκρατεῖσθαι εὖ μοι δοκοῦσι διασώζεσθαι τὴν δημοκρατίαν, et I. 8: εἴη μὲν οὖν ἂν ἡ πόλις οὐκ ἀπὸ τοιούτων διαιτημάτων ἡ βελτίστη, ἀλλ' ἡ δημοκρατία μάλιστ' ἂν σώζοιτο οὕτως. Sic igitur Xenophon cum Spartanis disserens patriae et civium amorem cum Democratiae odio conciliabat, et illo modo poterat Democratiae vitia et flagitia quamvis duriter ita reprehendere ut nihil de eius benevolentia et caritate erga cives detraheretur. Colloquii obscura quaedam vestigia cernere mihi videor in his: I. 8: ὃ γὰρ σὺ νομίζεις οὐκ εὐνομεῖσθαι ἀπὸ τούτου ἰσχύει ὁ δῆμος· εἰ δ' εὐνομίαν ζητεῖς πρῶτα μὲν ὄψει κτἑ. et § 10: Ἀθήνησιν οὐχ ὑπεκστήσεταί σοι ὁ δοῦλος. et § 11: ἐν δὲ τῇ Λακεδαίμονι ὁ ἐμὸς δοῦλος σὲ δέδοικεν. ἂν δὲ δεδίῃ ὁ σὸς δοῦλος ἐμὲ κτἑ. et II. 11: καὶ δὴ νῆές μοι εἰσίν. et § 12: καὶ ἐγὼ μὲν οὐδὲν πονῶν ἐκ τῆς γῆς πάντα ταῦτα ἔχω διὰ τὴν θάλατταν, et § 19 et 20, et III. 5. et aliis locis. Dixerit aliquis: »at ita omnes saepe solent secunda persona uti et cum lectore veluti colloqui. Facimus hoc omnes, et tu ipse saepius ita facis." Scio equidem saepe ita fieri, sed in certis quibusdam verbis et locutionibus, ut in φαίης κεν Homerico et εἴποις ἂν Atticorum, et similibus. Sed quis Veterum σύ in tali re posuit umquam, aut σός, ut in verbis ὁ σὸς δοῦλος ἐμὲ δέδοικεν? Nihil his simile me legere memini, nisi in epigrammate quodam, quod in Lucianeis circumfertur:

ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Apud Veteres σύ non additur et perinde est dicere:

ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τ έ κ ο ι ς σοφόν.

et οὐδὲν ἂν τέκοι τις. Praeterea quid facies loco III. 10: δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό μ ο ι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι ὅτι τοὺς χείρους αἱροῦνται ἐν ταῖς πόλεσι ταῖς στασιαζούσαις. Οἱ δὲ τοῦτο γ ν ώ μ ῃ ποιοῦσιν, non est enim eiusdem hominis eadem simul reprehendere et recte et ordine fieri contendere. Video Editores de Weiskii coniectura substituisse: δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό τ ο ι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι, sed quis admonitus non concedet voculae τοι nullum esse in ea re locum et non minus

inepte illic esse insertam ac si quis Xenophonti Latinum aliquod vocabulum obtrudere voluisset? In integro Xenophontis libro Atheniensium nescio quem reprehensorem dixisse suspicor: *δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτό μοι οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι*, cui defensor aliquis Atheniensium responderit: *οἱ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν*, deinde haec omnia ab aliquo sic in brevius contracta esse, ut videmus. Sed haec indicasse satis esto: nunc videbo ecquid prodesse possim locis quibusdam corruptis illis quidem sed non plane pessumdatis, ubi quum pleraque pars verborum sana et integra sit sanari possit illa particula quae labem et vitium concepit.

In cap. I. § 2: *πρῶτον μὲν οὖν*, inquit, *τοῦτ' ἐρῶ ὅτι δικαίως αὐτόθι [καὶ οἱ πένητες καὶ] ὁ δῆμος πλέον ἔχει τῶν γενναίων καὶ τῶν πλουσίων*. Ridicule coniunguntur in scriptore Attico *καὶ οἱ πένητες καὶ ὁ δῆμος*, quemadmodum, ut hoc utar, *ἡ πολιτεία καὶ ἡ δημοκρατία*, namque *ἡ δημοκρατία* ab Atticis appellatur *ἡ πολιτεία*, et *οἱ πένητες* ab iis dicuntur *ὁ δῆμος*. Utar uno testimonio, quoniam admodum luculentum est. In Memorab. IV. ii. 37: Socrates ex Euthydemo quaerit: *δοκεῖ σοι δυνατὸν εἶναι δημοκρατίαν εἰδέναι μὴ εἰδότα δῆμον*; Μὰ Δί', *οὐκ ἔμοιγε*, respondet. Tum Socrates: *καὶ τί νομίζεις δῆμον εἶναι*; Cui ille: *τοὺς πένητας τῶν πολιτῶν ἔγωγε*. Itaque qui meminerit passim *τὸν δῆμον* et *τοὺς πλουσίους* inter se opponi, non dubitabit sequiorum emblema resecare. Hinc simul optime intelligitur quid sit *τοῦ δήμου εἶναι* et quam inepta sit scriptura quae olim legebatur II. 19: *ὄντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου τὴν φύσιν, οὐ δημοτικοί εἰσιν*. Quasi vero quisquam *πένης τῇ φύσει*, non *τῇ τύχῃ*, posset esse. Quod nunc editur: *ἔνιοι γνόντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου τὴν φύσιν οὐ δημοτικοί εἰσιν*, non uno nomine vitiosum est. Male enim *γνόντες* pro *εἰδότες* est positum, et *ὡς ἀληθῶς* (id est *ὄντως*) pro *εὖ*. Praeterea *τοῖς μισοδήμοις*, qualis Xenophon erat, non putabantur *ἔνιοι τῶν εὖ εἰδότων τοῦ δήμου τὴν φύσιν οὐκ εἶναι δημοτικοί*, sed *ἁπαξάπαντες*. Iudice Xenophonte, *omnes*, qui naturam *τοῦ δήμου* probe perspectam haberent, a democratia alienos esse necesse erat. Verum esse videtur: *ἔνιοι γὰρ ὄντες ὡς ἀληθῶς τοῦ δήμου* (id est *οὔτε γενναῖοι οὔτε πλούσιοι*), *τὴν φύσιν οὐ δημοτικοί εἰσιν* (id est *ἀριστοκρατεῖσθαι βούλονται μᾶλλον ἢ*

δημοκρατεῖσθαι). Paucissimi hi quidem erant Athenis, sed erant: in his ipse Socrates. Eodem sensu dixit Xenophon in § 20: ὅστις μὴ ὢν τοῦ δήμου εἵλετο ἐν δημοκρατουμένῃ πόλει οἰκεῖν ἀδικεῖν παρεσκευάσατο, quod qui scripsit erat hercle et ipse τὴν φύσιν οὐ δημοτικός.

Pluribus verbis in eadem re usus est Xenophon I. 4: οἱ μὲν γὰρ πένητες καὶ οἱ δημόται καὶ οἱ χείρους εὖ πράττοντες — τὴν δημοκρατίαν αὔξουσιν, quibus sic opponuntur οἱ πλούσιοι καὶ οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοί I. 2. (nam quis nunc non intelligit οἱ πλούσιοι scribendum esse pro οἱ ὁπλῖται?) ut singuli singulis respondeant, οἱ πλούσιοι τοῖς πένησιν, οἱ γενναῖοι τοῖς δημόταις, οἱ χρηστοὶ τοῖς χείροσιν. Hinc simul perspicue intelligitur quo sensu οἱ δημόται dicantur, quem vocabuli usum ab Atticorum consuetudine plane alienum Xenophon ex Ionia aut Peloponneso sumsisse videtur.

Addita praepostere particula disiunctiva misere depravavit locum in I. 3: ὁπόσαι μὲν σωτηρίαν φέρουσι τῶν ἀρχῶν, χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταὶ, [ἢ] κίνδυνον τῷ δήμῳ ἅπαντι: expunge ἢ et verba sic constitue: ὁπόσαι μὲν σωτηρίαν φέρουσι τῶν ἀρχῶν χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταὶ κίνδυνον. Res est perspicua. Nempe eaedem ἀρχαί dicuntur χρησταὶ μὲν οὖσαι τῷ δήμῳ ἅπαντι σωτηρίαν φέρειν, μὴ χρησταὶ δὲ κίνδυνον. In iis quae continuo sequuntur plana et expedita erunt omnia si cum Heindorfio legemus: οὐδὲν δεῖται ὁ δῆμος μετέχειν pro μετεῖναι, et τῶν στρατηγιῶν pro inepta lectione τῶν στρατηγικῶν κλήρων, ut statim recte scribitur: οὔτε τῶν ἱππαρχιῶν. Quam stulte enim ἡ στρατηγία, quum sit χειροτονητὸς ἀρχὴ, dicatur κλῆρος quis non videt? Non minus stolidum est quod additur: ὁπόσαι δ' εἰσὶν ἀρχαὶ μισθοφορίας ἕνεκα καὶ ὠφελείας εἰς τὸν οἶκον. Nullae umquam Athenis ἀρχαὶ fuerunt μισθοφορίας ἕνεκα, ut opinor. Praeterea μισθοφορία non est Xenophonteae aetatis vocabulum: veteres constanter μισθοφορά dixerunt. Suspicor inter ὁπόσαι δ' εἰσὶν ἀρχαί et μισθοφορᾶς ἕνεκα nonnulla intercidisse et quod supererat sine sensu in unum esse conflatum.

Risum movet vitiosa lectio I. 6: εἴποι δ' ἄν τις ὡς ἐχρῆν αὐτοὺς μὴ ἐᾶν λέγειν πάντας ἑξῆς. Quomodo igitur? An πάντας ἅμα, ὥσπερ τοὺς ἐν τοῖς χοροῖς ᾄδοντας? Emenda πάν-

τας ἐξ ἴσου. Haec enim est ἰσηγορία liberae civitatis ὅταν πᾶσιν ἐξ ἴσου λέγειν ἐξῇ.

In eadem § etiam plura insunt vitia: in verbis εἰ μὲν γὰρ χρηστοὶ ἔλεγον καὶ ἐβουλεύοντο τοῖς ὁμοίοις σφίσιν αὐτοῖς ἦν ἀγαθά. primum probo Mori coniecturam ἐβούλευον pro ἐβουλεύοντο reponentis, quae confirmatur et iis quae praecedunt: μὴ ἐᾶν λέγειν μηδὲ βουλεύειν, et iis quae sequuntur: οὐκ ἐάσουσι μαινομένους ἀνθρώπους βουλεύειν οὐδὲ λέγειν. Praeterea Xenophon non aegre ferebat istiusmodi homines βουλεύεσθαι, sed συμβουλεύειν. Duae litterulae ΤΟ male adhaeserunt, ut sexcenties alibi, ex sq. articulo ΤΟΙΣ. Praeterea vitiosum esse ἦν ἀγαθά ostendit σφίσιν αὐτοῖς *sibi ipsis*, quod indicio est ἐπόριζον ἄν vel παρεσκεύαζον ἄν vel ἐξεύρισκον ἄν (ut in vicino loco simillimo) vel huiusmodi quid olim scriptum fuisse. Tum expunge λέγων in verbis: νῦν δὲ [λέγων] ὁ βουλόμενος ἀναστὰς ἄνθρωπος πονηρὸς ἐξευρίσκει τἀγαθὸν αὑτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίοις αὑτῷ, quod sciolus de suo addidit multo melius participio ἀναστάς significatum erat.

Confusae sunt praepositiones quae assolent, I. 9: ἀπὸ τούτων τοίνυν τῶν ἀγαθῶν τάχιστ' ἂν ὁ δῆμος εἰς δουλείαν καταπέσοι. Apparet Xenophontem hoc dicere: ταῦτα τοίνυν τἀγαθὰ τάχιστ' ἂν τὸν δῆμον εἰς δουλείαν καταστήσειε, vel καταβάλοι, itaque passiva forma sic dicendum est: ὑπὸ τούτων τοίνυν τῶν ἀγαθῶν τάχιστ' ἂν — εἰς δουλείαν καταπέσοι.

In § 10. verbis transpositis et inserto de Mori coniectura pronomine τις sic scribendum esse censeo: πολλάκις ἄν τις οἰηθεὶς δοῦλον εἶναι τὸν Ἀθηναῖον ἐπάταξεν ἄν. In libris est: πολλάκις ἂν οἰηθεὶς εἶναι τὸν Ἀθηναῖον δοῦλον.

In § 13. lectionem multis erroribus impeditam sic constituerim: τοὺς δὲ γυμναζομένους καὶ τοὺς μουσικὴν ἐπιτηδεύοντας καταλέλυκεν ὁ δῆμος, οὐ νομίζων τοῦτο οὐ καλὸν εἶναι, γνοὺς δὲ ὅτι οὐ δυνατός ἐστιν αὐτὸς ταῦτα ἐπιτηδεύειν. Editur: καὶ τὴν μουσικήν, sed quia diversi sunt οἱ γυμναζόμενοι et οἱ μουσικὴν ἐπιτηδεύοντες certum est articulum τούς repeti oportere. Μουσική noto usu sine articulo ponitur: οὐ et δέ iam alii addiderunt: in fine vulgata lectio est sensu vacua: γνοὺς ὅτι οὐ δυνατὰ ταῦτά ἐστιν ἐπιτηδεύειν.

Manifesto mendosum est οἱ ἰσχυροί in § 14: γιγνώσκοντες

ὅτι — εἰ ἰσχύσουσιν οἱ πλούσιοι καὶ οἱ ἰσχυροὶ ἐν ταῖς πόλεσιν ὀλίγιστον χρόνον ἡ ἀρχὴ ἔσται τοῦ δήμου τοῦ Ἀθήνησιν. Nempe *οἱ ἰσχυροί qui corpore sunt valido et robusto* plus in palaestra solent quam in rep. pollere. Praeterea quis ferat *ἰσχύσουσιν οἱ ἰσχυροί?* Quid aliud in eo mendo latere potest quam *οἱ χρηστοί?* ut paulo ante: *συκοφαντοῦσι καὶ μισοῦσι τοὺς χρηστούς*, et post pauca: *τοὺς μὲν χρηστοὺς ἀτιμοῦσι — τοὺς δὲ πονηροὺς αὔξουσιν.* In fine emenda *τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων* pro *Ἀθήνησιν*, de qua confusione supra diximus.

In § 15. pro *ὅσον ζῆν* requirit usus loquendi et loci sententia verbum compositum *ὅσον ἀποζῆν*, ut apud Thucydidem I. 2: *νεμόμενοι τὰ αὑτῶν ἕκαστοι ὅσον ἀποζῆν καὶ περιουσίαν χρημάτων οὐκ ἔχοντες*, et aliis locis.

Iterum periit articulus in § 18: *τούς τε στρατηγοὺς καὶ τοὺς τριηράρχους καὶ (τοὺς) πρέσβεις*: nisi enim tertium *τούς* inserueris perperam iidem et *τριήραρχοι* et *πρέσβεις* dicentur fuisse.

In § 20. *πλόων* in *πλῶν* Atticorum more contrahi oportere supra admonuimus. Post pauca mendum est in verbis: *οἱ δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τριήρη κατέστησαν*, imo vero *μετέστησαν.* Attice enim non dicitur *ἐξ ὁλκάδος ἐπὶ τριήρη ἐμβαίνειν*, sed *μετεμβαίνειν*, et diligenter hoc in talibus servant, ut non *καθιστάναι εἰς ἄλλην τάξιν* dicant sed *μεθιστάναι*, ut nuper ostendimus ad Hyperidis *λόγον ἐπιτάφιον.* Qui Codices Graecos triverunt sciunt *κατά* et *μετά* compendiose sic scribi ut vix oculis discerni possint. Passim confundi solere sciunt omnes. Ex illa solemni confusione natae sunt formae vitiosae verborum *μεταβιάζομαι* et *μεταβόσκομαι* et *μεταδουλοῦν*, quae non sunt unius assis et ex singulis locis corruptis in Graecitatis Thesaurum perperam receptae sunt. In *μεταδουλωθέν* Dindorfio fraus suboluit.

In cap. II. § 1. hoc solum video librorum scripturam *τῶν μὲν πολεμίων ἥττους τε σφᾶς αὐτοὺς ἡγοῦνται εἶναι καὶ μείζους* retinendam esse dummodo pro *μείζους* reponatur *μείους*, qua forma Xenophon passim uti solet pro *ἐλάττους*, *pauciores.* Rectissime dicuntur Athenienses existimare se pedestribus copiis *neque virtute neque numero* hostibus (Lacedaemoniis) esse pares. In vicinia pro *καὶ νομίζουσι τὸ ὁπλιτικὸν ἄρχειν εἰ*

τῶν συμμάχων κρείττονές εἰσιν, rescribe: τὸ ὁπλιτικὸν ἀρκεῖν et locus erit omni difficultate liberatus.

Senserunt omnes quam stulte dicatur II. 3: αἱ μὲν μεγάλαι (πόλεις) διὰ δέος ἄρχονται, αἱ δὲ μικραὶ πάνυ διὰ χρείαν, et alius aliud substituerunt. Si una vocula interposita rescripseris: αἱ δὲ μικραὶ πάνυ (καὶ) διὰ χρείαν, ut *metus* pariter omnibus et magnis et parvis civitatibus communis esse dicatur, nihil quod offendat supererit.

Offendes iterum in § 4, ubi legitur: παραπλεῖν γὰρ ἔξεστιν, ὅπου ἂν μηδεὶς ᾖ πολέμιος ἢ ὅπου ἂν ὀλίγοι· ἐὰν δὲ προσίωσιν ἀναβάντα ἀποπλεῖν. Nempe παραπλεῖν licebat semper, ut opinor, etiam si ingentes hostium copiae in littore essent explicatae. Res ipsa loquitur Xenophontem hoc dixisse: παραπλέοντα γὰρ ἔξεστιν ἀπόβασιν ποιεῖσθαι ὅπου ἂν μηδεὶς ᾖ πολέμιος κτέ. aut huiusmodi quid in eandem sententiam. Simplicissimum et fortasse verum est: ἀποβαίνειν γὰρ ἔξεστιν ὅπου κτέ. Deinde subridicule dicitur § 5: τοῖς κατὰ θάλατταν ἄρχουσιν οἷόν τ' ἀποπλεῦσαι ἀπὸ τῆς σφετέρας αὐτῶν ὁπόσον βούλει πλοῦν, imo vero ὁπόσον βούλονται. Latine recte dicitur: navigationem *quamvis* (aut *quantumvis*) longam suscipiunt, Graece non item. Num tu putas (ut hoc uno exemplo utar) in Anabasi V. VIII. 10: ἀνέκραγον οἱ παρόντες ὅτι ζῇ ὁ ἀνήρ· σὺ δ' εἶπας· ὁπόσα γε βούλεται, salva Graecitate et sententia ὁπόσα γε βούλει dici potuisse?

In extrema parte eiusdem § suspicor veram scripturam hanc esse: τὸν δὲ πλέοντα οὗ μὲν ἂν ᾖ κρείττων ἔξεστιν ἀποβῆναι, οὗ δ' ἂν ἥττων ᾖ παραπλεῦσαι.

Quod narratur II. 9: ὅτι οὐχ οἷόν τέ ἐστιν ἑκάστῳ τῶν πενήτων θύειν καὶ εὐωχεῖσθαι καὶ κτᾶσθαι ἱερὰ καὶ πόλιν οἰκεῖν καλὴν καὶ μεγάλην, non erit amplius ridiculum et absurdum si pro πόλιν substitues οἰκίαν. Lacunam libri veteris ΚΑΙ * * * * ΟΙΚΕΙΝ a sciolo temere et inconsulto expletam esse probabile est.

In § 10: γυμνάσια καὶ λουτρὰ καὶ ἀποδυτήρια τοῖς μὲν πλουσίοις ἐστὶν ἴδια ἐνίοις, ὁ δὲ δῆμος αὐτὸς αὑτῷ οἰκοδομεῖται ἰδίᾳ παλαίστρας πολλάς, ἀποδυτήρια, λουτρῶνας. Quid audio? Haeccine populus ἰδίᾳ οἰκοδομεῖται? Haud vidi magis. Tu emenda sodes: τοῖς μὲν πλουσίοις ἐστὶν ἰδίᾳ (non ἴδια) ἐνίοις, et in

sequentibus inepte repetitum ἰδίᾳ expunge. Xenophon plane contrarium scribere potuerat: δημοσίᾳ (non ἰδίᾳ) οἰκοδομεῖται παλαίστρας πολλάς, ut paulo ante θύουσιν οὖν δημοσίᾳ ἱερεῖα πολλά, sed maluit variandae orationis gratia sic dicere: ὁ δῆμος αὐτὸς αὑτῷ οἰκοδομεῖται, quod perinde est. In ora libri appositum ἰδίᾳ ad corrigendum scribae errorem ἐστὶν ἴδια ἐνίοις in alienam sedem irrepsit verbisque vicinis adhaesit. Ex hoc loco laudantur a Polluce IX. 43. οἱ παρὰ Ξενοφῶντι ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ λουτρῶνες.

Insere articulum in II. 17: ἔτι δὲ (τὰς) συμμαχίας καὶ τοὺς ὅρκους — ἀνάγκη ἐμπεδοῦν, et in § 18. μέγα in his: ἀλλ' ἢ πλούσιος ἢ γενναῖος ἢ (μέγα) δυνάμενος, Graece enim homo *potens* non dicitur δύνασθαι, sed μέγα δύνασθαι, sic et μεῖζον δύνασθαι dicebant et δύνασθαι μέγιστον pro *potentiorem* esse et *potentissimum*.

In § 18. et alia vitiosa sunt et ἐξεύρηκεν in verbis: καὶ προφάσεις μυρίας ἐξεύρηκε τοῦ μὴ ποιεῖν ὅσα ἂν μὴ βούλωνται. Nam quid sibi vult in tali re perfectum? Reponendum censeo ἐξευρίσκει, ut I. 6. ἄνθρωπος πονηρὸς ἐξευρίσκει τἀγαθὸν αὑτῷ τε καὶ τοῖς ὁμοίοις αὑτῷ, et passim alibi. Notum est Η et ΙΣ, η et ισ, sexcenties inter se permutari. Apud Hesychium I. p. 123. Γυιοδόνιστον legitur pro γυιοδόνητον, et p. 332. ἀφιλονείκιστον pro ἀφιλονίκητον, et p. 373. ἐξηρτισμένος pro ἐξηρτημένος, et p. 442. καταπεφρόνιστο pro καταπεφρόνητο, et p. 711. ἐξουδενημένος pro ἐξουδενισμένος, et similia passim, unde duo tantum addo ex II. p. 233. ἐμβρόντιστος pro ἐμβρόντητος, et νομήματα pro νομίσματα II. p. 686. Simili socordia confundunt aliud agentes Η et ΤΙ et ΙΤ, ut apud Hesychium I. p. 30. ὁμότηθος pro ὁμότιτθος, et pag. 753. τηθολαβεῖν pro τιτθολαβεῖν, et saepe simili modo peccatur. Nec tantum veteres scribae sic errant. Qui Hyperidis orationem κατὰ Δημοσθένους ediderunt aliud agentes καταπεφρόντικεν pro καταπεφρόνηκεν ex vetusto Codice descripserunt in his: τοσοῦτον δ', ὦ ἄνδρες δικασταί, τοῦ πράγματος καταπεφρόντικεν Δημοσθένης, μᾶλλον δὲ, εἰ δεῖ μετὰ παρρησίας εἰπεῖν, ὑμῶν καὶ τῶν νόμων, ubi luce clarius est καταπεφρόνηκεν ab oratore dictum et a librario scriptum esse; sed ad Xenophontem revertor.

In § 19. perperam Editores *μέν* transposuerunt in verbis: *Φημὶ οὖν ἔγωγε τὸν δῆμον τὸν Ἀθήνησι γιγνώσκειν μὲν οἵτινες χρηςοί κτέ.* namque sic sequi debuisset: *γιγνώσκοντας δὲ τοὺς μὲν — φιλεῖν, τοὺς δὲ — μισεῖν*, non quod libri habent: *γιγνώσκοντες δὲ τοὺς μὲν — φιλοῦσι, τοὺς δὲ — μισοῦσιν.* Revoca igitur lectionem Codicum: *φημὶ μὲν οὖν ἔγωγε*, et iterum emenda *τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων* pro *Ἀθήνησιν.*

Negligentia scribarum adhaesit articulus in § 19: *ἀλλ' ἐπὶ [τῷ] κακῷ.* Rectissime dicitur *ἐπὶ τῷ σφετέρῳ κακῷ*, sed *ἐπ' ἀγαθῷ, ἐπὶ κακῷ*, si neque genitivus neque pronomen possessivum accedit, suapte natura articulum non admittunt.

Labem concepit locus in § 20: *δημοκρατίαν δ' ἐγὼ μὲν αὐτῷ τῷ δήμῳ συγγιγνώσκω. ἑαυτὸν μὲν γὰρ εὖ ποιεῖν παντὶ συγγνώμη ἐςίν.* namque prius *μέν* inepto loco positum est, posterius vitiose abundat. Quod apud Stobaeum est *ἐγὼ αὐτῷ μὲν τῷ δήμῳ* a levi correctore profectum esse videtur. Praecedens ΕΓΩ sequentem syllabam ΤΩ absorpsisse suspicor et verum esse: *δημοκρατίαν δ' ἐγὼ τῷ μὲν δήμῳ συγγιγνώσκω.* Pariter enim friget et *παρέλκει* in his *αὐτῷ* atque *μέν* in sqq. quo expuncto legendum: *ἑαυτὸν γὰρ εὖ ποιεῖν κτέ.* Opponuntur inter se *ὁ δῆμος* (non *αὐτὸς ὁ δῆμος*) et *ὅςις μὴ ὢν τοῦ δήμου κτέ.*

In cap. III. § 2. remove mihi insulsum additamentum: [*ἐν δὲ ταύταις ἧττόν τινα δυνατόν ἐςι διαπράττεσθαι τῶν τῆς πόλεως*]. Ioculare est in tali re *ἧττον*: vide etiam quam apte haec sint composita et quam utiliter adiecta.

Una litterula corrupta est in § eadem in verbis: *ἆρα δή τι θαυμαςὸν εἰ μὴ οἷοί τε εἰσίν κτέ.* Emenda *ἆρα δῆτα θαυμαςόν.* Elapsa est Attica vocula in rep. Lacedaemoniorum II. 8: *τί δῆτα πολλὰς πληγὰς ἐπέβαλε τῷ ἁλισκομένῳ;* et in libro *περὶ Πόρων* IV. 28: *τί δῆτα οὐ καὶ νῦν πολλοὶ καινοτομοῦσιν;* Nonnumquam *ἆρα δῆτα* illo sensu legitur apud Aristophanem.

Male omissum est *ὅτι* in III. 3: *λέγουσι δέ τινες* (*ὅτι*) *ἤν τις ἀργύριον ἔχων προσίῃ πρὸς βουλὴν ἢ δῆμον χρηματιεῖται*, deinde pro *χρηματιεῖται*, quod est *rem faciet, opes colliget*, rescribe *χρηματιεῖ.* Qui cum senatu aut populo de re sua egerit *χρηματίσαι* dicitur, non *χρηματίσασθαι.*

Quemadmodum necessarium *ὅτι* h. l. intercidit, sic contra-

rio errore ὡς male irrepsit in § 12: ὑπολάβοι δέ τις ἂν [ὡς] οὐδεὶς ἄρα ἀδίκως ἠτίμωται Ἀθήνησιν, qui locus expuncto ὡς constituendus est in hunc modum: ὑπολάβοι δέ τις ἄν· οὐδεὶς ἄρα ἀδίκως ἠτίμωται Ἀθήνησιν; quae ipsa sunt obloquentis verba: *nemone igitur Athenis iniuria notatus infamia est?* Ἄρα in tali re non nisi in recta oratione poni potest. Si quis quid obiicit interrogandi forma utitur: et qui provisae obiectioni respondere parant inducere solent aliquem recta oratione utentem, ut omnibus notum est.

In eodem loco III. 3. etiam alterum vitium subest in his: ἐγὼ δὲ ὁμολογήσαιμ' ἂν ἀπὸ χρημάτων πολλὰ διαπράττεσθαι Ἀθήνησι καὶ ἔτι ἂν πλείω διαπράττεσθαι εἰ πλείους ἐπεδίδοσαν ἀργύριον, noli enim dubitare quin emendari oporteat: εἰ πλείους ἔτι ἐδίδοσαν ἀργύριον. In re pervulgata certus est verborum usus, certum et perpetuum verbi simplicis et compositorum discrimen est. *Largiri, largitionem facere* constanter ab omnibus dicitur διδόναι ἀργύριον, non ἐπιδιδόναι, cuius verbi in alia re omnibus nota perpetuus et necessarius usus est, ὁπότε ἐπιδόσεις ἐν τῷ δήμῳ γένοιντο. Ex quo Athenis omnia et omnes coeperunt esse venales, nubes exemplorum est ubi διδόναι, ἀργύριον διδόναι, πολλὰ διδόναι et sim. legatur, et ἀργύριον ἤν τις διδῷ, et

ὁ πόλλ' ἁμαρτὼν ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται,

et similia passim. Continuo sequitur apud ipsum Xenophontem: οὐδ' εἰ ὁποσονοῦν χρυσίον καὶ ἀργύριον διδοίη τις αὐτοῖς. In antiquis libris ΕΤΙ et ΕΠ nisi hoc agas vix oculis discerni possunt. Itaque confunduntur sexcenties, cuius rei ad alium Xenophontis locum nova quaedam exempla afferemus.

In § 4. ter scripserim Attico more ὁσέτη pro ὅσα ἔτη. Sic enim solebant dicere, ut ὁσημέραι et ὁσῶραι: sed divisim ὅσοι μῆνες.

Neminem fugit vitium scripturae in § 6: ταῦτ' οὐκ οἴεσθε χρῆναι διαδικάζειν ἅπαντα; εἰπάτω γάρ τις ὅτι οὐ χρῆν αὐτόθεν διαδικάζεσθαι. Εἰ δ' αὖ ὁμολογεῖ ἅπαντα χρῆναι διαδικάζειν, ἀνάγκη δι' ἐνιαυτοῦ, sed iure nemo probavit Schneideri coniecturam: εἴποι δ' ἂν ἄρα τις, quae neque Graecitati satisfacit neque sententiae. Xenophonti ea res tam perspicua esse videtur ut *nemo negare possit* id fieri oportere. Itaque

suspicor reponendum esse: — *διαδικάζειν ἅπαντα. Ἀντερεῖ γάρ τίς ὅτι οὐ χρῆν στέ.* Tum ex Codd. receperim: *ἀλλὰ Φήσει τις χρῆναι* pro *Φησί.*

Pervulgatum et tralaticium mendum inolevit in § 7: *καὶ διεσκευάσασθαι ῥᾴδιον ἔςαι πρὸς ὀλίγους δικαςὰς καὶ συνδεκάσαι.* Nimis hoc odiose et contumeliose in Atticos iudices dictum est, sed scribarum vitium id est, non Xenophontis, qui dixerat *facilius* esse pauciores iudices corrumpere quam plures. Passim in omnium libris *ῥᾴδιον* et *ῥᾷον* inter se permisceri videbis, quamobrem etiam hoc loco confidenter emendabis: *διασκευάσασθαι ῥᾷον ἔςαι πρὸς ὀλίγους δικαςάς.* Quam oscitanter librarii *ῥᾴδιον* et *ῥᾷον* confundant docebit Heindorf. ad Platon. Phaed. p. 70. D. *εἰ βούλει ῥᾴδιον μαθεῖν* optime emendans *ῥᾷον*, et in Menone p. 94. E. *ῥᾴδιόν ἐςι κακῶς ποιεῖν ἢ εὖ*, et de Rep. p. 370. A. *οὕτω ῥᾴδιον ἢ ἐκείνως.* Eadem confusio conspicitur apud Plat. de Rep. p. 348. E. et Isocratem in Philippo § 115, et Demosthenem p. 614, 9. et p. 1481, 24: *πέντε τάλαντα δ' ὀφλόντα ῥᾴδιον ἐκτῖσαι ἢ πέντε δραχμὰς πρότερον*, et alibi non raro.

Miserrimum in modum corrupta et mutilata sunt ea quae supersunt III. 11: *ὁποσάκις δ' ἐπεχείρησαν αἱρεῖσθαι τοὺς βελτίςους*, inquit, *οὐ συνήνεγκεν αὐτοῖς.* Haec quidem sanissima sunt et optime procedunt, sed quod continuo sequitur: *ἀλλ' ἐντὸς ὀλίγου χρόνου ὁ δῆμος ἐδούλευσεν* absurdum est. Nempe haec ita comparata sunt et composita, ut *ὁ δῆμος* significare debeat *ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων.* Sed hoc quidem perspicuum est *τὸν δῆμον* dici non Atheniensium, sed earum civitatium ubi Athenienses *τοὺς βελτίςους εἵλοντο.* Xenophon dixerat igitur: »*in quibus civitatibus Athenienses τοὺς βελτίςους εἵλοντο, in iis factum est ut haud ita multo post ὁ δῆμος in servitutem redigeretur.*" Itaque complura exciderunt. Xenophon illius rei triplex exemplum attulerat, sed primum praeter tria verba * * * *ὁ μὲν Βοιωτοῖς* * * * plane intercidit, quod eo magis dolendum est, quoniam de ea re nihil omnino aliunde constat, nisi Athenienses in illa expeditione ad Coroneam a Boeotorum exsulibus occidione occisos esse anno 447. Quod in fine loci legitur: *ὅτε εἵλοντο Λακεδαιμονίους ἀντὶ Μεσσηνίων ἐντὸς ὀλίγου χρόνου Λακεδαιμόνιοι καταςρεψάμενοι Μεσσηνίους ἐπολέμουν Ἀθη-*

ναίοις demonstrat haec dudum confecto bello Peloponnesiaco scripta esse. Quod enim ἐντὸς ὀλίγου χρόνου dicit intervallum est annorum 53, namque anno 464 Athenienses Λακεδαιμονίους εἵλοντο ἀντὶ Μεσσηνίων. Quod de Milesiis dicit ἐντὸς ὀλίγου χρόνου ἀποστάντες τὸν δῆμον κατέκοψαν, certum est eum dicere τὴν τῶν Μιλησίων ἀπόστασιν anno 412 factam et a Thucydide commemoratam VIII. 17. Annis 28 antea Athenienses Milesiis, quum a Samiis bello premerentur, opem tulerant: sed quod narrat Xenophon Athenienses Μιλησίων ἑλέσθαι τοὺς βελτίστους eosque ἀποστάντας κατακόψαι τὸν δῆμον testium penuria quid rei sit ignoramus. Itaque hoc tenendum: in hoc loco et excidisse complura et quae supererant veteris scripturae reliquiae temere esse conglutinatas. I nunc et haec interpretare.

In § 12. initio loci, ut supra diximus, restituto: ὑπολάβοι δέ τις ἄν· οὐδεὶς ἄρα ἀδίκως ἠτίμωται Ἀθήνησιν; statim aliud mendum conspicitur in iis quae Xenophon respondet: ἐγὼ δέ φημί τινας εἶναι οἳ ἀδίκως ἠτίμωνται, ὀλίγοι μέντοι τινές. Compositionis vitium sic sanari poterit, ut scribatur: ἐγὼ δέ φημι μὲν ὅτι ἐστὶν οἳ ἀδίκως ἠτίμωνται, ὀλίγοι μέντοι τινές. Fatetur *esse qui iniuria notati sint*, sed *paucos quosdam* esse ait. Sic certe haec usitato Atticis more composita erunt, ut de Vectig. III. 11: οἶμαι δ' ἔγωγε — καὶ ξένους ἂν πολλοὺς εἰσενεγκεῖν, ἐστὶ δ' ἃς ἂν καὶ πόλεις, et ita passim. Quod denique scribit: οὐδὲν ἐνθυμεῖσθαι ἀνθρώπους οἵτινες δικαίως ἠτίμωνται, ἀλλ' εἴτινες ἀδίκως, etiam in his vitium alitur. Οὐδὲν ἐνθυμεῖσθαι dicuntur qui vitam otiosam et mollem securi agitant. Plato Comicus apud Scholiast. Aristoph. Nub. 109:

ὦ θεῖε Μόρυχε,
καὶ Γλαυκέτης ἡ ψῆττα, καὶ Λεωγόρας,
οἳ ζῆτε τερπνῶς οὐδὲν ἐνθυμούμενοι,

id est *nullis curis solliciti*, quod quum a Xenophontis loco prorsus alienum sit, cuius sententia flagitat ut dicatur: »*qui iure notati sint* nihil contra remp. moliri, *sed qui iniuria*." uno vocabulo suppleto scribendum esse censeo: οὐδὲν (δεινὸν) ἐνθυμεῖσθαι ἀνθρώπους οἵτινες δικαίως ἠτίμωνται.

Pro ἠτίμωνται in libris est τιμῶνται, quod olim pessime in ἀτιμῶνται infelix corrector refinxit, quemadmodum pessime

olim I. 14. edebatur: τοὺς μὲν χρηστοὺς ἀτιμῶσι καὶ χρήματα ἀφαιροῦνται καὶ ἐξελαύνουσι καὶ ἀποκτείνουσιν. Enumerat poenas omnes, ut vides, legibus constitutas ἀτιμίαν, ζημίαν, φυγήν, θάνατον, itaque absque ullo librorum auxilio ἀτιμοῦσιν reponendum esse apparebat, quod a Stobaeo servatum unice verum esse primus omnium Elmsleius docuit ad Sophoclis Aiacem vs. 1129. (in Mus. Crit. Cantabr. III. p. 481), qui eadem opera ἠτίμωνται evidenti emendatione Xenophonti reddidit pro τιμῶνται et ἀτιμῶνται. Est operae pretium sedulo animadvertere quas turbas scribae dare soleant in formis ἀτιμοῦν, ἀτιμᾶν et ἀτιμῆσαι, ἀτιμάσαι, ἀτιμῶσαι, et ἀτίζειν, ἀτιμάζειν, de qua re eximia quaedam annotavit Elmsleius l. l. quem secutus et ipse alia quaedam in hanc rem mihi animadversa proferam. Ἀτιμᾶν priscae linguae Epicae usum et fines non excedit: caeteri omnes constanter ἀτιμάζειν dicebant. Homerus promiscue utitur verbis τίω et τιμᾶν, quibus opponit ἀτίζω, ἀτιμᾶν et ἀτιμάζειν. Odyss. Π. 306:

ἠμὲν ὅπου τις νῶϊ τίει καὶ δείδιε θυμῷ,
ἠδ' ὅτις οὐκ ἀλέγει καὶ ἀτιμᾷ τοῖον ἐόντα.

et passim alibi. Tragici ἀτίζειν et ἀτιμάζειν dicebant, sed ἀτιμᾶν non dicebant, pro quo ἀτιμοῦν et ἠτιμωμένος nonnumquam usurpabant. Forma prisca et obsoleta ἀτίζω subinde a scribis iugulato metro in ἀτιμάζω corrumpitur, ut docuit Marklandus ad Euripidis Supplices vs. 18, ubi in Cod. est:

εἴργουσι δ' οἱ κρατοῦντες οὐδ' ἀναίρεσιν
δοῦναι θέλουσι νόμιμ' ἀτιμάζοντες θεῶν,

pro ἀτίζοντες, et in Alcestide vs. 1440:

οὔτοι σ' ἀτιμάζων οὐδ' ἐν αἰσχροῖσιν τιθείς,

pro ἀτίζων. Itaque in Sophoclis Aiace vs. 1029, ubi in libris est:

μή νυν ἀτίμα θεοὺς θεοῖς σεσωσμένος,

ambigit Elmsleius utrum ἀτίμου an ἄτιζε sit verius. Equidem non dubitaverim ἄτιζε amplecti, quod quum ab indocto scriba in ἀτίμαζε esset depravatum, supervenit levis Corrector qui metri causa ultimam syllabam resecuit, quum tertiam debuisset. Submiror quomodo Elmsleius aliquid tribuerit annotatiunculae ad h. l. Ἀτίμα: ἤγουν ἀτίμους ποίει. ἀτιμάζω τὸ καταφρονῶ, ἀτιμῶ τὸ ἄτιμον ποιῶ καὶ ἠτιμωμένος ἐπὶ

τοῦ αὐτοῦ κατὰ τὸ παθητικὸν παρακείμενον ἐν τῇ τρίτῃ συζυγίᾳ, namque tam puerilis est et Constantinopolim redolens, ut ab aliquo scriptam putem cui ἀτιμοῦν et ἀτιμᾶν dicere perinde esse videretur. Isti ipsi sero nati Graeculi in Veterum scriptis tam saepe ineptissime ἀτιμῶσαι, ἀτιμάσαι et ἀτιμῆσαι confuderunt. Ἀτιμοῦν in soluta Atticorum oratione semper et ubique significat *notare infamia* reum in iudicio condemnatum. Ἀτιμία est hoc ipsum poenae genus, quod legibus constitutum optimum ius civitatis aut perimit aut minuit: itaque οἱ ἄτιμοι τοῖς ἐπιτίμοις opponuntur sic, ut hi sint *cives optimo iure*, illi iudicum sententiis damnati *capitis deminutionem passi* sint. Nota haec sunt omnibus, sed non omnes in tempore meminerunt *notare infamia* nonnisi ἀτιμοῦν Attice dici posse, a quo toto coelo differre ἀτιμάζειν. Eodem modo absurdum est dicere τοὺς ἀτίμους ἐντίμους ποιεῖν pro ἐπιτίμους, et si quando scribarum incuria ea scriptura occurrit, pro nihilo habita Codicum auctoritate fallacissima, ἐπιτίμους confidenter emenda. Opponitur enim ὁ ἔντιμος τῷ ἠτιμασμένῳ quemadmodum ὁ ἐπίτιμος τῷ ἠτιμωμένῳ sive τῷ ἀτίμῳ, et plane idem est ἠτιμῶσθαι atque τῆς ἐπιτιμίας ἐστερῆσθαι, quemadmodum ἠτιμάσθαι est ἐστερῆσθαι τιμῆς. Itaque emenda obiter psephisma apud Demosthen. κατὰ Νεαίρας p. 1380, 25: Ἱπποκράτης εἶπε Πλαταιέας (L. Πλαταιᾶς) εἶναι Ἀθηναίους ἐντίμους καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, imo vero ἐπιτίμους. Turpi errore scribitur in eadem orat. p. 1345, 12: εἰς ἐσχάτους κινδύνους κατέστημεν περί τε τῆς πατρίδος καὶ περὶ ἀτιμίας. perspicuum est requiri: καὶ περὶ τῆς ἐπιτιμίας. Est etiam aliquid inter καταφρονεῖν et ἀτιμάζειν: illud enim est *contemnere, non curare, nihil morari*, hoc *honore et reverentia dignum contumeliose habere*: itaque homines καταφρονοῦσι μὲν ὁμοίως τῶν τε ἀξίων καὶ τῶν μή, ἀτιμάζουσι δὲ μόνους τοὺς ἀναξίους. Librarii igitur ubi ἀτιμῶσαι et ἀτιμάσαι confundunt, aut ἀτιμωθῆναι et ἀτιμασθῆναι risum intelligentibus movent, sed saepe tamen impune nullo animadvertente talia commiserunt. In Platonis Apologia p. 30. D. Stallbaumius nil mali suspicans edidit: ἐμὲ μὲν γὰρ οὐδὲν ἂν βλάψειεν οὔτε Μέλητος οὔτε Ἄνυτος. — ἀποκτείνειε μέντἂν ἴσως ἢ ἐξελάσειεν ἢ ἀτιμάσειεν. Necessarium ἀτιμώσειεν Elmsleius olim l. l. reponi iusserat, sed quia

nemo praebuerat aurem, Bakius ad Apsinem p. 190. apud Hyperidem τοῦτον ἡ πόλις ἡμῶν ἠτίμωσεν emendans pro ἠτίμασεν eadem opera locum Platonis turpi mendo liberavit. In Platonis Rep. VIII. p. 553. B. ὅταν αὐτὸν ἴδῃ — εἰς δεσμωτήριον ἐμπεσόντα [βλαπτόμενον] ὑπὸ συκοφαντῶν ἢ ἀποθανόντα ἢ ἀ τ ι μ ω θ έ ν τ α καὶ τὴν οὐσίαν ἅπασαν ἀποβαλόντα, in aliis libris est ἀτιμασθέντα, quod nemo facile recipiet. Βλαπτόμενον a temerario sciolo insertum esse et expellendum acute vidit Badhamus. Nesciebant Graeculi ἐμβάλλειν et ἐμπίπτειν, ἐκβαλεῖν et ἐκπεσεῖν, περιβάλλειν κακοῖς et κακοῖς περιπίπτειν haud secus sibi inter se respondere quam activum et passivum: itaque ut ἐμβάλλειν τινὰ εἰς τὸ δεσμωτήριον dicitur, sic passive non ἐμβληθῆναι, sed ἐμπεσεῖν εἰς τὸ δεσμωτήριον ὑπό τινος Graecum est. Quid autem facias futilissimo Graeculo, qui quum εἰς δεσμωτήριον ἐ μ π ε σ ό ν τ α ὑ π ὸ σ υ κ ο φ α ν τ ῶ ν nullo modo capere posset et requireret aliquod participium passivae formae, unde ὑπὸ συκοφαντῶν penderet, nihil aliud excogitare potuit quam βλαπτόμενον. Simul cogita quam absurdae interpolationes etiam in vetustissimis Platonis Codd. lectorem ludificentur. Sed redeo ad ἀτιμῶσαι et ἀτιμάσαι, quae et alibi vidi inter se permutari et apud Demosthenem pag. 425, 8: τοὺς πρώτους εἰσαγαγόντας ἀτιμώσατε, ubi in uno libro est ἀτιμάσατε, sed statim correctum. Apud eundem p. 743, 22. ἐτιμήσατε et ἠτιμώσατε confusa videbis. Pag. 253, 2. pro ἀτιμώσαντες in Cod. O. ἀτιμάσαντες scriptum est, et pag. 1347, 10. pro ἵν' ἀ τ ι μ ώ σ ε ι ε ν αὐτὸν καὶ παῖδας τοὺς ἐκείνου, in optimo S et plerisque aliis legitur ἵνα ἀτιμάσειεν. Sed nihil in hoc genere vidi umquam foedius quam mendum quod omnes adhuc Criticos elusit in Isocratis Antidosi § 175. »*Si philosophia hanc vim habet*," inquit, »*ut iuventutem corrumpat* πάντας ἐκποδὼν ποιεῖσθαι χρὴ τοὺς περὶ τὴν διατριβὴν ταύτην ὄντας· εἰ δὲ τοὐναντίον πέφυκεν ὥς' ὠφελεῖν (emenda obiter πέφυκεν ὠφελεῖν) καὶ βελτίους ποιεῖν τοὺς πλησιάζοντας — τοὺς μὲν διαβεβλημένους πρὸς αὐτὴν παυςέον, τοὺς δὲ συκοφαντοῦντας ἀ τ ι μ η τ έ ο ν. Satin manifestum vitium esse videtur? Isocrates non magis verbo ἀτιμᾶν uti potuit quam τίω pro τιμῶ aut ἀτίζω pro ἀτιμάζω, aut χραισμεῖν pro ὠφελεῖν aut πίλναμαι pro πλησιάζω. Sed fac potuisse, quid quaeso est τοὺς

συκοφάντας ἀτιμάζειν? Nihil erat in nequissimis nebulonibus quod posset *ἀτιμάζεσθαι*. Imo vero calumniae damnatos *infamia notari oportere* dixerat, ut posthac neminem alium praeter fortunas suas accusare possent: itaque *ἀτιμωτέον* Isocratis manus est. Contra apud eundem rhetorem verbum *ἀτιμοῦν* scribarum socordia ineptissime legitur in Philippo § 64: *τίς ἂν προσεδόκησεν ὑπ' ἀνδρὸς οὕτω ταπεινῶς πράξαντος ἀναστραφήσεσθαι τὰ τῆς Ἑλλάδος πράγματα καὶ τὰς μὲν ἀ τ ι μ ω θ ή σ ε σ θ α ι, τὰς δ' ἐπιπολάσειν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων*; Non possunt *πόλεις Ἑλληνίδες ἀτιμοῦσθαι*. *Civitas ipsa* capitis deminutionem non patitur, quod vel dictu absurdum est. Quid scripserit Rhetor in loco sic composito non est ad reperiendum admodum difficile. Nempe quaerendum verbum est quod verbo *ἐπιπολάζειν* sit e regione oppositum. Dixerat *ἀναστραφήσεσθαι τὰ πράγματα*, itaque *τὰ μὲν ἄνω κάτω γενήσεσθαι, τὰ δὲ κάτω ἄνω*: quemadmodum igitur *τὰ κάτω ἄνω γενόμενα* scite dicuntur *ἐπιπολάζειν*, circumspiciendum est quid dicatur *περὶ τῶν ἄνω κάτω γενομένων*. Videlicet ea *ταπεινοῦσθαι* dicuntur, et opponuntur inter se *ὑψηλὸν αἴρειν* vel *ἐπαίρειν* et *ταπεινοῦν*, ut *ἐπιπολάζειν* et *ταπεινοῦσθαι*, veluti in eleganti Xenophontis loco Memorab. III. v. 4. *τ ε τ α π ε ί ν ω τ α ι μὲν ἡ τῶν Ἀθηναίων δόξα πρὸς τοὺς Βοιωτούς, ἐπῆρται δὲ τὸ τῶν Θηβαίων φρόνημα πρὸς τοὺς Ἀθηναίους*. Itaque Isocratem scripsisse arbitror: *καὶ τὰς μὲν τ α π ε ι ν ω θ ή σ ε σ θ α ι, τὰς δ' ἐπιπολάσειν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων*, quod quam proclivi errore in ΑΤΕΙΜΩΘΗΣΕΣΘΑΙ abire possit nuper ad Hyperidis *λόγον ἐπιτάφιον* annotavi. Iterum verbum *ἀτιμοῦν* inepte legitur apud Aeschinem in Ctesiphontea § 244: *καὶ πότερον τοῦτον τιμήσετε ἢ ὑμᾶς αὐτοὺς ἀ τ ι μ ώ σ ε τ ε καὶ τοὺς ὑπὲρ ὑμῶν ἐν τῇ μάχῃ τελευτήσαντας*; *Dedecus*, non *infamia*, in tali re locum habet, et *ἀτιμάσετε* corrigi oportere perspicuum est. Quod est in quatuor libris optimis *ἀτιμωρήτους ἐάσετε* pro *ἀτιμώσετε* sic esse natum suspicor: quum esset vitiose scriptum ΑΤΙΜΩΣΕΤΕ a correctore supra scriptum est ΑΣΕΤΕ, ut vera lectio *ἀτιμάσετε* in sua sede reponeretur, sed oscitanter conflata scriptura duplici et *vocabulo bene Graeco* pro ΑΤΙΜΩΣΕΤ*εάσετε* reperto natum est *ἀτιμωρήτους ἐάσετε*, quod sensu vacuum est. Quod unus liber, casu fortasse in tam crebra confusione, ob-

tulit *ἀτιμάσετε* unice verum est et vel invitis libris ad unum omnibus fuisset restituendum. Patet enim Oratorem hoc dicere: *τὸ τὸν Δημοσθένην τιμᾶν ὑμᾶς αὐτοὺς ἐστὶν ἀτιμάζειν*: in qua re *ἀτιμοῦν* ponere propterea est ridiculum, quia nusquam apud Oratores Atticos de civibus suis loquentes *ἄτιμος*, *ἀτιμία* et *ἀτιμοῦν* figurate usurpantur, sed summa constantia de *infamia* legibus constituta et *capitis deminutione* ubi quid poenae causa *de optimo iure civitatis* (*ἀπὸ τῆς ἐπιτιμίας*) detrahitur. Sic igitur haec usurpari solent apud scriptores Atticos, qui sua propria et nativa lingua utebantur: contra in illo sermone artificiali, quo Tragici Deos et heroes inducunt loquentes, *ἄτιμος* et *ἀτιμία*, quae creberrime recurrunt, et nonnumquam *ἀτιμοῦν*, mutata *ubique* significandi potestate usurpantur, ut in fragmento Sophoclis:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν πῆμ' ἐλευθέρου δάκνον
ψυχὴν ὁμοίως ἀνδρὸς, ὡς ἀτιμία.

'*Ατιμοῦν* in Tragoedia poni pro *ἀτίζειν* sive *ἀτιμάζειν* docuit Elmsleius l. l. afferens ex Aeschyli Supplic. 651. (640):

οὐδὲ μετ' ἀρσένων ψῆφον ἔθεντ' ἀτιμώσαντες ἔριν γυναικῶν.

ubi *ἀτιμάσαντες* metrum iugulat. Persuadet mihi hoc quoque Elmsleius in Euripidis Iphigen. Aulid. vs. 943:

θαυμαστὰ δ' ὡς ἀνάξι' ἠτιμασμένη,

reponi oportere *ἠτιμωμένη* ex comparatione vs. 462. Helenae:

ὦ δαῖμον, ὡς ἀνάξι' ἠτιμώμεθα.

Facilius credes ubi passim videris *ἀτιμάσαι*, quod aetatem tulerat, a scribis contra scriptorum sententiam substitui verbo, ut videtur, tum obsoleto *ἀτιμῶσαι*, cuius rei unum exemplum addam ex Plutarchi vita Bruti cap. 35. ubi recte editur: *Λεύκιον Πέλλαν Σαρδιανῶν κατηγορούντων ἐπὶ κλοπαῖς* (de repetundis) *δημοσίᾳ καταγνοὺς ἠτίμωσεν*, in aliis est *ἠτίμασεν*, et sic olim legi illic solebat contra rei naturam et Plutarchi mentem.

Quae paulo ante de usu verbi *ἀτίζω* apud Tragicos pro *ἀτιμάζω* notavimus, et verba Euripidis *νόμιμ' ἀτίζοντες θεῶν* commode me admonent versiculi Euripidei, ubi idem verbum nimis diu in corrupta scriptura delituit. In Iphigenia Taurica vs. 104. Pylades Oresti his verbis addit animum:

φεύγειν μὲν οὐκ ἀνεκτὸν οὐδ' εἰώθαμεν·
τὸν τοῦ θεοῦ δὲ χρησμὸν οὐ κακιστέον.

Intelligisne quid sit *οὐ κακιστέον τὸν χρησμόν*? Non opinor. *Κακίζειν* est *λοιδορεῖν*, *κακῶς λέγειν*, et *κακίζεσθαι κακὸν* sive *δειλὸν εἶναι*: itaque *οὐ κακιστέον* aut *τολμητέον* significat aut *οὐ λοιδορητέον*. Neutrum horum quidquam facit ad rem. Emendandum esse censeo *οὐκ ἀτιστέον*, namque *τὸν χρησμὸν οὐκ ἀτίζειν* eodem sensu dici atque *χρησμὸν ἡζόμην θεοῦ*, quod nondum poenitet reposuisse in Heraclidis vs. 1038. In rariore forma minime mirum est scribas impegisse: quemadmodum ΟΥΧΑΖΟΜΑΙ (i. e. *οὐχ ἅζομαι*) nonnumquam in *οὐ χάζομαι* depravarunt, sic ΟΥΚΑΤΙΣΤΕΟΝ proclivi errore male divisum in *οὐ κακιστέον* potuit abire. Utramque formam *ἀτίζω* et *ἀτιμάζω* in eadem sententia posuit Euripides apud Stobaeum Floril. 39. 7, 8:

εἰ δ' ἦσθα μὴ κάκιστος οὔποτ' ἂν πάτραν
τὴν σὴν ἀτίζων τήνδ' ἂν εὐλόγεις πόλιν.

et alio loco:

ὡς ἔν γ' ἐμοὶ κρίνοιτ' ἂν οὐ καλῶς φρονεῖν
ὅστις πατρῴας γῆς ἀτιμάζων ὅρους
ἄλλην ἐπαινεῖ καὶ τρόποισιν ἥδεται.

Denique animadvertendum est sequiorum temporum scriptores in hac quoque re temere miscere omnia. Sic Appianum video *τιμᾶν* et *ἀτιμοῦν* non semel inter se opponere, ut *ἀτιμοῦν* pro *ἀτιμάζειν* usurpetur, veluti in Bell. Civil. II. 129: *τοὺς ἀνδροφόνους τιμᾶν ἀξιοῦντες τοὺς ἄρχοντας σφῶν ἀτιμώσουσιν*, et cap. 134: *τοὺς ὕπατον κατακανόντας τιμᾶν ἀξιώσομεν, ἀτιμοῦν δὲ τὸν καὶ τοῖς πολεμίοις δι' ἀρετὴν τίμιον*. Cf. et III. 28 et 64. Idem quum dicere vellet »Leges *memoriam aboleri, bona publicari* iubent." non dubitavit dicere III. 18: *Οἱ νόμοι τὴν μνήμην ἀτιμοῦσι καὶ δημεύουσι τὴν περιουσίαν*, ubi nemo mirabitur in nonnullis errore pervulgato *ἀτιμῶσι* scriptum esse.

Percurram nunc Xenophontis libellum, qui *Πόροι ἢ περὶ προσόδων* inscribitur, cuius inscriptionis prior pars *Πόροι* mihi antiqua et ab ipso Xenophonte profecta esse videtur. Et haec quidem est proba inscriptio et libelli argumento respondet. Secunda pars *περὶ προσόδων* ab eruditis sequiorum temporum

adiecta non multo est sanior quam Latina vulgata *de Vectigalibus*. Laudat hunc Xenophontis librum solus Veterum, quod sciam, pereruditus rhetor Menander *περὶ ἐπιδεικτικῶν* in Walzii Rhett. Graec. IX. p. 161: *εἰ δὲ νήσῳ ἐοικυῖαν (χώραν ἐπαινοίης) ἅ τε περὶ Τύρου Ἀριϛόβουλος ἱϛόρησε καὶ περὶ Κυζίκου Ἀριϛείδης καὶ Ξενοφῶν ἐν τοῖς Πόροις περὶ τῆς Ἀττικῆς*, nam sic legendum: inepte Walzius *ἐν τοῖς πόροις τοῖς περὶ τῆς Ἀττικῆς*. Xenophontis locus quem respicit legitur I. 7.

Quo anno Xenophon librum *περὶ Πόρων* scripserit nondum inter viros doctos satis constat. Nota est Boeckhii ea de re disputatio in Oeconom. Polit. IV. 20. pag. 778 sq. cui plane assentior veri esse simillimum statuenti scriptum esse librum statim post bellum sociale compositum *ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἐλπίνου*, Olympiadis CVI anno primo, ante Chr. 35$\frac{5}{4}$. Convenit illa pax, quam Xenophon commemorat IV. 40 et V. 12, Eubulo auctore media circiter aestate anni 355. Xenophon igitur quum illa scriberet agebat annum aetatis circiter septuagesimum secundum an tertium; satis enim ex ipsa Anabasi demonstrasse videor fieri non posse ut Xenophon ante annum 430. natus sit, sed uno alterove anno etiam serius. Quod per Xenophontis aetatem percommode fieri potest idem passim toto libro egregie confirmatur. Quando enim melius et opportunius quam illo ipso tempore quaeri potuit quomodo res Atheniensum ita stabilirentur ut iniuriis in socios abstineretur? Compositum erat grave bellum ortum ex iniuriis quibus se vexari sociorum potentissimi querebantur. Ubi pax convenit videndum erat ne iterum duriter et avare sociis imperaretur. Solebant autem Athenis Oratores fateri socios vexari et spoliari, sed eam esse populi inopiam ut id facere necesse esset. Posuit hoc ipsum Xenophon in operis initio, sed duplex orationi mendum adhaesit I. 1: *ἐπεὶ δὲ τῶν Ἀθήνησι προεϛηκότων ἐλέγοντό τινες ὡς γιγνώσκουσι μὲν τὸ δίκαιον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν ἀναγκάζεσθαι [ἔφασαν] ἀδικώτεροι εἶναι περὶ τὰς πόλεις*. Vitiosum esse *ἐλέγοντο* satis perspicuum est: res ipsa clamat *ἔλεγον* esse emendandum, idque et alii et Schneiderus perspexerunt. Sed ubi primum *ἔλεγον* receperis *ἔφασαν* quod sequitur erit inducendum, et sic habebis Xenophontis manum: *ἔλεγόν τινες ὡς*

γιγνώσκουσι μὲν τὸ δίκαιον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, διὰ δὲ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν ἀναγκάζεσθαι ἀδικώτεροι εἶναι περὶ τὰς πόλεις. Facillimum est in his orationem agnoscere hominis *de se ipso loquentis*: γιγνώσκω μὲν τὸ δίκαιον οὐδενὸς ἧττον τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, ἀναγκάζομαι δὲ — ἀδικώτερος εἶναι. Miratus nescio quis compositionem repente mutari ὡς γιγνώσκουσι μὲν — ἀναγκάζεσθαι δέ inutile fulcrum ἔφασαν de suo supposuit et sic compositionem loci quum se sublevare putaret misere corrupit. Apparet enim vel ex collocatione particularum: ὡς γιγνώσκουσι μέν — ἀναγκάζεσθαι δέ ita esse coniuncta ut ex uno atque eodem verbo ἔλεγον suspensa esse debeant. Movit igitur ea res Xenophontem senem, ut quaereret εἴπῃ δύναιντ' ἂν οἱ πολῖται διατρέφεσθαι ἐκ τῆς ἑαυτῶν ὅθενπερ καὶ δικαιότατον. Quae autem ad haec Schneidero subnata suspicio est hunc librum a Xenophonte in Eubuli Anaphlystii gratiam conscriptum esse, quem tunc temporis suscepta cura pecuniae publicae constat reditus publicos prudentissime administrasse et auxisse, ea igitur suspicio Boeckhio vehementer arridet, mihi cur non item placeat paucis eloquar. Nempe credunt homines docti Istro apud Diogenem Laërt. II. 59. narranti Xenophontem auctore Eubulo potentissimo oratore ab exilio fuisse revocatum. Diogenis haec verba sunt: καὶ Ἴστρος φησὶν αὐτὸν φυγεῖν κατὰ ψήφισμα Εὐβούλου καὶ κατελθεῖν κατὰ ψήφισμα τοῦ αὐτοῦ. Recte Boeckhius (qui Istro fidem habet) posuit non ante Olympiadem CII an CIII. tantam esse potuisse Eubuli in rep. auctoritatem, ut Xenophonti salutis auctor esse potuerit. Fac circa Olympiadem CII. (i. e. circa annum 372.) iam fuisse satis potentem ut hoc efficeret, et vide quid facias eiusdem Istri testimonio, qui Xenophontem auctor est φυγεῖν quoque κατὰ ψήφισμα Εὐβούλου: itaque ὁ τρώσας καὶ ἰάσατο et idem fuit salutis auctor qui calamitatis auctor fuerat. Sed factum hoc est anno 394, id est *viginti duobus* annis antea. Fraus perpluit. Qui in altera parte testimonii in tam manifesto mendacio tenetur eine tu in reliquis quidquam credendum esse existimas? Haec quoque est πεπλασμένη παράδοσις et ἱστορία κατεψευσμένη. Praeterea quid causae fuisse putemus, quamobrem de uno Xenophonte in patriam revocando plebiscitum factum esse credamus? Pericles

τὸ ψήφισμα γράψας αὐτὸς Cimonem revocavit, ut scribit Plutarchus in Pericle cap. 10. Critias de Alcibiade nominatim potuit rogationem perferre, de qua ipse ita canit apud Plutarch. Alcib. cap. 33:

γνώμη δ' ἥ σε κατήγαγ' ἐγὼ ταύτην ἐν ἅπασιν
εἶπον καὶ γράψας τοὖργον ἔδρασα τόδε.

Eubulus de Xenophonte non potuit. Quid enim Xenophon de populo Atheniensium meritus est umquam aut quid ab eo sperabant denique, cur eum in integrum restituerent? Admirabantur, inquies, illum virum, qui τοὺς μυρίους ἔσωσεν εἰς τὴν Ἑλλάδα. Spartanis haec, non sibi, laudem et emolumentum attulisse satis sciebant, et Xenophontem τὸν φιλολάκωνα brevi post exilio multaverant ἐπὶ λακωνισμῷ. Quis Atheniensium illis temporibus Xenophontem vel nomine tenus commemoravit? Clearchum saepe nominant, Xenophontem numquam. Exsul erat et civibus odiosus μισόδημος ἀνήρ. Erat tamen, inquies, Anabasis in hominum elegantiorum manibus. Erat, sed eam nescio quo modo Xenophon nolebat a se scriptam videri. Mira res est, cuius quae causa esse potuerit prorsus non intelligo, sed certa res est. Audi modo quae dicat ipse Xenophon in Hellenicis III. I. 2: ὡς μὲν οὖν Κῦρος ϛράτευμά τε συνέλεξε καὶ τοῦτ' ἔχων ἀνέβη ἐπὶ τὸν ἀδελφὸν καὶ ὡς ἡ μάχη ἐγένετο καὶ ὡς ἀπέθανε καὶ ὡς ἐκ τούτου ἀπεσώθησαν οἱ Ἕλληνες ἐπὶ θάλατταν Θεμιϛογένει τῷ Συρακοσίῳ γέγραπται. Quantumvis enim mirabilis res esse videatur, tam disertum hoc testimonium est ut prorsus dubitari non possit, quin Anabasis illo tempore, ipso Xenophonte sic volente, a Themistogene Syracusano scripta esse existimata fuerit. Xenophon interea Spartanorum liberalitate in Peloponneso securus fruebatur et ingenii monumenta in otio condidit. Hoc populus Atheniensium curabat scilicet. Praeterea hoc cogita: si Xenophon Eubulum consiliis adiuvare voluit et edocere quo pacto remp. opibus augeret, prope dixerim ἁ ὗς τὰν Ἀθηνᾶν. Si ipse Eubulus aliquid de iis rebus scribere voluisset alia omnia, credo, περὶ πόρων legeremus. Subrisisset, ut opinor, Eubulus ad magnificentissimas candidi senis pollicitationes, quae leguntur III. 9—10. Sollerter demonstravit Boeckhius Xenophontem fuisse καλὸν κἀγαθόν magis quam χρημάτων πορι-

ϛικόν, et illa consilia ad remp. novis reditibus iuvandam lectu iucunda magis esse quam reapse salubria. Nihil horum Eubulus, qui in rebus huiuscemodi aetatem contrivit, aut fecit umquam aut in animum inducere potuit facere: quamobrem Schneideri suspicionem ex falso Istri testimonio natam et rerum veritati repugnantem repudiandam esse censeo. Eubulus Xenophontem quemadmodum non psephismate expulit (quod non uno nomine absurdum est), sic non revocavit quoque, et libellus *περὶ πόρων* non uni Eubulo scriptus est sed omnibus, ut vel ipsa orationis forma subinde declarat, veluti IV. 1: *ὅπως ἄμεινον ἂν βουλεύοισθε*, et 32 et 40, et V. 9 et 10. et aliis locis.

Itaque si statuemus haec scripta esse statim post illam pacem, qua *ὁ συμμαχικὸς πόλεμος* compositus est, reliqua omnia egregie quadrant, ut Schneiderus et Boeckhius docuerunt, sed una restat difficultas, quam Boeckhius indicavit melius quam removit. »Nunc (inquit Xenophon V. 8.) egregia oblata occasio est *ἄνευ πόνων καὶ ἄνευ κινδύνων καὶ ἄνευ δαπάνης ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας.* Nunc danda est opera, ut si quae civitates inter se bellum gerunt, eas in gratiam reducamus, et si quae aliae turbis civilibus laborant, ut concordiam in iis et otium restituamus: *εἰ δὲ καὶ ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥσπερ πρόσθεν γένοιτο φανεροὶ εἴητε ἐπιμελόμενοι, μὴ συμπολεμοῦντες ἀλλὰ πρεσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, ἐγὼ μὲν οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαϛὸν εἶναι εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους καὶ συμμάχους λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους, οἵτινες ἐκλιπόντων τῶν Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.* De huius loci interpretatione ita agam ut praemittam diligentem temporum notationem appositis annorum notis et Atheniensium archontibus.

Olymp. CV.	4.	Ἀγαθοκλῆς. .	a Chr.	$35\frac{7}{6}$
CVI.	1.	Ἐλπίνης.	.	$35\frac{6}{5}$
	2.	Καλλίϛρατος. . .	.	$35\frac{5}{4}$
	3.	Διότιμος.	.	$35\frac{4}{3}$
	4.	Εὔδημος.	.	$35\frac{3}{2}$.
CVII.	1.	Ἀριϛόδημος. . . .	.	$35\frac{2}{1}$
	2.	Θέσσαλος. . . .	.	$35\frac{1}{0}$
	3.	Ἀπολλόδωρος. . .	.	$3\frac{50}{49}$

	4.	Καλλίμαχος.	$34\frac{9}{8}$.
CVIII.	1.	Θεόφιλος.	$34\frac{8}{7}$
	2.	Θεμιςοκλῆς.	$34\frac{7}{6}$
	3.	Ἀρχίας.	$34\frac{6}{5}$.

Iam vero constat inter omnes bellum sacrum Phocense susceptum propter templum a Phocensibus occupatum vario Marte gestum cum Phocensium exitio confectum esse *anno decimo* ἐπ' Ἀρχίου, anno tertio Olympiadis VIII. Multa sunt et diserta in hanc rem testimonia Veterum collecta a Clintono in F. H. et Kruegero. Omnium instar est Demosthenes περὶ παραπρεσβείας § 57. sqq. unde etiam *quo die* Phocenses perierint compertum est, nempe Σκιροφοριῶνος μηνὸς ὀγδόῃ φθίνοντος. Illo enim die Phocenses se suaque omnia Philippo dediderunt, a quo deinde praeter spem Thebanis sunt traditi. Tum occupata Phocis est munimentaque urbium deiecta et urbes solo aequatae et sic vastata tota Phocide καὶ τῶν Φωκέων κατὰ κώμας διῳκισμένων Pythia a victore Philippo celebrata sunt, et in his τἀπινίκια, teste Demosthene περὶ παραπρεσβ. § 128. Pythia autem Olympiadis cuiusque anno *tertio* celebrata fuisse omnes consentiunt *Auctumno* celebrata fuisse tam luculenter demonstravit Clintonus, ut Boeckhius contradicendo nihil aliud effecerit nisi ut Clintoni sententia etiam confirmaretur. Bellum anno *decimo* confectum esse et aliorum disertis testimoniis constat et Athenaei p. 560. B. ita scribentis: ὁ ἱερὸς καλούμενος πόλεμος — δεκαετὴς γενόμενος τῷ δεκάτῳ ἔτει Φιλίππου συμμαχήσαντος πέρας ἔσχεν. Athenaeus de bello Phocensi legerat et Callisthenis libros περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου (Athen. p. 560. C.) et eos quos alii Ephoro, alii Ephori filio Demophilo tribuebant. Diodorus Siculus XVI. 14: ἐντεῦθεν ἦρκται Δημόφιλος ὁ Ἐφόρου τὸν ἱερὸν πόλεμον συντεταγμένος. Athenaeus pag. 232. E: Ἔφορος δὲ ἢ Δημόφιλος ὁ υἱὸς αὐτοῦ περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ λέγων κτέ. Consequitur igitur ex his bellum inchoatum esse ἐπὶ Καλλιςράτου, qui ab Archia decimus est, anno secundo Olympiadis CVI. Itaque templum a Phocensibus occupatum est et hinc bellum erupit *anno post* quam Xenophontem περὶ πόρων scripsisse demonstratum est. Disertum est Diodori Siculi testimonium XVI. 23: ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Καλλιςράτου ὁ κληθεὶς ἱερὸς πόλεμος συνέςη καὶ διέμεινεν

ἔτη ἐννέα. *Novem* annos durasse bellum iure potuit dicere, si quidem Phocensium deditio, quae bello finem imposuit, facta Σκιροφοριῶνος μηνὸς ὀγδόῃ φθίνοντος, incidit in *ultimos* dies *noni* anni ἐπὶ Θεμιστοκλέους ἄρχοντος. Plane confectum est bellum anno *decimo* quum Phocensium reliquiae armis ademtis oppidis solo aequatis pagatim (κατὰ κώμας) in vastata patria habitarent. Si quis ad hanc lucem Xenophontis locum spectabit Boeckhio concedet, fieri nullo pacto posse ut haec scripta sint *post* bellum sacrum confectum Olymp. CVIII. 3. et necesse esse ut litteris mandata fuerint ante Olymp. CVI. 2. Praeterea illud quoque mihi certissimum esse videtur, quod Boeckhius ponit et aliorum et Schneideri auctoritatem secutus, *Thebanos* esse quos dicat Xenophon ἐκείνους οἵτινες ἐκλιπόντων τῶν Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο. Quos fuisse *potentissimos* ex ipsis his Xenophontis verbis perspicue colligitur ubi dicit: πάντας ἂν τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους [καὶ συμμάχους] λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους κτέ. in quo loco vehementer mihi suspecta sunt vocabula καὶ συμμάχους, quae ab nescio quo interpolata esse arbitror ad explicandum vocabulum συνόρκους, quod ad intelligendum apertum est sed nusquam alibi legitur pro συνομωμοκότας. Quae inest in verbis ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους orationis minime vulgatae σεμνότης, claudicat ubi de trivio sumtum καὶ συμμάχους praeter ullam necessitatem adiicitur. Thebani igitur τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν ἐκλιπόντων Φωκέων καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο ante belli sacri initium Olymp. CVI. 2. Gravissima difficultas haeret in his ipsis verbis ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπεῖρῶντο οἱ Θηβαῖοι. Verba ipsa per se spectata ad intelligendum sunt apertissima. Quid sit ἐκλείπειν tam certo sciri potest quam quid sit τὸ ἱερόν, aut quid sit καταλαμβάνειν. *Sciri potest*, inquam, nam Boeckhius et alii, dum toti sunt in *rebus*, ut aiunt, explorandis, *verborum* certam potestatem et perpetuum dicendi usum ignorantes Graeca nonnumquam ita interpretantur quemadmodum Plutarchus Latina (in vita Demosth. cap. 2.): οὐχ οὕτως ἐκ τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα συνιέντες ὡς ἐκ τῶν πραγμάτων ἁμωσγέπως καὶ τὰ ὀνόματα γνωρίζοντες, quod quam sit lubricum et fallax interpretandi

genus et Plutarchus saepius et Boeckhius monstrare possunt. Et Boeckhius quidem

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθεῖται ψόγον,

alii multi neque in verbis rectum vident neque in rebus. Ἐκλείπειν igitur, si quid Boeckhio credis, accipiendum est de Phocensibus, qui quum sibi olim τὴν τοῦ ἱεροῦ προστασίαν vindicassent tandem ab ea re *destiterunt*, aut significat Phocenses *debilitatos esse* et *remissiores factos*: caeterum utrocumque modo accipiatur perinde esse ait et rem redire eodem. Noli his quidquam credere. Ne dicam mirum esse Phocenses aut de iure suo *destitisse* dici aut *remissiores esse factos* anno uno ante quam audacissimo facinore templo et urbe fuerint per vim potiti, satis erit demonstrare Boeckhium ἐκ τῶν πραγμάτων ἀμωσγέπως καὶ τὰ ὀνόματα γνωρίζοντα verbo ἐκλείπειν novam et inauditam affingere significandi potestatem. Observandum primum est verba Xenophontis: οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο, ita esse accipienda, ut τὸ ἱερόν non minus ad ἐκλιπόντων quam ad καταλαμβάνειν referatur. Perinde est ac si dixisset: τὸ ἱερὸν, ὃ ἐξέλιπον οἱ Φωκεῖς, ἐπειρῶντο καταλαμβάνειν οἱ Θηβαῖοι, vel ἐπειδὴ οἱ Φωκεῖς τὸ ἱερὸν ἐξέλιπον οἱ Θηβαῖοι αὐτὸ καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο. Itaque videndum quid sit, non ἐκλείπειν, sed τὸ ἱερὸν ἐκλείπειν. Ἐκλείπειν πόλιν, χώραν, χωρίον ὁτιοῦν, ἐκλείπειν τὸ ἱερόν unam apud omnes certam constantemque habet significationem frequenti omnium usu tritam *loco cedendi* vel *excedendi*. Opponuntur inter se καταλαμβάνειν χωρίον et χωρίον ἐκλείπειν. Nemo potest *cedere loco*, nisi eum locum antea occupaverit tenueritque, nec quisquam Graece dici potest τὸ ἱερὸν ἐκλιπεῖν πλὴν τοῦ καταλαβόντος τε καὶ σχόντος πρότερον τὸ ἱερόν. Exempla ubique sunt obvia. Thucyd. IV. 116: οἱ Ἀθηναῖοι — ἐκλιπόντες τὸ χωρίον ἐς Παλλήνην διεκομίσθησαν. V. 80. ἐψηφίσαντο — πρεσβείαν παρ' Ἀθηναίων μὴ προσδέχεσθαι ἢν μὴ ἐκ τῆς Πελοποννήσου ἐξίωσι τὰ τείχη ἐκλιπόντες, et post pauca: ἔπεμψαν δὲ καὶ παρὰ τοὺς Ἀθηναίους οἱ Ἀργεῖοι πρέσβεις τὸ ἐξ Ἐπιδαύρου τεῖχος κελεύοντες ἐκλιπεῖν. Plura exempla rei tritissimae afferre nil opus est: hoc tantum notabo ἐκλιπεῖν χωρίον passim dici eum, qui loco cedat *quem vi et armis retinere non possit* locumque unde ipse cedat hostibus ingruentibus concedat. Sic Athenienses

saepe dicuntur ἐκλιπεῖν τὴν πόλιν, et apud Thucydidem est I. 113: τὴν Βοιωτίαν ἐξέλιπον Ἀθηναῖοι πᾶσαν, et in Anabasi I. II. 24: ταύτην τὴν πόλιν ἐξέλιπον οἱ ἐνοικοῦντες, et omnes tam saepe ita loquuntur, ut unusquisque verba οἱ Φωκῆς ἐξέλιπον τὸ ἱερόν non aliter quam sic accipi posse debeat sentire, ut Phocenses templo Delphico, quum id retinere non potuissent, excessisse intelligantur. Οἱ Φωκῆς τὸ ἱερὸν καταλαβόντες εἶτα οὐ δυνάμενοι κατέχειν ἐξέλιπον. Tum vero οἱ Θηβαῖοι ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο. Illo igitur ipso tempore scribebat haec Xenophon, et Athenienses adhortatur ut legationibus per Graeciam missis oraculum Delphicum vindicent in libertatem: ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥσπερ πρόσθεν γένοιτο — μὴ συμπολεμοῦντες ἀλλὰ πρεσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα. Quod dicit μὴ συμπολεμοῦντες demonstrat illo tempore *bellum iam fuisse* aut certe *parari*, in cuius belli societatem ne veniant neve arma cum alterutris consocient Athenienses dehortatur. Quodnam tandem hoc bellum fuisse dicamus? Gerebatur ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον γένοιτο. Gerebatur τῶν Φωκέων ἐκλιπόντων τὸ ἱερόν. Gerebatur statim post pacem ab Atheniensibus compositam et pacatum mare. Adversis frontibus haec concurrunt cum iis, quae de bello sacro Phocensi constant inter omnes. Causa belli fuit ἡ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ ὑπὸ Φιλομήλου κατάληψις idque factum est ἐπὶ Καλλιστράτου Olymp. CVI. 2. anno *uno* postquam haec scripta sunt. Dicam quid mihi venerit in mentem, unde haec inter sese desinant pugnare videri. Faciam id quod appellant Graecorum astronomi σώζειν τὰ φαινόμενα, id est excogitabo causam probabilem, quam si veram esse sumseris, earum rerum omnium, quas veras esse compertum sit, ratio constabit, et quae nunc pugnare videntur in concordiam redigentur. Deinde id ipsum efficiet ut id quod sumseris probabile esse videatur et verum esse posse. Ut ita faciendum sit et ut ita facere liceat Diodori Siculi negligentia et socordia factum est, qui de bello Phocensi ut de caeteris historiae partibus ita scribit, ut veris falsa admisceat et tenuiora quaedam enarrans gravissima alia omittat et temporum rationes oscitanter confundat. Ostendam primum eum secum pugnare. Si causa belli fuit ἡ τοῦ ἱεροῦ κατάληψις, ut sine

controversia fuit: si Philomelus ἐπὶ Καλλιςράτου templum occupavit, neque est ulla dubitatio quin tum occupaverit, quomodo tandem, quaeso, eodem Diodoro teste, bellum biennio ante potuit erumpere? Audi disertum Diodori testimonium XVI. 14: Δημόφιλος ὁ Ἐφόρου τοῦ ἱςοριογράφου υἱὸς τὸν παραλειφθέντα πόλεμον ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὀνομασθέντα δὲ ἱερὸν, συντεταγμένος ἐντεῦθεν (id est ἀπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος Olymp. CV. 4.) ἦρκται ἀπὸ τῆς καταλήψεως τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ καὶ τῆς συλήσεως τοῦ μαντείου ὑπὸ Φιλομήλου τοῦ Φωκέως. Errasse putes hominem negligentiorem, idque alieno loco inseruisse quod biennio post collocatum oportuit. Non erravit, nam continuo sequitur: ἐγένετο δ' ὁ πόλεμος οὗτος ἔτη ἕνδεκα ἕως τῆς φθορᾶς τῶν διανειμαμένων τὰ ἱερὰ χρήματα. Idem post pauca oblitus sui scribit cap. 23: ἐπὶ Καλλιςράτου ὁ κληθεὶς ἱερὸς πόλεμος συνέςη καὶ διέμεινεν ἔτη ἐννέα. Diligentem historicum vides. Confectum bellum constabat ἐπ' Ἀρχίου, ipso Diodoro teste cap. 59. quo anno saevitum est in victos poenaeque de sacrilegis sumtae. Itaque si incepit bellum ἐπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος statuendum necessario est ὅτι ἐγένετο ὁ πόλεμος οὗτος ἔτη ἕνδεκα: sin autem ἐπὶ Καλλιςράτου ἄρχοντος, consequitur ὅτι διέμεινεν ἔτη ἐννέα. Arma posita sunt et reliquiae copiarum cum duce Phalaeco ὑπόσπονδοι ἀπῆλθον, testibus Demosthene et Aeschine, Σκιροφοριῶνος μηνὸς ὀγδόῃ φθίνοντος, id est in ipso exitu anni ab Agathocle *undecimi*, a Callistrato *noni*, et insecuta est Phocensium pernicies anno aut *duodecimo* ab occupatione templi, aut *decimo*. Utrumque autem simul verum esse non potest. Priusquam optionem faciamus novus testis audiendus est Pausanias X. II. 3: τὴν δὲ τῶν Δελφῶν κατάληψιν ἐποιήσαντο οἱ Φωκεῖς Ἡρακλείδου μὲν πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς καὶ Ἀγαθοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος τετάρτῳ δὲ ἔτει πεμπτῆς Ὀλυμπιάδος ἐπὶ ταῖς ἑκατόν. Potestne testimonium esse disertius? Deinde Pausanias anno post *decimo* a Philippo confectum esse bellum scribens hanc anni notam apponit X. III. 1: δεκάτῳ δὲ ὕςερον ἔτει μετὰ τὴν τοῦ ἱεροῦ κατάληψιν ἐπέθηκεν ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ Φωκικῷ τε καὶ ἱερῷ κληθέντι τῷ αὐτῷ Θεοφίλου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ Ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοςῆς ἔτει πρώτῳ. Nunc quidem in manifesto errore tenetur: nihil enim potest esse certius quam

biennio post id factum esse *Ἀρχίου μὲν Ἀθήνησιν ἄρχοντος, ὀγδόης δὲ Ὀλυμπιάδος καὶ ἑκατοστῆς ἔτει τρίτῳ.* Nisi forte putabis Demosthenem nescivisse quo anno Athenienses cum Philippo pacem composuerint, qua composita post menses quatuor Phocenses perierunt. Vel sola Pythiorum mentio, in quibus constat Philippum *τἀπινίκια* celebrasse, rem conficit. Videor mihi perspicere quid Pausaniam in illum manifestum errorem impulerit. *Primum* belli annum recte posuit *certam* historicorum fidem secutus *Ἡρακλείδου μὲν πρυτανεύοντος ἐν Δελφοῖς καὶ Ἀγαθοκλέους Ἀθήνησιν ἄρχοντος κτἑ.* Sumta haec sunt e Callisthene aux Demophilo aut Cephisodoro aux alio quo historiarum scriptore, apud quem certa temporum notitia diligenter esset memoriae prodita. Deinde Pausanias vulgarem famam secutus est ab Oratoribus Atticis propagatam, ex qua *ὁ πόλεμος δεκέτης γενέσθαι* vulgo credebatur: et *ὅτι ὁ Φίλιππος πέρας τῷ πολέμῳ ἐπέθηκε τῷ δεκάτῳ μετὰ τὴν κατάληψιν ἔτει.* Hinc factum est ut *decimum* ab Agathocle archontem Theophilum poneret, quum ex fide rerum gestarum *duodecimum* Archiam ponere debuisset. Nempe duplex de belli initio fama est memoriae prodita, quam Diodorus utramque coniunxit, Pausanias miscuit et confudit. Altera historiarum scriptores testes habet: altera manavit ex Oratorum monumentis. Equidem historicis credo *ἐπ' Ἀγαθοκλέους* belli initia et causas primum esse natas: Oratorum et populi opinio unde concepta sit e Xenophontis loco tenui quadam suspicione colligo. Credo, inquam, Demophilo (cui difficile est non credere) *ὅτι ἤρξατο ὁ πόλεμος ἀπ' Ἀγαθοκλέους ἄρχοντος καὶ διέμεινεν ἔτη ἕνδεκα*, ut Philippus anno *duodecimo* poenas de sontibus sumserit Phocidemque vastaverit. Inchoatum est bellum ex ea ratione *anno uno* priusquam sociale bellum compositum est: *anno uno* priusquam Xenophon *περὶ πόρων* instituit scribere. Illo anno (sic enim *σώζω τὰ φαινόμενα*) Phocenses *templum occuparunt*, sed incertum qua de causa *quia retinere aut noluerunt aut non potuerunt* post brevem occupationem *ἐξέλιπον τὸ ἱερόν.* Tum vero Thebani ipsi *τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.* Phocensibus interea ingentem multam Amphictyones dixerunt; quam quum nullo pacto solvere possent ad rerum omnium desperationem redacti et insuper quum aliorum tum

Spartanorum pollicitationibus freti templum *iterum* occupant, unde non prius excesserunt quam exhaustis opibus sacris omnibus post atrocissimas clades et hostium et suas tandem Philippo se suaque omnia coacti sunt dedere. Statuo igitur Phocenses δὶς καταλαβεῖν τὸ ἱερόν, ἐπί τε Ἀγαθοκλέους καὶ ἐπὶ Καλλιςράτου. Prior occupatio brevis fuit, quumque Xenophon anno post ἐπ' Ἐλπίνου ἄρχοντος de statu Graeciae scriberet ἤδη οἱ Φωκῆς τὸ ἱερὸν ἐξέλιπον. Hinc semina novi belli iacta sunt. Quam duriter statim post saevierit in Phocenses concilium Amphictyonum notum est. Quae fuerit tantae saevitiae causa testes dissentiunt. Audi modo Pausaniam X. II. 1. qui quum multam gravissimam iis impositam narrasset ita pergit: οὐδὲ ἔχω τοῦ λόγου τὸ ἀληθὲς ἐξευρεῖν εἴτε ἀδικήσασιν ἐπεβλήθη σφίσιν εἴτε κτέ. Si recte e Xenophonte collegimus templum ab iis repente occupatum deinde brevi post relictum esse, nihil est quod miremur multae gravitatem, quae Phocenses desperatis rebus suis ad extrema quaevis audenda impulit. Nempe eadem de causa Spartanis et Phocensibus ingentem multam Amphictyones dixerunt: τοῖς μὲν ὅτι τὴν Καδμείαν κατέλαβον, τοῖς δὲ ὅτι τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερόν. Vulgus hominum, ita uti fit, a *secunda* occupatione belli et calamitatum omnium originem repetiit: priorem biennio ante factam, quia frustra fuerat, non curarunt. Hinc factum est ut rumore populi diceretur ὁ πόλεμος δεκέτης γενέσθαι, et quia constabat ἐπ' Ἀρχίου esse debellatum ἐπὶ Καλλιςράτου erupisse bellum existimabatur. Historici contra quum prima belli semina et causas indagarent rem altius repetentes et alia antiquiora commemorarunt et ἐπ' Ἀγαθοκλέους Phocenses τὸ ἱερὸν καταλαβεῖν. Quantum quidem hodie sciri potest historiarum scriptores unanimi consensu ab Agathoclis anno seriem rerum in bello Phocensi gestarum exorsi sunt: inspice Diodorum Sic. XVI. 14. ex quo obiter mendum exime in Diylli mentione: Δίυλλος ὁ Ἀθηναῖος, inquit, ἦρκται τῆς ἱςορίας ἀπὸ τῆς ἱεροσυλήσεως καὶ γέγραφε βίβλους εἴκοσι καὶ ἑπτά. Noli credere ἱεροσύλησις esse vocabulum Graecum et emenda: ἀπὸ τῆς τοῦ ἱεροῦ συλήσεως et malesanam formam ex Graecitatis gaza expelle. Diodorus, non Diyllus, belli sacri initium appellat τὴν τοῦ ἱεροῦ σύλησιν: Philomelus templo potitus aliquamdiu a pecunia

sacra abstinuit manus. Scriptores veteres in ea re utuntur verbo *καταλαμβάνειν τὸ ἱερόν*, quod facere dicuntur qui *praesidio armato Delphis imposito τὴν τοῦ ἱεροῦ προστασίαν* per vim sibi vindicant. Loquitur sic Xenophon, ut vidimus, *τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο*: loquuntur sic alii plures, ut nulla sit dubitatio quin in Marmore Pario nº. 76. in quo haec tantum supersunt:

'ΑΦ' οὗ Φωκεῖς τὸ ἐν Δελφοῖς ἱρὸν. . . . .

νησι Κηφισοδώρου

rectissime suppleverint viri docti *τὸ ἐν Δελφοῖς ἱρὸν* (*κατέλαβον . . . . ἄρχοντος 'Αθή*)*νησι Κηφισοδώρου*. Vides eum, qui haec nescio unde collegit, templi occupationem uno anno etiam antiquiorem facere. Cephisodorus enim (alii *Κηφισόδοτον* appellant) uno anno Agathoclem praecedit. Quid igitur aliud superest, si apparet *ἐπ' 'Αγαθοκλέους* (vel etiam anno ante) *τοὺς Φωκέας τὸ ἱερὸν καταλαβεῖν*, et eosdem *ἐπ' 'Ελπίνου* (id est sequenti anno) teste Xenophonte *ἐκλιπεῖν τὸ ἱερόν*, nisi ut statuamus id quod ab initio posuimus: *τοὺς Φωκέας καταλαβεῖν μὲν τὸ ἱερὸν εἶτα κατέχειν μὴ δυναμένους πάλιν ἐκλιπεῖν*. Hac igitur occasione utendum esse Xenophon Athenienses admonet: nunc de communi Graecorum sententia templum Delphicum in libertatem vindicari posse et sui iuris fieri ut olim fuisset. Sic Graecorum omnium consensu sine bello templum inhiantibus Thebanis posse eripi restituta pristina *αὐτονομίᾳ*, quae olim anno 421. foedere Lacedaemoniorum et Atheniensium constituta esset, quod est apud Thucyd. V. 18: *τὸ δὲ ἱερὸν τὸ ἐν Δελφοῖς* [*τοῦ 'Απόλλωνος*] *καὶ Δελφοὺς αὐτονόμους εἶναι καὶ αὐτοτελεῖς καὶ αὐτοδίκους καὶ αὐτῶν καὶ τῆς γῆς τῆς ἑαυτῶν κατὰ τὰ πάτρια*, ex quo loco *τοῦ 'Απόλλωνος*, quod et frigide abundat et loco non suo collocatum est, sciolo qui addidit reddendum esse censeo. Hoc est illud ipsum quod Xenophonti optimum factu esse videbatur: *ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥσπερ πρόσθεν γένοιτο*, idque quum haec scriberentur Olympiadis CVI. anno primo, si Athenienses temporibus sollerter uterentur, percommode fieri posse debebat videri.

Transeo nunc ad libelli emendationem, si quid forte opis ferre possim locis impeditis aut vitiose scriptis, quorum adhuc post Criticorum curas sat magna copia superest. Prodiit

liber ex paucis quibusdam Codd. Mss. iisque neque vetustis neque integris, omni genere mendorum obsitis, quorum pars certe olim sollerter deprensa et correcta est. Iuvat virorum doctorum emendationes certas et evidentes sub unum conspectum ponere, ut appareat quales sint illi Codices unde verba Xenophontis constituenda nobis sint, et ut ad eandem laudem illorum exemplis adspiremus. In libris igitur est II. 2. *τέκνων* pro *τεχνῶν*, quod reperit Castalio. III. 1. *ναῦς καλλίςας* pro *ναυσὶ καλλίςας*, correxit Weiske. IV. 10. *παραφαίνῃ*, optime Schneider *παραφανῇ*. IV. 12. *τῶν ξένων τῶν βουλομένων*. Leunclavius *τῷ βουλομένῳ*. IV. 15. *τριακόσια ἡμιμναῖα*. Leuncl. *ἡμιμναῖον*. IV. 22. *μισθωσάμενοι*, Stephanus *μισθωσόμενοι*. IV. 26. *ὑπὸ νόμον* aut *ὑπὸ νόμων*, *ὑπονόμων* Leuncl. IV. 32. *φοβεῖσθαι*, Stephanus *φοβεῖσθε*. IV. 36. *κάλλιον*, Stephanus *κάκιον*. idem *ἀποτελοῖμεν* emendavit pro *ἀποτελοῖεν*. IV. 40. *εἰρημένης*, Castalio *εἰρήνης*, et 41. *ἐγερθείη* pro *ἀγερθείη*. IV. 43. *ἀναφαύςω*, Brodaeus *Ἀναφλύςω*. IV. 47. *περιπόδων*, idem *περιπόλων*. V. 4. *ἢ οὐ*, Heindorf. *ποῦ*. V. 6. *ὅμως*, Stephanus *ὠμῶς*. VI. 3. *οὓς δ' ἂν ἕλοιεν θεοὺς*, Stephanus *ἀνέλοιεν*.

Nunc ipse librum percurram singulorum locorum fidem et sinceritatem excutiens. Plane assentior Schneidero I. 2. *σκοποῦντι δή μοι [ἃ ἐπενόησα] τοῦτο μὲν εὐθὺς ἀνεφαίνετο*, verba *ἃ ἐπενόησα* expungenti. Pervulgato errore scribitur II. 2: *μέγα δὲ καὶ τὸ ἀπὸ τῶν τεχνῶν καὶ τῶν οἰκιῶν ἀπιέναι*, imo vero *ἀπεῖναι*. Non *abire* domo et ab artificio illis grave et damnosum est, sed *abesse*. Dele emblema II. 4: *πρὸς δὲ τῷ ἀγαθῷ [τῷ τούτους ἐκ τοῦ συντάττεσθαι ἀφεθῆναι] καὶ κόσμος ἂν τῇ πόλει εἴη*. Interpolationem arguit vitiosa oratio: sed etiam si optima esset non fert locus insipidum additamentum. In § 5. inserta copula scribe: *τῶν (τε) ἄλλων — καὶ τοῦ ἱππικοῦ*. In § 7. emblema irrepsit in haec: *εἰ μετοικοφύλακάς γε ὥσπερ ὀρφανοφύλακας [ἀρχὴν] καθιςαῖμεν καὶ τούτοις τιμή τις ἐπείη*. Esse hoc *nomen magistratus* sciolus in ora libri adscripsit. Graecis ipsa forma nominis, ut *νομοφύλακες*, *εἰρηνοφύλακες*, satis id indicabat, ut in V. 1: *ἆρ' οὐκ ἄξιον καὶ εἰρηνοφύλακας καθιςάναι*; *Ἀρχήν* additum et per se vitiosum est, et praesertim ubi *ὥσπερ ὀρφανοφύλακας* Xenophon adiecerat rem per se claram exemplo reddens etiam clariorem. *Ἀρχή* eadem

fraude interpolatum apud Thucydidem IV. 53. indicavimus ad Hyperidis orationem funebrem. In eadem § legitur errore manifesto: καὶ τούτοις τιμή τις ἐπείη, οἵτινες πλείους μετοίκους ἀποδείξειαν: nam ipsa rei natura πλείστους postulat, ut III. 5: εἰ δὲ καὶ ἆθλα προτιθείη τις ὅστις δικαιότατα καὶ τάχιστα διαιροίη τὰ ἀμφίλογα, et sic omnes passim inde ab Homero loquuntur.

Una litterula corrupta est III. 1: ναυσὶ καλλίστας καὶ ἀσφαλεστάτας ὑποδοχὰς ἔχει, ὅπου γ' ἔστιν εἰσορμισθέντας ἡδέως ἕνεκα χειμῶνος ἀναπαύεσθαι. Loquitur res ipsa et clamat pro ἡδέως oportere ἀδεῶς substitui, quod vel solum ἕνεκα χειμῶνος additum declarat. Nulla tempestas illam *securitatem* turbare posse sic dicitur. Contrario errore apud Isocratem in Antid. § 115. Urbinas exhibet: ἡγοῦμαι δ' ὑμᾶς ἀδεῶς ἂν ἀκοῦσαι pro ἡδέως.

Confusae sunt de more praepositiones in III. 5: ὡς μὴ ἀποκωλύεσθαι ἀποπλεῖν τὸν βουλόμενον, qui enim *abire volentem* aut coenaturum aut profecturum odiose *detinet* eique *in mora est*, quo minus id quod agat statim peragat, dicitur Attice κωλύειν τινά, aut κατακωλύειν ἀπιέναι, ἀποπλεῖν, δειπνεῖν, ἀνάγεσθαι et sim. cuius rei nota sunt exempla apud Aristophanem et alios. Itaque Xenophon ut in Oeconomico XII. 1. dixerat: ἀλλὰ μή σε κατακωλύω ἀπιέναι ἤδη βουλόμενον; sic h. l. dixisse videtur ὡς μὴ κατακωλύεσθαι ἀποπλεῖν τὸν βουλόμενον.

Multum negotii facessivit Interpretibus locus IV. 4: οὐδὲ φθονεῖ οὐδεὶς τοῖς ἐπισκευαζομένοις. Schneiderus optime Graece sciens sensit »*intelligi debere quae* reficiuntur *opera in argentifodinis antea deserta*." Sed non convenit hoc sententiae loci. Hic quoque κατά intercidit. Emenda: ἐπικατασκευαζομένοις. Quid sit in metallis κατασκευάζεσθαι colliges ex § 11 et 22. et IV. 28. unde apparet Xenophontem hoc dicere: tantam esse argenti in metallis copiam ut nemo invideat, si qui *ad ea exercenda* iis qui antea exercerent *novi accedant*.

In III. 4: ἀγαθὸν δὲ καὶ — ἐπὶ ξενίᾳ ἔστιν ὅτε καλεῖσθαι, miror Dindorfium non correxisse ἐπὶ ξένια, quod unice verum esse in ea re nunc satis constat.

In III. 5. quum manifesto vitiosum sit τοσούτῳ ἂν πλεῖον καὶ εἰσάγοιτο [καὶ ἐξάγοιτο] καὶ ἐκπέμποιτο, alii perperam ἐκ-

πέμποιτο tentaverunt, Dindorfius intellexit *καὶ ἐξάγοιτο* ex interpretamento irrepsisse. Xenophon protrita nimis fugitans *ἐκπέμποιτο* pervulgato *ἐξάγοιτο* substituit, quemadmodum et I. 7. dixerat: *προσάγεταί τε ὧν δεῖται καὶ ἀποπέμπεται ἃ βούλεται*, pro tralaticiis *εἰσάγεταί τε καὶ ἐξάγεται*.

In cap. IV. et passim *ἀργύρεια* non *ἀργύρια* scribendum esse et *ἔργα χρύσεια καὶ ἀργύρεια* Graece dici, non *ἀργύρια* aut *χρύσια*, nunc quidem satis certum est, et quis libros consulet ad constituendum utrum I an EI verior scriptura sit? Ostendimus diligenter alibi I pro EI aut IEI tralaticio librariorum errore in Codd. scribi solere, unde factum est ut tam saepe *'Ολύμπιον* pro *'Ολυμπίειον*, *'Ασκληπιόν* pro *'Ασκληπιεῖον* et sim. scribantur. Eiusdem rei luculentum exemplum est in hoc ipso libro V. 5: *ἡγεμονίας τε τοῦ ναυτικοῦ καὶ 'Ελληνοταμίας ἐτύχομεν*, ubi certa analogia docet *'Ελληνοταμιείας* verum esse, quod quum in — *μείας* abiisset, ut fere semper *ταμιεῖον* in *ταμεῖον* depravatur et *ὑγίεια* in *ὑγεία*, factum est ut forma omnibus nota *'Ελληνοταμίας* substitueretur. Quia nusquam alibi eiusdem honoris mentio recurrit depravata forma firmiter haesit. Verum restituisse Boeckhium annotavit ad Steph. Thes. Dindorfius.

In IV. 2. *ὅτι μὲν πάνυ παλαιὰ ἐνεργά ἐστι πᾶσι σαφές*, assentior iis qui *πάλαι* pro *παλαιά* reponendum esse censuerunt. Metalla *quae exercentur* proprie *ἐνεργὰ εἶναι* dicuntur. Scribae qui elisas vocales de suo explere assolent ΠΑΛΑΙΕΝΕΡΓΑ opinati sunt esse *παλαί' ἐνεργά*, itaque *παλαιὰ ἐνεργά* dederunt. Confirmat ipse Xenophon statim subiungens: *οὕτω δὲ πάλαι ὀρυττομένης τε καὶ ἐκφορουμένης τῆς ἀργυρίτιδος*, ex quo loco facile est eximere vetus mendum ex iis quae leguntur IV. 32: *τόσῳ πλείονα τἀγαθὰ εὑρήσουσί τε καὶ φορήσουσιν*. Intelliges quid dicat ubi emendaveris: *καὶ ἐκφορήσουσιν*.

Notavimus alibi solemnem confusionem trium participiorum *ἀφιέμενος*, *ἀφέμενος* et *ἀφειμένος*. Quis huius rei gnarus dubitet IV. 6. rescribere: *πολλοὶ ἀφέμενοι τοῦ τὴν γῆν ἐργάζεσθαι ἐπ' ἐμπορίας — τρέπονται*, pro *ἀφιέμενοι*?

Scioli manum agnosco IV. 6. ubi quum dixisset Xenophon: *ἀργυρῖτις δὲ ὅσῳ ἂν πλείων φαίνηται*, insulsissime additur: [*καὶ*

ἀργύριον πλεῖον γίγνηται]. Emendate in § 10. legitur: *χρυσίον ὅταν πολὺ παραφανῇ αὐτὸ μὲν ἀτιμότερον γίγνεται, τὸ δὲ ἀργύριον τιμιώτερον ποιεῖ.*

In § 9: *ὅταν νοσήσωσι πόλεις ἢ ἀφορίαις καρπῶν ἢ πολέμῳ*, restituerim *ἢ ἀφορίᾳ καρπῶν*. Errorem peperit sequens ΙϹΑΡ-ΠΩΝ. *Unum* tantum est *ἀφορίας* genus, quamobrem pluralis *ἀφορίαι* suspicionem movet, praesertim quum *πολέμῳ*, non *πολέμοις*, sequatur. Contra in II. 2. *ὅσα — ἀτιμίας δοκεῖ τοῖς μετοίκοις παρέχειν* erraruut graviter qui *τι* addendum putaverunt: »*alioquin ἀτιμίαν dixisset Xenophon*" Schneiderus. Non enim *ἀτιμίας τι παρέχειν* Graecum est, sed *ἀτιμίαν τινά*, et plura erant *ἀτιμίας* genera, quibus *οἱ μέτοικοι* a civibus optimo iure distinguebantur.

Insiticia praepositio expellenda est IV. 13. *ἀπ' αὐτῶν μὲν οὖν ἔγωγε [ἀφ'] ὧν μέλλω λέγειν οὐδέν τι ἀξιῶ θαυμάζεσθαι.* Unusquisque admonitus male repetitum esse *ἀπό* sentiet.

Reperta vera lectio est sed non recepta IV. 14: *Νικίας — χιλίους ἀνθρώπους Σωσίᾳ τῷ Θρᾳκὶ ἐξεμίσθωσεν ἐφ' ᾧ ὀβολὸν μὲν ἀτελῆ ἑκάστου τῆς ἡμέρας ἀποδιδόναι, τὸν δ' ἀριθμὸν ἴσους ἀεὶ παρεῖχεν.* Quod Leunclavius reponebat *παρέχειν* ipsa compositio loci necessario requirit: *ἀποδιδόναι μέν — παρέχειν δέ.*

Ut una litera transposita *παρεῖχεν* ex *παρέχειν* prodiit, sic IV. 21: *οὐκοῦν μέχρι μὲν τούτου δυνατὸν φανεῖται τῇ πόλει* emendandum est *δυνατὸν φαίνεται.* Satis se id quidem demonstrasse Xenophon arbitrabatur.

Frequentissimi mendi novum exemplum occurrit IV. 21: *προσκειμένης ζημίας τῷ τε πωλοῦντι καὶ τῷ ἐξάγοντι*, nam vera scriptura est *προκειμένης*. Graecum est *προτιθέναι ζημίαν* et *ζημία πρόκειται*, ut Latine *proponere poenam* et *poena proposita* esse dicitur. Saepe in talibus scribae titubant, ut apud Thucyd. III. 44: *ξυμφέρον ἔσεσθαι θάνατον ζημίαν προθεῖσιν*, ubi pars librorum perperam *προσθεῖσιν* exhibet. Recte apud Thucydidem in eadem re *πρόκειται* servatum est cap. 45: *ἐν οὖν ταῖς πόλεσι πολλῶν θανάτου ζημία πρόκειται καὶ οὐκ ἴσων τῷδε ἀλλ' ἐλασσόνων ἁμαρτημάτων*, sed is locus alio mendi genere laborat. Quoniam enim certo Graecorum usu dicitur *θάνατος ἡ ζημία* et *θάνατον* (non *θανάτου*) *ζη-*

μίαν προτιθέναι, sequitur *θάνατος* (non *θανάτου*) *ζημία πρόκειται* Graece dici et a Thucydide dictum esse.

In IV. 22: *εἰ δέ τις τοῦτ' ἐνθυμεῖται ὡς ἐπειδὰν πολλοὶ ἐργάται γένωνται πολλοὶ φανοῦνται καὶ οἱ μισθωσόμενοι*, ita demum intelliges quid dicat Xenophon si pro *ὡς* reposueris *πῶς*. Suspicatur enim fore qui ita secum cogitent: *πῶς καὶ οἱ μισθωσόμενοι πολλοὶ φανοῦνται;* quae dubitantis oratio est et obiicientis.

Contra sententiam legitur IV. 23: *ἀπό γε μὴν τούτου τοῦ ἀριθμοῦ ἣν ὀβολὸν ἕκαστος ἀτελῆ τῆς ἡμέρας φέρῃ ἡ μὲν πρόσοδος ἑξήκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ.* Nempe *ὀβολὸν φέρειν τῆς ἡμέρας* est *merere* in diem obolum, ut notum est et multis exemplis supra ostendimus. *Φέρειν ὀβολόν, δύ' ὀβολώ, τριώβολον, δραχμήν, δύο δραχμὰς* et similia omnia constanter ab omnibus dicuntur de *mercede* aut *stipendio*, quod quis *mereat*, ut *μισθὸν φέρειν*. Certa et indubitata res est. Quid igitur hoc loco faciemus? Retrahemus e fuga praepositionem, cuius sigla saepissime sequiorum temporum scribas in errorem impulit, et scribemus: *ἣ ὀβολὸν ἕκαστος τῆς ἡμέρας ἀτελῆ προσφέρῃ.* Hoc enim verbum est, quo in tali re utuntur omnes quodque verbo *προσιέναι* et nomini *πρόσοδος* respondet. Tanta est ubique exemplorum frequentia ut vix opus sit unum et alterum apponere. In hoc ipso libello IV. 15. simillimus locus est: *ἐγένετο δὲ καὶ Ἱππονίκῳ ἑξακόσια ἀνδράποδα, ἃ προσέφερε μνᾶν ἀτελῆ τῆς ἡμέρας.* Cur *πρός* excidere soleat saepius ostendimus: in *rep. Lacedaem.* I. 9. videbis necessarium *προσλαμβάνειν* in *λαμβάνειν* apud Stobaeum depravatum esse. Sic et apud Demosthenem pag. 1168, 23: *ἐξαίφνης λόγον μοι προσφέρει*, in aliis vitiose *φέρει* legitur, et est hoc vitium admodum frequens, ut saepius ostendimus.

In IV. 31: *οὐδενὶ τῶν παρεληλυθότων ἐοικός*, verum esse videtur *ἔοικεν*. Non est ferenda in § 41. forma *ἐννοησάτωσαν*, neque V. 5. utrobique Atticum *ἐννοησάντων* repone, quod quam facile in vitium flectatur saepe monuimus. In IV. 41. ne legitur quidem in Codd. *ἐννοησάτωσαν*, sed *ἐννοησάτω*. In § 46. repetita syllaba scribendum: *πῶς δὲ καὶ ὁρμήσειαν* (*ἂν*) *ποτε πολέμιοι πρὸς τὰ μέταλλα;* In § 47. correxerim *εἰκὸς αὐτοὺς ἀπολέσθαι*, pro *ἀπόλλυσθαι*.

In V. 1: *σαφὲς δοκεῖ εἶναι, ὡς — [ὅτι]*, reseca inutilem voculam a sciolo insertam: deinde cogita quo sensu dicatur: *εἰ μέλλουσι πᾶσαι αἱ πρόσοδοι ἐκ πόλεως προσιέναι, εἰρήνην δεῖ ὑπάρχειν.* Intelligisne quid sit *ἐκ πόλεως?* Non opinor: nam pleraque aliunde redibant. Emenda: *εἰ μέλλουσι πᾶσαι αἱ πρόσοδοι ἔκπλεῳ προσιέναι.* Frequentissime Xenophon utitur adiectivo *ἔκπλεως*, in quo *copiae* et *abundantiae* notio inest, veluti *τἀπιτήδεια πάντα ἔκπλεω ἔχειν*, et sim. Quid lateat V. 2. in verbis: *ὡς ἐμῇ δόξῃ παραγγεμωσκοποῦσιν* frustra quaesivi. Neque magis excogitare potui quid tandem Xenophon cogitaverit et dixerit pro iis, quae nunc V. 3. leguntur: *οἱ δὲ γνώμῃ καὶ ἀργυρίῳ δυνάμενοι χρηματίζεσθαι.* Contra nihil est facilius quam eximere scripturae vitium ex V. 11: *πῶς ἂν ἄμεινον ταῦτα κριθείη ἢ εἴ τις τὰ προγεγενημένα ἔτι ἀνασκοποίη τῇ πόλει πῶς ἀποβέβηκεν;* quis enim statim admonitus non concedet *ἐπανασκοποίη* pro *ἔτι ἀνασκοποίη* esse reponendum? Tum in § 12. corrige *ἐκλιπούσας* pro *ἐκλειπούσας*. In § 13. foeda corruptela sententiam verborum prorsus obscuravit. In libris est: *πολὺ θᾶττον ἂν τιμωροίμεθα αὐτούς, εἰ μηδένα παρέχοιμεν ἀδικοῦντα, οὐδένα γὰρ ἂν ἔχοιεν σύμμαχον.* Luce clarior locus erit sic emendatus: *εἰ μηδένα ὑπάρχοιμεν ἀδικοῦντες.* Saepe vidi *ὑπάρχω* et *παρέχω* inter se confundi. Postquam *ὑπάρχοιμεν* in *παρέχοιμεν* abiit error errorem peperit et aut *ἀδικοῦν* (τ) male expletum est, aut *ἀδικοῦντες* a levi correctore ad verbum praecedens est accommodatum. Quam usitatum sit ita dicere *ὑπάρχω ἀδικῶν*, *ὑπάρχω ἄδικα ποιῶν* et sim. in priore parte satis demonstravimus: itaque nunc verbum non amplius addo.

Utar tantum uno huius libelli loco ad emendanda verba Plutarchi in Pericle cap. 13: *ὁ δὲ Φειδίας εἰργάζετο τῆς θεοῦ τὸ χρυσοῦν ἕδος καὶ τούτου δημιουργὸς ἐν τῇ στήλῃ εἶναι γέγραπται*: quid sit legendum pro *εἶναι γέγραπται* ostendent haec Xenophontis III. 11: *εἰ μέλλοιεν ἀναγραφήσεσθαι εὐεργέται εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον*, nempe *δημιουργὸς ἐν τῇ στήλῃ ἀναγέγραπται*, quod in tali re certum et necessarium verbum est. Contrario errore scribitur ibid. cap. 34: *τοὺς πολλοὺς διανομαῖς χρημάτων ἀνελάμβανε καὶ κληρουχίας ἀνέγραφεν*, emenda *ἔγραφεν*.

Tres supersunt libri Xenophontei, quibus quam diligentissime relectis et hic illic emendatis has Novas Lectiones concludam. Incipiam ab eo libello, qui *Κυνηγετικός* inscribitur et, ut mihi quidem videtur, ante reliquos omnes a Xenophonte scriptus est. Spirat enim totus liber fervorem quemdam iuvenilis animi *θυμοειδοῦς τε καὶ ἐρωτικοῦ* et in iis quae amet et admiretur modum nullum servantis. Multum esse in venatione boni etiam qui ea non utimur facile credimus, verum ille tantis eam laudibus in coelum extollens ut omnium virtutum principium ac firmamentum esse dicat modum excedere videtur. In ea re satis pueriliter fabulosis quibusdam heroum exemplis abutitur *ὅτ, τι κεν ἐπ' ἀκαιρίμαν γλῶσσαν ἔλθῃ* confidenter affirmans. Quos minime putasses novi repente venatores existunt, in his Aesculapius et Palamedes. Noli credere Palamedem Ulyssis scelere interemtum, nam quomodo bonus venator id committere potuit? *ἐτελεύτησε δὲ (Παλαμήδης) οὐχ ὑφ' ὧν οἴονταί τινες. — κακοὶ δὲ ἔπραξαν τὸ ἔργον.* Puerilis propemodum candor est talia sic asseverantis. Eiusdem candoris est quod scribit de ipsa Virtute res humanas omnes inspectante XIII. 19. sqq. *Ἐρωτικόν τινα* agnosces ibid. § 20. et melius etiam in lepidissimo loco V. 3: *οὕτω δ' ἐπίχαρί ἐςι τὸ θηρίον* (lepus) *ὥςε οὐδεὶς ὅςις οὐκ ἂν ἰδὼν ἰχνευόμενον, εὑρισκόμενον, μεταθεόμενον, ἁλισκόμενον ἐπιλάθοιτ' ἂν εἴ του ἐρῴη.* Laudavit haec Plutarchus in libro *non posse suaviter vivi secundum Epicurum* p. 1096. C, cuius verba describam, ut mendo liberem: *τὸ τοῦ Ξενοφῶντος ἐκεῖνό μοι δοκοῦσι καὶ τὸν ἔρωτα ποιεῖν ἐπιλανθάνεσθαι, τοσοῦτον ἡδονῇ κρατοῦσιν*, nempe pro *τὸν ἔρωτα* perspicuum esse arbitror emendari oportere: *καὶ τὸν ἐρῶντα ποιεῖν ἐπιλανθάνεσθαι.*

In ipso libello Atticae dictionis sinceritas passim vitiata est, in quibus sequiores antiquum dicendi genus ad suam loquendi consuetudinem accommodarunt. Non agnosco Xenophontem in formis imperativi *ἰχνευέτωσαν, ποιείτωσαν, διωκέτωσαν, μεταθείτωσαν, ἐχέτωσαν* et *ὑφείσθωσαν* et *ἀγέσθωσαν*, quae Macedonicae aetatis sunt. Qui *ἐγρηγόρησαν* alibi Xenophonti obtruserunt pro *ἐγρηγόρεσαν* et putabant inepti *γρηγορεῖν* et *ἐγρηγορεῖν* pro *ἐγρηγορέναι* a Xenophonte scribi potuisse, iidem V. 11. *ἐγρηγορῇ* dederunt pro *καὶ ὅταν μὲν ἐγρηγόρῃ.* Iisdem tribuo

X. 9. formam ἐστήξεται. Veteres ἐστήξει dicebant, sequiores ἐστήξεται, quemadmodi illi τεθνήξω dicebant, hi τεθνήξομαι, unde solemnis in libris harum formarum confusio nata est.

Suspectum est quoque X. 18: περιεπίμπρα, quia Attici πίμπρη et ἐπίμπρη solebant dicere. Graeculi ut ἱστᾶν pro ἱστάναι sic πιμπρᾶν pro πιμπράναι usurpabant, unde libris veteribus vitium et labes afferebatur. Πιμπρᾶν et πιμπρᾶσθαι apud Hesychium scribarum socordiae debentur et πιμπρᾶσθαι quidem pro πίμπρασθαι tralaticio errore scriptum est, ut κρεμᾶσθαι, κιχρᾶσθαι aliaque. Πιμπρᾶν in πιμπράναι corrigendum est. Ex huius pervulgati erroris observatione reperiri potest certa loci Theophrastei emendatio in Charact. V. 4: — κτήσασθαι — αὐλίδιον παλαιστρικὸν κόνιν ἔχον καὶ σφαιριστήριον. καὶ τοῦτο περιιὼν χρᾶν ἀεὶ τοῖς φιλοσόφοις, τοῖς σοφισταῖς, τοῖς ὁπλομάχοις, τοῖς ἁρμονικοῖς ἐπιδείκνυσθαι. Emenda: περιιὼν κιχράναι τοῖς φιλοσόφοις κτέ. Athenienses enim constanter κίχρημι dicebant et κίχραμαι. Periit in ΚΙΧΡΑΝΑΙ prima syllaba et sic ΧΡΑΝΑΙ in χρᾶν ἀεί abiit. Vitiose legitur κιχρᾶσθαι in Codice Palatino in notatione αἰσχροκερδείας fin.: καὶ παρὰ τῶν γνωρίμων τοιαῦτα κιχρᾶσθαι, ἃ μήτ' ἂν ἀπαιτῆσαι μήτ' ἂν ἀποδιδόντων ταχέως ἄν τις κομίσαιτο, ubi verum est κίχρασθαι et ἀποδιδόντος pro ἀποδιδόντων. In priore Theophrasti loco etiam aliud vocabulum est capite truncatum: καὶ τοῦτο περιιὼν κιχράναι τοῖς φιλοσόφοις — ἐπιδείκνυσθαι. Hoc recte dictum esset εἰ ἔμελλον οἱ φιλόσοφοι τὸ αὐλίδιον αὐτὸ ἐπιδείκνυσθαι, nunc quia satis certum est αὐτοὺς μέλλειν ἐν τῷ αὐλιδίῳ ἐπιδείκνυσθαι τὴν ἑαυτῶν σοφίαν fieri non potest quin Theophrastus scripserit: καὶ τοῦτο περιιὼν κιχράναι τοῖς φιλοσόφοις — ἐνεπιδείκνυσθαι. Sed ad Xenophontem revertor.

Non est ab ipso Xenophonte profecta forma πενταστίθαμοι II. 4. et 7, neque πενταπάλαιστον IX. 14, neque πενταπαλαίστους X. 5, neque VII. 6. ὀκταμήνους. Scripserat de more popularium πεντεσπίθαμοι et πεντεπάλαιστον et ὀκτωμήνους, de qua Atheniensium consuetudine alio loco complura notavimus. Scribae sunt ad suum loquendi morem εὐεπίφοροι et sic formae antiquae pereunt. In Sophoclis fragmento 395 Nauckii:

καὶ πεσσὰ πεντάγραμμα καὶ κύβων βολάς,

probae scripturae manifesta vestigia servat Hesychianum: Πεσ-

σὰ πέντε γράμματα, unde πεσσὰ πεντέγραμμα receptum oportuit. Πενταλιθίζειν affert Pollux IX. 126. sed recte admonet Photius v. Πεντελιθίζειν: διὰ τοῦ ε γράφουσιν, iam tum pervulgatum errorem castigans. Multis aliis locis eodem remedio utendum, sed eximenda est Attica forma ex Sapphus fragmento apud Hephaestionem pag. 41. σάμβαλα πεντεβόηα. Quia constat Aeolos non πέντε sed πέμπε dixisse, Sappho non hoc sed πεμπεβόηα dedisse intelligitur.

Turbarunt librarii in III. 3. ubi pessime scripserunt: αἱ δὲ ἄρρινοι (κύνες) μόλις καὶ ὀλιγάκις αἰσθάνονται τοῦ λαγώ. Nempe e nomine ῥίς nascuntur adiectiva εὔρις, ἄρρις et sim. non εὔρινος, ἄρρινος cet. quae ex certissima antiqui sermonis analogia ex ῥινός non ex ῥίς formata sunt. Eodem modo Veteres εὔθριξ tantum usurpabant et ξανθόθριξ et πυρρόθριξ et similia omnia. Sequiorum demum temporum scriptores, ut εὔρινος pro εὔρις negligenter admodum usurpabant, sic et πυρρότριχος pro πυρρόθριξ aliaque ad eundem modum. Theocritus VIII. 3:

Ἄμφω τώδ' ἤτην πυρροτρίχω, ἄμφω ἀνάβω.

ubi dixisset poëta antiquior ἤστην πυρρότριχες. In Xenophontis libro scribae εὔρινες constanter emendate scriptum servarunt et ἄρρινες, ut III. 3: ἄψυχοι, ἄρρινες, οὐκ εὔποδες, praeterquam hoc uno loco ubi ad aequalium συνήθειαν aberrarunt, quod ubi perspexeris Xenophonti suum ἄρρινες restitues et in noto loco Sophoclis Aiac. 6:

εὖ δέ σ' ἐκφέρει
κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις,

flocci non facies eos, qui εὔρινος, quod Sophocles cum κυνὸς Λακαίνης coniunxerat, pessime cum βάσις coniungi posse opinati sunt.

Simillimi generis vitium commissum est V. 17. in verbis: οἱ δ' ἐπὶ πάντας τοὺς τόπους πλανῆται χαλεποὶ πρὸς τοὺς δρόμους. Vera lectio est πλάνητες: Attici enim πλάνητας appellabant *errones* et *erraticos*, non πλανήτας. Πλανήτης Tragicorum est et post multa saecula Graeculorum, qui multa vocabula poëtica ἀπειροκάλως recoxerunt. Quamquam saepe libri variant et saepe ex sequiorum usu depravati sunt, tamen facile intelligitur πλάνης, non πλανήτης, in usu olim fuisse. Dicebant olim omnes constanter οἱ πλάνητες ἀστέρες (ut hoc

utar), non οἱ πλανῆται. Scribae, quibus solemne erat πλανῆται et audire et dicere, primum accentus in ΠΛΑΝΗΤΩΝ et ΠΛΑΝΗΤΑΣ prave ponentes pro πλανήτων et πλάνητας vitiose πλανητῶν et πλανήτας describebant: iidem apud Stobaeum Floril. 48, 64 et 103, 26. πλανῆτες ἀστέρες dederunt, quod Meinekius correxit, deinde ΠΛΑΝΗΤΕΣ quoque in πλανῆται depravabant. In ἄνθρωπος πλάνης, βίος πλάνης et sim. errari in libris non solet: πλάνητες quoque (nonnumquam πλανῆτες scriptum, tam prave ac si quis πενῆτες vellet scribere) passim sine mendo evasit: itaque nulla est dubitatio quin in Platonis loco de Rep. II. p. 371. D: τοὺς δὲ π λ α ν ή τ α ς ἐπὶ τὰς πόλεις ἐμπόρους καλοῦμεν, vera scriptura sit πλάνητας, et semel animadversa mendi origine πλάνητες, πλανήτων, cet. in antiquorum libris ubique reponi oporteat.

Notavimus iam alibi de antiquo verbo ΜΑΛΚΙΩ μαλκίω, in quo ubique vitiando scribarum natio conspiravit. Namque aut μαλκιῶ, μαλκιῶν, μαλκιῶσα dare solent pro μαλκίω, μαλκίων, μαλκίουσα, (eodem erroris genere quo μηνιᾶν, μηνιῶν, μηνιῶσα sequioribus usitata sunt pro μηνίειν, μηνίων, μηνίουσα antiquorum), aut, quasi a μαλακός formata forent, α de suo inserunt μαλακιῶ scribentes et μαλακιῶν et μαλακιῶσα. Non miraberis igitur V. 2. in libris esse μ α λ α κ ι ῶ σ α ι τὰς ῥῖνας, nec probabis qui μαλκιῶσαι reponunt, nam μαλκίουσαι unice verum est.

Iterum vetus forma Attica expulsa est IV. 6: ἐν τόποις ψιλοῖς, ξηροῖς, π ρ ο σ η λ ί ο ι ς τοῦ ἄστρου ἐπιόντος, et V. 9: ὅταν μὲν ᾖ ψύχη ἐν εὐδιεινοῖς, ὅταν δὲ καύματα ἐν παλισκίοις, τὸ δὲ ἔαρ καὶ τὸ φθινόπωρον ἐν π ρ ο σ η λ ί ο ι ς. Xenophon utrobique scripserat προσείλοις pro προσηλίοις. Diximus de ea solemni confusione iam antea. Attici εἴλην *solis aestum* appellant, et hinc ἄειλος, εὔειλος et πρόσειλος formabant, quibus Graeculi ἀήλιος substituunt et εὐήλιος et προσήλιος, nonnumquam etiam peius πρόσηλος. Aeschylus quum dixisset in Prometheo vs. 449:

οὔτε πλινθυφεῖς | δόμους π ρ ο σ ε ί λ ο υ ς ᾖσαν,

librarii dederunt προσήλους et ἴσαν, quibus in ea re tantumdem ubique credendum.

Vitiosa forma est quae legitur VI. 20: πρὸς δὲ τοῖς ἄλλοις

κελεύμασιν et § 24. χρώμενον τοῖς αὐτοῖς ἐγκελεύμασιν Graecum est κέλευσμα et ἐγκέλευσμα, ut κελευστής. Dominatur in talibus usus, qui eo esse solet certior quo frequentius vocabulum quodque occurrit. In nonnullis Graeculorum consuetudo ab antiquis dissidens admiscet falsa veris. Ἐπαύσθην dicebant Veteres: illi ἐπαύθην. Quoties igitur male παυθῆναι irrepsit! Sic κεκέλευσμαι et ἐκελεύσθην antiqua sunt et κέλευσμα, ἐγκέλευσμα, dissident Graeculi, itaque passim variat scriptura. In κελευστής perduravit consuetudo vetus, itaque eadem ubique lectio constat.

Eadem causa est, cur tam saepe veteres ac probae formae κλινῆναι, κατακλινῆναι, ἐγκατακλινῆναι, συγκατακλινῆναι in libris vitiatae sint. Graeculi ἐκλίθην dicebant, idque ipsum saepissime de suo invexerunt, de qua re subinde diximus. Emenda igitur VIII. 3: ἀπορούμενος ὅπου κατακλινῇ pro κατακλιθῇ.

Sunt certae quaedam formae antiquae, quas plerisque locis videas in certa quaedam menda depravari, cuiusmodi est futurum ἀπερῶ, quod saepissime veluti ex compacto aut in ἀπαίρω aut in ἀπορῶ a scribis refingitur. Nesciebant Graeculi sequiores verbis ἀπαγορεύω, συναγορεύω, προσαγορεύω, ἀναγορεύω, προαγορεύω, καταγορεύω, ὑπαγορεύω futurum esse ἀπερῶ, συνερῶ, προσερῶ, ἀνερῶ, προερῶ, κατερῶ, ὑπερῶ, et aoristum ἀπεῖπον cet. et perfectum ἀπείρηκα, ἀπείρημαι, ἀπερρήθην cet. sed ἀπαγορεύσω dicebant et ἀπηγόρευσα et ἀπηγόρευκα et ἀπηγόρευμαι et ἀπηγορεύθη cet. Hinc antiquas futuri formas multis modis corrumpunt. Ἐρῶ in αἴρω et αἱρῶ abit, ἀντερῶ in ἀνταίρω, συνερεῖν in συνεργεῖν, et ἀπερεῖν nonnumquam in ἀπαίρειν, sed saepius in ἀπορεῖν vidi depravari, veluti in XII. 2: ὅταν πορεύωνται ὁδοὺς χαλεπὰς οὐκ ἀπεροῦσιν, alii ἀποροῦσιν exhibent, et in Hipparchico III. 9: οἱ δὲ ἵπποι οὐκ ἀπεροῦσιν, in libris est ἀπαίρουσιν. In Platonis Cratylo p. 396. C: εἰ ἄρα ἀπερεῖ ἢ οὔ, sunt qui ἀπορεῖ servarunt, et passim ad eundem modum in libris Mss., nonnumquam et in editis emendatisque, erratum esse animadvertes.

Iuvat huius observationis, quae saepe inter legendum proderit, exempla compluscula expromere. Συνερεῖν in συναίρειν corruptum est in optimo S. apud Demosthenem p. 457, 5. et

303, 19. et 434, 10. Ibid. p. 414, 23. in A. pro *συνερῶν* est *συναίρων*. Contra apud Demosth. p. 603, 28. *δεήσεσθαι καὶ συνερεῖν* S. exhibet *συνεργεῖν*, et in Lysiae orat. XII. 86. in libris est *τῶν ξυνεργούντων αὐτοῖς ἄξιον θαυμάζειν*, ubi Reiskius verum vidit *ξυνερούντων* emendans. Dindorfius, qui in Thes. L. G. *Συναγορεύω* et *Συνερέω*, *συνείρηκα* et *Συνεῖπον* tribus locis disiunxit et idem in caeteris omnibus verbi *ἀγορεύω* compositis fecit, in v. *Συνερέω* attulit Iuliani locum p. 32. C: *Φίλοις συνεργεῖν ἐπαγγειλάμενοι*, ubi Wyttenbachius optionem facit inter *συνερεῖν* et *συνηγορεῖν*. Quis punctum temporis dubitabit quin *συνερεῖν* unice verum sit? Etiam *συνερεῖν* et *συνηγορεῖν* vidi confundi, nempe scribae pro *συνεροῦντας* substituunt *συνηγοροῦντας*, ut apud Demosthenem p. 1254, 2: *τοιούτους τοίνυν τοὺς συνηγοροῦντας αὐτοῖς παρεσκευασμένοι*, ubi veram scripturam *τοὺς συνεροῦντας* a Codice A. gratus accipio. Recte scriptum est p. 849, 9: *εἰδὼς συνεροῦντ' αὐτῷ τὴν δίκην*. Aliud genus mendi irrepsit apud Demosthenem p. 443, 2: *ὅπως συνερεῖ* [*καὶ συναγωνιεῖται*] *τῷ μικρῷ Φιλοκράτει*, ubi duo verba interpolata sunt a Graeculis, quibus *συνερεῖ* erat inusitatum. Eodem modo in Aeschinis loco, de quo ad Hyperidis *λόγον ἐπιτάφιον* diximus, quum esset in libris vetustis ΤΙΠΟΤΑΝΕΡΕΙ, *τί ποτ' ἀνερεῖ* (*ὁ κῆρυξ*); quum imperite descripsissent: *τί ποτ' ἂν ἐρεῖ*; de suo addidit magistellus: *ἢ τί φθέγξεται*; Similiter videbis *προερῶν* in *προαίρων*, *προσερῶν* in *προσαιρῶν* depravari caeteraque composita ad eundem modum. *Ὑπερῶ verba praeibo* (quod verbi *ὑπαγορεύω* futurum est apud veteres) apud Ammonium de D. V. p. 140. sic corruptum est: *ἐγὼ δὲ ὑπαίρω τὸν ὅρκον, ἀντὶ τοῦ προαίρω*. Aristophanes, cuius haec verba sunt, dederat:

ἐγὼ δ' ὑπερῶ τὸν ὅρκον,

quod grammaticus non admodum accurate *προερῶ* erat interpretatus confundens *ὑπαγορεύω* et *προαγορεύω*. Nihil est autem frequentius quam ut futurum *ἀπερῶ* concipiat vitium. *Ἀπερῶ* aut in *ἀπαίρω* abire solet aut in *ἀπορῶ*, eaque sic passim inter se permiscentur, ut in unoquoque loco ipsa sententia quid verum sit sola monstret. Apud Isocratem legebatur in Antidosi § 274: *ἀπορεῖν καὶ παύσεσθαι*, quum Urbinas verum *ἀπερεῖν* obtulit. Apud Aristophanem in Equitt. vs. 677. Bek-

keri pro *ἀποροῦσιν* optimus Ravennas *ἀπαίρουσιν* exhibet sine sensu et contra metrum. Apud Thucydidem I. 121. pro *ἀπεροῦσιν* in aliis est *ἀπαίρουσιν*. In Platonis Philebo p. 67. B. Stallbaumius edidit: *οὐ γὰρ δήπου σύγε ἀπαρεῖς πρότερος ἡμῶν*: in libris est *ἀπαίρεις*, *ἀπερεῖς* et *ἀπορεῖς*, unde Badhamus rectissime *ἀπερεῖς* recepit. Sed ipse *προαπερῶ*, prius quam omnia expromam: in hoc ipso igitur finem faciam. Legebatur apud Aelianum in H. A. XIV. 11. *προσαπαίρειν αὐτῷ ἵππῳ*, ubi *προαπερεῖν* verum esse quid opus est dicere?

Inter se negligenter permisceri *παθεῖν* et *μαθεῖν*, *τί παθὼν* et *τί μαθὼν*, *ἀπαθής* et *ἀμαθής* multis exemplis constat. Eiusdemmodi mendum inquinat locum Xenophontis in Cyneget. VII. 10: *μὴ τελευτῶσαι γίγνωνται ἔκκυνοι, πονηρὸν μάθημα*, imo vero *πάθημα*, nam facile sentiet unusquisque canes hoc malum *πάσχειν* magis quam *μανθάνειν*. Saepe Veteres eleganter *παθήματα* et *μαθήματα* componunt, aut inter se opponunt, ut ipse Xenophon in Cyropaed. III. I. 17. Saepe eo nomine Xenophon utitur, ut de Re Equestri IX. 4: *θυμοειδῆ ἵππον ὥσπερ ἄνθρωπον ταράττει τὰ ἐξαπιναῖα καὶ ὁράματα καὶ ἀκούσματα καὶ παθήματα*, id est *ὅ τι ἂν ἐξαίφνης καὶ ἴδωσι καὶ ἀκούσωσι καὶ πάθωσιν*.

Novum veteris confusionis exemplum conspicitur XII. 12: *αἱροῦνται διὰ τὴν αὐτῶν κακίαν ἀπολέσθαι μᾶλλον ἢ ἑτέρων ἀρετῇ σώζεσθαι*, ubi *ἀπόλλυσθαι* reponendum est. Poterat Xenophon *ἀπολέσθαι* et *σωθῆναι* inter se componere, sed quod *σώζεσθαι* posuit indicio est praecessisse *ἀπόλλυσθαι*. Non dubitabis ubi cognoveris frequenter confundi *ἀπόλλυσθαι* — *ἀπολέσθαι* et *ἀπολέσαι*. Librarii qui *ἀπολέσθαι* concoquunt ubi sententia clamat *ἀπολέσαι* verum esse, multo facilius etiam *ἀπόλλυσθαι* et *ἀπολέσθαι* inter se permutant. *Ἀπολέσθαι* pro *ἀπολεῖσθαι* irrepsit apud Demosthenem p. 764, 15: *οὐ δήπου μέλλων καταλύειν ὑμᾶς ἀλλὰ τοὐναντίον αὐτὸς ἐν ὑμῖν ἀπολέσθαι*, ubi recipienda sunt ex libris A. Y. O. *καταλύσειν* et *ἀπολεῖσθαι*. In Hecataei fragmento apud Longinum qui dicitur *περὶ ὕψους* cap. 27: *ὡς μὴ ὦν αὐτοί τε ἀπόλεσθε κἀμὲ τρώσετε ἐς ἄλλον τινὰ δῆμον ἀποίχεσθαι*, emendandum est: *ὅκως μὴ ὦν — ἀπολέεσθε — ἀποίχεσθε*.

Atticum loquendi genus sero nati magistri interpolarunt V.

31: ἔστιν οὖν ἀδύνατον μὴ οὐκ εἶναι — ὑπερέλαφρον. τεκμήριον δέ [ὡς ἐλαφρόν ἐστιν]. ὅταν ἀτρέμα διαπορεύηται πηδᾷ. Expunge inficetum emblema et insere γάρ et sic habebis orationem Attico more compositam: τεκμήριον δέ· ὅταν γὰρ ἀτρέμα διαπορεύηται πηδᾷ, cuius passim et apud alios et apud Xenophontem exempla reperiuntur: σημεῖον δέ, μαρτύριον δέ, τεκμήριον δέ, et uno vocabulo interposito γάρ. Eodem mendo laborat Xenophontis locus de Re Equestri X. 4: οὕτως ἂν ἀπεργάζοιτο ποιεῖν τὸν ἵππον οἷσπερ καὶ αὐτὸς ἥδεταί τε καὶ ἀγάλλεται. Τεκμήριον δέ [ὅτι τούτοις ἥδεται]. ὅταν γὰρ λυθεὶς θέῃ κτέ. ubi male feriatus aliquis emblema addidit, quo omisso unusquisque ex praecedentibus ὅτι τοῦτο ποιῶν ἥδεταί τε καὶ ἀγάλλεται multo melius cogitando supplebit. Incuria relictum est VI. 15: αἱ δ' ὑπὸ χαρᾶς καὶ μένους προϊᾶσιν ἐξίλλουσαι τὰ ἴχνη, ubi προΐασιν erat scribendum. Turpi errore scribae ἴασιν et ἰᾶσιν permiscent, praesertim in compositis, eodemque modo in coniunctivis συνίωσιν et συνιῶσιν, ἀνίωσιν et ἀνιῶσιν, et similibus omnibus. Xenophon futurum προΐασιν dedit, ut in vicinia § 16: δῆλον ποιήσουσιν et ἀφίξονται et ἐπιδραμοῦνται.

Idem mendum obsidet locum Dionis Chrysostomi Orat. XL. p. 175. Reisk.: οἱ δὲ μύρμηκες οὕτω πυκνοὶ βαδίζοντες — παρίασι καὶ βοηθοῦσιν ἀλλήλοις, ubi scribe παριᾶσι, quod est πάροδον διδόασιν, ut in eadem re dixit p. 178: οἱ μύρμηκες — παραχωροῦσιν αὐτοῖς καὶ τῶν ὁδῶν ἐκτρέπονται.

Accedo ad libellum περὶ ἱππικῆς, in quo legitur I. 1: Σίμων κατὰ τὸ Ἐλευσίνιον Ἀθήνησιν ἵππον χαλκοῦν ἀνέθηκεν, sed restituendus est verus verborum ordo in hunc modum: κατὰ τὸ Ἀθήνησιν Ἐλευσίνιον. Duo enim erant in Attica Ἐλευσίνια, τὸ μὲν Ἐλευσῖνι, τὸ δὲ Ἀθήνησιν ἐν τῇ ἀγορᾷ, vide Hipparchic. III. 2. Dicendum igitur est aut τὸ Ἀθήνησιν Ἐλευσίνιον aut τὸ Ἐλευσίνιον τὸ Ἀθήνησιν, sed illud est longe usitatius. Apud Lysiam in Orat. VI. 4. vera lectio mihi haec esse videtur: θυσίας θύσει καὶ εὐχὰς εὔξεται κατὰ τὰ πάτρια τὰ μὲν ἐν τῷ ἐνθάδε Ἐλευσινίῳ, τὰ δ' ἐν τῷ Ἐλευσῖνι. In libris est: ἐνθάδε Ἐλευσῖνι τὰ δὲ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ ἱερῷ.

Futurum pro praesenti restituendum est ibid. in verbis: ὅσοις συνετύχομεν ταὐτὰ γνόντες ἐκείνῳ οὐκ ἐξαλείψομεν ἐκ τῶν ἡμετέρων, ἀλλὰ πολὺ ἥδιον παραδώσομεν αὐτὰ τοῖς φί-

λοις, perspicuum est enim ἐξαλείψομεν rescribi oportere. Saepe φ et ψ inter se permiscentur ut in ὄφεις — ὄψεις, φίλοι — ψιλοί: etiam alibi ἐξαλείφω et ἐξαλείψω vidi inter se permutata, veluti apud Demosthenem p. 1338, 10: ἀκούω τοίνυν αὐτοὺς μέλλειν ἐρήσεσθαι πῶς ἀπὸ τοῦ μηδ' ἐγγεγραμμένου ἀπαλείφουσιν, imo vero ἀπαλείψωσιν. Nempe in tali re πῶς non minus coniunctivi aoristum requirit ac si βούλει aut βούλεσθε esset additum: πῶς ἀπαλείψωμεν; aut πῶς βούλεσθε ἀπαλείψωμεν; quod in oratione indirecta retinendum esse nemo nescit.

Impedita et vitiosa est verborum compositio in I. 2: οὕτω καὶ ἵππου πολεμιςηρίου οὐδὲν ἂν ὄφελος εἴη οὐδ' εἰ τἄλλα πάντα ἀγαθὰ ἔχοι, κακόπους δ' εἴη. Recte procedent omnia ad hunc modum scripta: — εἴη εἰ τὰ μὲν ἄλλα πάντα ἀγαθὰ ἔχοι, κακόπους δ' εἴη.

Vetus scribendi vitium insidet loco I. 8: οὐ γὰρ ἐγκάμπτοντες ἀλλ' ἐκτείνοντες τὸν τράχηλον, nam συγκάμπτοντες a Xenophontis manu profectum est. Difficile est in multis libris Mss. discernere utrum ἐν an σύν, ἐγ — an συγ — scriptum sit, nisi quis hoc agit et quid quoque loco requiratur cogitat. Scribae nihil cogitare soliti perpetuo haec confundunt, cuius confusionis permulta vel in uno Xenophonte exempla sunt, ut in Hipparchico I. 18: συγκαλέσαντα δὲ χρὴ τοὺς ἱππέας συμβουλεῦσαι αὐτοῖς μελετᾶν, in libris est absurda lectio ἐγκαλέσαντα. Mihi omnino verbum ἐγκάμπτω nullum umquam fuisse videtur, sed sicubi in libris occurrit vitio natum esse ex συγκάμπτω. Praeterquam ex hoc uno Xenophontis loco affertur ex Eunapio p. 197: τῶν γοῦν γραφόντων τὰ ἄκρα δακτύλων ὑπὸ τῆς ἀλήκτου μελέτης καὶ χρήσεως ἐνεκέκαμπτο, sed iam antea admonuimus τὰ ἄκρα (τῶν) δακτύλων et συνεκέκαμπτο emendari oportere. Quod e Galeni Lex. Hippocrat. ἐγκεκαμμένοι de unguibus dictum enotatur quis ambigit quin συγκεκαμμένοι unice sit verum? Συγκάμπτειν de digitis, unguibus, manu, crure, cervice sim. usitatissimum est. Omnem scrupulum eximet locus Xenophontis in hoc ipso libello XII. 5. ubi eodem plane modo συγκάμπτειν et ἐκτείνειν inter se opponuntur: καὶ ἐκτείνεται δὲ (ἡ χεὶρ) καὶ συγκάμπτεται. Confidenter igitur corrigemus: οὐ γὰρ συγκάμπτοντες ἀλλ' ἐκτείνοντες, et formam ἐγκάμπτω, sicubi forte recurret, eiusdem monetae

esse existimabimus atque συγκάμπτω, quod a scribis solet genuinae formae συγκάπτω substitui, qui contrario errore Atticorum κάπτω, ἀνακάπτω et ἐγκάπτω in κάμπτω, ἀνακάμπτω, ἐγκάμπτω deformare assolent.

Miro errore sed minime infrequenti laborat locus II. 1: ὅπως γε μὴν δεῖ πωλεύειν δοκεῖ ἡμῖν γραπτέον εἶναι. Plane contrarium Xenophon dixerat: οὐ δοκεῖ ἡμῖν γραπτέον εἶναι. Lege modo quae sequuntur et rem manifestam esse videbis. Haerebis etiam in vicinis: πολὺ δὲ κρεῖττον τοῦ πωλοδάμνην εἶναι τῷ μὲν νέῳ εὐεξίας τε ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἑαυτοῦ καὶ ἱππικῆς ἢ ἐπισταμένῳ ἤδη ἱππάζεσθαι μελετᾶν, τῷ δὲ πρεσβυτέρῳ τοῦ τε οἴκου καὶ τῶν φίλων καὶ τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν πολεμικῶν μᾶλλον ἢ ἀμφὶ πώλευσιν διατρίβειν. Miro errore lapsus est Schneiderus annotans: »ἱππικῆς i. e. τῆς τοῦ ἵππου." quasi vero ἱππικὴ εὐεξία aut eo sensu aut ullo alio sensu Graece dici posset. Hoc video Xenophontem dicere: *satius esse iuveni equitandi artem addiscere aut ubi eam satis didicerit in ea se exercere*, sed quibus verbis id dixerit non reperio. Sana esse videntur ἢ ἐπισταμένῳ ἤδη ἱππάζεσθαι μελετᾶν, sed quod praecedere necessario debuit *satius esse equitandi artem addiscere*, id vero ex verbis Graecis elici non potest: namque ἱππικῆς ἐπιμελεῖσθαι nullo pacto significare poterit umquam περὶ ἱππικὴν σπουδάζειν aut ἱππεύειν μανθάνειν. Deinde quod sequitur τοῦ τε οἴκου — πολεμικῶν videri possit suspensum esse ex verbo ἐπιμελεῖσθαι, sed fieri id non potest propter interpositum ἢ — μελετᾶν. Videant alii quomodo haec expediant.

In II. 2. ὥσπερ τὸν παῖδα ὅταν ἐπὶ τέχνην ἐκδῷ, suspicor ἐπὶ τέχνῃ veram lectionem esse, eodem sensu dictum quo in μανθάνειν ἐπὶ τέχνῃ, ἐπὶ τέχνῃ διδάσκεσθαι et sim. Plato in Protagora p. 312. B: οὐκ ἐπὶ τέχνῃ ἔμαθες ὡς δημιουργὸς ἐσόμενος ἀλλ' ἐπὶ παιδείᾳ, et p. 315. A: Ἀντίμοιρος εὐδοκιμεῖ μάλιστα τῶν Πρωταγόρου μαθητῶν καὶ ἐπὶ τέχνῃ μανθάνει, ὡς σοφιστὴς ἐσόμενος. Lex est Solonis apud Plutarch. Sol. 24. qua Solon οὐ δίδωσι πολίταις γενέσθαι πλὴν τοῖς πανεστίοις Ἀθήναζε μετοικιζομένοις ἐπὶ τέχνῃ.

Nondum est reperta vera scriptura III. 11: καὶ τἆλλα δινεύματα, ubi Codd. δὴ νεύματα exhibent, in quo quid lateat non reperio, sed δινεύματα nullius pretii correctiuncula est

calidius recepta: post pauca scribe *ταὐτὰ ὅσαπερ* pro *ταῦτα.*

In IV. 2: *ἀρχόμενα πάντα εὐιατότερα ἢ ἐπειδὰν ἐνσκιρρωθῇ τε καὶ ἐξαμαρτηθῇ τὰ νοσήματα*, non est sanum *ἐξαμαρτηθῇ.* Fieri potest ut *τὸ νόσημα ἐξημαρτήθη* significet *prava* aut *perversa* medicina morbo adhibita est, morbus *male curatus* est, sed satis apparet Xenophontem non hoc dicere, sed illud pervulgatum difficiliorem esse sanationem

quum mala per longas invaluere moras.

itaque huiusmodi quid indagandum est. In § 5. pro *κεχρῆσθαι ταῖς ὁπλαῖς* praesens requiro *χρῆσθαι.* Saepe haec confundi notum est.

Expunge articulum IV. 3: *κατὰ* [*τὸ*] *πρόσωπόν τε καὶ οὐράν,* quemadmodum enim *κατ' οὐράν* sic et *κατὰ πρόσωπον* usitatum est dicere, et in talibus articulus aut utrobique addendus est aut bis omittendus.

Homero relinquenda forma est, quae legitur VII. 2: *ἀλλ' ὑπερβησάτω ἐπὶ τὰς δεξιὰς πλευρὰς τὴν κνήμην.* *Βήσω* et *ἔβησα* linguae priscae Epicae fines non egrediuntur. In eorum locum apud omnes Graecos subierunt *βιβῶ* et *ἐβίβασα*, quamobrem *ὑπερβιβασάτω* Xenophonti reddendum esse censeo. Quod docet *ὁ ἀντατττικιστής* in Bekkeri Anecd. p. 85, 8: *ἐκβῆσαι φασὶ δεῖν λέγειν καὶ καταβῆσαι, οὐκ ἐκβιβάσαι*, et iterum p. 104, 4: *καταβιβάσαι οὔ φασι δεῖν λέγειν ἀλλὰ καταβῆσαι*, nunc quidem malesanos *Ἀττικιστὰς* iure castigat, nam nemo umquam Atticorum ista usurpavit umquam. Deinde libri de more dissentiunt in *καθέτω* et *καταθέτω.* Solent quidem saepissime *καθῆκε, καθεῖναι, καθείς* sim. corrumpi in *κατέθηκε, καταθεῖναι, καταθείς* cet. sed hoc loco *καταθέτω* verum esse videtur.

In § 5. quid tandem sibi vult articulus in his: *οὐ τὴν ὥσπερ ἐπὶ* [*τοῦ*] *δίφρου ἕδραν ἐπαινοῦμεν?* Quid sit *ἐπὶ δίφρου καθῆσθαι* novimus, sed quomodo *ἐπὶ τοῦ δίφρου καθῆσθαι* dici possit non intelligimus, quamobrem importunum *τοῦ* resecandum.

Mirificum quoddam compositum peperit scribarum oscitantia VII. 6: *σκληρὸν μὲν γὰρ ἔχων τὸ σκέλος εἰ προσκόψειέ τῳ προσκεκλασμένος ἂν εἴη.* Forma *προσκλᾶν* eorum errore nata est qui compendium male legerunt. Corrigendum est

κατακεκλασμένος. Verbum *κατακλᾶν* et rationem habet certam et usum, *προσκλᾶν* ab utroque damnatur.

Quae ubique permisceri solent *βάλλειν* et *βαλεῖν*, *βάλλεσθαι* et *βαλέσθαι* bis confusa esse in hoc libro certis indiciis deprehendes. VIII. 10: *ἢν τὸ δόρυ εἰς τοὔπισθεν μεταβαλλόμενος ὑποχωρῇ* tam male dictum est ac si quis *abiiciens* clypeum fugere diceretur: itaque *μεταβαλόμενος* repone. Alter locus est VIII. 7: *ἧττον γὰρ ἂν ὑποδύοι ὁ ἵππος καὶ ἀναβάλλοι τὸν ἀναβάτην*, ubi *ἀναβάλοι* verum esse sic optime intelliges quum animadverteris *ὑποδύοι* quoque in sermone Attico *aoristi* optativum esse, *praesentis* optativum esse non posse. Notandi sunt in his formis pervulgati quidam Grammaticorum et Lexicographorum errores. Pervulgatum est primum haec verba sic ponere: *Ὑποδύω* et *ὑποδύομαι*, *Ἀναδύω* et *ἀναδύομαι*, *Διαδύω* et *διαδύομαι*, *Παραδύω* et *παραδύομαι* cett. sed *ὑποδύω*, *ἀναδύω*, *διαδύω*, *παραδύω* cett. praesentis temporis forma in Grammaticorum cerebris nata est et eiusdem monetae est atque *δῦμι*, *ὑπόδυμι* cett. Itaque barbarum est quidquid ex illis formis commenticiis gignitur, ut *ὑπέδυον*, *ὑπόδυε*, *ὑποδύειν*, *ὑποδύων*, caeteraque quae nemo vidit et nemo videbit. *Ὑποδύοιμι aoristi* optativus est et *ὑποδύω* eiusdem aoristi est coniunctivus. Itaque *ὑποδύῃς* et *ὑποδύῃ* Graeca sunt, *ὑποδύεις* et *ὑποδύει* barbara; tertiam personam *ὑποδύει* dico, namque *ὑποδύομαι*, *ὑποδύει* optime habet. Res est simplex et perspicua: aoristus *ἔδυν*, *ἀπέδυν*, *ἀνέδυν*, *διέδυν*, *ἐνέδυν*, *ἐξέδυν*, *κατέδυν*, *παρέδυν*, *ὑπέδυν* cett. habet optativum *δύοιμι*, *ἀποδύοιμι*, *ἀναδύοιμι* cet. et coniunctivum *δύω*, *ἀποδύω*, *ἀναδύω* cet. Quidquid ex prisco ΔΥΩ compositum est habet notionem *intransitivam*, ut Grammaticorum pueri loquuntur, praeter haec quatuor: *ἀποδύω*, *ἐνδύω*, *ἐκδύω* et *καταδύω*, nam quintum *περιδύω* rarissimum est. Haec sola habent tempora triplicis formae:

Activae: *ἀποδύω*, — *έδυον*, — *δυε*, — *δύοιμι*, — *δύω*, — *δύειν*, — *δύων*, deinde *ἀποδύσω*, *ἀπέδυσα* et *ἀποδέδυκα*; similiterque in tribus reliquis *ἐνδύσω*, *ἐκδύσω*, *καταδύσω* cet.

Passivae: *ἀποδύομαι*, *ἀποδέδυμαι*, *ἀπεδύθην* et *ἀποδυθήσομαι*, similiterque *ἐνδέδυμαι*, *ἐξεδύθην*, *καταδυθήσομαι*, cet.

Mediae: *ἀποδύομαι*, *ἀποδύσομαι*, *ἀπέδυν* et *ἀποδέδυκα*. Hae formae omnes, quia ubique locorum frequentes occurrunt,

scriptorum testimoniis non indigent. In his *solis* igitur — δύω, — δύοιμι, — δύω, ῃς, ῃ, *praesentis* temporis esse possunt, et ἀποδύοιμι (ut hoc utar) aut *praesens* est verbi transitivi ἀποδύω, aut *aoristus* verbi medii ἀποδύομαι, ἀπέδυν. In his solis — δύειν et — δύων et — έδυον usitatae formae sunt. Thucyd. II. 91: ἡ Ἀττικὴ ναῦς τῇ [Λευκαδίᾳ] διωκούσῃ ἐμβάλλει μέσῃ καὶ καταδύει, ubi obiter expunge Λευκαδίᾳ, quod plane inutile est et Graecam compositionem vitiat. Demosthenes pag. 763, 26: οὐ γὰρ οἷός τ' εἴη πάντας ἐκδύειν, et saepe apud alios. Imperfectum ἐνέδυε pessime in ἐνέδυ depravatum est apud Charitonem V. 5. pag. 467, 41. Hirsch. καὶ ταῦθ' ἅμα λέγουσα ἐνέδυ καὶ ἐκόσμει τὴν Καλλιρρόην. Satis est apposuisse simillimum locum Xenophontis Cyrop. VI. iv. 3: ταῦτα δὲ λέγουσα ἅμα ἐνέδυε τὰ ὅπλα. Praeterea notandum est in his quatuor verbis perfectum formae activae et mediae *eandem* formam habere. Ἀποδέδυκα et aoristo ἀπέδυσα respondet et significat: alium *veste spoliavi*, et aoristo ἀπέδυν ut sit: ipse *vestem exui*. Illius significationis, quia admodum rara occurrit, testem produco Xenophontem in Anabasi V. viii. 23: Κοτυωριτῶν πολλοὺς ἤδη ἀποδέδυκεν. Solent tria reliqua ἐνδέδυκα, ἐκδέδυκα et καταδέδυκα referri ad formas medias ἐνδύομαι *induo vestem*, ἐκδύομαι *pono vestem*, καταδύομαι *penitus in aliquem locum abdo me*, sed nihil impediebat Graecos quominus iisdem perfectis activa significatione uterentur, ut aoristis ἐνέδυσα, ἐξέδυσα et κατέδυσα. Simul intelligitur quid intersit inter ἐνδύς et ἐνδυθείς, ἐνδεδυκώς et ἐνδεδυμένος. Qui *ipse* vestem, ornatum, arma *induit* dicitur ἐνδεδυκὼς τὴν ἐσθῆτα, τὴν σκευήν, τὸν θώρακα sim. Qui *ab alio vestitur* aut *amicitur* ἐνδεδυμένος dicitur. Sic Socratem finxisse de marmore narrant ἐνδεδυμένας τὰς Χάριτας. substitue ἐνδεδυκυίας et ridicula oratio erit. Apertior etiam ea res est in ἀποδῦναι et ἀποδυθῆναι, ἐκδῦναι et ἐκδυθῆναι. Recte igitur de meretricula dixit alicubi Aristaenetus: ἐνδεδυμένη μὲν εὐπροσωποτάτη ἐςίν, ἐκδῦσα δὲ ὅλη πρόσωπον φαίνεται, illud enim servulae ornatrices fecerant, hoc *ipsa* fecit. Substitue passivum ἐκδυθεῖσα et coacta ac vim passa idem fecisse dicetur. Sic accipiendum σκοπεῖν τινὰ ἀποδύντα *ubi vestem* sponte *posuerit* in palaestra aut in balneo.

Sic ubi quem ad certamen vocabant ἀπόδυθι dicebant, ut in Menandri versiculo, quem supra emendavimus:

ἀπόδυθι ταχέως, Πάμφιλ', ἡμέτερος ὁ πλοῦς.

In reliquis omnibus compositis, quae permulta sunt, neque activa forma neque passiva apud Graecos in usu est. Utuntur *sola* forma media ὑποδύομαι, παραδύομαι, εἰσδύομαι, ἀναδύομαι, διαδύομαι cet. cuius haec tempora perinde apud omnes Veteres constanti usu teruntur: ὑποδύσομαι, ὑπέδυν et ὑποδέδυκα; ἀναδύσομαι, ἀνέδυν et ἀναδέδυκα; παραδύσομαι, παρέδυν et παραδέδυκα, et sic in caeteris omnibus. Nempe aoristus ἔδυν, ὑπέδυν, ἀνέδυν, παρέδυν, et perfectum δέδυκα, ὑποδέδυκα cet. referenda sunt ad formam *mediam*, quemadmodum ἔφυν et πέφυκα cum compositis ἀνέφυν, ἐξέφυν cet. respondent praesenti et futuro φύομαι et φύσομαι, ἀναφύσομαι, ἐκφύσομαι cet. et ἔστην, ἕστηκα habent praesens et futurum ἵσταμαι, στήσομαι. Sic et ἀπέσβην, ἀπέσβηκα respondent praesenti ἀποσβέννυμαι, et κατέσκλην, κατέσκληκα praesenti κατασκέλλομαι, et ἑάλων, ἑάλωκα praesenti ἁλίσκομαι. Sic igitur ἔδυν quoque et δέδυκα respondent ubique praesenti et futuro δύομαι et δύσομαι, et quia dicitur ὁ ἥλιος ἔδυ, πρὸ δύντος ἡλίου et ὁ ἥλιος κατέδυ sequitur Graecum esse δύεται ὁ ἥλιος et ὁ ἥλιος καταδύεται. In ea re frequentissime peccari video, quia olim omnes δῦναι ad δύω referebant ut φῦναι ad φύω, et sicubi ὑποδῦναι τὸ γῆρας legebatur putabant ὑποδύω et ὑποδύειν τὸ γῆρας esse Graecum. Vides foedissimam hanc esse barbariam ὑποδύειν pro ὑποδύεσθαι, et quae eiusdem generis sunt διαδύειν, παραδύειν cet. Huc tamen referebant Graeculi aoristi formas δύοιμι, ὑποδύοιμι et ὑποδύω, ὑποδύῃς, ὅταν καταδύῃ similesque. Si quando aoristi illas formas esse intelligebant aliud scribendi vitium committebant, quod in coniunctivis aoristi φῦναι fere perpetuum est, in iisdem formis a δῦναι ductis nonnumquam occurrit. Nempe φῦναι, ἐκφῦναι habent optativum φύοιμι, ἐκφύοιμι, et coniunctivum φύω, φύῃς, φύῃ, φύωσιν. Scribae tantum non ubique dare solent φυῇς, φυῇ, φυῶσιν, de qua re alibi abunde egimus. Eiusdemmodi vitium conspicitur apud Athenaeum p. 607. C: ὅταν παραδυῇ τὸ οἰνάριον, ubi rectissime Dindorfius παραδύῃ reposuit. Sequiores Graeculi ex formis φυῇς, φυῇ, φυῶσιν novam formam com-

menti sunt ἐφύην, φυῆναι, φυείς, qua sexcenties utuntur decepti fallaci analogia in ἐρρύην, ῥυῆναι, ῥυείς. Ἔφυν igitur plane in desuetudinem abiit, et multo etiam prius proba et antiqua forma ἔδυν cum compositis ἐνέδυν cet. usu excidere coepit. Procuderunt recentiores Graeci ex analogia aoristum *mediae* formae ἐδυσάμην, ἐνεδυσάμην, ὑπεδυσάμην cet. quum nescirent ἔδυν, ἐνέδυν, ὑπέδυν cet. in antiqua Graeci sermonis sanitate hoc ipso sensu fuisse usitata. Novi istius aoristi frequentissimus apud omnes usus est. Ubicumque enim Veteres utebantur formis ἐνέδυν, ἐνδῦναι, ἐνδύς, ἀπέδυν, ἀπόδυθι, ἐκδύς caeterisque omnibus videbis istos constanter suum ἐνεδυσάμην ponere et ἐνδύσασθαι, ἐνδυσάμενος, ἀπεδυσάμην, ἀπόδυσαι cet. Hesychius: Ἐκδύς: ἐκδυσάμενος et Ἀμφιδύς: ἐνδυσάμενος componens veterem dicendi usum et sequiorum συνήθειαν componit. Sexcenties animadvertes, si hoc ages, veteres ἐνδῦναι dicere, sequiores ἐνδύσασθαι, Atticistas et omnes, qui elegantius scribere studebant, modo veteres imitari, modo ad aequalium consuetudinem delabi. Apud Diodorum Siculum utrum ἐνδύς an ἐνδυσάμενος legatur perinde est in oratione tot sequiorum vitiis inquinata. Sed in Antiquorum scriptis si quando δύσασθαι aut compositum occurrit fraus manifesta tenetur. Nemo eorum potuit forma barbara uti aliquamdiu post Alexandrum nata. Scio irrepsisse aliquoties et scribas impune tulisse: expromsi huius generis vitia quaedam in priore parte: sed fore scio ut haec omnia aliquando purgentur, neque credetur amplius Herodotus scribere potuisse V. 106: θεοὺς ἐπόμνυμι τοὺς βασιληΐους μὴ μὲν πρότερον ἐκδύσασθαι τὸν ἔχων κιθῶνα καταβήσομαι ἐς Ἰωνίην κτέ. namque barbarum hoc esse non minus quam τεύξασθαι, φεύξασθαι, δήξασθαι similiaque, quae saepius occurrunt. Herodotus ergo omnium consensu recipiet suum ἐκδύσεσθαι et quidquid istiusmodi in antiquorum libris deprehendetur librariis imputabitur suas dicendi sordes negligenter ingerentibus. Non uno nomine turpissimum est ὑποδύσασθαι, quod commaculat Aristophanis Vespas vs. 1159:

ΒΔ. ἄγε νυν ὑποδύου τὰς καταράτους ἐμβάδας,
τασδὶ δ' ἀνύσας ὑπόδυθι τὰς Λακωνικάς.
ΦΙΛ. ἐγὼ γὰρ ἂν τλαίην ὑποδύσασθαί ποτε
ἐχθρῶν παρ' ἀνδρῶν δυσμενῆ καττύματα;

Barbarum est ὑποδύσασθαι, et ὑποδῦναι *calceos* insanientis est. Sanavit omnia egregie Hirschigius qui ex ΥΠΟΔΥΟΥ elicuit ὑπολύου et pro ὑποδύσασθαι certa emendatione reposuit ὑποδήσασθαι et ὑπόδυθι τὰς Λακωνικάς emendavit in ὑποδοῦ λαβὼν Λακωνικάς, planissime ut Theopompus Comicus dixit apud Schol. Arist. Lysist. 45.

ὑποδοῦ λαβὼν τας(δὶ) περιβαρίδας.

Contra ubi ἐνδύσασθαι sine scribarum fraude legitur certum est nos sequiorum temporum scriptorem tenere. Admoneo haec Platonis τοῦ θείου caussa, qui etiam hodie nimium patienter ne dicam stulte creditur ab eruditis epigrammata quaedam perexigui pretii panxisse, quae in Anthologia Palatina Πλάτωνος inscribuntur. Plato igitur (si Musis placet) creditur hos versiculos fecisse (in Epigr. XII. pag. 445. in Bergkii Poët. Lyr.):

κεῖνό κεν ἐνδύσαιτο καὶ εἰν 'Αΐδαο Φέροιτο
καί μιν ἴδοι Μίνως τοὐμὸν ἔχοντα ῥάκος.

lubenter ignotum poëtam duplici mendo liberabo, sed ea lege ut non pro antiquo cive Attico habeatur, sed, si tamen Plato appellandus erit, multis post illum Platonem saeculis vixisse credatur qui etiam multo meliora carmina a se scripta recte in ignem coniecerit. Emendaverim igitur:

τοῦτο καὶ ἐνδύσαιτο καὶ εἰν 'Αΐδαο Φοροίη,

ut enim ἐνδύσασθαι pro ἐνδῦναι Graeculi dixerint, Φέρεσθαι ἱμάτιον tamen pro Φορεῖν nemo dixit umquam. Vix opus est admonere priscam formam Epicam ἐδύσεο, ἐδύσετο et κατεδύσετο nihil quidquam cum ista novitia forma habere commune, quod satis arguunt imperativi formae δύσεο et καταδύσεο pro δῦθι et κατάδυθι, ut ἐβήσετο, κατεβήσετο et βήσεο, καταβήσεο pro ἔβη, κατέβη et βῆθι, κατάβηθι, sed hinc fit perspicuum unde natae sint absurdae et barbarae scripturae in Homeri et reliquorum Epicorum Codicibus ἐδύσατο, κατεδύσατο. Quomodo enim priscos imperativos ἄξετε et ἄξεσθε vitiarunt in ἄξατε et ἄξασθε qui ipsi ἦξα et ἠξάμην bene Graeca esse opinabantur, sic et ἐβήσετο, quod non concoquebant, in ἐβήσατο depravarunt, et ἐδύσετο, κατεδύσετο in formam aequalibus suis tritam ἐδύσατο et κατεδύσατο.

Deinde notandum est pro δύομαι, ἐνδύομαι, ἐκδύομαι, εἰσδύομαι caeterisque compositis omnibus olim *in Ionia* usitatam

fuisse formam δύνω. Perinde est *in Ionia* dicere δύεται ὁ ἥλιος et ὁ ἥλιος δύνει; ἐνεδύετο χιτῶνα vel ἐξεδύετο apud Homerum est ἔνδυνε χιτῶνα et ἔκδυνε χιτῶνα, καταδύνω Ionice idem est atque καταδύομαι, ὑποδύνω atque ὑποδύομαι, et sic in caeteris compositis ad unum omnibus, cuius rei apud Homerum, Herodotum, Hippocratem et omnes, qui Ionica dialecto utuntur, affatim est exemplorum. Attica dialectus eas formas penitus ignorat, sed Tragici lubenter usurpant et sequiores inde ab Aristotele cum multis aliis Ionicis δύνω quoque et composita receperunt. Hinc nemo mirabitur factum esse, ut e vulgi συνηθείᾳ nonnumquam in Atticorum scripta irrepserit, sed δύνω cum vitio ambulat et Attice scientes non fallet. Sic apud Demosthenem p. 197, 7. quod in omnibus libris est πρὸ ἡλίου δύνοντος vitiosum est. Athenienses dicebant πρὸ ἡλίου δύντος, quod optimus S servavit solus. Quod legitur in Aeschinis Timarchea § 12. in lege: κλειέτωσαν δὲ πρὸ ἡλίου δύνοντος, commenticia illa lex est, ut omnia quae praeter ipsa Oratoris verba apud Aeschinem leguntur. Xenophon Ionum consuetudinem in hac quoque re sequitur ἅμα ἡλίῳ δύνοντι scribens in Anab. II. II. 13, et ἤδη ἡλίου δύνοντος ibid. II. II. 3, et ἅμα τῷ ἡλίῳ δύνοντι Hellen. I. VI. 21. Caeteros omnes videbis constanter δυομένου et δυομένῳ in ea re scribentes. Δύνω praeter praesentis formam et imperfecti ἔδυνον alia tempora non habet: δύσεσθαι enim et δῦναι dicebant. Faex Graeculorum ἔδυνα et δύνας coepit dicere et κατέδυνα, καταδύνας, quae et ipsa subinde insinuarunt sese in Antiquorum libros. Etiam δύνομαι hic illic conspicitur et παρεδύνοντο et κατεδύνοντο, foeda barbaries. Graeculis etiam — διδύσκω, ἐκδιδύσκω, ἀποδιδύσκω usitata sunt, Veteribus inaudita. Etiam — δυνέω finxit librariorum natio, quod in uno loco Herodoti conspicitur in libris praeter unum omnibus. III. 98: ὡς θώρηκα ἐνδυνέουσι: optime Dindorfius ἐνδύνουσι reposuit.

Superest denique ut de quantitate vocalis υ dicam. Producitur in *omnibus* praeterquam in passivis — δέδυμαι, — εδύθην, — δυθήσομαι nominibusque omnibus ab eo verbo formatis δύτης, ἄδυτον, ἔνδυτον, κατάδυσις, ἀποδυτήριον cett. sed ἔνδυμα solum ex certa antiqui sermonis analogia paenultimam producit, ut λῦμα, κατάλυμα, φῦμα, πλῦμα, et omnino quid-

quid in *μα* exit, quamquam cognata nomina omnia habent vocalem correptam, eandem constanter apud Veteres producit, ut *κρίσις*, *κριτής* sed *κρῖμα*, *κλίσις*, *ἄκλιτος* sed *κλῖμα*, *βάσις* cett. sed *βῆμα*, *στάσις* cett. sed *στῆμα*, *διάστημα*, *πόσις* cett. sed *πῶμα*, *ἄροσις* sed *ἄρωμα*, *εὕρεσις* sed *εὕρημα*, *αἵρεσις* sed *παραίρημα*, et alia sunt plura, de quibus in animo est alio tempore accurate dicere, si quando mihi per otium *περὶ παρεφθορυίας λέξεως* agere licebit. Scilicet sequiores hoc plane nesciebant et *πόμα* dicebant pro *πῶμα*, *κρίμα* pro *κρῖμα*, *κλίμα* pro *κλῖμα*, et *εὕρεμα*, et *ἄνδεμα* (pro *ἀνάδημα*), aliaque similiter vitiosa. Si qua nova fingunt male fingunt, ut *σύμβαμα* et *παρασύμβαμα* et *ἀνάθεμα*. Ex hac certa antiqui sermonis lege *ἔνδυτον* et *τὰ ἔνδυτα* corripiunt mediam, sed *ἔνδυμα* producit. Poëtastri veteris linguae ignari in hoc quoque peccant, ut in Epigrammate incerti poëtae (apud Iacobs. Anthol. Gr. IV. p. 171):

τάς τε κόρας, Λιμνᾶτι, κόρᾳ κόρα, ὡς ἐπιεικές,
ἄνθετο καὶ τὰ κορᾶν ἐνδύματ' Ἀρτέμιδι.

fefellit eum, dixeris, *ἐνδέδυμαι* paenultima brevi. Nihil est de genere hoc, in quo non turpiter impingant sequiores. Defungar nunc quidem uno exemplo Rufini, qui in Epigrammate XI. (apud Iacobs. III. p. 101.) ita canit:

νῦν ἔγνων· Ῥοδόκλεια καὶ οὐ Κύπρις. εἶτα τὸ κάλλος
τοῦτο πόθεν; σὺ, δοκῶ, τὴν θεὸν ἐκδέδυκας.

qui in *ἐκδέδυκα* paenultimam corripit nil sibi illicitum putat.

Apud Xenophontem igitur, ad quem ex longiore digressione revertor, *ὑποδύοι* est sine controversia aoristi *ὑποδῦναι* optativus, quocum *ἀναβάλοι*, non *ἀναβάλλοι*, coniunxerat. Ὑποδύεσθαι est *subducere sese*, *subsidere*, ut *ἀναβάλλειν* sessorem *succutere*.

Notabilis locus est VIII. 11: *τοῦτο γὰρ ποιῶν ὁ ἑλκόμενος καταβάλοι ἂν μᾶλλον τὸν ἕλκοντα ἢ καταπέσοι*, ad cognoscendam necessitudinem quae inter *καταβάλλω* et *καταπίπτω* intercedat, nempe *καταπέσοι* vides pro *καταβληθείη* poni. In alea *βάλλειν* proprium verbum est, ut in noto versiculo:

τρὶς ἓξ βαλούσης τῆς ἐμῆς φρυκτωρίας.

et in hoc non minus noto:

βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα,

et in *πῶς ἂν βάλοιμ' Εὐριπίδην*, aliisque passim: sed *quod iactum est* nemo *τὰ βληθέντα* appellat sed omnes *τὰ πεσόντα* aut *τὰ ἐκπεσόντα*, ut in Sophocleo:

ϛέργειν δὲ τἀκπεσόντα κεὖ θέσθαι πρέπει
σοφὸν κυβευτήν, ἀλλὰ μὴ ϛένειν τύχην.

Intelligi prorsus non potest quo modo dicatur *ἐκπεσεῖν ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν*, *περιπίπτειν κακοῖς*, *ἐμπεσεῖν εἰς τὸν μυλῶνα*, et similia bene multa, nisi animadverteris haec *pro passivis* respondere verbis *ἐκβάλλω*, *περιβάλλω*, *ἐμβάλλω*. Apud Hesychium male editur: *Ἐμπεσεῖν: εἰς δεσμωτήριον ἀχθῆναι*, sed edendum: *Ἐμπεσεῖν εἰς δεσμωτήριον: ἀχθῆναι*, qui locus mihi sumtus videtur ex aliqua *λέξει Πλάτωνος* et referendus ad Platonis de Rep. locum VIII. p. 553. B, quem supra apposuimus, ubi quis *ὑπὸ συκοφαντῶν εἰς δεσμωτήριον ἐμπεσεῖν* dicitur. Quod magister *ἀχθῆναι* dixit, melius, ut vides, dixisset *ἐμβληθῆναι*, sed sequiores ita solebant, ut Plutarchus in Pericle cap. 31: *ὁ Φειδίας εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπαχθεὶς ἐτελεύτησε νοσήσας*, ubi pro *ἀπαχθείς* Veterum quilibet *ἐμπεσών* posuisset.

In lucta composito *καταβάλλω* respondet simplex *πίπτω*, ut in Thucydidis dicto apud Plutarch. in Pericle cap. 8: *ὅταν ἐγὼ καταβάλω παλαίων ἐκεῖνος ἀντιλέγων ὡς οὐ πέπτωκε νικᾷ καὶ μεταπείθει τοὺς ὁρῶντας*, quae res advertit iam H. Stephanum: »*observa*" inquit »*dici πεπτωκέναι de illo quem quis καταβάλλει.*" Sic *τρὶς πεσεῖν* et *τρὶς καταβαλεῖν* luctatores dicuntur, et apud Platonem in Hippia minore p. 374. A: *αἴσχιον ἐν πάλῃ τὸ πίπτειν ἢ τὸ καταβάλλειν.* Eodem modo verbo *κατάγω* respondet pro passivo *κατέρχομαι ὑπό τινος*, de qua re alio loco uberius diximus.

In IX. 1: Schneidero obtemperatum oportuit pro *μάλιϛα δ' ἂν ἵππον ἀποδεικνύειν δέοι ἔχοντα ὧν ἱππεὺς δεῖται εἰς πόλεμον*, rectissime corrigenti *ἵππον ἀποδεικνύοι ἔχοντα.* In § 3. *ὡς ἂν ἥκιϛ' ἀναβαίνων λυποῖ*, rescribendum *λυποίη*, quia scriptores Attici non alia quam hac forma utebantur: *λυπέοιμι* Ionicum est et *λυποῖμι* Tragicorum. Turbant in his scribae, quorum vitio erroribus huiusmodi Plato potissimum oppletus

est. In Xenophonte rarius sic peccatur, quo facilius mendum si quod occurrit eximi potest.

Ex margine irrepsit annotatiuncula IX. 4: [*εἰδέναι δὲ χρὴ ὅτι ἐν ἵππῳ τὰ ἐξαπιναῖα τάραχον ἐργάζεται*]. Nempe hoc ipsum Xenophon dixerat sed aliquanto melius: *ἵππον ταράττει τὰ ἐξαπιναῖα καὶ ὁράματα καὶ ἀκούσματα καὶ παθήματα*, quod sciolo memorabile visum est, itaque in ora libri verbis suis annotavit.

Sensu vacuum est quod editur X. 2: *τά τε γὰρ ϛόματα ἕλκοντες ἄνω ἀντὶ τοῦ προορᾶν ἐκτυφλοῦσι τοὺς ἵππους καὶ μυωπίζοντες καὶ παίοντες ἐκπλήττουσιν.* Unius litterulae omissione hic quoque locus ἐκτετύφλωται. Emenda *ἀντὶ τοῦ προορμᾶν* et loci sententia

ἐξωμμάτωται καὶ λελάμπρυνται κόρας.

Saepissime alibi correctus error etiam. X. 5. corrigendus est in verbis: *ὅταν τις αὐτὸν εἰς ταῦτα προάγῃ — περίβλεπτον ἀποφαίνει τὸν ἵππον.* Quis non intelligit *ἀποφανεῖ* requiri?

Non infrequens vitium ex sequiorum negligentia natum dudum sublatum oportuit ex XI. 6: *εἴ τις ὀρχηϛὴν μαϛιγῴη καὶ κεντρίζοι.* Non est Graecum *μαϛιγῴην* sed *μαϛιγοίην*. Graeculi saepe *ἀλῴη*, *δῴη*, *γνῴη* et sim. vitiose scribentes pro *ἀλοίη*, *δοίη*, *γνοίη* istiusmodi sordes Veterum monumentis affricuerunt.

Mirabili quodam errore affectus est locus XI. 9: *οὕτω δὲ καὶ ἔϛιν ὁ μετεωρίζων ἑαυτὸν ἵππος σφόδρα ἢ καλὸν ἢ θαυμαϛὸν ἢ ἀγαϛὸν ὡς πάντων τῶν ὁρώντων καὶ νέων καὶ γεραιτέρων τὰ ὄμματα κατέχει.* Quae, quaeso, est illa distinctio? quasi vero eadem res non simul *pulchra* et *admirabilis* esse posset. Praeterea *ἄγαμαι* et *θαυμάζω*, *ἀγαϛός* et *θαυμαϛός* idem est, ut ea ne coniungi quidem possint, nedum disiungi. Quod in Codd. est *ἀγαθόν* pro *ἀγαϛόν* ducit ad verum inveniendum. Quum enim *ἀγαϛόν*, ut saepe alibi, in *ἀγαθόν* corruptum esset et locus sic scriptus non posset intelligi, adscripsit nescio quis in ora libri coniecturam duplicem: *ἢ καλὸν ἢ θαυμαϛόν*, scilicet alterutrum commode pro inepto *ἀγαθόν* substitui posse admonens. Deinde qui ista perperam in textum recepit tertium *ἢ* de suo inseruit. Reperta semel vera scriptura *ἀγαϛόν* (quo adiectivo lubentissime Xenophon utitur pro *θαυμαϛόν*)

emblema erat expellendum et sic scribendum: *οὕτω δὲ καὶ ἔϛιν — σφόδρα ἀγαϛὸν ὡς κτἑ.*

Transeo ad Xenophontis Ἱππαρχικόν, ubi I. 3. miror retineri lectionem ineptam: *ἐπιμελητέον δὲ ὅπως (οἱ ἵπποι) εὔχρηϛοι ὦσιν· οἱ γὰρ [αὖ] ἀπειθεῖς τοῖς πολεμίοις μᾶλλον ἢ τοῖς φίλοις συμμαχοῦσιν*, quum bonus liber *εὐπειθεῖς* pro *εὔχρηϛοι* obtulerit, quo recepto *αὖ* expungendum esse verissime admonuit Schneiderus, ut edendum sit: *ὅπως εὐπειθεῖς ὦσιν· οἱ γὰρ ἀπειθεῖς κτἑ.*

Frigidum scioli interpretamentum onerat locum I. 19: *ἡ πόλις ἀνέχεται δαπανῶσα εἰς τὸ ἱππικὸν ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ, ὡς ἢν πόλεμος γίγνηται μὴ ζητεῖν δέῃ ἱππικὸν ἀλλ' ἐξ ἑτοίμου ἔχῃ [παρεσκευασμένῳ] χρῆσθαι.* Dicebant enim utroque modo *ἐξ ἑτοίμου λαμβάνειν*, et *λαμβάνειν παρεσκευασμένα* et multa similia: coniungere autem utrumque ineptum est. *Uti paratis* Attice dicitur *ἐξ ἑτοίμου χρῆσθαι*, quae verba nescio quis recte interpretatus est *παρεσκευασμένῳ χρῆσθαι*, sed non debebat illud interpretamentum ex ora libri in Xenophontis orationem recipi.

Recte sed frustra admonuit Schneiderus I. 25: *εἰσηγοῖο δὲ αὐτοῖς ἐπὶ τὸ ἀκόντιον αὐτός*, verbum simplex *ἡγοῖο* esse reponendum.

Necessarium *ἂν* periit I. 26: *τοῦτο πάντας οἶμαι Ἀθηναίους γε μάλιϛα προτρέπειν εἰς φιλονεικίαν.* Numquam hoc erat factum, itaque Xenophon opinabatur *τοῦτο πάντας μάλιϛ' ἂν προτρέπειν.* Etiam hoc loco luce clarius est, quia praecedit *εἰ δὲ καὶ ἆθλά τις προτιθέναι δύναιτο*, veram scripturam esse *φιλονικίαν.* Iterum *ἂν* intercidit VIII. 5: *εἰ δέ τις νομίζει πολλὰ ἔχειν πράγματα εἰ οὕτω δεήσει ἀσκεῖν τὴν ἱππικήν κτἑ.* Nemo enim eam rem molestam *esse* nondum expertus putabat: sed molestam *fore* suspicabatur: itaque *πόλλ' ἂν ἔχειν πράγματα* verum est. Expulit voculam, ut saepissime alibi, tenuis lineola vocali A supra scripta. Habet *ἂν* apud Veteres certam sedem, quam cuiusque loci compositio assignat, unde deprehenditur vitium loci V. 3: *οὕτω γὰρ αὐτὸς μὲν ἂν ἥκιϛα κακῶς πάσχοις*, ubi corrigendum est *αὐτὸς μὲν ἥκιϛ' ἂν κτἑ.* Superlativi *μάλιϛα, ἥκιϛα, ἄριϛα* cet. in tali compositione voculam *ἂν* attrahunt ad sese. Exciderat lineola in ΗΚΙΣΤΑ, et ne-

scio quis ubi ἂν male abesse sensit alieno loco inseruit.

Repetita una litterula cum magno sententiae damno a scribis omissa est II. 2: ὑπὸ τῆς πόλεως ὑπάρχουσι διῃρημέναι φυλαί. Nempe post ΔΙΗΙΡΗΜΕΝΑΙ alterum I librarii neglexerunt, quod tu revoca et sic lege: διῃρημέναι δέκα φυλαί. Iam in antiquissimis Codicibus numeralia notis scribi solebant, unde quam multi errores suscepti sint et ipsi saepius aliis locis demonstravimus. Plane idem error commissus est apud Dionysium Halic. VIII. 73. pag. 1685. Reisk. συνεβούλευεν ἄνδρας ἐκ τῶν ἐντιμοτάτων βουλευτῶν ἑλέσθαι, οἵτινες ἐπελθόντες τὴν δημοσίαν γῆν ἀφοριοῦσιν. In vetusto libro non ΕΛΕΣΘΑΙ scriptum erat sed ΕΛΕΣΘΑΙῙ, id est: ἑλέσθαι δέκα, οἵτινες κτἑ. Conf. pag. 1692, 1694, 1706 et 1740.

Transponenda duo vocabula sunt II. 6: οἴονται ἑαυτοῖς προσήκειν τι καλὸν ποιεῖν, nam Graecum est καλόν τι ποιεῖν. vid. II. 2. VIII. 22. et passim. Dicitur εἴ τι καλόν, ὅταν τι καλόν et sim. sed προσήκει τι καλὸν ποιεῖν nemo in oratione soluta ponit. Supplendum est VIII. 9: μήποτε — ἵπποις δύσβατον ποιούμενον, imo vero δύσβατόν τι, quod sequens Π absorbsit.

Confusa sunt I et T in II. 8: μάχεσθαι μᾶλλον ἐθέλουσιν οἱ πρῶτοι — οἳ ἂν εἰδῶσιν ὅτι αὕτη ἡ χώρα αὐτῶν. Vitiosum est οἳ ἄν: nullus est partitioni locus et, si fuisset, τῶν πρώτων οἳ ἂν scriptum oportebat. Correctio in promtu est: ὅταν εἰδῶσιν κτἑ.

Nescio quo pacto vocabulum e libris elapsum est III. 4. quod desiderari sententia loci ostendet. Editur: καὶ οὕτως ὅσα ἐςὶν ἐν ἵππῳ ἀναβεβαμένῳ πάντα ἐπιδεδειγμένα ἔςαι καὶ τοῖς θεοῖς καὶ τοῖς ἀνθρώποις. Supplendum mihi necessario videtur: ὅσα ἐςὶν ἐν ἵππῳ ἀναβεβαμένῳ (καλὰ) πάντα ἐπιδεδειγμένα ἔςαι κτἑ. Compara locum de Re Eq. XI. 3: ὅπως τὰ κάλλιςα ἵππου ἑκὼν τε ποιῇ καὶ δοκῇ τοῖς ὁρῶσιν, et § 6: ἀλλὰ δεῖ (τὸν ἵππον) ἀπὸ σημείων ἑκόντα πάντα τὰ κάλλιςα καὶ λαμπρότατα ἐπιδείκνυσθαι.

Agnosco Graeculos meos antiquam dicendi consuetudinem interpolantes III. 12: τὸ ἀπὸ σάλπιγγος θᾶττον ἐπελαύνειν καλόν, et mox: τὸ τρίτον αὖ ἀπὸ τῆς σάλπιγγος χρὴ τάχιςα ἀλλήλοις ἐπελαύνειν. Scilicet ὑπὸ σάλπιγγος et ὑπὸ τῆς σάλ-

πιγγος antiqua et proba scriptura est, et nihil erat causae quamobrem articulum in ἀπὸ (ὑπὸ) τῆς σάλπιγγος Dindorfius removeret, ut vel Aristophanis verba declarant Acharn. vs. 1001: πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος. Summa constantia dicebant Veteres ὑπὸ σάλπιγγος, ὑπ' αὐλοῦ, ὑπὸ τυμπάνων et sim., quod neminem nescire arbitror, sed falluntur si qui putant in talibus perinde bene ἀπό poni posse. Simillimo genere erroris scribitur IV. 9: ἧττον ἂν οἱ πολέμιοι αἰσθάνοιντο εἰ ἀπὸ παραγγέλσεως γίγνοιντο μᾶλλον ἢ ἀπὸ κήρυκος ἢ ἀπὸ προγραφῆς. Etiamsi enim non esset multorum usu trita locutio, res ipsa et Graecitatis ingenium pro ἀπὸ κήρυκος demonstrare posset ὑπὸ κήρυκος dici oportere: nunc omnium Graece loquentium consensu constat non aliter quam sic a Xenophonte esse scriptum. Sequiorum temporum scribae, quibus solemne est ἀπό pro ὑπό substituere etiam hunc locum corruperunt et tulerunt impune, quia Critici propter magnam locorum vitiatorum copiam, ut videtur, nondum satis firmiter sibi constituerunt in quibus locis ὑπό necessarium sit. Quam saepe legitur, ut hoc utar, ἀπὸ λύπης, ἀπὸ θυμοῦ et sim. quasi dubium esset quin ὑπὸ λύπης, ὑπὸ θυμοῦ solum esset Graecum. Sed evidentior etiam, si quid iudico, error est in αἱ ἐξαγωγαὶ ἀπὸ κήρυκος γίγνονται.

In IV. 12: τῷ κρυπτὰς ἔχοντι φυλακὰς ἐξέσται κτέ. multo melius scribetur ἔξεστι, non est enim novum inventum, quo nemo antea esset usus; et vel sic ἔξεστιν ut in re certa esset anteponendum. In libris ἐστιν — ἔσται, ἔξεστιν — ἐξέσται tam frequenter inter se permutantur ut libera sit ubique optio.

Desideratur participium in V. 8: θαρροῦσι δὲ μάλιστα πολέμιοι, ὅταν τοῖς ἐναντίοις πράγματα καὶ ἀσχολίας πυνθάνωνται. Supplendum est: πράγματα καὶ ἀσχολίας (οὔσας) πυνθάνωνται. Dicitur autem perinde bene εἶναι πυνθάνωνται, et οὔσας πυνθάνωνται, sed hoc et Ἀττικώτερον est et facilius sic intelligitur quomodo necessarium vocabulum fuerit amissum.

Vitium, in quod scribae omnes sunt εὐεπίφοροι, contaminat locum VII. 5: ὁπλῖταί τε οὐ μείους ἔσονται καὶ τὰ σώματα οὐ χείρω ἔχοντες καὶ τὰς ψυχὰς φιλοτιμότεροι. Xenophon scripsit: καὶ τὰ σώματα οὐ χεῖρον ἔχοντες, non χείρω, sed scribae adverbium stulte in χείρω refinxerunt rati τὰ σώματα et

χείρω coniungenda esse. Graecum est *εὖ ἔχω τὸ σῶμα, κακῶς ἔχω τὸ σῶμα, αἰσχρῶς διάκειμαι τὸ σῶμα* et eodem modo in similibus omnibus. Non est Graecum *ἔχω τὸ σῶμα κακόν*, neque *ἔχω τὸ σῶμα ἀγαθόν*, neque quidquam huiusmodi. Itaque ut *εὖ* habet *ἄμεινον* (nonnumquam *βέλτιον*) et *ἄριϛα*, et *κακῶς* non tantum *κάκιον* et *κάκιϛα* sed etiam *χεῖρον* et *χείριϛα*, Graeci dicebant *ἄμεινον ἔχω τὸ σῶμα* et *χεῖρον ἔχω τὸ σῶμα*, tum *ἄριϛα ἔχω τὸ σῶμα* et *κάκιϛα* aut *χείριϛα*. Fefellerunt Graeculos loci ubi legebatur *τὸ σῶμα ἄμεινον* aut *κάκιον ἔχων*, aut in plurali numero loci, qualis est in Cyneget. XIII. 11: *τὰ σώματα πρὸς τὸν πόλεμον κάκιϛα καὶ αἴσχιϛα ἔχουσι πονεῖν οὐ δυνάμενοι*, ubi quum adverbia pro adiectivis haberent depravarunt eos locos ubi adverbii comparativus legebatur. Graeca loquendi consuetudo et passim alibi agnoscitur et in Cyneget. XII. 5: *ἀεὶ γὰρ ἔϛι τοῖς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχὰς εὖ ἔχουσιν ἐγγὺς εἶναι τοῦ εὐτυχῆσαι.*

Eodem mendi genere affectus est locus VII. 4: *ἐνταῦθα δὴ θεῶν μὲν οἶμαι πρῶτον συμμάχων ἰσχυρῶν δεῖ*, quasi vero non suapte natura Dii socii *potentes* essent et non satis esset dicere *θεοὺς συμμάχους ἔχειν.* Dixerat Xenophon in tam periculosa re primum omnium Deorum auxilio *vehementer* opus esse, *θεῶν πρῶτον συμμάχων ἰσχυρῶς δεῖ*, quo pacto loquitur et in libello *περὶ Πόρων* IV. 8: *καὶ μὴν ὅταν γε εὖ πράττωσιν αἱ πόλεις ἰσχυρῶς οἱ ἄνθρωποι ἀργυρίου δέονται.*

In VII. 6: *ἱκανοὶ δὲ καὶ προορᾷν οὐδὲν ἧττον οἱ ὀλίγοι τῶν πολλῶν καὶ φυλάττειν τοίνυν καὶ ἀναχωρίζειν τὰ φίλια οὐκ ἀκαιρότεροι οἱ μήτε αὐτοῖς μήτε τοῖς ἵπποις πιϛεύοντες.* Probo Schneideri coniecturam *καὶ ἀναχωρεῖν εἰς τὰ φίλια*: praeterea deleverim articulum in [*οἱ*] *μήτε αὐτοῖς μήτε τοῖς ἵπποις πιϛεύοντες*, natum, ut opinor, ex dittographia, nam *ἀκαιρότερον* in libris est pro *ἀκαιρότεροι.* Xenophon igitur hoc dicit: *οἱ ὀλίγοι ἅτε μήτε αὐτοῖς μήτε τοῖς ἵπποις πιϛεύοντες κτἑ.* Sic optime intelligitur quam vehementer erraverit Schneiderus quum eos qui speculaturi hostem exirent, *maxime imbelles et timidos* dici putaret, quod »*mirum et ridiculum*" esse ait. Ex verbis Xenophontis nihil huiusmodi nunc colligi potest. Flos et robur equitum poterat ad speculandum exiisse, tamen propter suam paucitatem *nec sibi satis confidentes neque equis*

caute omnia et circumspecte agebant, namque, ut suavissime addit Xenophon: ὁ φόβος δεινὸς δοκεῖ συμφύλαξ εἶναι, quod etiam de fortissimo quoque verum est.

Difficile est non subridere ad hanc scripturam. VII. 9: ubi, quum dixisset Xenophon: φιλοῦσι δέ πως οἱ ςρατιῶται ὅσῳ ἂν πλείους ὦσι τοσούτῳ πλείω ἁμαρτάνειν, huius rei duo exempla ponit haec: ἢ γὰρ ἐπὶ τὰ ἐπιτήδεια ἐπιμελείᾳ σκεδάννυνται ἢ πορευομένων ἀταξίᾳ οἱ μὲν προέρχονται, οἱ δ' ὑπολείπονται πλέον τοῦ καιροῦ. Quis enim vidit umquam ἐπιμέλειαν in vitio poni? Plane contrarium requiritur: ἐπὶ τἀπιτήδεια ἀμελείᾳ σκεδάννυνται, quod a Brodaeo olim repertum nescio quo pacto spernitur ab omnibus. Scribae, ἐπί, ut solent, ἔναυλον ἔχοντες male repetierunt. Ἀμελείᾳ pro ἀμελῶς, ut ἀταξίᾳ pro ἀτάκτως, usitato more dictum est.

Multis difficultatibus adhuc impeditus locus est. VII. 14: καλόν ἐςι σὺν θεῷ λαθόντα ἐλθεῖν εἰς τὴν πολεμίαν μεμεληκότα οἵ τε ἑκαςαχοῦ καὶ ποῦ τῆς χώρας προφυλάττουσιν. Perperam omnes pro Codicum scriptura μεμελετηκότως οἵ τε receperunt infelicem ac nullius pretii coniecturam μεμεληκότα οἵ τε, quae nihil significat et ne Graeca quidem est. Cogitavi de μεμαθηκότα, quod fere idem est atque εἰδότα, sed mihi ipse non persuadeo a Xenophonte sic scribi potuisse. Praeterea οἵ τε — προφυλάττουσιν sanum non est: nihil attinebat scire τίνες οἱ προφυλάττοντες sed πόσοι εἶεν. Itaque hoc ipsum reposuerim: πόσοι τε ἑκαςαχοῦ καὶ ποῦ τῆς χώρας προφυλάττουσιν.

Usitatam admodum Atticis loquendi formam sed a scribis saepissime obscuratam suspicor in VIII. 12. in lucem revocandam esse. Editur: ὅταν μὲν ἴωσιν ἐπὶ τούτους ὧν ἂν οἴωνται κρείττους εἶναι, et: ὅταν δ' ἐπὶ τούτους ὧν ἂν σαφῶς ἐπίςωνται ἥττους ὄντες. Emendandum utrobique censeo: ἐπὶ τοὺς ὧν κτἑ. de quo genere dicendi a scribis passim interpolato et deleto nuper ad Hyperidis λόγον ἐπιτάφιον multa annotavi.

Non est integer locus VIII. 14: οἱ δ' ἀγαθοὶ ἵπποι καὶ ἱππεῖς δυνατοὶ καὶ ἐξ αὐτῶν διαφεύγειν. Excidisse nonnulla arbitror post ἐξ αὐτῶν. »*Boni equi et equites*, inquit, vel ex ipsis *effugere possunt.*" adde: *vel ex ipsis* (*hostium manibus*) et loci sententia constabit. Ἐξ αὐτῶν τῶν χειρῶν in simili re

etiam alibi dixit Xenophon, sed non satis hoc est. Videant alii an locum plane expedire possint.

Finem faciam in loco huius libri, cuius quum certam et evidentem emendationem reperissem, comperi eandem olim a Ludovico Dindorfio esse repertam. Proferam eam tamen quia nihil esse scio iuvenilibus ingeniis salubrius quam manifestae corruptelae manifestam emendationem spectare, ubi vi repertae veritatis vehementer feriatur animus. Exuitur sic optime illa superstitio, qua etiamnunc multi Codicum Mss. auctoritatem stulte venerentur et non alio modo magis intelligunt iuniores (nonnumquam etiam aetate grandiores) quam certa et indubitata parere possit illa coniiciendi et divinandi facultas, quam unus et alter vult contemnere videri. Praemittam aliud exemplum ex Cynegetico V. 51: (ὁ λαγὼς) τιθεὶς εἰς τὸ ἐπέκεινα τῶν ἔμπροσθεν ποδῶν τοὺς ὄπισθεν — θεῖ οὕτως· δῆλον δὲ τούτου τὸ ἔνχροι. Interpretum commenta nullius pretii sunt, nisi forte ad refellendas eiusdemmodi explicationes confragosas et contortas, quibus adhuc multi multorum loci, imprimis poëtarum, vexantur et distorquentur. Reperta tandem vera scriptura demonstrat quam sint ea commenta inepta et ridicula et quales illi sint iudices, qui sensu vacuas lectiones mirifica comminiscendo tueri et *defendere* satagant. Id ipsum quod Xenophon scripserat felicissima emendatione reposuit Britannus Blane, nempe: δῆλον δὲ τοῦτο ἐν χιόνι. Eadem evidentia emendari potuit locus in Hipparchico, in quo olim Interpretes oleum et operam perdiderunt. In libris est V. 10: ὁπότε γε καὶ οἱ παῖδες ὅταν παίζωσι ποσὶ δὲ ἃ δύνανται ἀπατᾶν προΐσχοντες ὥστε ὀλίγοι τ' ἔχοντες πολλοὺς δοκεῖν ἔχειν καὶ πολλοὺς προέχοντες ὀλίγους φαίνεσθαι ἔχειν, πῶς οὐκ ἄνδρες γε τῷ ἐξαπατᾶν προσέχοντες τὸν νοῦν δύναιντ' ἂν τοιαῦτα μηχανᾶσθαι; Reliqua omnia sunt luce clariora, sed quid in ὅταν παίζωσι ποσὶ δὲ ἃ lateret id vero erat obscurissimum. Ludus ipse ex reliqua parte loci optime cognoscitur, vel agnoscitur potius, namque sic saepe et ipsi pueri lusimus. Quaerendum erat quomodo Graece hic ludus appellaretur. Non erat hoc ad indagandum admodum difficile. Habent apud Graecos pleraque ludorum genera adverbium certae formae cum verbo

παίζειν coniungi solitum, cuiusmodi est quod dixit Antiphanes apud Athen. p. 15. D. quem locum supra emendavimus:

φαινίνδα παίζων νῆςις ἐν Φαινεςίου,

ubi in libris est *παίζων ᾔει ἐν φαινεςίου*. Sic dicebant *παίζειν ὀςρακίνδα*, in quo iocatur Aristophanes Equitt. 851. *παίζειν ἐφετίνδα*, unde iocum elicuit *εἰς τὰς ἐν τοῖς δικαςηρίοις γενομένας ἐφέσεις* Crates *ἐν ταῖς Παιδιαῖς*, quae est speciosa admodum Dindorfii coniectura ad Steph. Thes. v. *Ἐφετίνδα*. Plurima alia de genere hoc habet Pollux IX. 110: in his *διελκυςίνδα*, *κυνητίνδα*, *ἀκινητίνδα*, *σχοινοφιλίνδα*, *ςρεπτίνδα*, *ἀποδιδρασκίνδα*, *πλειςοβολίνδα*, plura Theognostus in Bekkeri Anecd. p. 1353. indicatus a L. Dindorfio ad Steph. Thes. v. *Βασιλίνδα*, cuius locum a Dindorfio emendatum adscribam: *τὰ διὰ τοῦ — ινδα ἐπιρρήματα παροξύνονται καὶ διὰ τοῦ ι γράφονται καὶ ἐπὶ παιδιῶν λαμβάνονται [καὶ πρὸς αἰτιατικὴν συντάσσεται] οἷον βασιλίνδα [παιδιὰν], χυτρίνδα, δραπετίνδα, ποσίνδα, ἐφετίνδα, ξιφίνδα, ληκίνδα, μυΐνδα, φρυγίνδα, ὀςρακίνδα, καὶ εἴ τι ἕτερον.* Haec mihi ex Apollonii aut Herodiani copiis sumta esse videntur et nonnihil a Theognosto vitiata; cui reddiderim *καὶ πρὸς αἰτιατικὴν συντάσσεται*, quod nihil significat: dicebant autem *φαινίνδα παίζειν*, *χυτρίνδα παίζειν* caeteraque ad eundem modum; nisi forte hoc voluit dici *παίζειν τὴν βασιλίνδα*, ut *παιδιάν* omitteretur. Sic Crates apud Poll. IX. 115:

παίζει δ' ἐν ἀνδρικοῖς χοροῖσι
τὴν κυνητίνδ', ὥσπερ εἰκὸς
τοὺς καλοὺς φιλοῦσ' ἀεί.

Promiscue dicebant *βασιλέα παίζειν* et *παίζειν βασιλίνδα*. Itaque et *παιδιάν* expunxerim et singularem numerum reposuerim *παροξύνεται*, *γράφεται*, *λαμβάνεται*. Ad hanc lucem neminem fugere poterit ipsa Xenophontis manus: *ὅταν παίζωσι ποσίνδα*, quod etiam sine diserto Theognosti testimonio ex Graecitatis analogia et corruptae scripturae ΠΟΣΙΔΕΑ vestigiis certa coniectura elici potuisset. Pueri porrecta manu in pugnum contracta rogabant *πόσα*; idque *ποσίνδα παίζειν* appellabant. Apparet simul quid intersit inter *ποσίνδα παίζειν* et *ἀρτιάζειν* *ludere par impar*. Utrumque ludi genus coniungit

Aristoteles a Schneidero laudatus Rhetor. III. v. 4: *τύχοι γὰρ ἄν τις ἐν τοῖς ἀρτιασμοῖς ἄρτια ἢ περισσὰ εἰπὼν μᾶλλον ἢ πόσα ἔχει.* Eadem opera corrigam Aristotelis alium locum ab eodem Schneidero indicatum *de divinatione somniorum* cap. 2: *διὰ δὲ τὸ πολλὰ καὶ παντοδαπὰ κινεῖσθαι ἐπιτυγχάνουσιν ὥσπερ ἔνιοι ἄρτια μερίζοντες ἁρπάζουσιν· ὥσπερ γὰρ λέγεται, ἂν πολλὰ βάλῃς ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς καὶ ἐπὶ τούτων τοῦτο συμβαίνει.* Recte Schneiderus: *ὥσπερ ἔνιοι ἀρτιάζοντες* expuncto *ἁρπάζουσιν.* Vidi nonnumquam *ἀρτιάζειν* et *ἁρπάζειν* confusa v. c. apud Dionem Chrysost. XXVI. p. 526. R. 331. Emper.: librarii nihil cogitantes ΑΡΤΙΑΖΕΙΝ et ΑΡΠΑΖΕΙΝ distinguere non possunt. Sed latet praeterea apud Aristotelem nescio cuius senarius:

ἂν πολλὰ βάλλῃς ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς.

ex aliquo poëta Comico sumtus.

Reperta igitur apud Xenophontem vera scriptura *ὁπότε γε καὶ οἱ παῖδες ὅταν παίζωσι ποσίνδα δύνανται ἀπατᾶν*, non inutile erit animadvertere quomodo vitiosa librorum lectio nata sit. Nempe ex ΠΟΣΙΔΑ stipites primum *ποσὶ* dederunt, tum quod supererat quum *δ' ἃ* esse putarent expleverunt de more elisam vocalem et sic *ὅταν παίζωσι ποσὶ δὲ ἃ* Xenophontis libros inquinare coepit, quod memorabile exemplum est unde discas simul quam absurdae scribarum hallucinationes nos in Veterum libris ludificentur et quam certa emendatione id quod verum sit emergere aliquando possit.

Καὶ ταῦτα μὲν (ut Xenophontis verbis de Re Equestri XII. 14. concludam) *καὶ ὑπομνήματα καὶ μαθήματα καὶ μελετήματα γεγράφθω ἡμῖν.*

INDEX

GRAECITATIS.

A.

B.

Δ.

Z.

H.

Θ.

I.

K.

Λ.

M.

N.

Ξ.

Ο.

Π.

P.

Σ.

T.

Υ.

Φ.

X.

Ψ.

Ω.

INDEX LATINUS.

INDEX SCRIPTORUM

QUORUM LOCI TRACTANTUR.